This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

**Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

**About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Chr Dogm

Theological School
IN CAMBRIDGE.

The Gift of
COL. BENJAMIN LORING.

# HULDRICI ZUINGLII

# OPERA

## COMPLETA EDITIO PRIMA

CURANTIBUS

MELCHIORE SCHULERO ET IO. SCHULTHESSIO

VOLUMEN TERTIUM

## LATINORUM SCRIPTORUM

PARS PRIMA

DIVINITY SCHOOL LIBRARY. HARVARD UNIVERSITY

## DIDACTICA ET APOLOGETICA

PRO EVINCENDO TRANSITU

IN EVANGELICAM VERITATEM ET LIBERTATEM

AB ANNO 1521 AD 1526

TURICI EX OFFICINA SCHULTHESSIANA

(F. SCHULTHESS UND S. HÖHR.)

1832

608.2
Z98.1
1828
v.3
cop. 1

# PRAEFATIO.

Ex quo volumen primum epistolarum Zuinglii et vernaculorum eius librorum prima secundi voluminis para opera nostra expedita habentur, in tertium annum turbae ingentes non modo publicum patriae statum civilemque, sed etiam ecclesiasticum, usque miscebant; quae sollicitatio nos ipsos cum typographo nimium quantum interpellavit ac distraxit, ita ut praeter voluntatem haec nos nostra tardaretur ac pene non iaceret. Ista necessitate speramus longiores moras omnibus aequis excusatas fore, ac duo quae nunc simul prodeunt volumina, operum origine latinorum primum et vernaculorum volumen secundum, per difficultates, quas evaserunt, eo gratiora venire. Nec vero iam dubium videbitur, quin quod sereno sumus moliti, per quamvis tempestatem profligetur et conficiatur, quum semel amplior pars eaque difficilior peracta sit, necnon favor

ecclesiasticorum virorum speratus adspirare coeptis pergat. Restat enim pars multo minor eorum, quae Zuinglius partim latine, partim teutonice scripsit, praeter exegetica quae quidem typis repetenda curare facillimum est, alteramque partem epistolarum. Hanc autem de industria reservamus, ut siquis quas litteras Zuinglii anecdotas homines litterati e thesauris manuscriptorum quibus adsident eruturi sint nobisque officiose communicaturi, eas nostro corpori aut interserere loco aut adiicere possimus.

Hoc nomine gratias quam maximas gerimus Davidi Schulzio, Doctori S. Theologiae, praecipuo decori Universitatis Wratislaviae totiusque Germaniae evangelicae lumini communi, cuius amicitia auro carior duarum nobis epistolarum copiam fecit, unius quam Erasmus ad Zuinglium misit Basilea 5. Nonas Sept. 1522, e sylloge epistolarum quam bibliotheca de Rehdigerana Wratislaviae custodit, alteram Oecolampadii ad Zuinglium ibidem datam 14. die Martii fortasse 1526. e sylloge epistolarum autographorum Reformatorum aliorumque virorum seculi XVI, in bibliotheca ecclesiastica Landshuti montanae Silesiae repositam, excerptam dedit. Locorum indicia prudentes fecimus, ut inde pateat quam longe lateque corporis membra, quod nos quam integrum potest recolligere conamur, dispersa

sint. Pariter nos obligatos esse hac occasione publice fatemur Matthiae Grafio, Pastori Evangelico Muelhusii, Alsaticae civitatis, dum per fata licuit Helvetiorum confoederatae, viro plurimum venerando atque etiam de historia patria et ecclesiastica egregie merito scriptori. Is enim quasdam Zuinglii litteras in patriae suae archivis publicis repertas autographas impertiit nobis, diligentissime descriptas. Utinam plures viri talium rerum curiosi similibus muneribus nos adficere velint, vel ut DD. de Wette et Hagenbach Basilienses et Freytagius nuper, alia qualibet via in publicum proponant, si quid penes ipsos est Zuinglii, quorum complementorum usum candide indulgeri ab iis operi nostro adaugendo pro certo habemus.

Dum Zuinglii scripta denuo et saepius perlegimus, magis magisque animadvertimus, quanta similitudo inter nostra illiusque tempora intercedat; quanta cum sollicitudine, moderatione, prudentia simul et virtutis dexteritate caverit idem, ut non rerum meliorum studia ex intemperie et temeritate novandi damnum capiant adeoque pessum dentur a stultis amicis, quanta cum aequitate peccata iniuriasque et principum et vulgi accusaverit plebisque onera levata voluerit, sic tamen ut antiqua iura bonaque recte

parta bene redimantur, non rapiantur, fidesque ante omnia servetur communis; quanta cum aegritudine conquestus fuerit Evangelicorum discidia inde exorta, quod non contenti unum esse in necessariis, in dubiis quae nihil ad rem summam faciunt nullam diversitatem et varietatem sibimet invicem concedere vellent. Haec et talia copiosius persequi dum maxime lubet, commodum sponsionis recordamur illius, nos neque in animadversionibus neque in isagogis aut praefationibus legentium sensa et iudicia praeoccupaturos esse, manumque de tabulis mature tollimus. Vos autem, quibuscunque Zuinglii nomen carum dilectumque est, laboribus nostris, si quidem eos Zuinglio dignos censetis, ad metam usque suffragari pergite!

Turici, Nonis Nov. 1832.

EDITORES.

# Index.


| | | Pag. |
|---|---|---|
| I. | Consilium cuiusdam ex animo esse consultum cupientis et Pontificis dignitati et christianae religionis tranquillitati | 1. |
| II. | Huldrici Zuinglii epistola ad Erasmum Fabricium de actis legationis ad Tigurinos missae diebus VII, VIII, IX Aprilis MDXXII. | 7. |
| III. | Supplicatio quorundam apud Helvetios Evangelistarum ad Hugonem episcopum Constantiensem ne se induci patiatur ut quidquam in praeiudicium evangelii promulget etc. | 16. |
| IV. | Apologeticus Archeteles quo respondetur paraenesi ab episcopo Constantiensi ad senatum Praepositurae Tigurinae quem Capitulum vocant missae | 26. |
| V. | Suggestio deliberandi super propositione Hadriani Pontificis Romani Nerobergae facta ad Principes Germaniae | 77. |
| VI. | De Canone Missae epichiresis | 83. |
| VII. | De Canone Missae libelli apologia | 117. |
| VIII. | Adversus Hieronymum Emserum Canonis Missae adsertorem apologia | 121. |

| | | Pag. |
|---|---|---|
| IX. | De vera et falsa religione | 145. |
| X. | Subsidium sive Coronis de Eucharistia | 326. |
| XI. | In Catabaptistarum strophas elenchus | 357. |
| XII. | Responsio brevis Huldrici Zuinglii ad epistolam satis longam amici haud vulgaris in qua de eucharistia quaestio tractatur | 438. |
| XIII. | Amica exegesis, id est expositio Eucharistiae negotii ad Martinum Lutherum | 459. |
| XIV. | Quaestiones de Sacramento Baptismi a Docto quodam propositae Huldrico Zuinglio | 563. |
| XV. | Ad Matthaeum Alberum Rutlingensium Ecclesiasten de Coena Domini | 589. |
| XVI. | Ad Ioannis Bugenhagii Pomerani epistolam responsio | 604. |
| XVII. | Ad Franciscum Lambertum ac omnes qui in fide sinceri sunt fratres Argentorati | 615. |
| XVIII. | De peccato originali declaratio ad Urbanum Rhegium | 627. |
| XIX. | Ad Theobaldi Billicani et Urbani Rhegii epistolas responsio. | 646. |

# CONSILIUM
## CUIUSDAM EX ANIMO CUPIENTIS ESSE CONSULTUM
### ET PONTIFICIS DIGNITATI ET CHRISTIANAE RELIGIONIS TRANQUILLITATI.

Quum Zuinglius accepit, in eo esse, ut in Lutherum anathema vibraretur, ad Guilielmum de Falconibus se contulit, suum amicum, qui absente Legato Ennio apud Confoederatos eius vice fungebatur, persuasurus, ut Papam dehortaretur a Bulla condemnatoria emittenda, quum nihil aliud certe augurari liceret praeterquam quod Germani bullam cum Papa contemnerent. „Hanc rem Myconio Zuinglius referens per litteras: [1] Memetipsum, inquit, idem fatum manere, nimis veri simile videtur; paratus sum atque hoc in casu mihi non deerit solatium.“ Sed monita omnibus modis sero venerunt. Iam Zuinglius hoc scriptum sine nomine et auctoris et loci, quo typis excusum, vulgavit, quae editio in postremam aestatem anni 1520 incidit.

Simlerus in sua collectione (Vol. IV) duas praebet latinas editiones, unam latinis, alteram teutonicis litteris consignatam (uno folio quartanis) ac tempore parem versionem, cuius est inscriptio: „Consilium hominis ex animo satisfactum cupientis et Romanae sedis dignitati et Christiani orbis paci.“ 1521. [2] (1½ fol. quartanis). Latina editio litteris teutonicis exarata multa menda habet, omissa nonnulla malamque interpunctionem. Appendix est addita huius tituli: „Apologia Christi dni nostri pro Marthino Luthero ad urbem Rhomam.“ Cratander typographus Basileensis hoc scriptum 8. Mart. ad Vadianum misit cum actis Lovaniens. contra Lutherum cum animadversione, sese in utroque Erasmi agnoscere stilum. Quae coniectura de Actis recta fuit; non item de Con-

1) Zu. ad Myc. Vol. VII. Epist. XXXVII. 1520. Iul. 24. 2) Hoc est mendum: nam e verbo quodam scripti ipsius elucet, ante coronationem Caroli V. (22. Oct. 1520) quem dicimus libellum in publicum exiisse.

silio: nam Vadianus in exemplari, quod bibliotheca Monasterialis Tiguri custodit, propria manu annotavit, Zuinglium esse consiliarium.[1] Apologia quoque suum tacet auctorem; inde tantum, quod Consilio est annexa, probabile videtur, eam esse unius et eiusdem auctoris.

---

Christianae mentis est ex animo favere Christi vicario, et huius autoritatem illibatam esse velle. Rursus pontificiae pietatis est, nihil habere privatim tam carum, cui non libens anteponat Christi principis sui gloriam et publicam Christianae religionis tranquillitatem. Et qui favent auctoritati gloriaeque pontificis, prudenter oportet favere. Id facient, si eam iis rationibus tueantur, quae tacitis etiam piorum ac bonorum virorum iudiciis comprobentur. Alioqui nemo magis officit pontificiae dignitati, quam qui eam non aliis praesidiis, quam terroribus ac praemiis humanis tutam ac defensam esse velit. Igitur ut quisque est religionis christianae studiosissimus, ita maxime dolet hunc tumultum exortum per quosdam qui Lutherum exacerbarunt[2] ad quaedam liberius scribenda, et Pontificis[3] mite alioqui ingenium irritarunt, ut severius agatur cum Luthero,[4] quam fortassis expediat tranquillitati pacique Reip. Christianae. Qualia sint quae scribit Lutherus, in praesentia non expenditur, sed tantum admonetur, ut consideremus, non solum quid Luthero sit dignum, sed quid conducat ecclesiae tranquillitati. Frequenter enim et palam noxiis parcitur, ne gravior existat tumultus.

Primum illud satis constat, rem esse natam ex malis initiis; nimirum ex odio bonarum literarum iam et apud Germanos subolescentium odioque lingarum nunc passim reviviscentium, quarum splendore putant obscurari suam auctoritatem, qui hactenus, absque harum rerum praesidio, habiti sunt consummatae doctrinae professores. Ad has igitur opprimendas nihil non moliti sunt quidam.[5] In hoc multum dissentientes a Pont. Romano, qui summum honorem habet his studiis. Deinde quod ad Lutherum pertinet, maxima pars huius mali imputanda est illis, qui de indulgentiis et potestate Rom. Pontificis ea praedicarunt eaque scripserunt, quae nullae doctae piaeque aures ferre poterant; ut, quod ad huius tumultus initium attinet, Lutherus videri possit studio zeloque Christianae religionis incitatus fuisse. Porro quod postea acerbius coepit scribere, qui non excusant, tamen sic elevant, ut dicant acerbissimis quorundam irritationibus et convitiis non omnino sine causa fuisse concitatum. Libris illius nondum lectis clamabatur apud populum: haereticus, antichristus, schismaticus, antequam auctoritas pontificia sese huic negotio palam interposuisset. Nemo monebat hominem, nemo revincebat, quum ipse offerret se, quemadmodum et nunc

---

1) Wirz. N. Hist. Eccl. Helv. I. 194, 195, 184, 185. 2) Tezelius, Wimpina, Prieras etc. 3) Leonis X. 4) Iun. 15. Lutheri excommunicatio decreta litterisque consignata est. 5) Viri obscuri cum Reuchlino, Erasmo etc.

se offert ad omnem disputationem [1] — tantum damnabatur. Nam Prieratis Augustini responsionem [2] nec hi [3] probant, qui bullam adversus Lutherum impetrarunt.

Quum disputatio Ecciana [4] commissa esset arbitrio Scholae Parisiensis, praevenit Coloniensis et Lovaniensis, [5] quibus nihil erat commissum et — damnaverunt tantum. Et quum communicato consilio id fecerint, tamen in articulis non consentiunt iisque praecipuis. Deinde personae, per quas res hactenus acta est, tales sunt, ut merito possint haberi suspecti (nam illorum negotium agebatur); neque vita illorum neque doctrina talis est, ut illorum iudicium debeat habere grave pondus praesertim in re tanta.

Modum igitur procedendi adversus Lutherum merito improbant optimi et doctissimi quique, etiamsi Lutherus scripsisset plane haeretica. [6] Neque ideo quis favet Luthero, si fontem modumque rei improbarit; nihilo hercle magis, quam si quis admoneat paricidam non esse afficiendum supplicio, nisi legitima via convictum et condemnatum. Iam bulla, quae adversus Lutherum publicatur inclementius, etiam iis displicet, qui Ro. Pontificis dignitati favent, quod magis resipiat odium impotens quorundam monachorum, quam lenitatem eius, qui gerit vices mitissimi Christi aut ingenium S. D. Leonis, quo nihil hactenus visum est placidius aut facilius. Unde magna est suspicio, esse qui eius lenitate facilitateque nativa ad suos privatos affectus abutantur.

Atqui quo sanctior est omnibus Ro. pontificis auctoritas, hoc diligentius perpendendum, ne quid ab eo proficiscatur, quod illo videatur indignum tacitis virorum bonorum iudiciis, quae nulli quantumvis magno principi sunt negligenda. Ad haec, quo causa haec latius patet ac periculosior est, hoc attentius erat deliberandum, ne quid temere definiretur.

Nullus ignorat vitam Christianam, rebus paulatim in deterius prolabentibus, multum degenerasse ab illa sincera Christi evangelica doctrina, adeo ut nemo non fateatur opus esse publica aliqua et insigni legum ac morum instauratione. Igitur ut non est temere tentandum aliquid, ita non est temere oblatrandum iis, qui bono studio monent aliqua, etiamsi liberius facere id vidcantur. Atque utut extra omnem controversiam sit, prorsus a vero aberrasse Lutherum, tamen erat humanitatis Theologicae, primum admonere hominem fraterne; deinde refellere solidis argumentis et S. Scripturae testimoniis, atque ita revictum, si nollet resipiscere, ita tractare, ut solemus membrum deploratum. Hoc qui consulunt, non favent Luthero, sed ordini theologico pontificiaeque dignitati. Siquidem hac via Lutherus penitus aboleri poterat, primum exemtus ex animis hominum, deinde etiam ex bibliothecis. Nunc exurendis libris fortassis aliqua ex parte di-

[1]) Lutheri protestatio et declaratio 17. Ian. 1520. Litterae ad Carol. V. 15. Iun. ad Princip. Elect. Moguntiaci atque ad Episc. Merseburg. 24. Febr. 1520. [2]) 1518. [3]) Eccius. [4]) Lipsiae 27. Iun. — 15. Iul. 1519. [5]) Qui Lutheri scripta 1520 condemnarunt; Parisienses Theologi demum 1521. [6]) Erasmus inprimis. Vid. Sekendorf. Comment. de Luthero ad a. 1520.

velletur e bibliothecis, sed interim illius opiniones infixae sunt animis plurimorum, quum eas videant non refelli.

Habent et laicorum felicia ingenia suum iudicium, quod potissimum a natura proficiscitur etiam apud doctos. Sunt tot eruditi viri et iidem boni, quorum ut quisque sincerissimus est ac veritatis evangelicae tenacissimus, ita Lutheri libris minime est offensus. Huiusmodi ingenia doceri cupiunt, cogi nolunt neque debent. Asinorum est cogi tantum; tyrannorum cogere. Certe Theologos maxime decet docere cum omni mansuetudine, non convitiis neque favoribus et conspirationibus rem agere.

Neque solum hic considerandum, quid dignum sit Luthero, de quo in praesentia nihil praeiudico; sed in praesenti periculo quid expediat tranquillitati Reipublicae Christianae.

Videmus Lutherum apud omnes vitae integritate commendari, et sic esse infixum animis hominum praesertim Germanorum; quamquam et apud alias nationes, ut quisquis integerrimi iudicii, hoc est maxime semotus ab iis rebus, quae solent iudicia corrumpere, ita minimum infensus est Luthero.

Nemo non fatetur se ex illius libris factum esse meliorem, etiam si quaedam fortasse merito displiceant.

Novimus Germanorum animos, videmus Bohemiam tot annis pertinacem et ab horum factione non multum abhorrentes finitimas regiones. Audimus quotidie graves multorum querimonias negantium, diutius ferri posse Romanae sedis iugum. Quod fortasse non tam pontifici imputant, quam iis qui pontificis auctoritate ad suam tyrannidem abutuntur.

Quod si res geratur odiose ac violenter, qui prudentia valet, facile divinabit, quis rerum tumultus possit hinc existere, quum frequenter ex levioribus initiis videamus orta perniciosissima mundi dissidia.

Quin et mundus videtur veteris ac nimium ad sophisticas argutias prolapsae theologiae pertaesus, sitire fontes evangelicae doctrinae et huc videtur irrupturus vi, nisi fores aperiantur; adeo ut etiamsi displiceat Lutherus totus, tamen oporteat innovari Theologiam scholasticam.

Cum igitur res sit orta malo primum principio et utrinque videatur esse peccatum, primum ab his qui suis impiis concionibus excitarunt Lutheri spiritum ac mox odiosis et furiosis clamoribus magis ac magis exacerbarunt, praesertim cum hic agere videantur suum negotium, quum in Lutherum non cadat similis suspicio sua tenuitate contentum, apparet expedire, ut tota haec causa per aliquos componatur, qui procul absint ab omni suspicione.

Verum est ad Ro. pontificem peculiariter pertinere cognitionem de rebus fidei, nec est illi ius suum adimendum. Tamen pro publico bono patietur hoc negotium aliis committi, viris eximiae doctrinae spectataeque probitatis et integritatis, in quos nulla cadat suspicio, vel quod metu aut spe velint adulari Ro. pontifici contra veritatem evangelicam, vel quod adversae factioni humano studio faveant.

Hos arbitros exhibebunt ex sua quisque gente tres reges et ipsi alienissimi ab omni suspicione *Carolus* Caesar, Rex Angliae et Rex Ungariae. [1] Hi diligenter perlectis Lutheri libris et audito coram Luthero quicquid pronunciaverint, id ratum habebitur. Ac Lutherus iam doctus ingenue agnoscet erorem suum, et libros suos a se repurgatos curabit denuo edendos, ne ob paucula errata pereat ingens fructus evangelici proventus. Multis enim et iniquum et inutile videtur, ob lapsus aliquot humanos etiam ea damnari, quae recta sunt: quum in libris Augustini adhuc extent ac legantur a notariis excepta responsa haereticorum plena impietatis ac blasphemiae.

Quod si Lutherus tum quoque perstiterit in his, quae damnata fuerint ab arbitris, erit ad extrema remedia veniendum. Ita nemo favebit sic victo Luthero; et si resipuerit, res absque tumultu reip. christianae componetur.

Nec hic minuetur auctoritas Ro. pontificis, sed hominum suspicioni consuletur, apud quos fortasse minus habebit ponderis ipsius pontificis in hac causa iudicium, quod ob indulgentias ac primatum suò negotio favere possit videri. Imo magis probabitur apud omnes illius pietas, quod ob veritatem evangelicam et pacem orbis Christiani de suo iure nonnihil concesserit.

Quod si quibus haec ratio minus placeat, proximum videtur hanc causam ad proximum concilium generale remittere: quod ob multas alias causas postulare videtur status reipublicae christianae multis modis corruptus.

Nam intempestivum videtur rem tam arduam velut obiter agere in hoc Principalium negotiorum tumultu praesertim; quum undique res satis dubiae sint et apud Germanos et apud Hispanos, ut non expediat addere novorum tumultuum materiam. [2] Praeterea convenit, ut haec nova Caesaris inauguratio faustis ominibus peragatur, ne huiusmodi rebus odiosis reddatur funesta et inauspicata.

Hoc consilium nolo cuiquam praeiudicet; tantum animo simplici, quod mihi videtur optimum factu, dixi. Praesertim cum ad id a summis principibus et profanis et ecclesiasticis fuerim invitatus. [3] Opto ut vincat evangelica veritas et omnia cedant in gloriam Iesu Christi. *Ἀμήν.*

*Νικησάτω ἡ τοῦ Χριστοῦ παιδεία καὶ ἀλήθεια!*

## APOLOGIA CHRISTI DOMINI NOSTRI PRO MARTINO LUTHERO AD URBEM ROMAM.

Invocas me ut exurgam et iudicem causam meam; tanquam tua mecum sit communis. Existimasti inique me fore tui similem, arguam te et statuam contra faciem tuam; statuam inquam ea quae ego ipse, et deinde primus a me constitutus pontifex Petrus et Pau-

---

1) Henricus VIII et Ludov. II. 2) Brevi antequam Carolus iter in Germaniam suscepit, Toleti seditio emperat atque intestinum bellum Hispanias aliquamdiu turbabat. Schmid, Hist. Germ. V. 37. 97. sqq. 3) Sine dubio intelligi debent amplissimi Tigurini utriusque ordinis.

lus a me electus te docuerint, quippe humilitatem, mansuetudinem, frugalitatem et pacem; non superbiam, non tyrannidem, non luxum, non bella. Ostende mihi in te tota unam virtutum earum quas Paulus docuit. Ostende mihi te unius vitii eorum, quae Petrus et Paulus detestantur, prorsus esse immunem. Dicis meum *Martinum* tua vituperia tribuere vanis rumoribus. Si vanus rumor fuisset de tyrannide comitis *Hieronymi*, diutius vixissent novem agricolae, quos ille propter unicum canem venaticum strangulari iussit, et *Florentia* a proditione libera fuisset. Si vanus fuisset rumor de fratre *Petro Cardinale Sixti*, de sua pompa, de luxuria, non de eo in te hoc meruisses Epigramma:

Sancta supervacuum dederat in Roma galerum.
Haec Petrum nivei marmoris urna tenet.
Plorat Sylvetus, plorat Syrasia et agnus.
Hic leno, haec meretrix, ille cinaedus erit.

(§ De virtutibus Caesaris et vitiis non est vanus rumor.) Sed et suam et patris sui *Alexandri* VI vitam, qualem ego non docui, totus mundus audivit, et ex omnibus nationibus et regnis in Iubilaeo viderunt peregrini cum *gynaeceo*, quale meum vicarium minime decebat. Maiora vero et terribiliora *Ioh. Franciscus Sutanus* in te minus orationis perficiens explicavit. Et sunt qui de *Iulio* palam praedicant, de sua libidine et ephebis, qui eum puellis prorsus nudis coram sua Sanctitate saltasse perhibentur. Offers verba prophetarum meorum. Habeo et alios prophetas. Quorum unus intonuit: Vae qui coniungitis domum ad domum et agrum agro copulatis usque ad terminum loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terrae? Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam et potandum usque ad vesperam! Cithara et lyra et tympanum et tibia et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis. Et alius meorum prophetarum exclamavit: Ubi sunt principes gentium qui in avibus caeli ludunt, qui argentum thesaurizant et aurum, in quo confidunt homines, et non est finis acquisitionis eorum. Poteras etiam ad cor tuum dudum rediisse ex aliis doctrinis et invectivis quorumdam amicorum meorum, qui novissimis temporibus vitia tua carpserunt. Legere poteras sermonem 85m, *Franc. Petrarcham*, *Ioh. Campanum*, *Bernhardum*, *Ludolfum*, *Ioh. Picum*, *Philelphum*, *Volaterranum*, Orationem *Pacensis* mortuo *Innocentio* VIII., *Bapt. Mantuanum* in Sylvis, in Fastis, de Calamitatibus im prima Parthenice in Eclogis, *Platinam* in plerisque locis. Nunquam miserta es captae *Constantinopolis* ut eam ad me vindicares? licet per Bullas Indulgentiarum crebram mentionem multis annis feceris de Cruciata, de expuguandis per te ex eleemosyna pauperum et simplicium meorum hostibus fidei meae. In quos usus pecuniae, quas corrasisti, quas tui missi obtulerunt interim, distributae sunt? Ubi thesaurus a *Paulo II* et *Iulio II* relictus? Ubi immensitas pecuniarum, quas omni hora in omnium hominum negotia (nihil enim negas si aurum adsit) colligere solita es? Redditura aliquando es rationem negotiationis tuae. Non me falles. Iudicium meum non evades, tametsi ex simplicitate filiorum meorum ambitiosa triumphes.

# HULDRICI ZUINGLII EPISTOLA
## AD ERASMUM FABRICIUM
### DE ACTIS LEGATIONIS AD TIGURINOS MISSAE DIEBUS VII, VIII, IX APRILIS MDXXII.

Orationibus sacris, quas Zuinglius ineunte anno 1522 habuerat, discrimen praeceptorum in aeternum ratorum Evangelii ac merorum placitorum humanorum expositum erat, ita ut appareret, ad Dei religionem et sanctimoniam haec non pertinere. Ex quo factum est, ut nonnulli inciperent ieiuniorum migrare statuta, silentio alii, alii contumacius palam in hominum offensionem incurrentes. Tunc legis ecclesiasticae sic laesae actio apud Senatum a Praeposito, Capitulo Plebanisque edita est: nam modum, quo legem ecclesiasticam violarant, improbabat Zuinglius ipse. Ex consulto Praepositi, Capituli ac Plebanorum, quod Senatus expetierat, severe edictum est, ut ieiunia, usque dum rei quaestio superiori quodam iudicio peracta esset, servarentur. Iam Constantientis episcopus legationem Tigurum misit, quae, sic tamen ut Zuinglius non nominatim corriperetur, ab omnibus novationibus dehortaretur.

Hoc igitur scripto Zuinglius amico narrat Erasmo Fabricio, ut in ea causa sese gesserit suamque doctrinam defenderit. Conferatur epistola Zuinglii ad Myconium Vol. VII. p. 202. Decrevit Senatus die 9. Aprilis ab Episcopo postulare, ut citra moram consultum Papae, Episcopi et Eruditorum de hac re traderetur; interea ieiuniorum praetermissionem severe interdictam manere. Zuinglius autem, ut malam interpretationem praecaveret, suam deinde orationem de ciborum delectu liberoque esu [1] vulgavit.

Haec epistola primam lucem vidit in C. L. Miegii Monumentis pietatis ac rei literariae 1701. Francof. 4. T. II. p. 19 sqq. sed vitiosissime exscripta; emendata postea, veruntamen adhuc mendis multis foedata a Dan.

[1]) Vid. Vol. I. p. 1 sqq.

Gerdes in Introductione in Hist. Evangelii Sec. XVI. passim renovati doctrinaeque reformatae. Groeningae 4. 1744. Appendicis num. XXI. Tandem Leonard. Usterius summam diligentiam posuit in repurgando hoc monumento capitali: contulit, quod reliquum est ipsius autographi; ubi autem deficit, apographum vetus ab Hummelbergio, amico Zuinglii, factum itaque epistolam integritati restitutam edidit primo epimetro vitae Zuinglii ab I. C. Hessio erarratae in Archivo Hist. Eccl. Staeudlini et Tzschirneri opera instructo. 1813. p. 53 — 67. Wannerus quum mitteret 22. Maii 1522 apographum Vadiano, animadvertit nimis periculosum esse de eiusmodi rebus cum eo per litteras communicare. (Siml.)

---

Acta *Tiguri* 7. 8. 9. diebus Aprilis per R. Dn. Constantiensem, Legatis *Melchiore* Suffraganeo,[1] *Ioanne Vannio*[2] (quem tamen invitum scimus negotio interfuisse) et N. *Brendlin* cum *Huldericho Zuinglio* Tigurinorum Evangelista coram Sacerdotum Senatorumque ordine.

ZUINGLIUS AD ERASMUM FABRICIUM.[3]

Cum septima die Aprilis ad urbem nostram praedicti patres maturius venissent, nec ego ignorarem venturos, captabam, quid illi consilii caperent, rescire; tamen nequivi usque ad intempestam fere noctem, qua *Henricus Luti*, Diaconus noster carissimus,[4] veniens admoneret, Notarium (quem vocant) in crastinum diluculum cogere universum Sacerdotum ordinem ad Canonicorum locum consuetum. Ego hoc felix auspicium opinatus, quod res per cursorem egregie tum claudum, tum illepidum, coepta esset: cogitabam intra me quonam pacto essent orsuri telam. Sensi tandem, ut mihi videbar. Et cum iam illuxisset, atque in conspectum ventum esset, orsus est Suffraganeus in eum modum, qui post sequitur, quum narrare coeperimus, quomodo res sit apud Senatum acta. Erat tota oratio vehemens et stomachi superciliique plena, tamesti strenue dissimularet omnem simultatem erga nos; nomen etenim nostrum ita nusquam attigit, ac si sacrosanctum

---

1) *Melchior Vattli*, Suffraganeus Constantiensis, defendebat adhuc 1526 Communionem sub una specie scripto, quod praedicatores Reformati Constantiae responso diluerunt. Notitia de eo inest in Archetele §. 48. — Anno 1523. mercedem flagitavit pro inauguratione duarum ecclesiarum ab Senatu Tigurino, quam rustici denegarent. (Fuessli Symb. IV. 147, et Wirz I. 234.) 2) De eo Vol. VII. p. 170. Iam. 22. Maii Zuinglio scripsit, in suspicione Zuinglium esse Episcopo, odiosum Suffraganeo, libellumque Lutheri cum epistola transmissum oravit, ut vulgandum curaret. 3) Ibid. p. 42. 4) De eo Vol. 1. 475.

esset, cum tamen interim nihil non in nos diceretur. — Tragoediam cum iam exeiulasset, prodii, indecorum ac foedum ratus, orationem, quae tantum damni dare posset, inconcussam permittere, praesertim quod infirmos quosdam nuper Christo lucrifactos Sacerdotes offensos ea sentirem, ex tacitis palloribus ac suspiriis. Tumultuarie itaque ad Suffraganei dicta respondi; quo spiritu aut animo, iudicent boni, qui audierunt. Summam tamen etiam tum audies, cum ad Acta apud Senatum devenerimus. — Deseruerunt hoc cornu veluti victum ac in fugam conversum Oratores, ad aliud propere festinantes, ad Senatum scilicet, ubi eadem, ut ex Senatoribus ipse rescivi, habita oratio, eodemque modo nomini nostro parcitum, persuasum quoque Senatui, ne ego vocarer: nihil enim se mecum habere negotii. Variantibus posthaec aliquamdiu sententiis, huc tamen deventum est, ut et plebs (ea est ducenti viri, Senatus Maior appellati) sequenti die frequens adesset, cautumque, ne Episcopi urbis, qui tres sumus, adessent: nihil enim adversus istos dictum iri, orationi tam integrae neminem posse contradicere etc. Quod ubi rescivi: omnem operam impendi, ut nos quoque in Senatum admitteremur sequenti die futurum. Frustra diu movi omnem lapidem: nam Senatus principes negabant fieri posse, cum Senatus diversum decrevisset. — Ibi ego quiescere ac suspiriis rem agere coepi apud eum, qui audit gemitum compeditorum, ne veritatem desereret ac Evangelium suum, quod per nos praedicari voluisset, defenderet. — Nona tandem die coactis civibus, ac indignam rem tumultuantibus, quod Episcopi sui non admitterentur, restiterunt, qui erant e Senatu, quem vocant a numero minorem, quod diversum ante decrevissent. Invitis tamen illis coëgit plebs rogationem super ea re haberi, qua sic sensum est, ut Episcopi sui praesentes sint, atque omnia audiant, ac si opus habeant, respondeant. Sic non quemadmodum Livius ait, vicit maior pars meliorem: hic enim et maior et melior vicit. Hoc autem non ea gratia in calamum mihi incidere passus sum, ut Minori Senatui aliquid imputem, sed ut videatur quid possint insidiae et circumventiones. Quid enim Oratores Coustantiensis Episcopi aliud egerunt, quam ut apud simplicem plebeculam dicerent sine arbitris quicquid in buccam venisset? — Deo gratia. Cum enim in Senatum inducerentur Oratores, admissi sumus et nos Tigurinorum Episcopi, *Henricus Engelhardus* D. D. ad Monasterium Monialium;[1] *Rodolphus Roscellus* apud S. Petrum Episcopus,[2] et ego *Hulderícus Zuinglius*. Ibi cum dicendi esset illis copia facta et Suffraganeus Salutem eis ac Benedictionem a suo illustrissimo Duce ac Episcopo (nam id oportet ultimo tandem loco vix admitti) nuntiasset: voce deinde suavissima illa sua, qua vix dulciorem in dicendo unquam audivi, quod si pectus et cerebrum tantum, quantum illa, possent, Ὀρφεα diceres superaturum et Apollinem dulcedine, persuadendi autem

---

1) Ibid. p. 498. 2) *Roeschlinus* segniter se gessit pro Reformationis causa: in disputatione nihil locutus, parum doctus, aetate iam confectus. Paucis hebdomadibus post disputationem abdicavit Plebanatum atque in eius locum successit Leo Iudae. Vid. Wirz, N. H. Eccl. Helv. I. p. 352.

vi Demosthenem cum Gracchis. Iam cum orationem eius cupiam ex integro ponere, nequeo, tum quod confuse, perplexe et sine ordine diceret, tum quod tam longam haud putem ab ullo Porcio Latrone memoria teneri. Pugillares autem cum ipse habuerim ac summa capita adnotarim, ut commodius possem illius dictis obsistere ac respondere, volo ista ponere primum, deinde, quid ad quaevis responderimus, subiicere.

*Τραχυτάτως* dixit, 1. quosdam doctrinas novas irritabiles ac seditiosas docere, germanice *widerwärtig und aufrührig lehren*; nempe 2. nihil praeceptionum humanarum servari oportere, nihil ceremoniarum. Quae doctrina si vicerit, futurum, ut non modo civiles leges sed et christiana fides aboleatur. 3. Cum tamen ceremoniae sint veluti Manuductio (hoc enim verbo uti illi placuit etiam apud eos, qui ignorarent latine: quod nimirum germanica vox *eine Einleitung* ei vel parum firma videretur, vel minus elegans) ad virtutes. Immo virtutum fontem esse, *ein Ursprung*, (quod verbum tamen postea fuit coram tot arbitris ausus negare) ceremonias. 4. Quadragesimam item doceri non servari oportere: in hac enim urbe ausos esse quosdam sese a reliquis Christianis separare, et a christiana ecclesia, quod etiam verbum postea tam impudenter, quam pervicaciter negavit. Testabatur D. *Brendlin* eum non dixisse id verbi, cum totus Senatus etiam hodie testetur. Tam putant sibi quicquid libuerit licere, temere dicere et temere negare quod dixerint, eodem fere momento) 5. carnes enim eos in quadragesima edisse non sine totius reipublicae christianae scandalo. 6. Quod tametsi literae evangelicae aperte non permittant, audere tamen eosdem asserere ex Evangelicis ac Apostolicis scriptis, sibi licere; 7. contra sanctorum patrum decreta et concilia, 8. contra denique vetustissimum morem eos fecisse, 9. quem, nisi ex spiritu sancto fluxisset, tanto tempore servare nunquam potuissemus. Gamalielem enim in Actibus Apostolorum dixisse: Sinite illos: nam si hoc opus est ex Deo etc. Hortatus est inde 10. Senatum, ut *cum* et *in* ecclesia maneant: nam extra illam neminem salvari 11. ea enim, quae tam perverse docerentur, sine fundamento doceri. Atque dum sibi non satisfecisset superius de ceremoniis locutus, 12. iterum in illarum mentionem incidit, unicas esse, per quas simplices Christiani ad agnitionem salutis inducerentur, ac id ex officio plebanorum (sic enim Episcopos ac Evangelistas hodie appellant personati illi Episcopi, ut illorum nomen sacrosanctum sit) esse, ut simplicem Plebeculam doceant, figuras quasdam esse et significare quaedam, quae et revelata et exposita per eos oporteat, quid signent, quid possint. 13. De scandalo tandem post superiorem catastrophen disserere coepit, non, ut vere dicam, inerudite, modo feliciter recitasset, tam quae contra se quam quae pro se erant. Adiunxit, scandalum vitari praecipi a Christo tam minaciter quam quicquam: Vae enim adiici, indignationis notam apertissimam, vae mundo a scandalis. Ad Paulum quoque rediens, ex cuius epistolis antea, quam de Vae dissereret, non pauca produxerat, testatus est, 14. illum, ne offenderet Iudaeos, Timotheum circumcidi passum esse. Et quod inter prima ista de seditiosis doctrinis dici

oportebat, post omnia 15. adpendit, neminem fidere suo capiti oportere: nam et Paulum noluisse suo sensui inniti, sed venisse Hierosolymam, ut Evangelium conferret cum apostolis etc. Post vero dictorum omnium pulcherrimum epilogum surrexit cum suis abiturus, quem sic cum illis affatus sum.

Domine Suffraganee! (qua in re non parum deliqui imprudens ac rusticus: dicere enim aiunt debuisse Domine Clementissime! verum urbanatim cum nesciam, rusticatim tango) comitesque reliqui, manete, obsecro, inquam, donec pro me satisfaciam. Nam id ipsum permittebant coepiscopi nostri. Ad quae ille: non est nobis, inquit, commissum, ut cum quoquam disputando committamur. Et ego, inquam, minime disputabo; sed quae hactenus docui optimos istos cives, lubens ac volens coram vobis et doctis et cum imperio, ut ita dicam, missis oratoribus producam, ut maior habeatur eis fides, si recte censueritis doctum esse; sin minus: contra fiat. Nihil, inquit ille, contra te locuti sumus, unde non est opus, ut satisfacias. Ego vero, etsi, inquam, nomini pepercistis, orationis tamen omnis vis ac impetus in me conversus ac tortus fuit. Nec enim aliter mecum revera agebatur, quam quod in certamine Mirmillonis et Galli dici solitum est: Non te, Galle, peto, piscem peto; ita nomen dissimulatum est ac tacitum, ut mihi, qui *Zuinglius* appellor, gravissima crimina, si Diis placet, intentarentur. — Dum hoc pacto inter nos contendimus, conatus est M. *Roest* Consul precibus Constantienses permovere, ut auscultarent. Quibus Suffraganeus respondit, se scire, quocum esset rem gesturus, si auscultaret: *Hulderichum Zuinglium* vehementiorem esse ac morosiorem, quam quod cum illo quicquam agi recte et cum modestia posset. Respondi: Qua unquam vos iniuria affeci? aut quis est hic rerum ordo, tam graviter et acerbe vexare hominem innocentem et de re christiana bene meritum; satisfactionem autem nullam recipere? Ego id semper sperare debui, ni fallor (fallor autem fortasse) si unquam essent aliqui pervicacius contradicturi Evangelicae veritati aut doctrinae, tum fore ut Antistes Constantiensis unus ante omnes suppetias esset laturus ac auditurus causam omnem; atque id per vos maxime, quibus etiamnunc ob singularem eruditionem legatis usus est. Quid enim facturi essetis, si clam vobis alloqui cuperem? conspectum vestrum formidarem? iudicium declinarem? Nunc cum nihil tale moliar, sed rationem fidei ac doctrinae redditurus praesentiam vestram expetam, qua fronte audetis illam negare? Sine suspicione fieri non potuisset, si abire etiam volentes permisissem: nunc cum ultro iudicium et aequitatem vestram implorem, deserere audetis? Tum illi: Rev. Dominus noster, inquiunt, noluit, ut cum quoquam contenderemus; hinc fieri non potest, ut te audiamus. Si quid doctrinae afferre ad Episcopum velis, licebit; si alicuius egeas, illum admoneas. Ego vero, amabo, inquam, si nullius rei intuitu hanc mihi gratiam praestare vultis, vel ob communem fidem, ob communem baptismum, ob Christum vitae salutisque auctorem gerite nobis hunc morem, et si non licet tanquam legatis quicquam audire, licet tamen ut Christianis. Hac obiectatione facta coepit murmur audiri civium indignantium, ut

tandem et hortatu Consulis et rei indignitate compulsi in pristinum locum resederint. Quod ubi factum est, coepi pro virili doctrinam Christi defendere ac ad summa capita respondere in hunc fere modum:

1. Proposuisse quidem Dom. Suffraganeum, quosdam seditiosas docere doctrinas et irritabiles; at nos induci non posse, ut id velit de nobis accipi, qui tanto sudore iam annis ferme quatuor Evangelium Christi et doctrinam Apostolicam praedicaverimus. Tametsi nonnihil oboleat, quod apud Senatum id proposuisset; quid enim nostra referret, si alibi tales doctrinae praedicarentur, modo ne Tiguri? Unde cum non sit verisimile, Suffraganeum de alienis locutum esse, pateat, mihi fabulam narrari; quamlibet dissimulent, manifestum esse, hunc Nathanum isti Davidi scelus proposuisse. Quod autem ad rem Evangelicam pertineat, non mirum esse, si alicubi inter eos, qui ἐντάλματα i. e. praeceptiones humanas mordicus tenent, et eos, qui illas aversantur, dissentiatur. Christum enim apertissime id futurum praedixisse: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim hominem separare a patre suo, et filiam a matre, nurum a socru, immo futurum esse, ut hominis hostes futuri sint domestici sui. Quamquam ne illa quidem responsione opus esse. Tigurum enim magis, quam ullum Helvetiorum pagum, pacatum et quietum esse, id quod omnes boni cives acceptum ferrent Evangelio.

2. Quod deinde obiectum sit nullas humanas nec praeceptiones nec ceremonias servari oportere doceri: ingenue agnoscam, ceremoniarum iustam partem ac praeceptionum me cupere abolitam esse, quod praecepta sint magna parte talia, quae etiam Petrus in Actis neget ferri posse. Nec etiam auditurus sim, qui dicant Petrum de veteribus locutum esse ceremoniis ac praeceptis. Esto tamen, si hoc illis donem, clarum tamen esse, Petrum in ea fuisse sententia, ut censeret, Christianos ab eiusmodi onere ac amaritudine oportere esse liberos. Quod si Petrus iugum illud vetus tantopere deprecatus sit, quod tamen levius multo fuisset, quam id, quod nos hodie ferimus: quid facturum arbitramini, si de graviore facta quaestio fuisset? Vetus autem iugum tolerabilius futurum fuisse (ut interim Pontificum decreta taceam, multo plura et graviora, quam Moseos) christianis hominibus, quam nostrum, id satis ostendere ieiuniorum immodicam observationem, ciborum delectum, festorum otia. Quantula enim Iudaeorum fient ieiunia, quae aliquando in summo moerore constitutis indicebant, si compares his nostris statis quadragesimalibus, vere angarialibus, ac iis, quae in Divorum honorem indicuntur irremisso quodam perpetuoque tenore. Iam et ciborum delectum si compares, gravior est eorum observatio apud Christianos, quam Iudaeos. Illi a quibusdam abstinebant generibus, nullo tamen certo tempore, excepto paschate. Nos a generibus variis et multo tempore abstinemur. Festorum autem otiis Iudaeos etiam longe superamus. Quod si Petrus noluit leviore iugo Christianos molestari, multo minus graviore. Negavi tamen, me in ea esse sententia, ut putem, nulla humana praecepta vel servanda esse vel statuenda. Quis enim non alacriter laturus sit, quicquid universorum Christianorum concors sententia de-

creverit? At e diverso abominari quorundam impurissimorum ventrium decreta, qui Pharisaeorum ritu onera imponant super cervices hominum importabilia, et ipsi ea ne summo quidem digitulo moveant. Quod autem dixerat ad exasperandum Senatum, futurum, ut nec civilibus legibus obtemperaremus, negavi id esse e mente Christi vel Apostolorum. Illum dixisse: Date Caesari, quae sunt Caesaris etc. ac tributum vel censum contribuisse; immo cum iam nasceretur, ad edictum Caesaris parentes eius nomen dedisse; hos docere: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum etc. et obedite praepositis vestris, non tantum bonis etc. Unde manifestum sit, fortius quam verius dictum, quod exemplo etiam clarius fiat: Omnes universi orbis populos felicissime legibus paruisse, etiam ante quam Christus homo nasceretur; immo Christianismum ad communem iustitiam servandam esse potentissimum, sed nec fidem Christi aboleri posse abolitis ceremoniis in universum etiam, immo ceremonias haud quicquam aliud agere, quam et Christo et eius fidelibus os oblinere, spiritus doctrinam abolere, ab invisibilibus ad elementa mundi avocare, quod tamen brevibus dici nequat et explicari.

3. Alia deinde ratione docui simplicem plebeculam quam per ceremonias ad agnitionem veritatis manuduci posse; nempe ea, qua Christus et Apostoli induxissent, sine omnibus, quatenus mihi per sacras literas perspectum est, ceremoniis; neque periculum esse, minus illam capacem esse Evangelii, quod quicunque credit intelligit. Illa credere potest, ergo et intelligere; quidquid hic agitur divino fit afflatu, non humano ratiocinio, quod Christus Patri quoque gratulatus est: Confiteor, inquiens, tibi Pater etc. quod absconderis haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit coram te. Et Paulus 1 Cor. 1. dicit stulta huius mundi a Deo esse electa, ut sapientia pudefaceret.

4. Quadragesimam nusquam me unquam docuisse non observari oportere, quamquam cupiam non tam imperiose praecipi et integrum cuivis relinqui. Ieiunet autem, cui non satis sit quadragesima, reliquum anni etiam; non defuturos, qui ieiunium suadeant, quos ego augurer plus promoturos, quam eos, qui nutu imperii sui et excommunicationis minis putent omnia non secus quam ad Iovis nutum ruinam factura.

5. Carnibuss esse quosdam ausos vesci minime malos, qui nec inficientur; sed quandoquidem divina lege a carnibus non sit eis interdictum, in testimonium fidei potius edisse quam in ullius contumeliam. Quod hinc pateat: nam mox, ut docti sint a nobis rationem scandali haberi debuisse, destiterunt, unde nec ista legatione opus fuisse, remittente sua sponte malo; si modo malum est. Hoc tamen vehementer nos admirari, quod dum annum iam XVI. in dioecesi Constantiensi evangelizem: hactenus tamen non resciverim, aliquo misisse Constantienses tam splendidam legationem, quae scrutaretur quonam pacto Evangelicum negotium incederet. Nunc cum minimam observatiunculam senserint non tam laesam, quam viderentur velle etiam, querimoniis impleri omnia, insimulari unos esse Tigurinos, qui secessionem a Chri-

stianorum communione meditari audeant. Id tamen verbi, ut diximus, Suffraganeo negante ac *Brendlino* attestante, Senatu vero toto reclamante, negationi eorum donavimus his fere verbis. Quandoquidem negas, ostendis, id tibi excidisse imprudenti, facile itaque ignoscemus; [1] per me tibi fuerit integrum quaevis emendare. Rempublicam autem christianam nihil scandali, nihil ignominiae passam esse, si pauci admodum sint humanam traditionem praevaricati.

6. Literas autem Evangelicas nusquam aperte permittere carnium esum, falso oppositum ostendimus: nam Marcus cap. VII. dicit in hunc modum: Nihil est extra hominem introiens in eum, quod possit eum coinquinare. Hic ostendi per oppositum antecedentis (ut ipsi sacras literas tractant) sequi oppositum consequentis, hoc pacto: Ergo quicquid est extra hominem introiens in hominem, non potest eum coinquinare. Signa mihi verba. Nihil signum universale negativum: si dixisset nullus cibus, obmisisset genus potulentorum; si nullus potus, cibum. Ideo placuit Veritati dicere, Nihil; deinde subiunxit: ne posse quidem inquinare. Audi! Veritas asseverat non posse; homo qui mendax est, omnis enim homo mendax, dicit posse. Hic se torquet homo ac dicit, verba ista non tam esse diserta, immo non hoc esse pacto accipienda; sed antecedentia spectanda esse et quae sequuntur, cum tamen sequatur: Non intelligitis, quod omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum coinquinare, quia non intrat in cor eius, sed in ventrem vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas. Amabo, quid clarius dici potest, etiamsi antecedentia spectes et sequentia.

7. Addebatur, contra Sanctorum patrum decreta et concilia. Respondimus D. D. *Engelhardum*, nostrae decus urbis, nobiscum ea, in quibus ipsi maxime fiderent, diligenter librasse; nihil autem tale asseverari posse ex his, quibus loco sacrae ancorae uterentur: non enim hoc in quaestionem venire, an quadragesimam abolitam oporteat, sed an ea tempestate per legem Christi liceat carnibus vesci. Ieiunium ut nulli interdicimus, sic integrum relinquimus.

8. Adiunctum est: et contra vetustissimum morem. Hic ingenue cessimus, consuetudinem esse atque eam minime malam. At si consuetudo esset, cur edictum adderetur? Daturos haud dubie operam promisimus, ut ea consuetudo temere ne intercidat.

9. Ea si consuetudo (prosequebatur) non a Spiritu divino esset inspirata, tanto tempore non duravisset, iuxta Gamalielis verbum. Respondi, haec et alia, quae non ex mente dei essent, solutum iri suo tempore. Omnis enim plantatio, inquit Christus apud Matthaeum, quam non plantavit pater meus caelestis, eradicabitur. Delectum autem ciborum nec Christum nec Apostolos praecepisse; unde nulli mirum videri debere, quandoquidem Christus benignitate sua velut postliminio mundum nunc per Evangelium clarius illustrarit, si miseri mortales ad libertatem respiciant.

---

[1]) Quae deinceps sequuntur, ex autographo Zuinglii exscripta reddiuntur.

10. Post haec Orator gravissimus catastrophen fecit ad Senatum, ut cum et in ecclesia maneant: nam extra illam neminem salvum fieri. Cui in hunc modum occurrimus. Nihil vos moveat, o optimi cives, isthaec adhortatio, quasi ecclesiam Christi unquam deserueritis: ita enim persuasum habemus de vobis, ut recenti adhuc memoria teneatis, quod dictum est in enarratione Matthaei, fundamentum ecclesiae esse petram istam, quae scilicet Petro fideliter confitenti nomen dedit, praeter quod nemo aliud ponit fundamentum, sed nec ponere potest. Quin in omni gente et loco quisque confitens ore suo dominum Iesum, et corde credens, quod Deus eum suscitavit a mortuis, salvus fiat, sive apud Indos sit sive Scythas, certoque constare, extra illam neminem salvari, intra quam nos omnes esse tanto firmius credimus, quanto certius gloriamur in spe gloriae filiorum Dei. Hic hominem protrahere potuissem ac nudare eius de ecclesia sententiam, malui tamen parcere, ut eum aliquando poeniteret, quod coram toto Senatu me praefractiorem esse dixit, quam quocum agi possit. Cum hoc pacto catastrophen fecisset, ad finem oculos vertebamus; secus tamen evenit atque speraveramus. Iterum enim huc rediit, ut diceret:

11. *Ista* (sic enim, ni me fallit opinio, doctrinam Evangelicam appellant *Isti*) sine fundamento Scripturae doceri. Ibi rursum sub Marci VII. verbum, tanquam sub Aiacis clypeum confugi et hasce sagittas emisi. Vin' tibi clariora proferri? Non dignus est Christus cui fides exhibeatur? non Marcus? tametsi locos multos in unum congesserimus, nunc tamen reliquis nos parcere, ne Patres fastidio afficeremus. Hic opportune *D. Engelhardus* Testamentum Novum sinu extraxit et locum Pauli I Tim. IV. explicari iubet. Accepi librum et germanice locum interpretatus sum. Quem cum plerique agnoscerent iam inde ab illius epistolae enarratione superiore anno per nos facta, mirum quam omnes respirarint. Adeo refert, quo quaeque loco dicantur.

12. His protinus omissis ceremonias ut ille rursus in aciem produxit, saucias tamen, ita nos rursus eas profligare conati sumus. Cum enim dixisset, plebanorum esse exponere, quid ceremoniae velint: everti hoc pacto. Nobis commendatum esse Evangelium Christi, id sedulo praedicandum; quid ceremoniae portendant, eos exposituros, qui ex eis vivant. Fateor, me hic dedita opera tacite tamen ulcus hominis tangere voluisse. Quid enim aliud agunt suburbani isti episcopi, quam ut consecrationum praestigiis loculos saginent? Quod si aliquis cerimoniarum magister apud oves mihi creditas, secus atque veritas haberet, praedicare ausit, minime laturum.

13. Iam quae de scandalo disseruerat, probavissemus omnino, nisi omnis sermo huc visus esset tendere, ut qui infirmi essent, perpetuo manerent infirmi; quum tamen firmiorum, quales ipsi videri volunt et debent, sit infirmos προσλαμβανεσθαι i. e. adsumere, consolari, iuvare, nimirum ut etiam ipsi firmi reddantur. Unum hoc tamen adiecimus, quum ille multa de anxia Constantiensis Antistitis cura dixisset de vitando vel cavendo scandalo: Ecquid non aliquando ad morem Christi adhortaretur sacerdotes suos, ut posthabita immunitate sua publica cum reliquis fratribus christianis ferrent onera, tributa penderent et vecti-

galia? Christum enim ne scandalizaret eos, qui didrachmum exigebant, pendisse adito etiam miraculo; negari autem non posse, omnem apud omnes gentes plebem queri, quod sacerdotes, quod monachi, quod vestales otiosi alerentur, nihil tamen vel opis vel rei in publicum usum conferrent. Hoc illi, posteaquam Senatu excessissent, gravissime questi sunt, extra propositum (ut aiunt) esse inductum; at mihi videtur nihil potuisse commodius hoc loco dici, quum de scandalo tam sollicitum dicerent Constantiensem Antistitem.

14. Timotheum deinde circumcidi Paulum esse passum ut sciam, ita Titum ut circumcideretur nulla ratione induci potuisse asserui, et rationem utriusque facti reddere conatus sum, apud Timotheum, dum adhuc in herba esset Christus, quod Macedonas passus sit circumcidi, ut tumulti nihil oriretur; postea vero quam idem paulo magis adolevisset, et Paulus eius instinctu iam certior factus esset, Titum sine tumultu servari posse, servavit. Hic vires omnes exserui, ut Senatores persuaderem, ut in veteri more perstarent, donec vel istius iugi nobis lora solverentur, vel orbis ipse ad resumendam libertatem apertius consentiret.

15. Postremo dixi, eos recte posse dici suo capiti inniti et sensui, qui receptae scripturae obstreperent ac traditiunculas humanas caelesti doctrinae praeferrent, non eos, qui se nullis aliis armis aut praesidiis tuerentur, quam sacris literis: illos enim carne fidere et sanguine, hos una veritate caelesti, de qua ne verbulum quidem unquam possit excidere. Paulum ut non ignorem contulisse Evangelium cum Apostolis tandem, ita me scire post XIV demum annos id factum esse. Quamquam autem non ignorem, quid isto velint exemplo, partes tamen suas eo magis infirmari quam fulciri: nos enim paulo ante non alia ratione tam obstinate institisse, ut praesentes essent nostrae quoque satisfactioni, quam ut liquido cernerent, quonam pacto sacras literas tractaremus, immo paratos esse, rationem reddere de ea, quae in nobis est, fide coram coelestibus, terrenis et infernis. Ac denique Senatum precatus, ut omnia boni consulerent, loqui desii, excepto, quod, dum ille rursum coepisset quiddam oggannire, atque id assidue inculcaret a sanctis Patribus et conciliis statutum esse, ne per quadragesimam carnes ederentur, coepi et ego impudentius obstrepere, negare ullis conciliis decretum esse, generalibus saltem; tandem cum et ipse appendicis suae finem fecisset, Senatum dimisimus.

Haec sunt *Erasme*, frater carissime, quae hisce diebus accepimus vel dedimus vulnera coram sacerdotum senatorumque ordine; hae rursum medelae, quibus infirmis succurrimus. Tumultuarie omnia, ut a nobis acta, ita scripta sunt: nam ille domo attulerat orationem, ego vero, quo stabam vestigio, pugnare coactus sum ac defendere. Quod si quae minus dixi vel amplius, atque acta sunt, imbecillitati humanae id imputandum arbitror; quae quam parum rememorando possit, vix agnoscit. Summam tamen actionis omnino attigi, sive apud Senatum, sive sacerdotum ordinem, sive privatim habitam. Vespera enim illa qua mane cum sacerdotum ordine egerant, casu in eos incidi et multa cum illis contuli; ex quibus omnibus didici, ubi loci ulcus eos urat.

Vale, et si ad *Bovillum* nostrum scripseris salutes eum meo nomine.

# SUPPLICATIO
## QUORUNDAM APUD HELVETIOS EVANGELISTARUM
### AD R. D. HUGONEM EPISCOPUM CONSTANTIENSEM
### NE SE INDUCI PATIATUR UT QUIDQUAM IN PRAEIUDICIUM EVANGELII PROMULGET NEVE SCORTATIONIS SCANDALUM ULTRA FERAT SED PRESBYTERIS UXORES DUCERE PERMITTAT AUT SALTEM AD EORUM NUPTIAS CONNIVEAT.

---

Historicae illustrationes, quae simili supplicationi ad Magistratus Confoederatorum Vol. I: 30 sqq. adiectae sunt, etiam huic inserviunt scripto. Usteri in litteraria appendice biographiae Zuinglii ab I. C. Hess conscriptae N. 3. p. 325 sq. duas indicat editiones titulo tantum ac formae specie diversas. Ipsum quoque scriptum ab eodem in App. I. 120 a — 123 b. est in lucem editum.

---

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO
HUGONI DE HOHENLANDENBERG
EPISCOPO CONSTANTIENSI
CUM OBEDIENTIA SALUTEM OPTANT.

Mirabitur forsan excellentia Tua, pater Reverendissime, quid haec insuitata res, nempe ad te scribendi epistolas, sibi velit nec id immerito: natura enim ita comparatum est, ut inopinata non modo admirationem, verum etiam stuporem aliquando pariant. Quanquam te hac in re penitus liberum esse iubemus ac securum, quam ad te deferimus. Non enim ad excellentiam tuam recurrimus molestioris alicuius rei gratia, sed inueniendae opis. Te enim ita persuasi sumus esse et dominum pientissimum et patrem amantissimum, ut nihil non nobis apud te polliceamur. Id quod res ipsa indicat: nunquam enim alioqui eramus ad tuam P. scripturi, nisi ea freti id fecissemus. Illam igitur supplices oratam volumus, ut id quod paulo post aperiemus benigne audiat, benevolenter capiat, ac boni consulat. Postulat autem idem et res ipsa quae nos ad hoc adigit, postulat item officium quod amanter ac paterne obis. Res autem, ut tandem ad eam descendamus, ea est. Novit paternitas tua Reverendissima, quam non sine summo salutis dispendio, longo tempore, coelestis illa doctrina, quam creator omnium deus per neminem sese inferiorem, sed per omnia parem sibi filium, patefieri voluit misero mortalium generi, quorundam

inscitia latuerit, ne dicamus malitia; quumque eam nostra tempestate veluti postliminio revocatam instaurare statuerit, quam inciviliter quidam illam vel oppugnent vel defendant. Horum enim omne studium huc tendit ut primo impetu bellum omne profligent; quod si minus successerit toti concidunt. Illorum vero tam impudens est obstrependi pervicacia ut tametsi sacrarum literarum umbone supinati, gladio spiritus qui est verbum dei, confodiantur, cedere tamen nolint, sed Christo potius repugnent quam sua deserant, donec et Christum et sua desercre cogantur, priscorum adeo ritu Iudaeorum, qui ut Christo viventi restiterunt donec occiderent, ita mortuum quoque persecuti sunt, donec simul omnes ipsi perirent. Quem inauspicatum exitum ut istis minime libenter praesagimus, ita ne quando eveniat metuere cogimur, haud praeter rationem. Sicut enim tunc Iudaei e synagoga nequicquam eiiciebant qui Christo credidissent (crescebat enim in diem magis ac magis fides): similiter hac nostra tempestate, si qui veros istos Christi praecones deterrere, vel etiam perdere pergant, tantundem efficient. Quapropter Gamalielis verbum eis crebro inculcandum est, nempe ut recedant ab hominibus istis qui ad nos coelestia mandata perferunt. Nam si sit ex deo, dissolvi nequeat: stultum enim fuerit si quis deo repugnare tentet; si vero ex hominibus, futurum ut sua sponte solvatur. Interea tamen anxie cavendum ne nos, quemadmodum isti in miserrima urbe misere perierunt, mali quiddam imprudentes obruat: nunquam enim verbum dei neglectum est impune. Quamobrem R. P. te per dominum nostrum Iesum Christum obtestamur ne his accedas, qui lucem in hunc mundum profectam, ut illuminet omnem hominem, sub modio celare imo extinguere pergunt, quique dicunt malum bonum et bonum malum, convertentes dulce in amarum, lucem autem in tenebras; sed eis potius, qui unum hoc in votis habent ut universa Christianorum multitudo ad caput suum quod Christus est redeat, et in eo unum corpus coalescat, ac dei spiritu concepto cognoscat quae a deo sibi donata sint: id quod minime fieri videmus ab his, qui pacem nescio quam sibi pollicentur futuram, si humanae praeceptiones Christo praeferantur etiam. In deo nos unos fieri oportet, quoniam ipse unus est. In homine, qui sibi perpetuo contrarius est, qui fieri potest ut unum fiamus? Christus patrem obsecravit ut in eo nos unum fiamus, et homo nobis in se unitatem polliceri audebit? In uno deo, in una fide, in uno baptismo unum haud dubie reddemur: haec enim una sunt. In uno aliquo homine, in tot legibus sibi invicem repugnantibus, in tam diversis opinionibus, tam abest ut unum fiamus, ut non alia ratione in errorem ac dissensionem abduci quam ista possimus; quin videmus unum eundemque saepenumero hominem inter ista secum disentire. Haec autem quae paulo ante recitavimus, et omnia alia quae ad unitatem nos cohortantur, undenam clarius ac purius, quam ex ipso fonte petentur? quem qui hauserit, aquam scaturiet in vitam aeternam emicantem. Verum puteus altus est, nec quo hauriamus habemus, nisi is qui hauriri amat, funes, urnam et machinam prodat, ac puteum more civilis Moseos fragilibus animis retegat, quo sitibundae oves potae ad coelestia pabula reducantur, quae certe omnia non alio in angulo quam in Evangelio inveniuntur. Fons autem quis alius est quam Christus ipse? qui nos

ultro ad se invitat, dicens: Si quis sitit, veniat ad me et bibat, cupiens ut de plenitudine eius omnes accipiamus, nos qui rerum omnium sumus inopes: deest enim argentum, deest aurum quod illi placeat; at ille hortatur ut ad eum cum laetitia gratis hausturi acceleremus. Quis unquam tam liberalis caupo inter mortales visus est ut vinum suum differri diffundique sine pretio passus sit, praeter unum Christum, qui sua gratis tam abundanter prodigit? Porro si tantam gratiam sua sponte se offerentem non amplexi fuerimus, quae nos spes manet? quam tandem apologiam parabimus? aut quibus cruciatibus non dignos ipsi iudicabimus si familiarem fieri cupientem et domesticum a nobis propellamus? Non ignoramus vitam nostram ab Evangelii norma longe lateque dissidere; sed numquid ob eam rem explodendum et eliminandum est? ac non potius assidue versandum, ut ad eius exemplar depravata corrigamus ac teneriora cicuremus; quum unum sit, modo id credamus, cuius instinctu salus nobis eventura sit, iuxta Christi mandatum, qui ubi Apostolos ad praedicandum Evangelium emisisset, his verbis: Praedicate Evangelium (non vestra dogmata vel placita, vel leges quas forte fortuna casus aliquis dictabit) omni creaturae, addidit: Qui crediderit, praedicato Evangelio scilicet, et baptizatus fuerit, salvus erit; et contra: Qui non crediderit, condemnabitur. Hinc quandoquidem ut praefati sumus, deus, velut olim per prophetas suos aliis atque aliis temporibus Israel admonere solitus est, nostra nos tempestate Evangelio suo illustrare dignatur, ut testamentum suum quod aboleri non potest instauraret, occasionem hanc duximus minime negligendam esse; quin perpetuo conatu laborandum potius, ut quam plurimi salutis huius et splendoris participes fiant. Ac dum interea rumor quidam ad nos defertur, quorundam iniustitia animum tuum ita exasperatum ut edictum sis brevi promulgaturus, quo caveas ut si Evangelium aliqua parte sit humanis traditionibus adversaturum illic ab eo declinetur; quod tametsi parum fidei apud nos mereatur: nonnihil tamen movit, non ut territi desidiosius cunctemur, sed vices tuas miserti, si res haberet ut vulgo spargitur, hoc pestilens hominum genus, quod omnia miscet ut rei suae consulat, ad te quoque penetrare potuisse. Sed dii meliora! Nam nos tantam de te spem concepimus, ut non ambigamus gratum nos tibi facturos, si in Evangelii negotio quam fidelissime versati fuerimus: nulla enim ratione adduci possumus, ut id quod unice tibi ex officio incumbit (non enim misit te Christus vel aqua tingere vel unguine sacro imbuere, sed evangelizare) abiectum velis et neglectum. Quod felix sit ac faustum, Evangelium irremisso tenore promulgare statuimus, atque id tam opportune, ut iuste nemo se conqueri possit iniuria adfectum esse; quod si infelicius successerit secundum humana iudicia, non est quod quisquam miretur: lapis enim offensionis est, et petra scandali, et signum cui contradicitur: cum enim aliquando in propria venisset, sui eum non receperunt. Quibus ex causis P. T. favere decet fortibus coeptis, quae ut rara fortasse sunt, ita minime temeraria, ut ad hoc negotium, quod Christi est, non nostrum, non solum conniveas, sed aspires ac opituleris; id quod erit ante omnia praeclarum et Episcopo dignum. Quin tuum erit non partem aliquam suscepti operis tibi sumere exantlandam, sed tanquam Moses viam praeire ac obstantia vel retrudere

vel demoliri, saltem quae possis; potes autem ad hoc munus adhortando vel stimulando, ac si id nimis esset favendo, annuendo, scandalaque removendo. Inter praecipua enim quae herbescenti Christo nocitura sunt, scandalum est. Quomodo enim per immortalem deum fidem habebit simplex plebecula ei, quem etiam dum Evangelium praedicat scortatorem et impudentem canem esse cogitat? anne perniciosius quicquam evenire potest negotio tam sancto? Quapropter ad alteram petitionis nostrae partem oramus ut tam clementem te praebeas quam ipsi esse credimus. Non putamus latere P. T. Reverendissimam, quam infeliciter hactenus, quamque aegre sit a vulgo sacerdotum servata castitas, a maioribus usque in haec tempora praecipi consueta, quam utinam ut facile mandarunt, ita vim quoque praestare potuissent qua facile servaretur; quod tamen homini concessum noluit deus, quo donum divinum et angelicum non homini ferretur acceptum, sed uni deo. Quod Christi verbum Matthaei 19: 10 – 12. plane indicat, ubi, postquam multa inter pharisaeos et ipsum iactata essent de connubio, discipulique dixissent: Si ita res ut disputatum erat haberet, conducibilius esse non nubere: respondit, non omnes esse castimoniae capaces, sed eos modo quibus datum esset, donum dei esse volens ostendere quod quibusdam ita daretur, ut aperte agnoscerent in ea re divinam benignitatem, non suas vires aliquid potuisse. Id quod et ea quae paulo post sequuntur manifeste declarant, quum habita Eunuchorum distincta mentione liberum cuivis facit castitatem servare vel non servare, dicit: Qui potest capere, capiat: nimirum sentiens, quibus datum esset coelitus, hoc servandum esse, nam alioqui nemo laturus erat. Nos igitur heu satis infeliciter (audacter enim vulnus retegendum est apud medicum) hactenus experti hoc donum nobis esse negatum, [1] diu nobiscum deliberavimus quonam pacto tam inauspicato coeptae castitati mederemur. Ac dum omnia circumspectamus, non occurrit faustum aut favorabile quicquam, nisi dum id verbum Christi paulo ante adductum diligentius commanducamus ac ruminamur mundorum more animalium. Tum enim ex eius odore fastidium quoddam nostri primum obrepere coepit, dum pigere incipimus, quod id, quod Christus integrum reliquerat, per incogitantiam nobis praeceptum fecimus, quasi castimoniam custodire a nostris penderet viribus. Ibi mox coortus pudor ora perfudit, haud secus atque Adam dum diis similis futurus nihil nisi nuditatem suam invenit primum, deinde iratum deum, et paulo post malorum plaustra. Quem enim sui non poeniteat cum imprudentiae suae miserabilem exitum aspexerit? Quid enim per immortalem deum aliud est quam mera stoliditas nedum impudentia, sibi vendicare quod solius dei est? se posse putare, quo nihil minus possit? Post illud autem fastidium nostri, quo temeritatem nostram simul cum imbecillitate agnovimus, medelae quoque spes, quanquam de longinquo, sese aperit: dum enim et Christi verbum et maiorum hac in re usum diligentius expendimus, invenimus rem totam opinione esse longe faciliorem. Ille enim cum dicat: non omnes capaces sunt huius verbi; et iterum: Qui potest capere capiat: nullam praescribit non capientibus

[1]) Vid. Zuingl. ad Utingerum 4. Dec. 1518. Vol. VII. 54—57.

poenam. Quin vel ob rei magnitudinem, quam non cuivis iniunctam voluit, vel imbecillitatem nostram, quam etiamnunc ipse melius novit quam nos ipsi, idque fraudi esse noluit, liberum reliquit. Qua re et animi nostri desperationi alias proximi non parum refecti sunt, cum poenam imminere nullam non capientibus audivimus ab eo qui potest et corpus et animam mittere in gehennam. Hi vero huc quoque aciem anxie vertisse videntur, quum sine exceptione noluerint castitatem vel ipsi praecipere, vel voveri ab aliis, sacerdotibus saltem; quin disertis verbis infirmitati, ut par erat, praetexuerint, in hunc modum: Quum Paedagogus pro omnibus respondere consuetus qui sacris initiarentur, rogatus esset: Suntne iusti quos offers? respondere solitus est: Iusti sunt; Suntne docti? docti sunt etc. Cum vero ad castitatem ventum esset, Suntne casti? reddidit: Quatenus humana imbecillitas permittit. Quo consilio videtur, neque maiores, neque nostra tempestate patres voluisse astrictum esse ac ligatum, quod Christus liberum permisisset, ne suave iugum domini oblinerent absynthio. His inquam in hunc modum expensis, nempe neque divino, neque humano iure nos teneri ad servandam castitatem, perpenso nihilominus eo, quod tametsi castimonia libere erret, ipse tamen coitus minime debeat vagari ac promiscuus esse, sed lege fideque constringi, et ad frugalitatem compelli, haud secus ac reliquus victus, qui ut liber est, ita ni parsimonia temperetur, furor fit et confusio, ne in porcos degeneremus. Quod rerum omnium opificem iam inde ab exordio creationis voluisse videmus, quum Adam adiutricem foeminam unam tantum, non sylvam aut vulgus feminarum ex costa finxit, quam et paulo post tali foedere iunxit, ut patrem citius et matrem vir relinquat quam uxorem: duo enim coituros esse in carnem unam. Iam si totum quoque novum testamentum perstringimus, non invenimus uspiam soluto concubitui quicquam favere, matrimonio omnia. Ex qua re nobis hoc et verissimum esse ac piissimum apparet, ut Christiano non sit tertium aliquod post castimoniam et matrimonium relictum, ita ut aut caste vivat si detur coelitus, aut uxorem ducat si uratur; id quod paulo post clarius ostendemus ex literis vere sacris. Hinc tuam clementiam, prudentiam ac eruditionem imploramus, o inclyte Praesul, ut quandoquidem huic nostro seculo vides Christum benignius favere, dum sese clarius aperit quam aliquot retro seculis; et ex tanto Episcoporum numero hactenus vix unus et alter candide visus sit renascenti favere Christianismo, ipse primus hanc laudem auferre occupes, quod ante omnes Germaniae episcopos recte sentire de Christianismo coeperis; ac dum alii male simulatam castitatem misero coëpiscoporum vulgo non desinunt obtrudere, ipse, quandoquidem per Christum et per humanas leges, ut ostensum est, id licebit, his qui uruntur uxores ducere permittas. E quorum numerosa multitudine nos primi tua mansuetudine freti prodire ausi sumus, ac obsecrare ut id nobis annuas, haud, ut arbitramur, temere. Quum enim ex una parte premerent humanae constitutiones, nequicquam cum fragili etiam carne pugnantes (lex enim irritat ad peccandum, non coercet), ex altera favens arrideret scriptura: nihil impium rati sumus, si eos quibus nitimur, locos in medium adduxerimus, quo tibi manifestum fieret, an eos dextre

tractaverimus an secus, ac ubi, ut speramus, adparuerit scriptura probe usos esse, permittas id quod humiliter petimus. Est igitur primus omnium locus qui nos absolvit Matthaei 19. quoque fidimus tanquam sacra ancora. Ex eo enim in hunc modum argumentamur: Si nobis Christus castitatem liberam esse permisit, valeat homo qui praecipere eam tentarit. Probatio sequentis haec est: Si divina voce Petrus vetitus est commune dicere, quod deus purificavit, adserere nobis audacter licebit, non fas esse cuiquam hominum adserere, non licere id quod deus licere permisit. Nam si in eo quod vilius est noluit deus iudicium Petri ferre, quanto minus in eo quod longe magis est operae pretium, alicuius Petro minoris iudicium laturus erit? De hoc loco satis in superioribus etiam liquet quid sentiamus, hoc addito, verbum Christi hoc de quo diximus esse, eius qui est via, veritas et vita; qui alio etiam loco dicit: Verba, quae locutus sum, spiritus et vita sunt. Quomodo ergo eis fidere tuto non liceret? imo anathema citius esse credemus quicquid contra divina quaesitum fuerit quam pietatem. Spiritus et vita sunt, quae ipse dixit; ergo quae nos, caro sunt et mors. Secundus est Pauli ad Corinth. 1. cap. 7: 1, 2. Commoda res est ac opportuna si homo uxorem non ducat; propter scortationes autem quisque suam ipsius uxorem habeat et quaevis foemina proprium maritum habeat. Hic primum consideravimus beatum fore istum cui divinitus datum est, ut ab uxore possit abstinere. Quam gloriam ut libenter his cedimus qui caste vivunt, ita nobis dolet id esse negatum, quamvis cum deo patienter feramus. Deinde quod propter scortationes quisque debeat propriam uxorem habere. Qui dixit *quisque*, neminem excepit, non sacerdotem, non monachum, non vulgarem. Unde apertum est quod, sicuti superius attigimus, Christiano homini inter castitatem et matrimonium nihil relictum est, sed aut caste vivat aut uxorem ducat. Tertius locus est eodem capite v. 9: si se non continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri. Ergo si non est continens quis, si uritur, nubat. Arsimus proh pudor tantopere, ut multa indecore gesserimus, quod tamen an nihil ad eos pertineat qui nubere vetuerunt, nunc mittimus dicere, hoc satis hic dictum esse putantes, quod sola ustio (frequens tamen illa et vehemens ut iam mentem occupare tentet) satis ingens causa est nuptiarum. Quartus v. 25. eodem in capite: de virginibus praeceptum domini non habeo, consilium autem do etc. Praeceptum domini de virginitate se negat habere Paulus, gentium doctor, instrumentum dei electum, quocum Christus non semel de coelo familiariter locutus est, et homo impurus praeceptum habet? Illic etiam Paulus cum multa de virginitatis pretio, commoditateque, et multa de matrimonii curis infelicitateque disseruisset, v. 35. addidit: Porro ad utilitatem vestram hoc dico, non ut laqueum vobis iniiciam; volens, tametsi virginitatem magnopere commendasset, non tamen in ea esse sententia ut praecipi deli ere putet. Quintus est 1. Timoth. 3: 1 sqq. Indubitata ratio est, quod si quis Episcopi munus adpetit, honestum opus adpetit. Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum etc. Et post pauca: filios tenentem vel servantem in obedientia cum omni honestate. Hic adnotavimus, quod tametsi magnae reputationis sit Epi-

scopum esse, iubet tamen Episcopum uxorem habere; verum unam tantum an solam nunc non disputabimus. Adnotavimus etiam Episcopi nomen officii esse, non insolentis supercilii, unde nihil veriti sumus nos quoque episcopos, hoc est speculatores adpellare, quod reliqua omnia, quibus hodie vulgo utuntur, aut nimis ambitiosa videantur, aut sint barbara nomina; speculatoris autem nomine, qui fieri potest ut quisquam efferatur? aut maiestatem putet esse non functionem? cum speculatoris non sit ullus usus quam speculandi. Sextus eiusdem Pauli ad Titum 1: 5, 6. Ad hunc usum reliqui te Cretae, ut quae desunt adprobe disponas, ut constituas oppidatim seniores vel presbyteros, quemadmodum tibi praecepi, nempe, si quis sit inculpatus, unius uxoris maritus, filios habens fideles etc. Qui quidem locus superiori tam similis est quam lacti lac. Septimus item 1. ad Timoth. 4: 1—3. Ipse vero spiritus diserte dictat quod in posterioribus temporibus recessuri sint quidam a fide, dum attendent spiritibus erroneis, et doctrinis daemoniorum, quae per simulationem falsa dictabunt; id quod per eos fiet qui cauteriatam habent conscientiam, qui vetabunt nuptias etc.

Hic aures optamus arrigant, qui castimoniam belle simulant male servant: quae enim clam perpetrant, nefas est solum cogitare. Spiritus in Paulo loquens haec dictat, quod posterioribus temporibus, in quae nimirum nos quoque incidimus, haec evenient, ut a fide sint quidam se aversuri ad opera sua, non quae deus dictaverit. Deinde quod id fiet instinctu cacodaemonum, qui quaedam dictabunt in speciem tantum bona, ea vero maxime commendabunt per hos qui in vestimentis ovium luporum ritu saeviunt, ac ob eam rem semper adusti sunt apud se, proprioque iudicio damnati. Vetabunt autem nuptias. En tibi R. P. simulatae castitatis originem. Octavus ad Hebraeos 13: 4. Pretiosa cum primis res est connubium et thorus incontaminatus, scortatores vero et adulteros damnabit deus. Hic locus nobis tam aperte favere videtur, ut putemus Episcoporum (modo speculatores sint) esse, ut eos quos scortari deprehenderint, ad connubium adigant. Scortationi enim occurrendum est, quia secundum hoc quod damnat, offendit etiam proximum. His adeo locis moti, persuasi tandem sumus, longe conducibilius esse si uxores ducamus, quo minus offendantur pusilli Christi, quam si perfricta fronte scortando grassemur. Ad quod celsitudo tua nimirum adstipulabitur, dum alta mente reputabit, quod eius flagitium, qui aliquem Christi pusillum offenderit, vix possit expiari, etiam si mola a collo suspensa in pelagi profundum demergatur. Quid vero tandem est scandalum vel offensio, si sacerdotum inverecunda scortatio non est scandalum vel offensio? Nec velit hic celsitudo tua eos audire, qui tale quiddam ogganniunt: En tibi P. R. horum hominum religionem! quid agunt aliud quam ut libertatem Christianam tradant ad licentiam carnis iuxta Pauli ad Galat. 5. et Petri 1. cap. 2. sententiam. Nam coitum qui in connubio fit ut mittamus interim qualis apud deum existimetur, tametsi non infitiemur actum esse cum primis a carne prodeuntem; non ignoramus tamen eum quam minimum nocere, cum Paulus dicat: Et virgo si nubit non peccat, 1. Corinth. 7: 36, deo ad hoc nimirum propter infirmitatem nostram, imo inhabitans peccatum, connivente; eodem etiam

Paulo non inter opera carnis numerante Galat. 5: 19. Quamvis hac responsione opus non sit, cum manifeste adpareat, quod si voluptati hac in re voluissemus indulgere, nunquam essemus passuri nos capistro uxorum implicari, ubi praeter molestias infinitas facultas etiam, diuturni matrimonii, fastidium cum aliis sarciendi, amputatur. Sed huc spectavimus omnes, cum plerique fungamur Episcoporum officio, ubi ante omnia temperandum est a scandalo (inculpatum enim, ut supra patuit, oportet Episcopum esse), ut etiam ab offendendo desistamus, dum alias (ut citra iactantiam libere loquamur) non usque adeo incivilibus moribus simus, ut ullum ob flagitium male audiamus apud gregem nobis creditum, hoc uno excepto. Per igitur communem Christum, per libertatem eius sanguine partam, per paternum affectum quem nobis debes, per miseriam animularum nostrarum, per vulnera conscientiarum, per quicquid est divinum, quicquid est humanum, te oramus ut supplices clementer respicias, ac quod temere aedificatum est cum consilio demoliri sinas, ne quando moles ista non ex patris coelestis sententia constructa cum fragore longe perniciosiore corruat. Vides quid mundus minetur; quamobrem paternitati tuae prospectum oportet, nec importunum videri, quod eam oratum adivimus: nisi enim consilio rebus multis subveniatur, actum erit aliquando de universo sacerdotum ordine. Nec amabo ad maiorum paternitatis tuae senatusconsulta releges! vides enim quantum in hac re oscitentur aut ad hoc cunctentur, ut sperent futurum, ut etsi prius virgis caesi, simus tamen paulo post scorpiones laturi: indulgendum est imbecillitati, imo hae in re audendum nonnihil. Nam o beatam Landenbergiorum invictam gentem,[1] si tu primus Episcoporum omnium in Germania salubriter mederi vulneratis aggressus fueris. Qui enim rerum scriptores id facti unquam celabunt? qui non docti praeconiis vehent? qui non olores venienti mundo canent? quae cedri a vetustate et interitu non defendent? Aperta certe est tibi ianua rem recte gerendi. Hoc unum caveris ne oblatam occasionem e manibus male consertis elabi sinas: auguramur enim res novam faciem induturas nobis etiam ingratis; quod ubi factum erit, nequicquam indipiscendae gloriae occasionem neglexisse queremur. Favet nostrae petitioni opifex iste, qui marem et feminam fecit primos homines: favet usus veteris testamenti novo multo rigidioris, quo summi etiam sacerdotes lento matrimonii iugo colla submittebant: favet Christus dum castitatem liberam facit, quin iubet dum non vult pusillos suos scandalizari: favet ubique magno plausu. Imo spiritum dei habens praecipit Paulus: favet universus piorum et cordatorum numerus. Quae omnia si neglexeris, nescimus quam amanter gentem tuam complectaris, cuius fortia facta, stemmata, imagines hac gratia, modo nobis eam facias, erunt inferiores. Quod si nulla ratione induci potes, ut annuas, obsecramus ut saltem conniveas, id quod alius quam nos consulat: nos enim tam fortem arbitramur, ut dum recte agas, non metuas eos qui corpus etiam occidere possunt.

---

[1]) Gens *Landenbergorum* antiqua celebris fuit rerum patriarum memoria in bonam, sed etiam in malam partem, ut praefectus *Landenbergus* in *Sarnen* 1308 et *Wildhans a Landenberg*, praefectus ad *lacum Gryphaeum* 1444.

Et revera opus erit ad minus connivere. Iam enim rumor est plerosque coniuges dudum designasse,[1] non modo apud Helvetios nostros, verum etiam passim apud omnes; id quod sopire profecto supra vires fuerit, non modo tuas, sed longe potentioris. Pace tua dixerimus. Proinde parvitatem nostram ne nauci feceris! saepe etenim est olitor valde opportuna locutus. Et quamvis pusilli simus, Christi tamen sumus, quos tantum abest ut contemnas, ut receptis evenire tibi salutem firmiter credas. Quod vero ad nos attinet, laudes tuas canere nunquam desistemus, modo te patrem ostendas, cui volentes et lubentes obsecundabimus: dona quiddam filiis praesertim tam obtemperantibus, ut te ante omnia consulant, tam fidentibus, ut in re quamvis (ut est opinio) ardua ausint ad te unum recurrere. Deus optimus, maximus, excellentiam tuam diu incolumem et recte de se sentientem conservet, quam summa humilitate cupimus exorari, ut omnia aequi bonique consulat. Ex Eremo divae virginis apud Helvetios. MDXXII. secunda Iulii.

R. Paternitatis T. deditissimi *Balthasar Trachselus. Georgius Chalybeus. Vernherus Steiner. Leo Iud. Erasmus Fabricius. Simon Stumpfius. Iodocus Kilchmeyer. Huldrychus Pistoris. Caspar Megander. Ioannes Faber. Huldrychus Zuinglius.*

---

[1]) Vid. Vol. I. p. 39.

# APOLOGETICUS ARCHETELES ADPELLATUS

## QUO RESPONDETUR PARAENESI A REV. DOMINO CONSTANTIENSI

(QUORUNDAM PROCACI FACTIONE AD ID PERSUASO)

## AD SENATUM PRAEPOSITURAE TIGURINAE QUEM CAPITULUM VOCANT MISSAE PER HULDRICHUM ZUINGLIUM.

---

Disputatio Zuinglii cum legatione Episcopi Constantiensis coram Diacosiis civitatis Tigurinae animorumque motus, quem Zuinglii scriptum in legem ieiuniorum efficiebat, impulerat Episcopum, ut die 2. Maii 1522. epistolam pastoralem dimitteret, per quam et Clericos et Laicos vehementissime obsecravit, ut ne in fide atque in ecclesiae constitutis usque ad disceptationem Concilii quidquam mutarent ac novarent. Praedicatores iussi sunt eam cohortationem post orationem sacram recitare, atque in unaquaque Missa singulares preces pro pacis conservatione in ecclesiis fundere; similemque epistolam Episcopus Lusannensis in suam dioecesin dimisit. In Constantiensem responsum dederunt anno labente Sebastianus Meierus aliique amici Zuinglii Bernae, eumque, ut in vulgus edendum curaret, orarunt. Constantiensis item rescripsit Episcopus Tigurino Senatui qui Consultum ab ipso depoposcerat, die Sabbati ante Urbani (25. Maii), ipsum de lege ieiuniorum nihil aliud reddere posse nisi suum consilium et optatum, ut apud eos scandalum et offensio praecaveatur, constitutis et consuetudinibus sanctae ecclesiae mos geratur omnesque ad ea compellantur: hoc enim ipsum evangelio, praeceptioni Pauli et sanctae Christianorum fidei consentaneum arbitrari (Fuessli, Symbol. IV. p. 125). Cominus magis et acrius vero Zuinglium adortus est, nomine tamen eius praetermisso, per epistolam ad Praepositum et Capitulum die 24. Maii, „spe fretus, ut Bullingerus narrat, fore, ut Canonici severius in rem se interponerent, Zuingliumque munere abdicarent, quippe certior factus, multis Capitularium Zuinglium atque

evangelium invidiae esse." — „Hac igitur epistola recitata in Capitulo oculos in Zuinglium convertere cuncti, quibus iste: Quoniam, inquit, probe sentio, vos memet his litteris petitum esse existimare, flagito, ut eae mihi tradantur: nam Deo iuvante sic respondebo, ut meram earum fraudem ac rectum verumque vulgo cernant. Quumque Episcopi commonitionem traditam accepisset, eam refellit sermone etiam latino, quo quidem Episcopus scripserat, liberumque hoc responsum Archetelem inscripsit, hoc est: initium et finem. Sic enim temperaverat suum responsum, ut speraret, initium ac finem totius controversiae simul non tantum susceptum, sed etiam profligatum et confectum esse debere." (Bulling. Histor. Reform. Tom. III. MSC.) Sed antequam Zuinglii responsio in litteras Episcopi ad Capitulum missas in lucem prodiit, novum, at non minus irritum Episcopi monitum ad Senatum Tigurinum die Laurentii (10. Aug.) datum venit: ut ne res novas in religionibus permittant, sed ut opprimant, atque per ipsum, ut Sacris praefectum, coerceri velint (Fuessli IV. p. 127—129).

Proprium Zuinglii iudicium de hoc scripto videsis in epistola ad Myconium die 26. Aug. (Vol. VII. 218, 219) et iudicia Hummelbergii et Erasmi in eorum epistolis, die 4. et 8. Sept. 1522. (ibid. 222).

Huius libelli unam nonnisi Usterius novit editionem novem cum dimidio foliis constantem quartanis. Extat quoque in Opp. I. 124 a — 144 b, ubi aliquot sphalmata typographi correcta sunt.

---

REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI AC DOMINO HUGONI DE HOHENLANDENBERG EPISCOPO CONSTANTIENSI HULDRICHUS ZUINGLIUS ECCLESIAE TIGURINAE APUD PRAEPOSITURAM EVANGELISTA SALUTEM.

Quod, amplissime Praesul, iterum celsitudinem tuam tot negotiorum molibus obrutam scriptis turbo, non arbitror fraudi futurum, quod sciam me coram eo agere, cui ante omnia placeat, si Christi nomen quam amplissime propagetur: cuius certe negotium ut non est ex hominibus, ita per homines irritum fieri nullo pacto potest. [1]*Ὦ κύριε εὐόδωσον δή.* O Domine, bene prospera! Cum vero annis iam ferme sex [1] cum

---

[1]) Zuinglius annum ubique 1516 primum ponit evangelicae suae doctrinae.

talento fidei nostrae commisso pro virili negociati simus, ne veniente domino et lucrum exigente sudariolum eo otioso soloque involutum cum pavore pudoreque proferrem iners: ecce tandem apud celsitudinem tuam deferor ovilis dominici populator esse, non custos aut pastor. Quae res, ut par erat, movit ut supra quam opus esset splendidam trium doctorum legationem ad nos Tigurum mitteres,[1] quibus doctrinae nostrae, quae non nostra sed dei est, rationem ita apud senatum reddidimus ut nemini non satisfactum esse potuerit, modo rem iudicio, non adfectu expenderet. Quam ubi in summa tranquillitate, cui unice semper studuimus, compositam esse rati sumus, coepit quorundam impatientia frendere, non tam quod mali quicquam experti essent quam quod non vicissent, trucidassent, ac omnia solo aequassent, occasionemque tumultuandi quaerere, donec praetextu nos clam et per insidias lacessendi excogitato sui consilii te auctorem facerent, ac invidiam suam tui nominis periculo solarentur, immemores, consultorem, veteribus etiam, sacram rem existimatam esse, quo videlicet ea minus quisquam abuteretur. Importunis enim clamoribus et suggestionibus huc tandem te pertraxerunt, ut paraenesim ab omni tum eruditione tum modestia alienissimam ad senatum Canonicorum nostrorum, quem Capitulum vocamus, mitteres. Ita enim ariolamur[2] potius quam definimus, his potissimum causis inducti: primum quod ipse nihil tale potes; id quod in hanc partem capies, quod non quicquam posses etiam si tale quid posses, imo plus potuisses, si vel Germanica lingua[3] tuam mentem exposuisses; deinde quod nihil non pacatum cogitas; haec autem tumulti minarumque tam plena est et turgida ut etiam parere possit si oporteat, quin peperit iam eum quem cernis celsitudini tuae dicatum libellum, Archetelem hoc auspicio adpellatum, quod masculus sit, ac omni controversiae quae illis mecum est finem ut speramus impositurus, ut post hanc primam perpetuo saltem libello congressionem finem ipsi quoque bellandi contendendique faciant; sitque vere principium et finis universae simultatis, quae, deum testor, mihi cum illis nulla est, adeoque nulla, ut nihil magis mirer, quam quid causae illos huc impulerit, ut ubi tumulti nihil erat, illo mitterent, quod haud secus atque ἔριδος pomum contentionem facturum sperarent ac dissidium. Libere enim dicam quod sentio: Tota oratione pacis verbum intonant, Prophetas eos imitati quos Hieremias taxat quod crebro iterarent: pax pax et non erat pax, cum nihil opus esset. Tiguri enim, quod ad doctrinam Christi adtinet, tam pacata sunt omnia quam usquam gentium, tam vulgo docti sunt etiam idiotae Evangelium ut nolint ullam praeter hoc recipere doctrinam. Quod isto clarius accipies exemplo: Cum hactenus fratrum mendicantium audacia quidquid in buccam venisset pro suggestu effutivisset, vetuit eos Senatus quicquam praedicare quod non ex sacrarum literarum utriusque testamenti fontibus hausissent.[4] Unde

---

1) Vid. epistola ad Erasmum Fabritium. 2) Episcopi sollicitatio per Zuinglii adversarios. 3) Sine dubio, quia Zuinglius sciebat, Episcopum latine scribere non posse. 4) Iam 1520. Senatus pastoribus imperaverat, ut pro concione secundum sacras litteras docerent. Nec vero iussum Senatus ad monachos Zuinglium convitiantes ullas turbas excitaverat.

adparet illis videri discordiam, ubi unanimiter unoque ore iuxta Pauli verbum nomen dei glorificatur. Quanquam spe sua falsi sunt; nihil enim audita paraenesi aliud actum est, quam facies nostra verecundia ruboreque perfusa, dum huius farinae homines in Capituli consessu [1] oculos in me procacius torquent, ut cuius caput peti gauderent; quod eis minime invidebamus dummodo tela quibus petebamur non essent fortiora quam erant. Ita enim quidquid hic consarcinatum est, ieiunio et rusticitate squalet, ut nesciam consultiusne foret omnia contempsisse an refellisse, nisi sacrarum literarum iniuria, quam eis isti ingerunt, ad auxilium nos elicuisset. Nam quotiescunque vel in manus eas sumunt, ita torquent ut dolorem silentio dissimulare nequeam, excepto uno et altero loco; quoties rhetoricantur ita ineptiunt, ut dedita opera putes risum voluisse movere. Taceo soloecismos et barbarismos, [2] ad quos aures nostrae hoc est ecclesiasticorum iam occalluerunt. Proinde, humanissime Praesul, si eos hic videas paulo liberius acceptos, esse, non est quod mireris: audacia enim sua et inscitia id commeruerunt. Postulat idem munus quod obimus, nempe ut contradicentes revincamus, et more fidelis Abrahami, qui ut Loth captum ab hostibus audivit, regum etiam caede liberavit, sacras literas iniquius tortas adseramus, opima eo facinore spolia summo illi Melchizedec haud dubie reposituri. Nam tametsi totum hoc quicquid est ad mandata tua respondere videatur, nolumus tamen quod ulla ratione in hanc partem capiatur. Nomen enim tuum intactum et illibatum ubique iubemus esse, quod compertum ferme habeamus, ut sicubi de dogmatis Christi sermo fiat, optime de his sentias, ac dissensiones, quae forte inter verbi dei praecones hac tempestate nascuntur, iubeas eos qui tibi a consiliis sunt cum summa opportunitate componere; quod quam probe faciant ipsi viderint. Rumor tamen est quosdam ex eis non omnia ex tua sententia facere, [3] sed ex animi sui morbis. Id quod in hac paraenesi nemo non factum videt, in qua nomini nostro in eum tantum usum parcitur, quo respondendi occasio amputetur, cum tamen interim molestissimis suspicionibus undique petamur ac tantum non obruamur. Quanto dexterius erat, per tuam aequitatem oro, si quid a pietate alienum docueram, ut isti videri volunt, aperto mecum Marte congredi et nominatim ostendere scripturae authoritate, ubi et quid peccatum esset? nunc cum tam atrocibus querimoniis omnia implent, quid aliud quam universam doctrinam Christi quam tanto sudore praedicavimus in dubium ac suspicionem vocant? satisfactionem nullam recepturi: eam enim si audire unquam statuissent, non se sepiarum ritu in atrorem suum abdidissent, quem tamen eius auxilio cuius res agitur ita colavimus, depuravimus, perspicuumque reddidimus, ut eorum mentes omnibus pateant, nomina tantum desiderentur, quae, si ex insidiis, ut coeperunt, nocere pergant, prodere quoque usus coget. Malo tamen cum quiete permittant me, meae fidei commissis ovibus coeleste pabulum adponere, saginare, charitatis igne concremare, quam ut strophis et contumeliis

---

[1]) Ut *Hofmannus*, *Goeldlinus*, *Grafius*, *Niesslinus*, *Nyschelerus*, *Battmannus*, *Edlibachius*. [2]) Quibus paulo ante *Hofmanni* querela de Zuinglio scatebat. [3]) Conf. Vol. I. 588 sq.

ad vindicandum a literarum suavissimo provocent otio. Non equidem invidebimus eis, si genium suum rixis amoenare iuvet, ut quibuscum opportunum erit perpetuo si lubet contendant, modo nos minime adoriantur, altercandi saltem animo; admonendi autem disputandique copia omnibus horis eis facta, modo sacram ancoram sacras literas esse sinant, quibus fidem non habere perfidissimum ac impiissimum fuerit, et cominus nobiscum manus conferant: quod si secus fecerint, licebit et nobis πρὸς χρῆτα χρητίζειν. Haec autem, optime Praesul, si quis arrogantiora dixerit, eum obsecramus, ut ea secum reputet, quae ipsi nobiscum reputavimus tam diu, donec spiritus ille divinus id confirmaverit, quod in nobis operatus est. Haec videlicet. Dudum videmus humanum genus per omnem vitae cursum de felicitate post indipiscenda, anxium ac sollicitum esse, non tam naturae diligentia quam cupiditate vitae, cuius spiraculum iam inde ab exordio creationis faciei nostrae inspiravit opifex deus, nec tamen passim obvium esse quanam ratione possit ea inveniri. Ad Philosophos enim si convertatur, tanta inter eos est de felicitate dissensio, ut neminem non illorum pigeat. Si vero ad Christianos, multo plus apud quosdam eorum invenit perplexitatis et errorum, quam apud gentiles, aliis per humanas traditiones et huius mundi elementa ad eam contendentibus, hoc est suo et humano sensu, aliis sola dei clementia pollicitationibusque nixis, utrisque tamen, omnibus (quod dicitur) unguiculis, ut sua opinio recipiatur laborantibus. In isto inquam bivio positus quo me vertam? ad hominesne? Si dicas, ad homines inquam, excipiam: ad eosne qui olim recente adhuc Christianismo sapientes habiti sunt, an ad eos qui paulo ante hanc nostram tempestatem desipuerunt potius quam sapuerunt? Hic sudabit adversarius ac obmutescet haud secus ac Iudaeorum principes a Christo interrogati: baptismus Ioannis undenam esset; ac si vehementius premas, concedet ad veteres, ut quibus tum ob vetustatem tum vitae sanctimoniam plus tribuat. Cum autem hic quoque addas: Et apud istos nonnihil invenire licet ab Evangelicis Apostolicisque literis alienum, aut dissonum. Utris igitur censes accedendum? respondebit, ni stipes sit aut belua: iis quae sunt spiritu dei dictante prodita. Ea enim quae sunt humana sapientia etiam splendidissime fucata et adornata, fallere possunt; quae vero divina, minime. Hic fidei nervus requiritur, quo si quis careat labascet, languebit, concidet. Haec inquam optime Praesul, dum ipse mecum assidue verso deumque precor, ut exitum ambigenti monstret: Quin fatue inquit hoc cogitas: Veritas domini manet in aeternum, eique veritati adhaereas; et: Coelum et terra transibunt, verba vero mea non transibunt; humana abolebuntur, divina immutabilia sunt; et: Frustra colunt me docentes doctrinas et praecepta hominum, quasi deum parere nostris consiliis oporteat, ut si quid ipsi invenerimus, quod prima facie pulchrum, honestum vel etiam sanctum esse adpareat, protinus ei placiturum sit; ac non potius hoc agendum, ut toto semper pectore ab illo pendeamus, non a nostris placitis aut inventis, more inertium servorum, qui et multis vapulabunt dum neglecta domini voluntate suam faciunt. Unde cunctis posthabitis huc tandem veni, ut nulla re, nullo sermone tam fiderem, atque eo qui ex ore domini prodiit. Cumque miseri mortales tam sui quam dei obliti cona-

rentur sua pro divinis venditare, coepi mecum quaerere, num nam ratio aliqua inveniri possit, qua, utrum humana an divina praestantiora essent, deprehenderetur; praesertim, quum non paucos viderem omnibus nervis a simplicibus exigere, ut sua prae divinis acciperentur, etiamsi dissona essent, etiamsi contraria, quaerentique id in mentem venit: omnia in luce clarescent, ea scilicet quae dicit: Ego sum lux mundi, quae et illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ac rursus illud: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus an ex deo sint. Et dum lapidem inquiro non invenio alium, quam lapidem offensionis et petram scandali, ad quam offendunt, quotquot pharisaeorum more irritum faciunt praeceptum dei propter traditionem suam. His itaque in hunc modum comparatis, coepi omnem doctrinam ad hunc lapidem explorare, et si vidissem lapidem eundem reddere colorem vel potius doctrinam ferre posse lapidis claritatem, recepi eam; sin minus, reieci. Tandemque factum est ut prima statim delibatione sentiscerem, si quid impositum esset et admixtum, nullaque iam vi, nullis minis adigi potui ut humanis (quantumvis turgerent aut magnifica videri cuperent) aequam atque divinis fidem haberem. Quin si qui sua quaedam divinis minime conformia imo contraria recipi praeciperent, oggannivi hoc Apostolicum: Deo magis obedire oportet quam hominibus, donec ii qui de suis optime sentiunt, de iis quae Christi sunt nihil aut parum, de nobis pessime sentiant; id quod certissimo indicio nobis est, deo isthoc esse quam gratissimum, mihi vero saluberrimum. Vae enim vobis, inquit, cum benedixerint vobis omnes homines, et beati eritis cum vos oderint homines, et exprobraverint et eiecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis, et nomina vestra scripta sunt in coelis. Quamobrem si quando aemuli nos apud celsitudinem tuam deferant, quod humanas traditiones vel parum curem vel contemnam, scias hinc fieri quod diversas esse exploraverim et contrarias divinis, nec veriturum quid mihi faciat homo. Nam si nomen explodat, certus sum me clarum futurum apud deum; nec enim dei nomen clarius unquam sanctificabitur quam si nomen nostrum apud homines pessime audiat; et si corpus occidat, animam perpetuae vitae restituet. Ad hunc thesaurum, puta ad certitudinem verbi dei, dirigendum est cor nostrum. Hunc enim non vetustas, non tinea in nihilum redigere potest; titulos, apices, imagines, aurum, vestes, epulas, currus, mulas potest. Viden quid me coëgerit istorum exanguem paraenesim refellere? hoc nimirum quod videam luce clarius adparere ex ipsa oratione, quae Christo etiam teste certissimus cordis est nuncius, quid de divinis sentiant, quid de humanis; ac dum quiescere non possunt nec herbescentem Christum adolescere permittere volunt, vulgo verba eorum cognoscantur, quo commodius caveri possint. Quos ne ipse quidem damno, sed dominus per Ezechielem inquiens: Vae prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum et nihil vident. Quasi vulpes in deserto Prophetae tui Israel erant. Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in praelio in die domini. Vident vana et divinant mendacium, dicentes: Ait dominus; cum dominus non miserit eos, et perseveraverunt confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis, et divinationem

mendacem locuti estis? Et dicitis: Ait dominus, cum ego non sim locutus: et caetera quae cap. 13. scripta sunt. Ex quibus quidem verbis quis non videt hoc hominum genus tangi quod ore dicit: domine domine, et templum domini templum domini; corde autem ad hoc respicit: si quis per templum peieraverit reus non est, sed si per aurum templi; et ad istud: si quis per aram peieraverit nihil est, sed si per hostiam arae impositam, hic praevaricator est, cum tamen interea videri etiam velint divinae legis, Evangelii nominisque divini esse propugnatores. Quamobrem celsitudini tuae abstinendum est ab illorum tum consiliis tum congressibus, ni summo velis ludibrio exponi. Non dicam hic quam inciviliter tractaverint paucis ante diebus viros quosdam pios ac veros Christi praecones, [1] tametsi eam importunitatem ipse non mandaveras; vulgo tamen id nescitur, creditурque omnia tua authoritate fieri et imperio, quod non parva te labe posset aliquando respergere, inscium etiam. Res enim ista non imperio peragenda est, sed literarum sacrarum patrocinio. Nam quanto magis imperio premes, tanto te reddes odiosiorem cunctis. Scripturam sacram ducem ac magistram esse oportet, qua si quis recte usus sit, impunem esse oportet, etiamsi doctorculis istis maxime displiceat. Alioqui tristia nimis aliquando nobis evenient: sacrarum enim literarum eruditio non solum in labiis hodie sacerdotum habetur, sed in universae tantum non plebis. Unde nihil agendum, quod imperium potius quam rationem aut divinam mentem redoleat; nihilo plus enim efficeretur quam Paulus efficeret cum contra stimulum calcitraret. Maius enim est (ut interim divinam maiestatem taceam) Evangelii studium quam quod unius vel alterius divexatione sopiri possit aut extingui. Et si quorundam iniquitate aliquamdiu opprimeretur, maius tandem erumpens daret incendium. Cautum igitur te esse oportet et catum, ac a damno petere, ut vias tuas dirigat; ac, ut tandem finiam, boni consulere si rei quiddam decedat, modo Christo accedat. Sic enim gentem Landenbergiam clarissimam reddes animamque tuam deo gratissimam. Id faxit deus optimus Maximus. Amen. Totum quod hic agitur te per Christum oro susque deque feras. Dissimulari enim amplius nec potuit nec debuit, quod invidiam suam quidam contra Christum eiusque doctrinam tua potestate armarent. Captavi diu an aliquis ex universa Dioecesi esset in arenam illos provocaturus, ne perpetuo erecto collo incederent; ac ubi nemo visus est, ipse prodii, utinam *ἐυκαιρῶς*, et ut in Christi gloriam cedat, qui celsitudinem tuam diu servet incolumen, quam nos quoque valere optamus. Ex Tiguro XXII. die Augusti. Anno MDXXII. [2]

Huldrichus Zuinglius ecclesiae Tigurinae apud Praeposituram Evangelista, tuus ex omni parte.

---

[1]) Sine dubio Zuinglius hic significat indignitatem, qua *Georg. Brunnerus*, pastor in Kleinhoenstetten affectus erat (Vid. Simmleri documenta I. 2. p. 461 sqq. Bern. Mausol. I. p. 150 sqq.), nec non, quod passus erat *Sebast. Hofmeisterus* Lucernae. Vid. Kirchhoferi Sebastianus Hofmeisterus, pag. 17 sq.

[2]) Hic editio princeps indicem addit sphalmatum typographicorum cum hac animadversione: Cum Chalcographus recens coeperit latine scribere, Graecorum autem integram supellectilem nondum habeat: factum est ut crebri admodum errores inciderint.

## PARAENESIS A REV. DOMINO CONST. EPISCOPO AD SENATUM PRAEPOSITURAE MISSA.

Hugo dei et apostolicae sedis gratia Episcopus Constant. Venerab. et honorab. nobis in Christo syncere dilectis Praeposito et Capitulo ecclesiae collegiatae praeposituraе sanctorum Felicis et Regulae Turicen. nostrae Dioecesis, salutem et synceram in domino charitatem. I. Accepimus iamdudum, charissimi, per universam fere Germaniam quosdam esse qui diu noctuque clamant populum Christianum plus aequo hactenus gravibus et onerosis constitutionibus, observantiis et caeremoniis ab ecclesiae praesidibus oppressum, unde tales totis viribus conantur reiectis et abolitis caeremoniis II. hoc aureo saeculo (ita enim aiunt), quo Evangelium demum illucescere mortalibus incipiat, communem populum ad III. Evangelicam libertatem reducere. Cum autem ex agro dominico (quas IV. zizaniam appellant) humanas constitutiones evellere nituntur huiusmodi, heu cernimus ob oculis simul et triticum eradicari. Nonne enim ex illo ortae sunt contentiones odiosae et res tota exemplo muliercularum iniuriis peragitur? Nonne unusquisque iam dicit: V. Egó sum Pauli, ego Cephae, ego vero Apollo? Nonne denique accidit, quod evenire solet inter oves, dum caeca nocte VI. praedator lupus irruerit: fugiunt, pars haec fauces lupi nescia incurrit, haec in oppositum parietem impingit, pars haec incerto vagatur attonita? Non aliter spiritu quodam vertiginis hodie agitatur coetus ecclesiae, pars palpat veluti in tenebris ignorans quo petat, pars ambulat in circuitu, pars sistit expectans lucem veritatis certam de tenebris splendescere, pars neque scit neque novit quicquam agere; nihilominus ipsa et agentes utrinque ridens subsannat et diiudicat. Alios quidem ad hoc faciendum rapiunt et transversos agunt passiones variae, pessimae consiliatrices, ira, VII. odium, invidia, ambitio et similes, adeo ut pro personis persequendis syncerus amor pacis, et serenissima veritatis amicitia deserantur aut impugnentur, quo facinore quid execrabilius cogitari potest? Quosdam vero videre est qui tanta VIII. animositate suis aut coeptis aut consultis adhaerent, ut nullis ad oppositum vel rationibus, vel piis persuasionibus flecti possint. Malunt omnia secum ruere, omnia frangi vel turbari, quam pedem retroflectere a via sua etiam invia. Irascuntur denique tales odio immortali contra omnes, quos vel vident vel audiunt non modo adversari sibi, sed non plenis vocibus et totis assentire sententiis. Quod quantam afferat reipublicae Christianae labefactionem, quantam perniciem, iudicet Christianus quilibet. Qua enim ratione fieri potest, ut in tam contrariis tamque IX. diversis iudiciis concordia possit restitui? cum nunquam per contentiones pax aut quaesita aut inventa. X. Cui enim sententiae interim cessurus est simplex populus? quam amplexabitur? quam probabit? quid aget? quo se vertet? potissimum dum spreta omni Evangelica mansuetudine et charitate doctos XI. videt et indoctos vicissim se dire impetere et misere lacerare, ut quilibet sibi proximum, in hac materia non consentientem, extra navem ecclesiae tanquam errantem et haereticum XII. deiicere contendat; XIII. dum etiam audiat ex adverso voces extra omnem Christianam pie-

tatem cum iniuria, contumelia, et opprobrio plenas, quibus alter alterum incessit et insectatur, et demum sequatur qua sua voluptas quenque trahit, vel sua passio rapit. XIV. Haec mala cum videat fidelis minister, cui obtigit in tam infausta tempestate, in tanta malorum mole, esse dispensatorem, unicam scilicet Christi sponsam, non in una parte, sed intus et extra undique vulneratam atque letali vulnere sauciatam, quibus non doloribus premitur? quibus non anxietatibus urgetur? cum interim, quid agendum sit, nesciat. Si enim loquitur ut amor sponsae maternique doloris necessitas invitat, timendae sunt rixae et contentiones, imo et saevi morsus odiorum et infamiae, quibus non ab altera partium sed ab utraque lacerandum se obiicit. XV. Si vero mavult sequi consilium propheticum Amos: Vir prudens, inquit, in illo tempore tacebit, quia dies mali sunt; et quod Ezechielis visio habet, lugere et gemere super cunctis abominationibus, quae fiunt; vel cum regio Propheta requiescere in solitudine, dum est contradictio in civitate: XVI. obsistit Evangelica veritas: Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis; mercenarius autem et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem et fugit. Cum itaque et nos ex his ministris sumus, qui in haec periculosa XVII. tempora inciderimus, et assidue videamus augeri mala, turbari pacem, et XVIII. scandala multiplicari in ovili domini XIX. cum insertione novorum errorum, non minus periculosorum quam fuerint priores, et pax interim, quam magno desiderio diu expectavimus, non veniat, sed turbatio: XX. compellit nos zelus domus dei cui in parte vigil est custos. Ordinati sumus, zelus fidei quam in baptismo tuendam iuravimus, zelus praesentis schismatis, in quo anxie laborat sanctissima mater nostra, ne amplius dissimulemus aut tardemus, sed importune et opportune laboremus, ut unitatem, a domino et per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus obtinere curemus, et palabundas et errantes oves, quas quorundam pervicax factio et haeretica tentatio a matre secernit, in ecclesiam colligamus. XXI. Quapropter vos fratres cohortamur atque secundum domini et Evangelii eius magisterium rogamus: vigilate contra diaboli insidias, et pro vestra imo totius dominici gregis salute, contra hanc mortiferam fallaciam diligentius excubate. XXII. Instauratur enim vetus contra ecclesiae unitatem impugnatio, renovantur sacrilegae solitis insidiis denuo machinationes. Nonne hic apparet veterum factio haereticorum? nonne maledicta plantatio, quam non plantavit pater coelestis, hoc indicat? quibus hi olim fomentis, captiosis dolis, quibus hortamentis simplices a medela vulneris sui avocaverint scilicet, ne cum suis Episcopis et sacerdotibus concordarent, ne ecclesiasticam disciplinam cum fide et quiete secundum praecepta dominica continerent, ne professionis Christianae gloriam, quae in obedientia et concordia fundatur, incorrupta et immaculata conversatione servarent. Eadem nunc ratio, eadem rursus eversio per quosdam ad ruinam salutis inducitur, ut amplius non rogetur deus, nec qui negavit Christum, eundem quem negaverat deprecetur, ut post culpam criminis tollatur et poenitentia. Ne per Episcopos et sacerdotes domino satis fiat, sed relictis domini sacerdotibus contra XXIII. Evangelicam disciplinam nova traditio sacrilegae institutionis exurgat. XXIV. Et

ne nulla omittant diaboli machinamenta, ad simplicium perniciem, quod intermissis precibus et orationibus, quibus dominus, si quid monstrosum et foedum est in ecclesia, longa et continua satisfactione placandus est, aegros et saucios XXV. ad capienda fortia consilia, exitiosam scilicet temeritatem, mendacio captiosae pacis invitant. Quod heu tempora nostra plane indicant, quibus obedientiae, paci et tranquillitati nullus est locus, seditioni autem, contentioni et persecutioni omnia exacerbata videntur. Hinc rursus admonemus dilectissimi, ne perniciosis iis vocibus temere credatis, ne fallacibus morbis consensum fallaciae commodetis, ne pro remedio venenum, mortem pro salute sumatis. XXVI. Neque enim vos sapientia illorum, qua ubique se spiritum domini habere praedicant, aut fallat auctoritas. XXVII. Adulterinis enim doctrinis ecclesiae pudicitiam rumpere et veritatem Evangelicam violare conantur. XXVIII. Clamat et dicit dominus: Nolite audire sermones Pseudoprophetarum, quoniam visiones cordis eorum frustrantur eos; loquuntur, sed non ab ore domini pax erit vobis. XXIX. Pacem nunc afferunt, qui ipsi non habent pacem; libertatem promittunt, quum sint servi corruptionis; in ecclesia lapsos et multis oneribus gravatos reducere et allevare pollicentur, qui de ecclesia recesserunt; ad lucem reducere conantur vos, qui ambulant in tenebris errorum; et XXX. cibum Evangelicum omnibus ministrare spondent, qui exitiali fame cruciantur. A via domini, quam didicistis a cunabulis, nemo vos errare faciat; nemo vos Christianos ab Evangelio, ab ecclesiastica disciplina XXXI. et piis antiquorum traditionibus rapiat! nemo vos filios ecclesiae XXXII. de ecclesia tollat! Pereant sibi soli qui perire voluerint; extra ecclesiam soli remaneant, qui de ecclesia recesserunt; soli cum Episcopis non sint, qui contra Episcopos rebellarunt. XXXIII. Acquiescite consiliis nostris, qui pro vobis domino rationem dare cogimur et parati sumus, et ab ecclesia, quam hactenus credidistis, ab eiusque sacerdotibus non recedatis, quum scriptum sit: XXXIV. Homo, quicunque fuerit in superbia ut non audiat sacerdotem aut iudicem, quicunque fuerit in diebus illis, moriatur homo ille! XXXV. Volumus nihilominus, imo hortamur ut praedicetur Evangelium, sciatur et servetur; modo a grege et unitate ecclesiastica, XXXVI. sine qua Evangelium esse non potest, neminem separet. Unus est Christus et una est ecclesia, et XXXVII. Cathedra una super petram voce domini fundata. Aliud altare constitui ac novum sacerdotium fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest. XXXVIII. Quisquis alibi collegerit, spargit; XXXIX. adulterum est, impium et sacrilegum quodcunque humano favore instituitur, ut ecclesiae dispositio violetur. XL. Maiorum traditiones, observantias et ceremonias non ita repente deiicere et hostiliter impugnare ratio dictat, nec suadet naturalis pietas, qua maioribus nostris merito affecti esse debemus. Neque enim hic audiendos esse consentio, XLI. qui ob id solum ceremoniis et patrum institutis repugnant, quod dicant esse inventiones hominum, non ex spiritu dei, sed somniis et minus synceris animis, in onus et gravamen, Christiano populo imposita; XLII. quasi non possit idem fingi in traditionibus Apostolorum et XLIII. generalium conciliorum. Cessent ergo huiusmodi contumeliae; abeant sinistrae de bonis patribus

XLIV. quos vita pariter et doctrina commendat suspiciones, quales nec minimus illorum de se vellet habere. Invitet etiam ad ceremonias ecclesiae, ad XLV. tempus saltem servandas, communis utilitas. Sic enim periret omnis ordo XLVI. politicus, si ea quae sunt communi XLVII. assensu conclusa, aut XLVIII. saltem accepta, quilibet pro capitis sui motu vel inculpare vel ad XLIX. novam censuram revocare contenderet. Ubi enim fuit unquam tam concors sententia quae non carpi possit, aliis amore, aliis ignorantia, aliis sola contrariandi protervia aut pruritu novas res moliendi actis? Aequum est iccirco legibusque et consuetudine sancitum, ut in ore L. maioris partis stet omne communitatis iudicium; in iis saltem quae LI. divinae legi non repugnant, sicut est in proposito. Alioqui si cuilibet liberum esset obniti, nihilo plus ageretur quam si inter LII. naucleros eiusdem navis odiosum continuaretur iurgium, illis velum tendere, istis relaxare, aliis in dexteram, aliis in sinistram conantibus. Deliberatione enim maioris partis exceptata, nonne consultius est ei opem ferre vel saltem pertinaciter non adversari et ita portum LIII. qualemcunque attingere, quam sub dubia spe melioris portus confundere omnia certissima seditione? Denique quid verisimilius est, decipi vel LIV. unum, vel universos? Quid probabilius, falli paucorum conscientias vel omnium? Esto, illis appareant vel forte LV. sint saniora LVI. consilia: nihilominus ad communitatem, cuius sunt parva pars, ambulantem sine animae iactura in opposita sententia quid prodest LVII. tractus iste pertinax aliorsum? quid parturit quam contentiones, scandala et disturbia? Esto etiam, quod erraverit universitas aut instituendo aut acceptando ritum hucusque servatum, et ut est humana ignorantia et infirmitas, aliqua se religioni Christianae immiscuerint Evangelio et Sacrae Scripturae non admodum conformia: hoc tamen exigit Christiana pietas, qua omnibus omnia debemus, in aedificationem magis LVIII. condescendere pie errantibus, saltem modicum, quam omnia tam evidenti turbationi et seditioni exponere. Quippe ad hunc intellectum enunciatum est: Communis LIX. error facit ius. Quemadmodum ergo beatissimus papa noster felicis memoriae Leo decimus, et serenissimus Romanorum Imperator Carolus Quintus, nuper LX. huiusmodi nova dogmata damnaverunt, [1] et damnata publicis mandatis declaraverunt, tanquam illa quae sint contra ecclesiasticam dispositionem, contra Evangelicam legem, institutionis Evangelicae unitatem: ita vos, quos nobiscum spiritus sanctus posuit LXI. regere ecclesiam Christi, quam acquisivit LXII. sanguine suo, cohortamur per eam quam quilibet Christianus de immaculatae sponsae suae ecclesiae foeda scissione compassionem gerit, ut haec dogmata postponantur, abiiciantur interim, non praedicentur, disputentur aut doceantur vel publice vel occulte, nihil etiam LXIII. alteretur, immutetur aut innovetur circa ecclesiae ritum; LXIV. donec illi, quorum interest, de ecclesiae negotio conveniant et collatis consiliis cum disciplina pariter et misericordia temperatam figant sententiam, et scripturam LXV. conferant inter se, et sic omnes in domo domini ambulemus uno animo, uno passu, una via, donec occurrat nobis

[1]) Leo X. sua bulla damnatoria et Carolus V. edicto Wormatiensi.

pax vera in eo, qui fecit utraque unum in Christo Iesu domino nostro. Petimus denique, ut interim assidue per vos vobisque commissos domino fundantur preces, quibus LXVI. iusta satisfactione placetur et commissorum delictorum, quibus haec demeruimus, crimina abluantur. Rogate quae ad pacem sunt Hierusalem, ut benigne faciat dominus in bona voluntate Syon, ut aedificentur muri Hierusalem! Haec inquam sunt, venerabiles ac honorab. nobis in Christo charissimi, quae in huius saeculi tumultu LXVII. ad vos paterno affectu moti perscribere decrevimus, vos per viscera misericordiae domini nostri Iesu Christi rogantes, ut in unitate sanctae LXVIII. matris ecclesiae et superiorum obedientia maneatis, neque ritus ecclesiasticos a maioribus nostris introductos tam cito abiiciatis. Id quod de vobis indubie speramus et nobis firmiter pollicemur. Deus optimus maximus LXIX. ecclesiam suam in pace vosque incolumes servare dignetur! Amen. Datum Constantiae die vigesima quarta mensis Maii, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo secundo.

## HULDRICHI ZUINGLII RESPONSIO.

Ad vos mihi nunc sermo vertendus est, qui id orationis quicquid est parturivistis mensibus plus minus duobus. Nominibus vestris libens et volens parcam, ne apud bonos male audiant, neve plus aequo vos irritem, quos spes est aliquando desertis asinis ad boves transituros, ab hoedis ad oves; non quod illa ignorem, aut ridenda vulgo non possim obiicere, sed quod ad Christi doctrinae profectum id conducibilius arbitrer. Sit licet de aliis quam vobis authoribus oritura suspicio, quod hunc foetum pepererint, malui tamen vestris nominibus parcitum, quam quorundam male procacibus suspicionibus satisfactum esse. Ita enim vos tractabo, quo modo me minime tractaretis, si evangelii partes vestro more tractarem, vestratibusque armis dimicarem. Deum autem precor, ut mentem meam ita illustret et dirigat, ut nihil non se dignum dicam, vestram autem, ut omnia dextere accipiatis, ut omni contentione abiecta in unum corpus Christi simul coalescere possimus, et idem sentire in domino Iesu. Amen.

1. Principio igitur, quid opus erat me Helvetium et apud Helvetios Christum profitentem huius tumultus insimulare? cum id solum in Germania fieri dicatis, et Helvetii inter Germanos non censeantur; nec tamen interea totum fere mensem captans rescire potui, quod similem paraenesin ad ullos uspiam in Germania miseritis. Ecquid medelam non adplicatis morbo? nescitis Christum dixisse eos qui recte valerent non opus habere medico, sed qui minus? Adparet igitur mihi cantilenam istam cani: prudentiores enim vos puto quam quod medelam adponatis membro, quod aegrotare non existimetis. Verum hic non nihil gratiae vobis debeo, quod in genere placuit nobis aurem vellicare, ni forsan hac causa id fecistis ut ansam respondendi amputaretis, quam praeberi hoc pacto magis puto, ne scilicet perpetuo hoc praetextu uti pergatis ludibrioque exponere. Quod autem ad rem ipsam attinet, non adeo indigne fieri putatur, si quis Christi miseras oves constitutionibus onerosis et observationibus premi queratur. Hoc enim aliquando fecit Moses vir sanctus Exod. 2, ita ut Israelitam occiso Aegyptio liberaret, et omnem

tandem populum ex captivitate abduceret. Verum quid tam vetusta commemoro? cum Christus ipse ad misericordiam motus sit, cum videret turbas non secus negligi ac oves abiectas et solutas, quae pastorem non haberent, adeo ut mox suos in hunc modum sit adfatus: Messis quidem multa est, sed operarii pauci; iussitque ut orarent dominum messis, quo confestim mitteret messores. Matth. 9. Nec secus Paulus, qui pro fratribus Israëlitis optavit execratio fieri, ut eos aliquando oner. e suae legis ac ceremoniarum pigeret. Rom. 9. Negari ut arbitror non potest, humanarum constitutionum tantam esse farraginem, ut sexcenti boves Cyprii ad exedundas eas non sufficerent; nec id iniuria, cum quisque sibi permissum esse putet novas fingendi pro libidine, dum nemo obstat, nemo resilit, ut iam tantum non hoc tyrannicum apud eos receptum sit: Licet, quicquid libet, cum tamen e diverso Christus caveat dicens; Frustra colunt me docentes doctrinas et praecepta hominum. Matth. 15: 9. Si igitur apud deum haec nobis nihil prosunt, sed premunt tamen interea miseras oves adeo, ut deus illarum misertus per prophetam se polliceatur amoturum pastores eos qui sese pascebant, et oves dissipatas visitaturum et liberaturum, Ezech. 34: 10. (Hic vos obtestor ut totum caput istud legatis, quo doceamini quam infensi deo sint ii pastores, qualem vos libenter redderetis eum, qui tamen per ingenii bonitatem non potest talis reddi.) Quidnam est si quis queratur perpetuo Christianum populum plus aequo opprimi? cum nihil profecto aliud fecerit quam quod deus ipse, quod Christus, Paulus, Moses?

11. Quid iam mali nobis eveniet si ceremoniarum scobs in universum etiam abiiciatur, cum frustra se deus hisce coli adserat? Eloquia domini eloquia pura sunt, argentum igne examinatum, purgatum a terra, imo septies purgatum; ecquid igitur scoriam argento rursum miscere pergimus? et eos qui Israel facti sunt transmutare in scoriam? Ezech. 22: 18. Versa est mihi domus Israel in scoriam. Considerandum itaque vobis est, an non merito saeculum hoc nostrum aureum adpellent, qui huc respiciunt, ut eloquia dei quam mundissime adponantur famelicis mentibus, ne vanitates humanae audaciae intermisceantur. Sed facere ferreum student, qui hoc ferre non possunt, dicentes: Recede a nobis! scientiam viarum tuarum nolumus; inutilis es nobis. Hinc vociferantur: prehende, vinci, in carcerem trude, adhibe fidiculas, χίφωνας, duc, merge, strangula, exure, ut vere hoc adimpleant quod Christus praedixit Ioan. 16: 2. Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur se obsequium praestare deo. His itaque aureum non est saeculum, sed his, qui per eiusmodi tentationis ignem probantur esse aurum purum, putum argentum, gemmae, sed his quorum conscientiae, ab animarum parricidis hactenus misere laniatae, in tranquillum verae pietatis portum inductae sunt, quos dominus pascit in montibus Israël, in rivis et in cunctis sedibus terrae, in pascuis uberrimis, Ezech. 34: 14. quos dominus pascit et nihil illis deerit, quos dominus eduxit in latitudinem et salvos fecit quia voluit.

111. Ad Evangelicam libertatem recte faciunt qui vocant: nam hoc uno salvi reddimur. Audite Christum Marci ultimo: Praedicate Evangelium omni creaturae! qui crediderit (praedicato scilicet Evangelio) et

baptizatus fuerit, salvus erit. Veritas liberavit nos, ergo vere liberi sumus; filius liberavit. Quomodo poterit servus servituti iterum subiugare? Ioan. 8: 32. Nemini quicquam debemus, nisi ut invicem diligamus (quod tamen Apostolus salva semper Regum ac Principum auctoritate intelligi vult). Ecquid igitur exigunt quidam a nobis supra id quod eis commissum est talentum?

IV. Iam primum hic miror tam floridam poeticamque elegantiam cum dicitis: quas zizaniam adpellant humanas constitutiones evellere nituntur; hoc Comici ut arbitror imitati: Populo ut placerent quas fecisset fabulas, aut: quas putas non sunt verae nuptiae; cum tota alioqui phrasis adeo sit exanguis et illepida, ut vix viderim tantam orationem tam inopem omnis gratiae, quod nisi flosculus iste velut hic natus ac in loco insertus esset, nemo posset sine fastidio legere. Sed ad rem redeo: zizaniam adpellant humanas constitutiones, adde scoriam, quisquilias, scobem, quicquid a mente Christi est alienum, quicquid ab hypocrisi, a cupiditate, a φιλαυτίᾳ profectum est. Hic rursum gratia debebitur vobis quod Evangelicam doctrinam triticum esse permittitis. Sed quod heu cernitis ob oculos eradicari etiam triticum, aperte ostendit, similitudinem quam Christus Matth. 13: 38. proponit et illic explicat, vobis non ad amussim esse perspectam. Alioqui enim vidissetis quod ibidem Christus non de varietate doctrinarum loquitur, sed hominum, quorum quidam omnem verecundiam ita exuerint, ut publice peccare eos non pudeat, nec tamen a peccando abstineant, quamvis enormia non admittant flagitia, sed ea sine quibus haec vita vix peragitur; id quod nihilo minus quosdam teneriores offendit. Hos ferri iubet, quod in multis offendamus omnes, Iacobi 3: 2. et festuca primum sit ab oculo auferenda ut trabem de oculo fratris educere liceat. Unde hic Christus ad quaedam translatitia et vulgaria connivere iubet, non idem sentiens de ingentibus, ubi oculum eruere iubet, id est videntem, doctorem, Episcopum, si offendit, et abiici; consimilem in modum et manum et pedem Matth. 5: 29. et 18: 9. Neque unquam invenietis vel Christum vel Apostolos in ea esse sententia, ut velint nos permittere perniciosam et a deo alienam doctrinam pullulare. Ipse enim Christus acerbissime ferit scribas et Pharisaeos, quod divinis posthabitis sua quaedam tradidissent, Matth. 15: 3. Errare etiam clamat dicens: Erratis nescientes scripturas; cum sua ista non ignorarent. Et ad scripturam vocat: scrutamini inquiens scripturas, Ioan. 5: 39. a suis inventis nimirum et commentis avocans. Paulus autem Titum admonet Episcopum tenacem esse oportere sanae doctrinae, quo contradicentes revincere valeat. Ioannes iubet spiritus probare an ex deo sint; sexcenta sunt quae custodire iubent ne humanae doctrinae divinarum loco recipiantur. Quod si dicatur: hi tui humanas doctrinas zizaniam adpellavere: quid tum? si quando trahant et transferant quaedam, dummodo integrum sensum non adulterent. Probe quadrat, humanam sapientiam, traditionem, scientiam, zizania vocari, et quod inimicus ea, dormientibus Episcopis imo autoribus, in sementem dei iecerit. Hactenus similitudo nihil hiat, hiabit autem si sequentia huc traxeris: sinite utraque crescere, et reliqua. Sed, ut hanc pericopen finiam, si simul cernitis erui triticum, vestrum erat id

cavere, tueri triticum non zizaniam; iuvare eos ex altera navi qui rete plenum magnis piscibus traherent, non eos qui lignum, foenum, stipulam aedificant. Praesertim cum videatis tantum numerum doctissimorum hominum omnes huc nervos intendere; ut hac una, si non alia, ratione dei opus esse agnoscere possimus, quod dum lux eruditionis et linguarum in mundum venit, paucissimi tamen ea abutantur ad quaestum. Huc Hugo ille impellendus erat, ut Christi partes, ad quas iam ab exordio huius fabulae spectabat, (nam eiusmodi voces observatas de illo audio: ego rerum omnium maxima iactura cupiam Evangelicam doctrinam promotam esse) amplecteretur ardentius, plantaret diligentius, tueretur vehementius. Hic currentem incitare oportebat, si illius gloriam augustiorem reddere statutum erat, non bene currentem fascinare.

v. Si quis contentiosus amat esse, 1. Cor. 11: 16. nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesiae dei. Verum contentiones unde ortae sunt? nonne a carnalibus? 1. Cor. 3: 3. qui dicunt: ego sum Scoti, ego Thomae, ego Romani Episcopi, quibus tamen ne horam quidem unam cederet Paulus Galat. 2: 5, etiamsi circumcisionis causa tantum ageretur, non solidae salutis, non Christi, non iudicii; quo nos atrociora manent supplicia, si posteaquam lux venit in mundum magis dilexerimus tenebras quam lucem. Utris amabo cedendum existimatis, iisne qui domum suam supra petram Christum aedificarunt, an his qui super arenam? Tum si alteris cadendum erit, ab u.ris standum? ab iisne qui etiamsi cadant stant atque ita stant stabuntque, ut nullus ad illos mali iactus pervenire possit unquam; an ab his, qui dum se firmissime nixos autumant, iam ceciderunt? quibus caligo tenebrarum reservatur, et perditio non dormitat. 2. Pet. 2: 3. Per vos deos deasque omnes oro, quandoquidem hoc contravertitur, quantum humanis traditionibus quantum divinis deferri debeat necne, an non vobis aliquando in mentem venit hoc: omnis homo mendax; et e diverso illud: Deus verax est, Ioann. 3: 33. Rom. 3: 4. et: Ego sum via, veritas et vita. Ioann. 14: 6. et: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sexcentaque alia? Ac dum in mentem venerit, annon hanc sententiam pariat: Hanc veritatem si amplexus eris, hallucinari non poteris; si humanam quantumvis sese fucantem, poteris? Quid igitur causae est, quo minus certa et indubitata sequaris, quam ambigua, imo mendacia? Contendere nimirum oportet, si volumus contradicentes revincere, modo ne id contendendi animo fiat, sed divina eloquia adserendi, nec Philosophorum strophis, sed scripturae robore. Quo modo increpavit Stephanus Iudaeos, dum altius vetera repetens, quibus cum illi cogi deberent obsistebant, sic tandem infit: Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus, vos semper spiritui sancto restitistis. Acto. 7: 51. Quo modo frequenter Paulus tum apud alios, tum apud Romanos Actor. ult. ubi scripturae locis Iesum eis suadere conatus totum ferme diem, id tandem iaculi, quod ex Esa. 6: 9. produxerat, in eos torsit: Vade ad populum istum et dic ad eos: Aure audietis et non intelligetis, et videntes non videbitis et non perspicietis: incrassatum est enim cor populi huius, et auribus graviter audierunt, et oculos suos compresserunt, ne forte videant oculis et auribus audiant et corde intelligant et convertantur et sanem

eos. Quod si propter contentionem quid unquam imputandum est, iis certe imputetis oportet, quibus studio fuit orbi prodere quantum contendendo possent, Sophistarum tantum argutiis nixi, non gladiis istis duobus veteris ac novi testamenti, quos Christus sacculo sublato imo divendita tunica parare iussit, nisi quantum rubor ignorantiae coëgit, quo velint nolint compulsi sunt insueta arma undecunque sumpta tractare. Hos per me licet contentiosos adpellare, quique mulierculorum ritu, vel exemplo (ut vos loquimini) convitiis alios ceu sputis foedant, belli scilicet veritatis *ἀιχμηταὶ καὶ πρόμαχοι*.

VI. Ne hic rhetoricantes turbem, ostendam brevibus qui sint lupi, praedatores, reliquaque tragica nomina. Christus pastor est, Ioan. 10: 12. Oves eius sunt, qui vocem illius agnoscunt et praeeuntem sequuntur. Fures vero sunt et latrones non modo praedatores, qui aliunde quam per ostium quod Christus est in caulas ascendunt ovium. Lupi, qui se ovium persona induerunt, toto tamen pectore non aliud meditantur, quam qua via rapere et discerpere teneras oves possint. Lupi inquam sunt quos Apostolus Beniaminita graviter adflicturos gregem post discessum suum praedixit ac gregi nullatenus parcituros, Acto. 20: 29. Post haec spectemus quibusnam haec tragica *ἐπιφωνήματα* in ipso etiam orationis exordio aptari recte possint. Ubi Christianorum simplicitas, falsos Prophetas in lupos degenerasse non sentiens, sed ab ovilla eos aestimans persona tulit, coeperunt isti, pastorum pietate in luporum rabiem versa, omnia invadere, dissipare, perdere, ut profundam ingluviem libidinemque explerent suam, non contenti si lacte, lana, carnibus etiam ablatis ventrem saginarent, nisi ossa quoque fregissent, et ad crudelitatem quicquid attinet nihil reliqui fecissent. Tum fateor iustam ovium partem attonitam, cum se viderent ab his trucidari ad quos confugerant, longius profugisse a tam certa pernicie: quod tamen miseris infeliciter cessit. Nam Nimrodi isti robusti veneratores eas assecuti, devorarunt tanquam cibum panis. At posteaquam ille, qui se cum suis permansurum pollicitus est usque ad consummationem saeculi, hanc suorum cladem amplius ferre non posset, vocavit suo more quosdam non sapientes secundum carnem (stultam enim fecit deus sapientiam huius mundi) sed ignobiles, qui nomen suum ferrent ad reges et principes terrae, non aliter atque olim fecerant ii qui ex piscatoribus in Apostolos commutati erant; quod simul ac vulgo auditum est, mirum quam respirare cuncti coeperint ac gratulari, fugam sistere, verum ducem adesse sentire, nomen illi dare, neglectis interim his qui praeter inane nomen pastoris nihil se dignum habebant, conversi autem ad pastorem et Episcopum animarum suarum, qui paulo ante quam simillimi erant ovibus errantibus, iuxta Petri sententiam, 1. Pet. 2: 25. ac in luce ambulantes ea, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, errare amplius non possunt nec offendere. Unde apparet quicquid hic queremoniarum effusum est, nihil ad eos adtinere qui iam resipuerunt, sed ad eos qui adhuc in tenebris palpitant humanarum inventionum, neglecto Christo et eius doctrina, de quibus etiam non dici potest quod pastores suos irrideant, cum eos venerentur deorum loco, similesque habeant labra lactucas. Si autem eos putatis qui ad Evangelii partes concesserunt, duces suos

irridere, non tanto inflammati sunt odio ut paulo post querimini. Nemo igitur est qui alium tantopere subsannet, nisi hi sint qui divina pro humanis recipere nulla ratione persuaderi possunt, quorum voces hae sunt: Quid mihi cum Christo? quid cum Apostolis? mores immutati longe aliam vitae rationem postulant. Rustice, tun universam Episcoporum pompam huc humilitatis devenire posse autumas? qui ut prudentia pollent, ita longe praestantiora quam vel Paulus vel Petrus, imo Christus ipse, tradiderunt. Hi sunt nimirum qui simplices Christi praecones in derisum habent et similitudinem improperii, insensati, Sap. 5: 3, in quorum interitu deus quoque ridebit, Proverb. 1: 26.

VII. Hic primum artem adnotabo, quum dicitis: Alios quidem ad hoc faciendum etc. Quaeso quodnam membrum huic ex aequo opponitis vel coniugatis? Dicetis nimirum id quod sequitur: quosdam vero videre est etc. At animositas (ut vestrate verbo utar) passio est; sub priore igitur membro comprehenditur. Post haec adnotandum est consiliatrices istis dici pro consultrices: nam consiliare eis id significat quod Latinis consulere vel consilium dare; hinc consiliator pro consultor quem pro senatore aliquando ponunt, consimili forma qua dicunt fornix ein ofen, fornicator ein ofner. Quod ad causam vero adtinet, commendari non potest si quis quid effervescente bili aut ambitiose agat, quamvis Paulus Evangelio gratuletur, etiam si per contentionem aut invidiam praedicetur, Philip. 1: 18. Quod et vos oportebat, modo usus postulasset, et eum locum perspexissetis, cum vix inveniatur qui flagitiorum indignitate non aliquando moveatur. Qui motus an ira possint adpellari, nunc non disputo, praesertim cum eos deo sacrae etiam literae tribuant. 3. Reg. 11: 9. Iratus est dominus Salomoni, et Esaiae 61: 8. Ego dominus diligens iudicium, et odio habens rapinam in holocaustum. Quamobrem inducor ut cum Paulo potius gratuler Evangelio, sive opportune sive importune praedicetur. Invidere si qui videntur his qui obstrepunt, non tam invidia mihi videtur esse quam iustus dolor, quod nulla via restitui volunt. Ambire vero hactenus nihil visi sunt Christi praecones, omnia humanarum inventionum adsertores, laudem, gloriam, honores, pecuniam, magistratus, regna, summa quaeque; atque id olim, cum ultimum in malis bonum, verecundia, nondum explosa esset; nunc nemo ambit, sed rapit quisque ad se quicquid unguibus adprehendere potest, ut vere dixerit Esa. 1: 23. Principes tui socii furum. Iam quod nostris obiicere poteris, ambire eos quoque, et si non episcopatus aut sacerdotia, at gloriam et laudem: nihil dicis; quum hic morbus etiam dissimulari negando queat, id quod tu post haec probare nequis. Unde adparet per calumniam hoc dici, quod tamen non potest de his, qui non de spinis uvas colligunt, nec de tribulis ficus, sed sese insinuant in divites familias, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis; sed vere de eis dicuntur.

VIII. Quicunque per cognitionem domini nostri Iesu Christi a contaminationibus huius mundi elapsi sunt, iuxta Petri sententiam 2. Petri 2: 20. ac eis ultra implicari nolunt, non pervicaces censendi sunt, sed constantes, qui nolint recedere a sancto praecepto, quod illis traditum est. Nam posteaquam gustaverunt quod suavis est dominus, et quod

beatus futurus est qui sperat in eo, coeperunt nihil metuere quid sibi homo faceret, quos nec instantia nec futura a charitate Christi separare possunt, haud secus atque Ulyssis socii, qui ubi *λώτου τὸν μελιηδέα καρπὸν* edissent, ad suos reverti noluerunt. Nemo enim qui manum suam ad aratrum misit retro respiciens, aptus erit regno dei Lucae 9: 62. Quos etiam deus ipse per servum suum Hieremiam adhortatur, ne cedant, dicens cap. 15: 19. Si separaveris preciosum a vili, quasi os meum eris; convertentur ipsi ad te, et non converteris ad eos, et dabo te populo huic murum aereum, fortem, et bellabunt adversum te, et non praevalebunt, quia ego tecum sum, ut salvem te et eruam. Ex his satis liquere arbitror, quam non modo nihil peccent, qui ab Evangelica veritate flecti non possunt, sed recte, sed consulte, sed constanter agant, si perpetuo nervis huc omnibus contendant, ac ante oculos *obdura* illud semper habeant. Facessant igitur deliri isti, qui divina humanis cedere debere putant.

IX. Pacem precatus est suis Christus cum a mortuis resurrexisset, qui eandem priusquam mortem obiret, Apostolis dederat et reliquerat, sed non mundi pacem, quae nimirum peccatorum est, eorum videlicet, qui cum morte pactum fecerunt et foedus cum inferis, Esa. 28: 15. et belluarum ritu extingui cum corporibus etiam animas credunt, quod omnis illorum vita testatur: aedificant enim ut Milesii quasi perpetuo victuri, deliciis fruuntur quasi cras morituri, hoc Pauli 1. Corinth. 15: 32. sive Sardanapali (a quo Paulum mutuo cepisse suspicor, quo ventrium illorum mentem exprimeret) intra se sibi canentes: Manducemus et bibamus! cras enim moriemur. Hi, inquam, omnem auram metuunt, ne deliciarum suarum tranquillitas aliqua parte interturbetur, clamant pax pax, cum non sit pax impiis, Esa. 48: 22. Quod si maxime tranquillo animo sibi esse videantur, *ἄθεοι* sunt; si *ἄθεοι* non sunt, miseri sunt. Cum enim deum credant salutis doctrinam *τὸ Εὐαγγέλιον* nobis tradidisse, nec ei vel cedunt vel deferunt, manifestum est eos desperatos esse, Christumque dereliquisse quemadmodum Demas Paulum 2. Timot. 4: 10, diligentes hoc seculum. Quod si attentius Christi verba librarent, quibus adfirmat se non pacem, sed gladium in terram misisse, quo separarentur parentes a liberis etc. et illud Ioan. 16: 33. Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite! ego vici mundum. Atque illud Esa. 48: 18. Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, et iustitia tua sicut gurgites maris; haec, inquam, si diligenter attendissent, nunc non aliud agerent, quam quo posset inter deum et nos pax conciliari, divinis cederent humana, cedendoque divina fierent. Haec enim vera pax est, quae in deo habetur, non quae in suis adfectibus, qui non minus quam Euripus perpetuo aestuant. Illa nihilominus amicitiam cum omnibus, iuxta Pauli doctrinam, quantum in se est habet; haec cum nullis, qui concupiscentiis nostris obsistunt. Unde optimi viri, quicunque tandem estis, frustra operam insumitis: nunquam enim pax futura est his, qui Christi sunt, cum his qui carnis. Illi enim authoris sui more nunquam pugnare cessabunt, hi nunquam cedent, ni spiritus illustrator eos aliquando illuminatos ad se trahat. Illis tamen interea laetis

ac pace fruentibus vivere datur in Christo, etiam si persequutionem patiantur: nam gaudent cum apostolis contumeliam se pro nomine Christi pati. His, ut supra ex Esaia, non est pax, nec tranquillitas ulla. Deum Opt. Max. precor ut sua gratia illos respicere dignetur, quemadmodum respexit Petrum negantem, ut ad se conversi resipiant et dent gloriam deo. Amen.

x. Columbina simplicitate praedita plebs Evangelio uni cedet, et quanto minus imbuta est fecibus humanarum traditionum, tanto capacior est doctrinae coelestis, ad quam ceu ad sacram ancoram cum fiducia summa confugit.

xi. Eadem cum doctos inter se digladiari cernit, clarius iudicat utri recte, id est secundum Christum, sentiant, quam doctuli ipsi: spiritualis enim omnia diiudicat, et illi spirituales vere sunt, quia toti a divino spiritu, hoc est mente pendent.

xii. Nullos audio superciliosius Haeretici nomen quamlibet levem ob causam opprobrare omnibus recte vel iam sentientibus vel sentire incipientibus, quam eius sortis homines, cuius vos minime esse opto.

xiii. Est quoddam hominum tam impudens genus, ut tametsi continuo miseram plebem inverecunde peccando offendant, admoneri tamen nulla ratione velit, nedum corripi aut emendari. Quos equidem cuperem, imo per Christum hortor, ut studeant non esse quod audiunt. Quod ubi factum erit, tacebuntur iustae calumniae; aut si non tacebuntur, non offendent: discent enim interea, beatos fore quibus male dicatur, dabuntque operam, ut quam innocentissimis irrogetur contumelia. At quae est haec iniquitas, contumaciter male agere eum qui positus est ut reliquis exemplo sit, nec admonitionem ullam admittere? Fateor, quod ad me adtinet, me saepe dixisse, iustam nostra tempestate praesulum partem, non veros sed personatos esse Episcopos; id quod mihi ne imputari quidem posse arbitror, quum Esaias eos canes mutos adpellet, et Christus fures et latrones. De his dico, qui non per ostium in ovile ovium introierunt: paucos enim reperias, qui Episcopi munere vel pro virili fungantur, et non potius agant dynastas, satrapas, reges. Ego velim cunctos qui hac tempestate liberius proloquuti sunt, per impotentiam potius quam vere dixisse; id quod omnibus spectandum est, et praesertim Ecclesiae primoribus, an scilicet digne male audiant an indigne. Praecipit enim Paulus, presbyterum sceleris convictum publice argui.

xiv. Hactenus, ut reor, narravistis. Nunc periculosum videri vultis Episcopo, si loqui coeperit, et pericula ipsa recensetis, nempe quod male auditurus sit ac in contentionem venturus. Quid vero dicturi eratis etiam si vapulaturus esset? quum Christus miserit suos ut oves in medio luporum, et tamen interim dicit quod pastor ante oves suas vadat; et rursum, quod bonus pastor animam suam pro ovibus ponat, non etiam mercenarius: is enim dum lupus veniat desertis ovibus fugiat. Si igitur ista sponsa Christi tam vulnerata erat intus et extra, ut videri cupitis, quid hac cunctatione opus erat? quid cunctanti blandimini? vel maturantem potius moramini? Festinandum erat, excitandusque quam celerrime praesul: Heus tu, viden ut grex pereat? quid

cessas? debes enim tu primus caput obiectare periclis. Hic si ipse cunctatus esset his ex causis: fama laedetur, obiurgabor, contendere cogar: Quin ignave, diceretis, non meministi huius, quod Christus dixit: Eritis odio omnibus propter nomen meum? Nunc cum Praesul ita animatus sit ut nullibi salutem certiorem ac praesentiorem, quam ubi Christus praedicatur, esse credat et vos eum cunctantem facitis, nonne proditis has voces ex vobis natas? a vobis tractum esse benignissimum praesulem, ac irritatum ut nos tam atrocis facti insimularet, nempe, quod ovile Christi vastemus? Vulneratam autem videri vultis unicam Christi sponsam; fateor vulneratam esse, non letali vulnere, sed charitate. Lentum est hoc vulnus et gratum, imo tam iucundum, ut Sacerdotem ac Levitam praetereuntes, nec respicientes, aequanimiter ferat: nam Samaritam adesse sentit, qui quod putidum est vino macceret, et quod aegrum, foveat oleo, iumento suo vehat ad diversorium caelestium mansionum; cum interim hi qui hunc medicum non agnoscunt, miserabiliter crucientur, non tantum dolore vulneris, sed etiam desperatione medici; quum facultates omnes in eos medicos expendant, qui humanarum traditionum ceratis vulnus adulterina cuticula obducunt, non ex imo sanant, nec ullam salutem sentiant. Quid multa? Vae vobis qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum, Esa. 5: 20.

xv. Prophetarum oracula vobis optarem clarius perspecta esse: nam quod ex Amos adducitis vobiscum ex diametro pugnat. Nam Amos hoc agit cap. 5: 6. filios Israel obiurgat, quod deserto domino in Bethel, Galgala, Bersabee vaccis et simulacris sacra facerent, quod iustitiam derelinquentes, omne iudicium exasperarent, nihil veriti eum, qui universam huius mundi molem temperat, cuius nomen dominus: ipse enim robustum vastet ac potentem depopuletur, propterea quod exosum habuerint omnem corripientem, omnem quoque qui perfecte loqueretur abominati sint. Quamobrem, tametsi quadrato lapide ambitiosas aedes excitarent, nunquam tamen inhabitaturi essent, quod pauperes expilassent. Sic etiam vineas artificiose plantatas nunquam vindemiaturi, quod illorum flagitia non ignoret; puta, quod dum parentum vice colerentur a simplici plebe, ab atrocissimis tamen hostibus nihil differrent, cum a divitibus accepta pecunia pauperem deprimerent; quae res eo usque malorum ventura esset, ut prudentes etiam viri hiscere non auderent ob huius tempestatis malignitatem. Videte quaeso, annon haec malorum facies retroacto tempore visa sit, dum quidam adeo licenter nihil omiserunt quod ad tyrannidem attinet, ut cordati quique malorum, execrationum dirarumque metu ne mutire quidem ausi sint? Videte, inquam, ut infeliciter in arcanis literis versemini, dum his utimini, quae proposito vestro reclamant. Quod ex Ezechiele adducitis, nunc non occurrit ubi scriptum sit; at ubi ubi positum est, arbitror eodem iudicio eademque opportunitate adductum, qua id ex Amos.

xvi. Nam id quod Ezech. 5: 11. scriptum est, unde adparet hunc vestrum locum decerptum, ita contra vos est, ut quicquam. Similiter et illud ex 54. psalmo. Nam Propheta illic perfidis Israelitis discordiam imprecatur, quae et illis contigit propter Christum crucifixum.

Talis autem contradictio in civitate Hierosolymorum fuit, quanta in ullis Iliis, Carthaginibus aut Athenis. Summa: *οὐδὲν πρὸς ἔπος βάλλετε.*

XVII. Periculosa tempora miror vobis nunc primum adparere, cum haec mala ex quibus tempora periculosa metitur Paulus 2. Timoth. 3: 2. iam olim coeperint, et in haec nostra tempora ita grassata, ut doctissimorum virorum magna manus iuxta morem vestri prudentis, quem ex Amos paulo ante, ut bona vestra venia dicam, ineptiuscule produxistis, tacere amplius non potuerit, imo omne periculum sit potius subitura, quam ad tam spurcas abominationes tacitura. Haec quis periculosa tempora dixerit, quibus oves domini quaeruntur, liberantur, pascuntur? Sunt quidem, si mors malum est, periculosa, sed non his quibus vos videri vultis, sed his scilicet, qui docti sunt animam non posse ab his occidi, a quibus potest corpus; de his autem vos non admodum sollicitos reor. Unde hoc metu vos libero per praesentes. Hic admonitos volo, quandoquidem perpetuo eisdem querimoniis utimini eisdemque vocibus, ut si in superioribus quibusdam responsum sit, eo semper recurratis, ne *δὶς κράμβη θάνατος* fiat.

XVIII. Scandala multiplicantur iam inde ab annis fere mille, per eos maxime, qui non huius faciunt pusillos illos Christi, quos ipse parvi haberi noluit, cum diceret Matth. 18: 10. Videte ne contemnatis quenquam de pusillis istis, qui in me credunt. Dum eos neglectis dei sermonibus sua quaedam docent, dum spem eorum (pusillorum dico, quae uni Christo debetur, ad se vocant, dum gratiam dei antiquant, satisfactiones autem suas sanciunt, dum infirmas conscientias truculentius terrent et ad desperationem adigunt, dum quicquid gratis dispensandum erat venundant, dum castitatem exigunt quam Christus liberam permisit, dum clavibus (ut ipsi adserunt) suis abutuntur, ac simul docent omnia sua ferenda esse fulmina, sive iure sive iniuria infligantur, dum luxum suum, Evangelicae paupertati comparatum, ac subinde condemnatum defendunt, dum omnia prorsus divina pro libidine sua temperare fas esse putant. Deseret me sol iste, si omnia scandala numerare tentavero; quamvis haec non videtis esse scandala, sed si quis vinitor, pastor vel agricola in Quadragesima carnes ederit, id quod sancta urbs Roma feliciter audet, hoc scandalum est.

XIX. Bis hic peccatur, semel contra eos, qui Evangelion hodie proferunt, quod novos errores serant; iterum contra vos, qui priora ista vestra quocunque nomine censeatis periculosos errores vocatis, nisi priores capiatis pro his erroribus, quibus olim respergebantur Christiani, quod tres iuxta Sabellium essent dii, quod unus unaque *ὑπόςασις* iuxta Arrium, quod Christus finxerit se humanam naturam adsumpsisse iuxta Manichaeum, quod duo dii essent, alter bonorum alter malorum auctor iuxta Marcionem. His, inquam, erroribus graviores hodie seruntur, cum Evangelium tanto labore ac periculo praedicat rusticus iste Zuinglius. Sed non videntur verba dum diligenter expenduntur de his prioribus capi, sed de eis in quorum locum Evangelici errores succedunt.

XX. *Βάλλ' ὅτως πάλιν*, si schisma intelligis hoc, quo quidam a Christo divisi ad homines et creaturas se converterunt; Matrem autem eam, quae est mater nostra coelestis Hierusalem Christi sponsa, non

habens rugam neque maculam; errantes oves quae a Christo vera luce abierunt, ac in tenebris humanarum traditionum errant. Si pervicacem factionem eam, qua contumaciter humana recipiuntur pro divinis et deseritur Christus ut defendatur quaestus; si haereticam tentationem, qua quidam sensum sacrarum literarum procaciter ad rem parandam torquent (nam is demum haereticus est qui literas sacras non ad Christi lucernam, sed suam probat); si, inquam, hoc pacto haec nomina intelligitis: ὕτως βάλλετε, ne singulari numero R. Dominus Constantiensis ad se verti putet orationem, cuius authoritatem ab omni parte illibatam esse volumus.

XXI. Secundum domini et Evangelii eius magisterium rogatis, (secundum dicitis pro per Evangelii magisterium). Quid significare velitis non capio, cum Christus interdicat apostolis Matth. 23: 10. ne se paterentur magistros vocari. Et apud Lucam 22. cap. iubet, qui maior sit, fiat ut iunior: et qui dux ut minister. Verum quid ista rursum persequimur, quasi in tota oratione sit aliqua mica salis? Quod autem contra diaboli fallacias vigilare nos hortamini, sedulo facturi sumus. Nos enim ignoramus eum, iuxtra Petri verba 1. Pet. 5: 8. circumire tanquam leonem rugientem, ac quaerere quem devoret; nec ignoramus quibus ei resistendum sit armis, nempe fidei robore ac firmitate, qua freti nec inferorum portas horreamus nec adflictiones eas, quibus in isto mundo cruciantur boni.

XXII. Quid audio? Egon tam damnosam aleam ludo? sacrilegas machinationes et veteres haereses instaurans? quis hic a conviciis temperet? adeo per multos versus insanitis, furitis, baechamini ut prae furoris impetu non constet vobis ipsis id quod dicitis. Videri vultis ad ecclesiae unitatem hortari, cum verba nihil aliud spirent quam seditionem, tumultum, bellum, perniciem et hostilia simul omnia. Quid hic fiet si conviciis referire perrexero eos, quos tam inhumanae insimulationis auctores scio? nonne id quod divus Paulus praedicit? Gal. 5: 15. Quod si vos mutuo mordetis ac exeditis, videte ne ab invicem consumamini. Nec est quod infitiari possitis, in genere ista quibusvis dici, cum non aliis tam minacem paraenesim miseritis, nec in toto Capitulo nostro, praeter unum et alterum, quisquam sit, qui non secundum vos sentiat, unde apertissimum est nostrum unius caput peti. Quod si maxime contenderitis, haec ad commonefaciendum nos esse scripta, quid opus fuit tam inciviliter exasperare rem ad me minime adtinentem? Dicitis, ut eo diligentius caverem. An me tam stupidum existimatis et excordem, ut nihil olfaciam? Sed mittamus ista! animos enim vestros adpello, an non totum hoc quocunque nomine adpelletis in me torquetur? Volo itaque non par pari reddere, sed tam brevibus fere quam vestra sunt hac pericope vestra vobis reddere, sed ad normam Evangelicae doctrinae directa prius ac restituta, quae etiam protestationis vice vobis esse poterunt. Ego veterem Christi Ecclesiae unitatem instaurare non desinam, nullis hominum insidias tendens, sed saepe paratas boni consulens; quod vobis testibus probavero, nulli me unquam factioni permissurus, nedum haereticorum. Nam aliam plantationem nunquam sevi, quam eam quam Christus auctore patre plantavit, quae non potest

eradicari. Anno enim abhinc quarto (ut rationem praedicationis nostrae Tiguri promulgatae habeatis) solidum Evangelium secundum Matthaeum praedicavi, quo tempore illorum nomina ne nominari quidem audieram quorum factionis me insimulatis. Adiunxi Evangelio protinus Apostolorum acta, ut Tigurina ecclesia videret quo pacto quibusve auctoribus Evangelium propagatum esset ac promulgatum. Successit mox prior Pauli ad Timotheum epistola, quod mire videretur conducere optimo gregi: in ea enim veluti canones quidam morum Christiano dignorum continentur. Hic quum de fide quidam scioli non recte sentirent, secundam epistolam ad Timoth. distuli, donec eam quae Gallograecis scripta est enarrassem; tum illam quoque adiunxi. Cumque iam dicti scioli [1] eo insaniae ac impietatis processissent, ut Pauli nomen tantum non infame redderent, iactantes haec pia scilicet, quae neminem offendunt: Quis tandem Paulus? nonne homo est? apostolus est, sed suburbanus tantum, non ex duodecim viris, cum Christo non est conversatus, articulum fidei non composuit; ego tam cuivis Thomae vel Scoto credo quam Paulo: enarravi etiam Petri utranque epistolam Apostolorum antesignani, ut liquido viderent an eodem imbuti spiritu eadem ambo locuti essent. His absolutis, epistolam ad Hebraeos orsus sum, ut Christi beneficium clarius agnoscerent ac gloriam. Hic discent Christum summum esse sacerdotem, ac iam ferme didicerunt. Nec est ut me quorundam scriptorum insimuletis: nam antequam ea ad manus nostras venerint, orsi eramus negotium, imo ante annum fere polliciti sumus id facturum. Discent item Christum una ac semel tantum oblata hostia in aeternum consummasse sanctificatos. Haec plantavimus, Matthaeus, Lucas, Paulus, Petrus rigaverunt, Deus autem incrementum dedit admirabile; quod ipse non ebuccinabo, ne videar meam non Christi gloriam ambire. Ite nunc et dicite hanc plantationem, ut ad compendium redeam, non esse caelestis patris. Ego, inquam, nullis captiosis fomentis, dolis vel hortamentis, sed simplicibus ac apud Helvetios natis verbis ad vulneris sui cognitionem quosvis traxi, id a Christo ipso doctus, qui praedicationem suam hinc orsus est. Ab episcopi sui concordia neminem unquam abduxi, modo esset Episcopus, non fur aut latro, quales Christus signavit Ioan. 10: 12. Disciplinam ecclesiasticam ex quibus fontibus hauserim, paulo ante commemoratum est. Gloriam nostrae professionis vehementer hortatus sum ut teneant, Hebr. 4: 14 habentes ἀρχιερέα magnum Iesum filium dei, inquiens, qui penetravit coelos, tenete confessionem hanc; nec gloriam a se mutuo quaerant, id quod Iudaeos avocasset quo minus Christo crederent. Ioan. 5: 44. Quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo deo est non quaeritis? Signate haec, attentius obsecro. Ego ab omni prorsus spe ullius creaturae quam maxime possum avoco ad unum verumque deum et Iesum filium eius unicum dominum nostrum, in quem qui fidit non morietur in aeternum. Induco nervis omnibus, ut veniam petant ab eo qui peti etiam cupit ultro, quanquam peccemus, inquiens

[1]) Verosimiliter monachi Tigurini, qui suis in orationibus sacris Scholasticos crebrius citabant.

Matth. 11: 28. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego *ἀναπαύσω* vos. Hoc ei tam firmiter credo, ut si ita casus exigat, me non ullo putem vel Episcopo vel sacerdote opus habere, qui pro me satisfaciat: nam id olim Christus fecit, qui corpus suum pro nobis tradidit hostiam, et sanguine suo, felicissimo lavacro, abluit. Totum presbyterorum ordinem ita veneror, ut angelorum dei; ventrium tametsi abominer, fero tamen sinoque corchoros inter olera crescere. Sine intermissione orare praecipio, sed spiritu et mente; et ut iuxta Christi vaticinium adorent patrem in spiritu et veritate, imo ad odium usque pulsare iubeo, quod apud Lucam viduae parabola docet.

XXIII. Qui cum Christo non colligit dispergit, et qui cum eodem non est contra eum est. Quomodo nunc potest contra Evangelicam niti doctrinam Evangelium ipsum? Putatis dei conditionem inferiorem esse satanae? qui si divisus esset, non stare posset regnum eius, et dei constare posse putatis si sibi adversus sit? diversus autem et contrarius sibi esset, si Evangelium suum contra Evangelicam doctrinam esset. Possem equidem hic rem acu tangere, nempe pro qua Evangelica doctrina tam fortiter pugnetis; malo tamen illic esse modestior, ubi vobis nescio an ulla modestia adfuerit.

XXIV. An non longam satisfactionem doceo et magnam, cum perpetuo clamo: *μετανοεῖτε*, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus; et: Date eleemosynam, et omnia erunt vobis munda? Veto interea (non ego) ne his qui tantum auri possident, ut eo mulas etiam onerent, quo tamen nec mula melior sit nec sessor, quicquam dent. Sic enim fieret, ut et porci aliquando cogerentur aurum in naribus gestare, et pauperes fame perirent, quos tamen Christus apud suos, ceu fidelissimos patronos, versaturos dixit.

XXV. Ego, quae fortia dicatis consilia, non capio, hoc tamen scio quod Christus suos cum monstris huius mundi congressuros ad fortitudinem vehementer adhortatur Ioan. 14: 1. Ne turbetur cor vestrum, neque formidet. Eodem loco pacem captiosam adpellatis, quam nobis cum deo coire opto, sive captiosa sit sive simplex. Quae mox sequuntur, eiusdem farinae sunt cum his, quae 23. et 24. pericopis quiritati estis, ubi pollicitus sum me dissimulaturum, quodnam Evangelium si liceret libenter defenderetis.

XXVI. Spiritum dei me habere nunquam iactavi; sed interim indubie spero ipsum nunquam in suo opere defuturum, quem tam saepe negotium suum, quod per nos gessit, prosperasse expertus etiam sum. Velim itaque verorum nos insimulassetis, non eorum quae nescio quis adfectus dictat. Quanquam non ignoro sanctam quoque fore iactantiam quandam, a qua nec Christus abhorruit nec Paulus. Ille enim sic ait: Ego sum pastor bonus, et omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones, sed non audierunt eos oves. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant. Ego sum lux mundi. Ego et pater unum sumus, et sexcenta alia. Iste: Existimo enim me nihil minus fecisse a magnis Apostolis. Et si voluero gloriari non ero insipiens. Et nihil minus feci ab his qui sunt *ὑπὲρ λίαν* Apostoli. Et plus omnibus laboravi. Fieri hinc potuit,

ut non nihil nobis tribuerimus in sacris literis, et si id unquam factum est, parcius tamen factum scio. Verum cum omnia diligenter memoria volvo, recordor aliquando vitio versum esse, quod dixeram deum per me loqui cum eius verbum promulgarem. At id feci ne mihi quicquam tribueret vulgus, nec mihi acceptum ferret quod Christi esset; id quod diserte etiam admonui, ne quisquam hac parte erraret.

XXVII. Adulterinas doctrinas esse arbitror quae, ab hominibus adfectibus suis deditis confictae, pro divinis venduntur, quas ego angue peius odi; quin id dissidioli, quod nunc mihi vobiscum est, non aliunde natum est, quam quod scoriam ab auro excolare diligentius studui: vera dico, sed parcite quaeso.

XXVIII. Pseudoprophetas hic primum operae pretium erit iuxta Christi mentem finire, quo magis perspicuum fiat ad quosnam haec Hieremiae verba proprie pertineant. Matth. 24: 24. et Marci 13: 22. sic ait: Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Sed his verbis non omnem proprietatem expressit, ideo quae proxime praecesserunt huc etiam adferenda. Tunc, inquit, si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Iam de pseudochristis hic nobis non est sermo, sed de pseudoprophetis; hos dicit Christus errorem suum editis etiam signis firmaturos, quae res electos quoque sollicitatura sit. Iidem dicturi sint (nam haec dictio *enim* quae post sequitur [surgent enim] indicat utrunque ad pseudoprophetas adtinere): Ecce hic est Christus, aut ecce illic. Ego signa nulla edo, nec editis facile credo, etiam si caecorum quorundam iudicium praecesserit. Christum non hic aut illic esse censeo, sed ubicunque duo vel tres fuerint in eius nomine congregati, illic eum scio esse in medio eorum, Matth. 18: 20. Summa: falsi prophetae sunt, qui signis et prodigiis, ne dicam praestigiis electos etiam fascinant, Christum ostendunt ubi lubet. Satis vobis dictum est scio, non habetis opus, ut ad vivum omnia resecem: ad verba enim Prophetae festinandum est, qui sic dei loco minatur pseudoprophetis: Ecce ego cibabo eos absinthio, et potabo eos felle. Hoc nimis verum est: nam non modo absinthium et fel spirant, sed venenum et mortes quidam eorum. Sequitur: a prophetis enim Hierusalem egressa est pollutio super omnem terram. Hierosolymis hodie nulli sunt Prophetae, a quibus pollui possimus, sed unde mundus polluitur, illic nimirum adparet esse Hierosolyma. A quibuscunque igitur animarum parricidia, dei contemptus ac hominum, prodeunt, hos sciatis esse pseudoprophetas. Sequitur: haec dicit dominus exercituum: Nolite audire verbum prophetarum, qui prophetant vobis, et diripiunt vos. Visionem cordis sui loquuntur, non de ore domini. Ergo qui de ore domini loquuntur, non sunt pseudoprophetae. Rursus, qui visionem, hoc est mentem, sententiam, cogitationemque cordis sui loquuntur, sunt pseudoprophetae. Nunc videte quanta pars ex his qui a vobis stant (cum omnes etiam adfirmare ausint, tam his credendum ac fidendum quae ab hypocritis quibusdam conficta sunt, quam his quae sunt Evangelicis et apostolicis literis prodita) mansura sit, nec in numerum pseudoprophetarum abitura. Quotus enim quisque ex his est qui non somnia quaedam prae

Evangelio recipi etiam praecipiat? tum si quid in controversiam venerit, non hominum opinionibus discutiat, nulla sacrarum literarum habita consultatione? Videte nunc manticam a tergo pendentem, et adparebit quam iuste insimulaveritis eos, qui solis divinitus inspiratis literis freti docent, pseudoprophetarum nomine, quamve utiliter consultum erit Christianis hominibus, si hypocritas et somniorum praedicatores defendendo viceritis. Verum quid multa? quotiescunque sacras literas in manus sumitis, cedit hoc infeliciter: nam ferme semper vobiscum pugnant, quod proxime sequentia clarius etiam indicabunt.

XXIX. Petri enim verba, quae ex 2. Pet. 2: 1 sqq. adduxistis, ad hos potissimum pertinent, qui superbia vanitatis loquuntur: Ego sum Christus, ego potestatem ligandi habeo et solvendi, ego potestatem habeo solvere te et occidere; interea tamen in desideriis carnis ac lasciviis tam impure vivunt, ut eos qui vere aufugerant inescent, et his qui in errore versantur libertatem pollicentur, cum sint ab ipsa corruptione in servitutem adacti: hoc est, tam abest, ut hi qui dei partes sibi vendicant alios liberare possint, ut magis etiam corrumpant et seducant, cum sint undique corrupti. Scio tamen quid hic dicturi sitis, at eius quem obiicietis non tam premet auctoritas quam tota ὑπόθεσις huius capitis defendat, quam breviter perstringam quo magis clarum fiat id quod dicimus. Petrus isto secundo cap. cautos reddit eos ad quos scribit, nimirum omnes Christianos, dum praedicit inter nos quoque futuros esse magistros mendaces, haud aliter atque olim irrepserint Pseudoprophetae, qui populum sint post se abducturi, quo impensius libidinari queant, tametsi imprudenter nimis istud facturi sint. Id quod multis exemplis probat, quod semper dei maiestas contempta graviter adflixerit contemptores, maxime omnium tamen eos, qui sibi frena ad omnem carnis lasciviam et immunditiam laxant, et κυριότητος καταφρονῆσι, hoc est summam istam dominationem contemnunt, dei nimirum, qui tam audaces et praefracti futuri sint, ut non vereantur glorias blasphemare, hoc est posthabita eius gloria, et in quo solum gloriari licet, imo contempta, sibi vendicaturi sint, quod solius dei est: qua quae maior contumelia in deum fieri potest? Glorias autem plurali numero pro dei gloria Petro translatitium est accipere. Sic enim 1. Pet. 1: 11. legimus, Praenuntians eas quae in Christo sunt passiones et posteriores glorias. Nam qui fieret ut Petrus sui oblitus, quae priore epistola presbyterorum supercilia decusserit, nunc per glorias eos intelligi voluerit? Sed et sequentia idem docent, imo ut diximus tota capituli huius materia: nam nihil aliud agit Petrus, quam ne quis divina sibi vendicet, nec humana pro divinis venditet. Id autem quantum pro vobis faciat, ipsi videritis.

XXX. Parvi refert etiam si Evangelii studiosi famem eius aliquantam patiantur, modo saturari cupiant: nam mulier illa Samaritana, quae apud fontem cum Christo collocuta erat, civibus suis non nihil contulit, dum repente in admirationem eius ducta cupivit et suos eius rei participes facere, et in eum usum ex urbe excivit, ut ipsi Christum ipsum audirent, qui viri essent ac sapientia praestarent; at ista simplex erat et famelica, sed quae dum cibum nacta esset fortasse superiorem se, aliis tamen non invidit. Quantum autem vos Evangelici cibi in promptuariis vestris

habeatis, non constat; videri tamen vultis tam saturi, ut aliis etiam eructare possitis, imo quantum video nullis adhuc permisistis aliquid nosse in Evangelica doctrina; sed indefinite de omnibus loqui videmini, quod si negabitis (id quod merito facturi estis): ergo negari non potest meum solius caput peti.

XXXI. Veterum traditiones quanto magis sunt Evangelio conformes, tanto magis suspici merito debent. Quas vero dicitis antiquorum traditiones? nonne eas, quas quorundam cupiditas recens invenit? At negabitis hoc. Ecquid igitur non diserte nominibus donatis eas traditiones quas servari tam anxie petitis? ut ego tam inops cibi coelestis, et mei similes liquido videamus, quae tenendae sint quae mittendae. Amabo dicite omnes, sive olim sive recens traditae sint, ut medico patefiat ulcus! Nam hac parte videtur maxime inflammatum esse ac pungere, ubi rei nostrae decedit.

XXXII. Amen, modo Ecclesiam Christi intelligatis, ac Episcopos eos qui vere sunt Episcopi non fures et latrones Ioan. 10: 8. sed iuxta Pauli ad Timoth. et Titum regulam inaugurati.

XXXIII. Hic benignissimum Praesulem ludibrio exponeretis, dum eum veluti confidentia praeditum loquentem facitis, quod paratus etiam sit ad reddendam rationem, quod nescio an cuiquam contigerit praeter eum, qui dixit: Pater quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam: nisi iam omnibus constaret vestra suggestione fieri quicquid hic fit. Quanquam vellem, quandoquidem tantum temporis ad fingendum insumpsistis, paulo circunspectius omnia egissetis, et non tam ridicule nunc converteremini ad minas, nunc ad preces, nunc praetexeretis Evangelium humanis traditionibus, nunc omisso Evangelio commendaretis tantum humanas traditiones: ne vulgo rideri possitis, quemadmodum hodie passim ridetur quidam Episcopus qui intra fines R. Domini Constantiensis *ἐπισκοπεῖ*. Is enim quum docto cuidam ac vere pio Evangelistae crebro sed nequicquam obstreperet, huc tandem insaniae pervenit, ut pro publica concione dicere auderet profusis etiam crocodili in morem lachrymis: Tantum inter verum Episcopum cui oves commendatae sunt interest, et eum cui oves commendatae non sunt, ut is libere possit oves seducere etiam, nec cogatur rationem seductionis reddere, quia non est pastor; cum e diverso ego qui Episcopus sum legitime institutus, ita de omnium vestrum, o oves, peccatis rationem reddere cogar, ut etiamsi peccatis, ipsi rationem non sitis reddituri, sed ego. Eamque sententiam Ezechielis verbis 3: 18. confirmavit; quanquam ea limus aspexerit: nam hanc partem omisit: Ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Qui error ut vulgo auditus est, rideri coeptum ac dici: Euge bone pastor, qui nos hodie securos reddidisti. Verum haec et consimilia non sunt scandalosa nec erronea, non redolent haeresim, non impietatem. Ratio: quia servus iste qui Christum ante conspectum Annae in faciem caedebat, nihil committebat, quia peccare non poterat, qui cum Pontifice sentiret.

XXXIV. Quod ex Deuteronomii 17. cap. adducitis, quid hic faciet? cum illic de iudiciis agatur, et vestra etiam sententia lex vetus abrogata sit, quatenus ceremonialis est et iudicialis. Quid vobis cum sacris literis,

quas tam inepte, ne dicam imperite, in manus sumitis? quanto satius erat haec Achillis arma non contingere, quae vos rudes potius trahunt ad ruinam, quàm ad pugnandum iuvent, ac intra septa contineri? Quod si maxime contenditis, ad nos pertinere: dicam, quomodo non audimus Episcopos? cum nihil facilius factu sit, illis nihil dicentibus.

xxxv. Deo gratia, quod tandem hoc quoque permittitis miseris mortalibus ut Evangelion eis praedicetur. Ego id inter prima agi oportere putabam, ut scilicet in hunc modum orsi essetis: Quoniam quidem igitur Evangelium Christi per sanctam matrem Ecclesiam adprobatum, longo iam tempore per praedecessores nostros, in sacrosanctis Canonibus et Statutis synodalibus praedicari praeceptum est, volumus et districte praecipiendo mandamus, quatenus quivis Pastor sive plebanus habeat unam Postillam Guillerini Parisiensis, [1] ex qua per omnem dominicam populo nobis subdito Evangelium exponat iuxta textum alta voce ut possit audiri. In hunc enim ferme modum, si recte meminimus, olim cum nondum sacro unguine delibuti essemus, cuiusdam Episcopi Statuta Synodalia scripta vidimus. At vos haec ad postrema reiecistis, rhetores quosdam imitati, qui potissima iubent ad summam orationem reponi quo tenacius haereant. Verum si hoc excidisset, nunquid non licuisset Evangelium praedicare? Videte quo loco res, verba et consilia vestra sint, quam commode possem hic unguem in ulcus vestrum infligere; nolo tamen ne putoris aliqua pars ad R. D. Constantiensem perveniat.

xxxvi. Absque unitate ecclesiastica Evangelium esse non posse, non possum quo pacto percipi putetis oportere, capere. Nam dum Arrii dogma totum ferme Christianorum orbem infecisset, ita ut qui ab eius partibus starent non modo ὀρθόδοξοι dicerentur, sed tanta vi pollerent ut optimos quosque ac recte de Christo sentientes proscriberent: Evangelium erat, ut arbitror (nam utraque pars eo nitebatur) et tamen summum erat dissidium; ergo Evangelium esse potest cum dissidio Ecclesiae. Hic scio quo libenter confugeretis, sed illic caperemini: huc nempe, quod non recte sentientibus non esset Evangelium. Ergo Anastasio et Liberio Romanis Pontificibus non fuit Evangelium, quia Arrio assentiebantur. Quorum igitur erat? Ecclesiae. Ergo potest esse Ecclesia, quae recte sentiat, cuius sit Evangelion, etiam si non habeat Romanum Pontificem; quo quid absurdius dici potest iuxta doctrinas et praecepta hominum? Verum ne curramus extra oleas, videmini quantum nos divinare possumus, ad id Augustini respexisse, ad quod omnes ceu sub Telamonii scutum confugiunt, qui traditiones humanas supra Evangelium evehunt: Evangelio non crederem, nisi Ecclesia adprobasset Evangelium. Hic acquitatem vestram imploro, ut libere dicatis, an non hoc Augustini dictum videatur aequo esse audacius, aut imprudentius excidisse? Fingite enim Augustinum nunquam natum esse: adhuc tamen erat Evangelium bonum gratiae dei nuncium, adhuc erat commercium, quod deus gratia sua cum deplorato hominum genere inierat, idemque

---

1) *Guilhelmus*, *Episcopus Parisiensis* circa 1230, qui multa scripta reliquit vulgo trita.

futurum erat, si posteaquam natus est, nunquam credidisset. Num qui ante Augustinum fuerunt, idem senserunt? Minime: nam nullis id literis proditum est. Porro quod nondum de Ecclesiae adprobatione satis perspicue dictum est, audite: Matthaeum tradunt rerum scriptores anno tandem nono a Christi ad coelos ascensu primum Evangelion literis mandasse, quod usus id postulasset, cum hactenus solo spiritu suggerente omnia, et memoriam refricante, praedicassent. Dicite quaeso, quaenam tum Ecclesia cuiusnam Evangelium adprobavit? num hoc quod quisque memoria tenebat? Rustici! labi igitur potuit Evangelium et errare, ut sunt humana; aut hoc quod spiritus a patre et Christo missus suggerebat? At hoc esset impium, si quod deus ipse gerit, opus habere diceremus humana authoritate. Relinquitur ergo vel Augustinum fortius quam consultius id dicti pronunciasse, aut nunquam crediturum fuisse, si antequam scriptum esset Evangelium, ipsum praedicari audivisset: nam nullus hominum tum adprobarat nedum totum aliquod concilium. Quod vero hic obiicere molimini: ex praefatione Lucae adparere, quod quaedam sit adprobatio facta ab Ecclesia: nam eum tradere multos Evangelium scribere tentasse. Id quod ipse facile admitto, cum alioqui dicturus fuisset: Tentarunt Matthaeus et Marcus ante nos *Εὐαγγέλιον* scribere; verum istorum multorum, quandoquidem Evangelia nulla extant, adparet abiecta esse, ut quae non summa essent scripta fide. Ergo quatuor Evangelia ab Ecclesia sunt adprobata. Dicimus ad ista omnia, nos vehementer admirari, quod dum *adprobare* manifestum sit hoc loci capi oportere pro *recipere*, adhuc tamen quidam adeo caeci sint, ut putent Evangelium nihil futurum fuisse, nisi authoritatem a patribus nactum esset; quum patres nihil aliud egerint, quam quod *ἀπόκρυφα* et *νόθα*, id est incerto authore, vel etiam spurio, prodita resecuerunt a nativis et germanis. Cui quiddam non admodum dissimile etiamnunc fieri videmus. Quum Hercules quidam stercora, a quibusdam male feriatis in Evangelii domicilium illata, expurgare nituntur, non adprobare dicuntur Evangelium, sed adserere ac cum fideli Abraham ex hostium captivitate reducere, et puteos a Philistinis obrutos refodere. Qui enim fieret ut divina ab humanis authoritatem caperent? aut quomodo non esset summa impietas, ratum non esse putare, quod ex ore (ut Proverbio dici etiam consuevit) natum esset non hominis sed dei, nisi adnuisset humana inscitia? haud aliter quam apud gentilium poëtas videre est: omnes omnium deorum promissiones irritas faciunt ad quas Iupiter non adnuit formidoloso isto supercilio suo. Cum Christus ipse dicat Ioan. 5: 34. Ego autem non ab homine testimonium accipio. Et paulo post: Ego enim habeo testimonium maius Ioanne. Et iterum: Claritatem ab hominibus non accipio. Accedit ad haec quod Canones vestri tradunt 1. q. Marcion. non in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in radice rationis. Fingite iterum *θεοδίδακτον* aliquem, qualis fuit Paulus, qui Evangelium non didicit ab homine, in corde divinitus illustrari, consolationemque accipere, quod Evangelium esse negare nemo potest: nunquid haesitabit Evangelium esse donec patres adprobarint? Sic tandem Evangelium esse discite, ubi gratia sua deus hominem gratuito dignatur illustrare, ad se trahere,

apud se consolari ac quietum reddere liberatum ab omni labe peccati; quod dum miser sentit, nimirum quantum gestiat ac exultet ab inaudito, inspiratoque nuncio, adstipulante ad hunc sensum Pauli suffragio, Rom. 1: 16. Evangelium Christi vis dei est ad salutem omni credenti. Ite nunc et dicite Evangelium authoritatem ab hominum concione mutuo accipere, quod si dixeritis, nescio quo nam pacto sitis impietatis notam declinaturi. Videte interim quoque, quantum negotii sit tam dudum receptas opiniones ex hominum pectoribus eliminare, etiam cum falsae sunt aut erroneae. Videte etiam, quam sit inurbanum verba uteunque in buccam inciderint consarcinare, quo modo ista sunt haud undequaque docte sarta, modo a grege et unitate Ecclesiastica, sine qua Evangelium esse non potest, neminem separet.

XXXVII. Unum esse Christum, unam rursus Ecclesiam supra petram domini voce fundatam, quis negat? Quanquam sint qui de petra inter se dissideant, dum alii piscatorem id faciant, alii piscium creaturarumque omnium authorem; utri vero sanius rectiusque rem expendant, facile iudicabit Davus aliquis nedum Oedipus, tum quod verba Christi huc inclinare videntur, ut se petram eam dicat esse supra quam aedificaturus sit Ecclesiam. Nam quum Petrum appellasset hoc nomine a petra: Tu es Petrus, si voluisset Petrum esse fundamentum Ecclesiae: non iterum recurrisset ad primitivum nomen ut diceret: Et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, sed in Petri nomine constitisset, in hunc modum: Tu es Petrus, super quem aedificabo ecclesiam meam. Nunc autem quum ad *πρωτότυπον* recurrit, adparet sese intellexisse, supra quem sit aedificaturus Ecclesiam, ac si diceret: Ego o Simon, ob hanc solidam divinitatis meae confessionem nomen tibi indam huic confessioni quadrans, ut a me qui petra sum (petra enim Christus erat, 1. Corinth. 10: 4.) iam Petrus adpelleris: nec id nomen tibi durum videatur velim et incivile! haec petra a qua nomen accipis fundamentum est Ecclesiae. Tum quod veterum in hoc sensu unanimis est concordia. Cathedram autem quam hic additis, nescio in sacris literis huic negotio uspiam esse adiunctam, quamvis non ignorem cathedrarum mentionem in Evangelio haberi semel atque iterum, dum cathedras vendentium columbas Christus evertit, Matth. 21: 12. et dum scribis et pharisaeis obprobrat, quam nequiter cathedram Moseos occupent, Matth. 23: 2. sed haec ad vestrum propositum nimis inauspicata sunt. Quod si cathedram eam intelligitis ante quam omnes stabimus rationem reddituri, facile permitto, ut sicut unus est deus, ita thronum esse unum, ubi Christus est in dextera dei sedens, Col. 3: 1. ad quem nos idem Apostolus hortatur ut cum fiducia festinemus, ad Hebr. 4: 16. inquiens: Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiae eius, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Porro si de hominum sedibus capi vultis, nihil ferme videtur a vero alienius: nam tot sunt sedes et cathedrae quot accubitus et iudicia vel fora. Altare unum esse et unum sacerdotium, etiam si negare vellem, convinceret Paulus Hebr. 13: 10. Habemus altare de quo fas non edere habent qui tabernaculo deserviunt, et 1. Cor. 9: 13. ubi semper unius tantum altaris meminit. De sacerdotio convinceret idem ad Heb. 7: 11. ubi aperte

probat quod sacerdotium vetus translatum sit in Christum, quem superius cap. 4. ἀρχιερέα magnum adpellavit hoc est summum sacerdotem (nam Pontificis nomen idololatrae quoque usurparunt, unde nobis magis arrideret si Graecum nomen eius loco receptum esset), imo multis argumentis constituit eum perpetuo futurum ἀρχιερέα iuxta ordinem Melchisedec.

xxxviii. Crede mihi ipse Orpheus non mage vera canet, quam quod dissipat, dispergit, vastat quicunque ad Christum non colligit, Matth. 12: 30.

xxxix. Quod hoc loco iterum incaute nimis effutivistis hactenus solum permittam, ut videatis quot absurda sint contra ius Canonicum sequutura, cuius vos arbitror esse propugnatores, si ratum erit quod his verbis promulgastis. Adulterum est, impium et sacrilegum, quodcunque humano favore instituitur ut ecclesiae dispositio violetur. Ergo impii sunt, adulteri et sacrilegi qui Rom. Pontificem summum sacerdotem, principem sacerdotum, aut universalem Episcopum esse contendunt, quia ecclesia id tentari vetuit in Concilio Aphricano di. 99. primae sedis. Adulterum, impium et sacrilegum est, quod suburbani Episcopi, quos Suffraganeos adpellamus, quidam autem fictitios Episcopos, ecclesiis sibi commissis panem verbi coelestis non dispensant, quia id praecipuum est imo unicum Episcopi munus, quod qui neglexerit canis impudicus dicitur. 2. q. 7. Qui nec. Taceo Christi institutum, qui dum suos in messem emitteret, non aliud mandavit, quam ut Evangelium praedicarent omni creaturae, Marc. ult. Taceo Paulum qui se dicit non missum esse ut aqua tingeret, sed Evangelium promulgaret. Adulterum erit, impium et sacrilegum, quod sacerdotes bella gerunt, quia non debent se immiscere negotiis secularibus, ut toto Titulo tertii libri Decretal. cautum est: cum tamen videas nostra tempestate multos Episcopos etiam, non minus apud pocula madere quam Leontinos, non minus indulgere voluptatibus quam Crotoniatas, mensis vero vel trapezis vincere etiam Iudaeos. Adulter erit, impius et sacrilegus, quicunque Episcopus divitem aut ambitiosam supellectilem habuerit, qualem eos nostra tempestate videmus habere, qua Reges etiam vincunt, quia in concilio Carthaginensi id vetitum est di. 41. Episcopus. Adulterinum est, impium et sacrilegum, si Episcopus iudicem agat rerum secularium, quia diversum facit quam habeat ecclesiae dispositio, 11. q. 1. Te quidem: cum tamen etiamnunc foenus suum danistae non per alios iudices auspicatius exigant quam per Episcopos. Adulterinum est, impium et sacrilegum, quod fictitii Episcopi pro benedictionibus vestium, ararum, templorum, pene modios pecuniarum exigant, quia in iure Canonico multifariam id negatum est. Quicunque sacerdotibus connubia negant Episcopi, adulteri sunt per vestram istam Maximam, impii et sacrilegi, quia ecclesia olim disposuit ut Episcopus esset unius uxoris maritus, iuxta Pauli ad Tim. et Titum traditionem, dist. 26. per totum, et Gangrense concilium vetat uxorem contemnere praetextu religionis, 28. dist. c. Si quis. et: Si quis discernit. Quicunque supra duos solidos, quos cathedraticos adpellant, exigit Episcopus, hac finitione vestra impius est, adulter et sacrilegus, quia 10. q. 3. placuit et ibi: Illud te. Cautum est ne supra quam

dictum est a Parochianis exigatur. Deseret me tempus si cuncta velim absurda colligere, quae ex hoc robusto axiomate vestro nascerentur, si non infirmaretur. Hoc tamen interim obsecro consideretis, nempe quam fallacia sint et imbecilla, quae ab homine quantumvis sapiente excogitantur non ad normam divinae voluntatis aut scripturae: id quod vobis, ut pace vestra dicam, frequenter imposuit, tum hic, tum alibi huius paraeneseos. Nam cum paulo ante Christi verbum Matth. 12: 30. attulissetis: Qui non congregat mecum, spargit, erecto animo expectabam, an essetis huc conatum, quorsum certe oportebat, admoliturі, ut me adhortaremini, quo vehementius ac fortius omnia ad Christum traherem. Verum longe aliter evenit: nam ut arbitror in hunc tantum usum adduxistis, ut hoc ἀξίωμα vestrum firmaretis, quod quam probe feceritis, liquere satis puto ex praecedentibus. Imo per deos oro, quid tandem existimetis esse blasphemiam, si hoc non videtur vobis esse blasphemia, ubi creaturae damus quod dei est? Cum sic argumentamur, aut potius nugamur: Christus dixit: qui non colligit mecum dissipat; nunc ut cupiditates nostras non tam expleamus quam prodamus, subnectimus: Adulterum est, impium et sacrilegum, quodcunque humano favore instituitur ut ecclesiae dispositio violetur? Cui non pateat iam ulcus vestrum? cum enim in superioribus ad vestras traditiones vel Evangelium, vel Evangelicam doctrinam, vel Christum, vel Dominum, vel Evangelii magisterium semper coniugaveritis, hic tandem coëgerit dolor nihil tale praetexere: quis non videt unde nati sint hi gemitus et suspiria?

XL. Non deiicere et impugnare dictat ratio etc pro deiiciendas et impugnandas esse dixistis, schemate dicendi Graecanico, quocum vobis tantum est commercii, quantum graculo cum fidibus. Ad rem redeo. Maiorum traditiones, ut paulo ante diximus, quanto magis Evangelicam et Apostolicam doctrinam redolent, tanto magis suspicimus omnes; quanto longius ab hac recedunt, tanto magis fastidimus. Quod autem ad me attinet, diversum prorsus atque vos insimulatis egimus agemusque inconcusse: nam ut exempli causa loquar, cum oves nobis creditae excommunicationis institutionem Matth. 18: 17. audirent a Christo factam esse: si peccaverit in te frater tuus etc. coeperunt mox ratiocinari mecum: ergo si quis non peccat excommunicari non potest. Legem enim intelligere aliter non licet quam iuxta mentem legislatoris. Ac nisi precibus vehementer obluctatus essem, ut nihil temere moverent, iam tum abiecissent excommunicationis lora. De ea autem excommunicatione loquor, qua pro credito vel locato, vel quocunque modo contracto aere alieno excommunicamur. Hoc vobis exemplo patere potest quam aequus aut iniquus sim vel pacis conciliator vel discordiae seminator, cum solis piis precibus in ordinem cogam, cui per legem divinam nihil se debere sciant, eos qui sine conscientiae discrimine resilire possent, tum quod firmiter divinis fidunt, tum quod libertate patriae freti non quemvis ventum timent. Quin sexcenties id verbi palam diximus: Obtestor vos per Christum Iesum, per communem fidem, ut nihil temere immutetis, sed sola patientia, si non alia re, probetis omnibus vos esse Christianos, dum propter infirmos ea feratis quae ex lege Christi ferre non est opus.

XLI. Hic tuo indicio peris, o sorex,[1] cum eo numero mutato, qui solus Reverendissimum dominum decet, quoque solo uti consuevit, ad te unum descendis cum dicis: Neque enim hic audiendos esse consentio, nunquam id facturus, nisi placuisset hac nota ostendere huius te festinae orationis esse opificem, haud secus atque ille quem tradunt Palladis clypeum fabricatum esse, qui imaginem suam adeo artificiose ad summum clypei inservit, ut ea soluta vel ablata clypeus ipse dilaberetur. Sed ut te tibi clarius repraesentem, quo minus te latere putes: is es qui aliquando mecum privatim multa contulisti; altera tamen vice huc insaniae veniebas, ut diceres orationem exercitium esse corporale. Nam verborum adhuc mimini; cumque te omnes riderent qui aderant, dii boni, quibus ambagibus id adserere conabaris? ut frontem complicabas? quo risum irato vultu discuteres. Quanquam te hac parte beatum existimem quod tantus es (tua saltem opinione) ut te iratum revereantur boni etiam viri, verum sua magis urbanitate ducti quam tuo supercilio. Tibi igitur, quicunque tandem es, edico ut a calumniis quibus te hactenus amoenasti temperes, nec renascenti Christianismo tam insulse ac pervicaciter obstrepas, aut sero τὴν λεοντῆν incivilius detractam flebis. Satis sit iam tertio ignotum esse! nemo te in tuo atrore sepiarum ritu latentem diutius ferre poterit; capient aliquando boni iuxta doctique penicillos ac te tuis coloribus distinguent. Verum res hactenus bene habebit, si resipueris, aut saltem calumniari ac pientissimum praesulem irritare destiteris. Quamobrem te hortor ad te redeas: nam conatibus tuis tam abest ut cessurus sim, ut optem, si unquam pugnandum sit, non alius hostis contingat quam tu, cuius e diverso et amicitiam haud parvi fecero, si pectus te dignum resumpseris. Nunc ad rem redeo.

XLII. Quis tam hebes est, ut idem sentiat de Apostolis quod de pseudapostolis? a quibusnam hoc auditum est, qui hac tempestate Christi doctrinam mundius ac sincerius tractant? a nullis profecto aliis, quam ab his qui suam abominationem in locum dei statuerunt. Hi iam audent pia scilicet ista effutire: Qui tandem fuerunt Evangelistae? qui Apostoli? nonne homines? labi ergo potuerunt, errare, decipi. Idem est dei spiritus, tam ultima tempestate potest Thomam aliquem inspirare, quam in ipso exordio Saulos ac Simones. Quasi Evangelistae suas opiniones, istorum more, nobis tradiderint, et non totum quod agunt in unum Christum referant, ac de solo scribant, quid egerit quid docuerit? quasi Apostoli paribus sarcinis populum dei oneraverint, atque pseudapostoli? Praedicabant Apostoli Christi doctrinam purissime: nam conscientias delictorum terrore deiectas erigebant ad bonam spem verbo Christi quod fallere nequit. Praedicant hodie quidam humana deliramenta procacissime, ac mentes vere liberas terrent, docentes esse peccatum ubi nullum est, animarum crudelissimi parricidae. Praedicabant Apostoli dei filium mera liberalitate non tam ignovisse omnium delictis quam pro omnibus sese hostiam expiatricem dependisse. Praedicant hodie pseudapostoli nullum tam leve commissum esse quod non humana satisfactione elui oporteat. Non permittebat Petrus ut se supra hominem

[1]) Sine dubio *Faber*, vicarius generalis.

aliquid esse putaret Cornelius, dicens: Surge! et ego ipse homo sum. Exigunt pseudapostoli divinos tantum non honores, ac instar Domitiani dominus deus dici patiuntur. Non docebant Apostoli aliud quam gratiam dei agnoscere, et quod per Christum eius plenitudo advecta esset. Non cessant pseudapostoli onera gravia et importabilia humeris mortalium obtrudere, quibus cogant admissa sua, haud aliter atque mercem aliquam, redimere pecunia, ac si illa desit, veste, cibo, potu aut lare ipso; non parcitur orphanis, non viduis; pecuniam omnino habere oportet, qua sine deum negant propitiari posse. Ite nunc et Apostolorum doctrinam ita in suspicionem venire posse adserite, ut Pseudapostolorum: quasi quisquam tam stupidus sit, ut non liquido videat, quidnam sit a divina benignitate per Apostolos in nos liberaliter transfusum, quid contra ab humana cupiditate per hypocrisim profectum.

XLIII. Generalia concilia nescio an ea intelligi velitis quatuor, quae quidam tradunt Evangelii loco haberi debere, an omnia. Si illa, nolim equidem illis quicquam detractum esse: quanquam quod aequam illis fidem haberi volunt atque Evangelio, nescio quam pium sit. Viderint hi qui hoc pronunciant. Si omnia: rogabo vos, num omnibus fidem servari debere sentiatis inviolataque custodiri? Quod si dixeritis: obsecro ut hanc controversiam explicetis, utrisnam accedendum sit, iisne qui, ut habetur di. 25. 26. et 28. ac 29. statuerunt ut Episcopus sit unius uxoris maritus, an iis qui nuptias daemoniorum instinctu vetant. Nonne hic ad scripturam recurrere oportebit? Omni enim spiritui credere vetat Ioannes, sed explorare nos docet spiritus an ex deo sint. Ad quem vero lapidem probabimus quam eum qui factus est in caput anguli? qui ab hominibus reprobatus est, a deo autem electus? Sed is negat castitatem capi a quoquam posse, ni desuper ei datum sit. Ergo scriptura erit super concilia: nam concilia ubi inter se dissentiunt, nulla alia ratione quam sacrosancta scriptura iudicari possunt, utra scilicet iuxta eius normam propius incesserint; id quod semper factum est apud veteres. Ac ea quae cum scriptura Canonica consentiunt (ea enim sola mendacio vacat, ut vestra decreta habent di. 9. c. Ego) recipienda nimirum erunt, iis quae dissentiunt reiectis. Rogo inquam nunc utri concilio parendum sit, eine quod nuptias permittit episcopis, an ei quod negat? Dicetis nimirum: ei quod negat. At e diverso obiicio Gangrensem synodum, quae anathema esse pronunciat, si quis nuptias Episcopo non licere sentiat: ac si ad Evangelii lapidem exploraveris, respondet Evangelium, consentit Paulus. Hoc igitur si humanae constitutionis violentia tollitur, nonne divina coguntur humanis cedere? qua abominatione quaenam terribilior inveniri potest? quasi humanis divina sarcire velimus, et quae imperfecta fuerint absolvere. Sic enim tu adseris o *μελανῦρε*, nunc enim ad te unum sermonem convertam: dixisti enim aliquando (ubi loci, ipse non ignoras) in eum usum dixisse Christum Ioan. 16: 12. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, ut quaedam sui testamenti reponeret per Thomas et Scotos postea promulganda. Quod quam impie dixeris audi: Tristes erant Apostoli quod audissent quendam e suo consortio Christum esse proditurum, quod multa audissent divina quidem illa sed quae non ad imam usque mentem

descendissent, moerore obstante, quod audissent malorum catalogum in se venturorum; ob eamque rem pleraque nequicquam audiebant: quod ubi sensisset Christus, maluit quaedam sub adventum Paracleti vel explicanda differre, quae hactenus minus intellexissent, quo ille familiarius eis innotesceret, vel per se prius dicta per eum refricare. Dixerat enim Ioan. 14: 26. Suggeret vobis omnia quaecunque dixero vobis. Ecce hic habes *vobis*, Apostolis nimirum non Thomis, Scotis, Bartholis, Baldis. Idem subiecit post ea verba, quae tu ex 16. cap. non sine veritatis iniuria detorques. Cum enim dixisset: Adhuc multa habeo vobis dicere, vobis inquam Apostolis: subiunxit tamen: cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; vos (inquit) non quosdam, Aristotelis discipulos verius quam Christi. Quod si veritas mentiri non potest, ut et non potest, ergo paracletus docuit vos, o Apostoli, omnem veritatem, ut ea quae hactenus minus acceperatis, clarius intelligeretis: quae nunquam aggredi ausuri eratis, fortiter obiretis: quae futura nemo sciebat, eius instinctu praediceretis. Apostolis ergo, ut promiserat, ea quae prius capere aut ferre nequiverant, spiritu doctore nota fecit. Vides iterum quam inauspicate sacras literas verses: unde suadeo ut aliquanto tempore non aliud agas quam diligenter spectes quomodo doctissimi quique eis utantur, nec ulla parte in manus sumas absque praeitore. Alioqui fieri facile possit, ut in magnum aliquem ac perniciosum errorem incideres. Verum ut videas quam nullius pensi sint ea, quae ipsi velut meliora praestituri divinis effinximus, hac ratione tecum agam. Novum testamentum praestantissimum esse omnium quae unquam initurus est deus cum humano genere non negas, ut reor; aut si negas, lege cap. 8. Pauli ad Hebraeos, imo totam epistolam, et negasse mox pudebit. Id autem si imperfectum praestitit Christus, fuerit Mose nimirum longe inferior, qui vetus ita absolverat ut vetaret vel addi quicquam vel demi, Deut. 4. et 12. Porro si vix tandem per Durandeas paludes et Scotea, quae deerant hactenus, addita sunt: imperfectum habuerunt superiores usque ad proximos fere trecentos annos: imperfectum tradiderunt Apostoli: imperfectum tradidit Christus dei filius patri ex omni parte similis et aequalis: quo quid blasphemius dici potest? Attamen aliud non dicunt, quicunque humanas traditiones hoc praetextu, quemadmodum diximus, divinae legi vel aequant vel praeferunt, aut necessarias ad salutem esse contendunt. Ergo blasphemi sunt in deum, in Apostolos, ac in patres ipsos, quos tanto studio defendunt. Sed ut apertius me capias audi: Si vel sine conciliorum decretis quibusdam quis, vel Sophistarum quorundam opinionibus, fieri salvus nequit: ergo Apostoli salvi facti non sunt, et primitiae Christianorum nequaquam salvae factae sunt. Nam deerant eis haec decreta, deerant opiniones istae tam aperte vix tandem expositae. Vide quorsum teipsum abducas, aut potius quorsum te veritas trudat. Unde profecto totum hoc quod hodie digladiamur, non est aliud quam quod Christus inquit Luc. 16: 15. Audiebant autem omnia ista Pharisaei, qui erant avari, et deridebant eum, et ait illis: Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante deum. Enarra mihi, o bone frater, hunc

locum, invenies proculdubio frustra nos colere deum doctrina praeceptisque humanis. His enim elementis Christianum defunctum esse oportet, nec dogmata statuere: nullius enim pretii sunt, Coloss. 2: 20. Concilia igitur quaecunque tandem, si divinae legi sint conformia, quis non suspiciet? Quanquam rectius mihi sentire videntur qui hic dicunt: Si concilia divinae legi sint conformia, quid opus sit eis acceptum ferre id quod retractarunt solum, ac non potius ipsi scripturae sanctae, quae testimonium maius habet iuxta Christi verbum. Nam testimonium dei maius est hominum testimonio, ut cui Ioannis Baptistae quoque testimonum cedat, Ioan. 5: 36. Si vero contra divinae legi reclament, quis non mox id Apostolicum ingeret? Obedire oportet deo magis quam hominibus. Propterea perpetuo cavendum est, ne unquam quicquam statuatur, quod non ad amussim quadret cum coelesti veritate, quae se tam humiliter offert, ut capi facile possit, ac tam aperta est et clara, ut ab hominibus claritatem non accipiat, Ioan. 5: 41. Quamobrem hac una duce ac magistra opus est ad discutiendum quicquid in controversiam venerit. Facessant igitur, qui hac tempestate conciliis quorundam Typhlepiscoporum putant discordiam, quae de scripturae authoritate inter Christianos hodie vertitur, componi posse, ni una scriptura magistra, eaque divina non humana cupiditate prodita, cuncta peragant. Scripturam capi volumus non literam occidentem sed spiritum vivificantem. Sed metuo nimis, ut id quod paulo post supradictum Christi verbum sequitur in quosdam ex eis dici possit, nempe: sed cognovi vos, quia dilectionem dei non habetis in vobis. Id verbi (nam ad omnes vos nunc redeo consultores) summopere nobis metuendum est ne R. Hugoni a quoquam imputari iuste possit, nempe ne vobis impulsoribus videatur loculos suos magis quam Christum amare, rei studere magis quam saluti. Quod tum indubie fiet, cum huc traxeritis ut ante omnia velit divinam mentem ac sententiam omnibus Evangelii praedicatione fieri quam apertissimam. Hoc enim pacto reddetis nomen eius cedro dignum et coelo. Sed vae misero mihi, quid operam oleumque perdo? quasi non luce clarius per omnem orationis contextum cuivis luscioso etiam pateat quid vos premat, tametsi pulchre dissimulatum putetis. Deus opt. max. faxit, ut discussis aliquando nebulis claram spectare lucem possitis, Amen; optimumque Praesulem non perpetuo cogatis utroque poplite claudicare, Amen; sed in via ac lege dei bene ac inoffense, sine humanarum traditionum fascino, currere permittatis, Amen Amen.

XLIV. De his quos vita pariter et doctrina commendat legite vestros sacrosanctos Canones di. 9. c. Ego. Sic habetis, quod ex Augustini sententia solis iis indubitatam fidem debeatis, qui eius scripturae authores sunt, quae Canonica dicitur (ea autem est quae intra Biblia continetur); alios autem ita legatis, ut quantacunque vel doctrina vel sanctitate polleant, non ob id verum putetis quod ipsi tam sancti, tam docti ita senserint, sed quod scripturae canonicae robore persuadere potuerint non quod ipsi sentiebant, sed quod spiritus dei, adhuc in verbis suis spirans. Ecce vobis scripturam magistram, doctricem, ducem, non patres, non ecclesiam hanc quorundam, male intellectam, id quod paulo post clarius legetis eadem di. c. Quis nesciat. Atque hoc interim

admonitos volo, Canonibus vestris me solum propter vos uti: nam illis videmini non minus fidei habere, quam Evangelio, quam doctrinae Apostolicae, quam omni simul divina benignitate allatae scripturae, non quod vel me vel quenquam divinis fidentem eisdem Canonibus oppugnare liceat, nisi quantum nihil a divinis dissentiunt. Verum quid tum opus erit Canonibus, ac non potius scripturae sacrae cedere?

XLV. Quamobrem quaeso ceremonias sic mordicus tenetis? cum ad tempus tantum servari debere ipsi sentiatis? In quodnam tempus earum antiquationem reiicitis? An divinam clementiam nunc ab his avocantem negligi oportere censetis? num putatis, tam praeclaris ingeniis spe frustratis, alios unquam ausuros bellum cum eis reparare? aut impune ablaturos eos qui herbescentem Christum hodie non tam negligunt, quam impediunt? An non timetis eum, qui dixit Matth. 11: 23. Et tu Capernaum nunquid usque in coelum exaltaberis? usque ad inferos descendes. Quia si in Sodomis factae fuissent virtutes quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Veruntamen dico vobis, quia terrae Sodomorum remissius erit in die iudicii quam tibi. Non timetis inquam Germaniae quoque populis aliquando si praesentem occasionem neglexerint comminaturum: Et tu Germania, cuius strenuum forteque pectus a belli tumultibus ad veram pietatem traxi, omnigenisque disciplinis ditavi, quod haberes latera ad omne studii genus solida, ut docte commodeque religionem a quibusdam foede conspurcatam mundissime ebuccinares, num ob eam rem ad coelum usque laus tua exaltabitur, quod coeperis id quidem, verum ad umbilicum non perduxeris? Minime. Ad inferos enim usque detruderis, quod lucem venientem in mundum neglexeris. Quia nulla tam barbara gens est, quae si tot occasionibus ad veram pietatem plantandam invitata fuisset, tanto torpore desedisset. Veruntamen incredulis imo Sodomae civibus mitius iudicium eveniet quam vobis etc. Videtis hic rursum quod totus sermo vester ad umbratilia quaedam bona eos trahere conatur, qui iam didicerunt patrem in spiritu et veritate adorare. Si ad tempus servandae sunt, ergo aliquando abolendae sunt. At quid vetat hodie antiquari? praesertim huc spectante mundo, huc tendentibus omnibus iuxta piis atque doctis. Sed dicetis ad tempus istud quo nimirum *τυφλεπίσκοποι* quidam permittant aboleri. An putatis eos quorum vita crapula est, quorum deus venter, quorum non laquearia modo sed et mulae et scaphia deaurata sunt, unquam ad tam bonam mentem redituros, ut aliquid aboleri sinant, quod patinis et loculis detrahat? Antiquabimus igitur cum summa tranquillitate multa, quae ad salutem ut nihil conducunt, ita servata quorundam inexplebiles cupiditates nunquam satiare possunt, ni detrahantur. Quamobrem iam desistite vociferari: Ceremoniae ceremoniae. Surdo enim fabulam narrabitis.

XLVI. Nunc primum discimus miseri mortales rempublicam Christianam sine ceremoniis constare non posse, cum melius nunquam constiterit, quam ea tempestate qua ceremoniarum quam minimum fuit; discimus denique civitatem administrari non posse, ni *ψευδεπίσκοποι* templi muros aqua, sale, cinere lustrent, ni aras oleo sacro saginent, ni campanica aera aqua consecrata tingant: nam haec si negligerentur,

periret ordo politicus, quasi antea quam haec recepta sint, urbes non sint optime administratae. Non negamus Christi doctrinam, imo adserimus plurimum ad Reipublicae tranquillitatem conducere, modo pure doceatur. Verum ubi coeptum est cistae non Christo consuli a quibusdam hypocritis, nescio an ulla res potuerit urbibus evenire magis perniciosa; nam qui fieri potest ut haec pacem ac tranquillitatem concilient? Nos sacerdotes sumus, vos prophani: nos docti, vos idiotae: nostrae sunt claves, vestra sunt inania marsupia: nobis otiosis degere licet, vobis in sudore vultus vesci pane: vos coerçitos ab adulterio oportet, nos per omne genus libidinis impune grassabimur: vos vectigalia pendetis ac tributa, nos oblationibus vestris otia nostra solabimur: vos vigilias noctis ac stationes servabitis, nos securi omnium in altum usque diem stertemus: vos hostem a moenibus propelletis, nos vetat religio civem a periculo liberare. Scio quid hic dicturi sitis, sed tacete obsecro! nonne haec omnia sunt ceremoniae, sine quibus urbes labi dicitis? Verum noster ille Christianismus cuivis urbi accommodus est, legibus paret ac magistratibus populi: cui tributum debet, pendit: cui vectigal, pendit: cui censum, pendit: possessionem nullam quisquam suam dicit, omnia communia censentur; cupit quisque alium beneficiis antevertere, mansuetudine demereri, laborem alterius partiri, egestatem levare: fratrum enim loco omnes colit; blasphemiam detestatur, pietatem amplectitur, ac apud omnes amplificat. Quid multa? vanius quam verius imo invidiosius dictum est, sine ceremoniis urbes ac civitates dilabi ac perire, in hunc certe usum, ut Evangelicae praedicationi vulgo nascatur odium ac obstrepatur. Videte Act. 6. testium falsorum verba in Stephanum, quam longe absint ab hoc vestro sermone: Homo iste non cessat loqui verba adversus locum sanctum et legem: audivimus enim eum dicentem, quoniam Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses. Nunc vestra subiiciam: Sic enim periret omnis ordo politicus: quod nunc sequeretur vobis, cogitandum relinquo.

XLVII. Non nego servanda esse quae communi omnium consensu decreta sint, sed iis qui decreverunt, sed tum etiam cum omnium consensus accessit, qui quantum vobis ipsis videatur, accessisse sequentia manifestant.

XLVIII. „Aut saltem acceptata“: per haec enim acceptata adparet vos non alia intelligere quam ea quae quorundam pervicax potestas plebi Christianae obtrusit invitae et reclamanti etiam. Postea enim quam res huc venerunt, ut Pontifices adsererent se rerum omnium dominos, condendarumque pro libidine legum ius habere, nec errare posse, quid non ausi sunt praescribere? rursumque quis tam infelix futurus erat ut contra niteretur? praesertim quum vulgi simplicitas, qua isti strenue sunt abusi, tametsi non sine fastidio, mutire tamen non auderet. Quanquam quid refert haec multis refellere, cum luce clarius hac nostra tempestate videatur quo pacto vel tam communiter consensum sit vel ceremoniae acceptatae (ut vestrate verbo utar), cum cernimus vulgo iis quae communi consensu decreta videri vultis reclamari, et quae recepta reiici. En vobis communem consensum vestrum, en acceptata! Imperata sunt ferme

omnia, idque procacius quam Christi spiritus dictet. Nam, ut exempli causa unum tantum ex tot millibus producamus, nemo aversatur pias in templorum consecratione preces, superstitiones autem nimias nemo probat: exactionem omnis simul natura detestatur, detestatur canones vestros, detestatur praestita iuramenta. Nunc autem cum tot talenta ob eiusmodi ceremonias exiguntur, dicitis communem consensum aut receptionem accessisse, cum nihil sit minus. Narrabo vobis hic rem ante paucos admodum dies gestam, quo pateat, quam vere in exigenda pecunia pro consecrandis templis consensum sit. Lustravit Suffraganeus quidam templum quoddam ac aras in eo aliquot, volens omnium nominibus parcam, ac pretium poposcit lustrationis, aureos Rhenenses 12. de templo, de coemeterio 10. quinque de singulis aris. Ibi cordatior paulo sacerdos prodiit, id Christi obstrepens: Gratis accepistis, gratis date, et Simonis anathemate dignum esse qui dona spiritus sancti vendere ausit, vel vendi posse credat, Act. 8: 20. Tum Suffraganeus iste contracto supercilio: Ego, inquit, ob hanc causam non multis vobiscum agam, quod simoniam incurrere metuam, unde pacisci vobiscum nullo pacto volo. Sic enim incurreretur sacrilegium (cui fecere nomen a Simone mago simoniae), sed hunc aureorum numerum a vobis exigo, non paciscor. Hic pauperculi coacti sunt sex et viginti aureos mutuo acceptos personato illi Episcopo pendere, ne in simoniam scilicet cum eo incurrerent.[1] Hic clare habetis, quomodo haec onera sint vel recepta vel praecepta. Maluit enim fictitius iste Episcopus praecipere pecuniam quam pacisci. Ite nunc et dicite recepta esse, quae tanto fastu ac insolentia praecipere quidam ausi sunt. Sexcenta narrare possem de eodem Suffraganeo risu dignissima, quae vel egit, vel dixit apud rudes agricolas sese iactando, sed vetat institutum: omnia aliquando in luce clarescent, si lucem tenebriones isti obscurare non cessabunt.

XLIX. Qui ad scripturae normam doctrinam dirigunt, non pro libidine sensus sui docere dici possunt; sed hi qui sine sacrarum literarum authoritate id tentant, contra prorsus quam Paulus Timotheo permittat: admonet enim eum 2. Timoth. 3: 14. Tu vero mane in his quae didicisti, quaeque tibi credita sunt, memor a quonam didiceris, et quod a teneris sacras literas nosti, quae te possunt admonere ad salutem, per fidem eam quae est in Christo Iesu. Didicerat a Paulo Timotheus, Paulus a Christo, eodem tamen spiritu uterque ductus erat in cognitionem rerum sanctissimarum. In his permanere iubet Timotheum Paulus, at non permanent in his, qui iuxta vestrum verbum pro motu sui capitis negotium hoc gerunt, sed hi qui ἐνπροσέδρως καὶ ἀδιασπάςως, iuxta eiusdem Pauli verba, hoc est innctissime ac indistracte eis adhaerent, scientes quod omnis sacra scriptura a deo inspirata est et utilis ad docendum, ad arguendum, ad dirigendum, ad disciplinam eam quae est in iustitia, ut absolutus sit homo dei ad omne opus bonum perfectus; qui carni acquiescunt et sanguini, pro motu sui

---

1) Confer. litterae Suffraganei Constantiensis *Vatli* ad Senatum Tigurinum, per quas iusta pro aedibus sacris Hettlingae et Dietlikoni inauguratis quae restabant, ut exolverentur, flagitavit. (Fuessli, Symb. IV. p. 147 sq.)

capitis docent: qui divino spiritui, ex sacris literis dulce spiranti perpetuoque vernanti, e sensu et mente dei, qui minime recens est: nam Propheta eum antiquum dierum vocat Dan. 7: 22. Qui igitur ad eius mentem cuncta vocant, ad illius sensum et censuram cuncta examinant, non novam censuram ineunt, sed ad antiquam vocant, ad quam Hieremias quoque hortatur 6: 16. State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris. Videtis quod in vetusta censura requies invenitur, non in nova, cui vos tam obstinate adhaeretis, et tamen novationis insimulatis eos, qui ob hoc unum bellum vobiscum vestrumque similibus gerunt, quod nimis licenter novata antiquent, et antiqua veluti postliminio adferant, id quod per vestros Canones licet. dist. 9. Quis nesciat. Ubi, ut summatim omnia stringam, in Canonem recepistis, quod γραφὴ θεόπνευστος, id est scriptura divinitus inspirata, inconcussa perpetuo maneat; Episcoporum autem scripta revelli possint, modo habeant quid ab illis dissonum, non solum a conciliis, verum a quovis etiam qui doctior sit. De qua tamen re peculiarem libellum cudere statui, si deus annuat, ac se digna inspirei, nempe de vi et usu scripturae sacrae: utimur enim sacris saepenumero impure.

L. Si in ore multitudinis omne verbum iam inde ab exordio Evangelii stetisset, ubi nunc quaeso Christianismus esset? pauci erant apostoli. Sed papae, quot gentes et regna ad Christum converterunt, atque ut id intrepide facerent nihil ob paucitatem cunctantes, consolatur eos Christus Lucae 12: 32. Noli timere pusille grex! nam placuit patri coelesti vobis dare regnum. Possem hic retegere insignem stultitiam, quae sub his vestris verbis latitat: quis enim gentilium unquam Philosophorum tam hebes fuit, ut multitudinis iudicium anteferret paucorum, modo cordatorum, iudicio? aut quo venturum esset si hodie multitudinis iudicio staretur? nonne de vobis deque doctrina vestrate actum esset? Adeo nihil referre putatis expuere quicquid in buccam venerit. Possem, inquam, longe procacius vobiscum agere, nec id iniuria; malo tamen vobis parcere, quod spem conceperim non parvam, ubi ad vos redieritis sitis palinodiam cantaturi.

LI. In his, additis, quae divinae legi non repugnant. Non capio hic vos fateor. Nam si de mediis vobis est sermo, quae iuxta Philosophorum opiniones nec bona sunt nec mala: cur hic istas tractatis nugas, ubi negotium Christi vertitur? rursum quid vobis cum illis, qui Christianismi defensores videri vultis? ad quem qui non colligit, spargit. Ad Christum autem qui fieri potest ut videamini colligere, cum ad ea colligatis, quae saltem divinae legi non repugnent. Qui non cum Christo est, contra eum est: ergo si cum his mediis estis, non estis cum Christo: nihil enim Christo cum mundo. Si vero de his legibus capi vultis, quas divinas quidem non esse nec bonas admittitis, malas tamen esse negatis, quid vobis cum hisce legibus? nunquid vobis iudicium commissum est de dividundis agris, de aquaeductibus, de stillicidiis, de vicinia? quamvis ne illas quidem vobis permitto non sanctas esse, si ad normam divinae voluntatis respondeant. Per eas enim iustitia potest administrari et con-

ciliari pax, quae Christus est. Putatisne adhuc posse latere sententiam vestram? Tollite Corbonam, et has verborum ambages sustuleritis. Corbonam autem divinae legi non repugnare vobis non permitto: est enim contra amorem proximi, qui fictitiis quibusdam sacris seducitur, expilatur, excoriatur, dum hypocritae domos viduarum absumunt praetextu longissimae orationis. Legite Matthaei 23: 14, et invenietis quaenam sint ea quae divinae legi non repugnare adseritis. Deo tamen gratia, quod huc tandem venistis, ut quae paulo ante pro divinis vendere audebatis, nunc contenti sitis hoc ficto nec intelligibili medio: in his saltem quae divinae legi non repugnant. Porro ne diutius vobiscum hic agam, scitote omnem legem, quam vos suscepistis tuendam, sanctam esse. Nam a deo profecta est, Paulo authore, Rom. 7: 12. Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum et iustum et bonum. Nihil igitur est hoc vestrum commentum de his quae non repugnant divinae legi, cum quicquid bonum est, a deo proficiscatur, Iacobi 1: 17. Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum venit a patre luminum. Haec igitur vestra si a deo profecta sunt, bona sunt. Si a deo non sunt profecta, ut et non sunt, vobis etiam testibus, ergo mala sunt. Si Christi sacerdotes estis, Christi legem adserite, bonam, sanctam, aeternam. Si vanitatum assertores, ecquid sedetis in loco sancto? Quae a deo profecta non sunt, sed ab hominibus, mala sunt: bonum enim una tantum ratione atque origine bonum est, nempe, qua a deo est omnis boni fonte: nam alioqui boni fontes plures adserere cogeremur. Si enim ab homine posset boni quiddam provenire, aut ab ulla creatura, fons esset creatura et author boni, sequeretur quę non omne datum optimum etc. esse a deo, nec filio dei omnia esse a patre tradita.

LII. Cum nautarum tam elegantem similitudinem offenderem, vehementer admiratus sum, undenam gentium eam comparaveritis. Ac inter cogitandum adest quidam non indoctus vir, qui se eadem fere verba in quarundam epistolarum farragine legisse adserebat; quamobrem vos obsecro, si ita res habet, confestim restituatis antequam peculatus crimine notemini. Quod autem ad rem adtinet, facile adsentior, ingratum vobis esse dissidium quod cum dispendio vestro coniunctum iri videtis, maximopereque cupere, ut omnes vobis cedant qui obstant, nec id iniuria: magna etenim estis reputatione apud indoctum vulgus cum ob titulos, tum ob doctrinae opinionem, eius quam ex Scotis Paludibus Thomabus hausistis. Verum heus aurem accommodate paulisper! Si continuari iurgium inter naucleros videtis, ę quorum certe numero vos esse reputo, cur et ipsi non ceditis? An quod vobis (ut diximus) putatis omnes cedere oportere, vos nemini? an quod solos recte ad Cynosuram navigare vos existimatis, alios autem omnes toto errare coelo? At hoc praesumptuosum fuerit nimis et arrogans: nam et homines estis qui labi possunt, errare, decipi. Quod si admittitis, iniquum profecto fuerit, cupere omnes simul vobis cedant, nisi vos scripturae prius cedere didiceritis; sicque iterum res ad scripturae iudicium redit, quam si quis digne tractaverit, cedere non debebit, ut multipliciter in superioribus probavimus. Eam itaque si indigne uspiam tractavimus, indicari oportuit: id quod nunquam feclstis, sed omnia vestra hoc Satyricum redolent: Sic

volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Contra vero, si e mente Christi scripturam tractavimus, vestrum erit cedere, et a iurgiis, ut dicitis, contentioneque desistere, et renascenti Christo auribus animisque favere, patique, ut nervus ferreus colli vestri imposito iugo domini lentescat: nam si fronte vestra aenea murum aeneum, de quo Hierem. 1: 18. et 15: 20, impetu facto subruere tentaveritis, offendetis, et si lapis offensionis in vos ceciderit, conteret. Signate haec obsecro diligenter. De maiori parte supra satis dictum est.

LIII. Cum portum qualemcunque contingere optatis, quid quaeso per hoc *qualemcumque* aliud significatis quam multos esse portus, non unum solum, quod an pium sit ipsi expendite! taceo quod istoc verbo vulgares quosdam portus contemptosque fingitis. Si tales estis, quibus contradici non liceat, age certum aliquem portum ac scopum ostendite. Sed scio quid vos premat. Controversia est, divinis obtemperare oporteat, an humanis. Hic inter saxum et sacrum statis: nam si dixeritis, humana cedere divinis debere, concidit corbona, conciderunt tituli; si humanis divina, incidistis in summam impietatem. Quid multa? num in hunc mundum venit Christus, ut portum qualemcunque quendam ostenderet, non certum et indubitatum? nonne dicit hominem in verbo dei vivere, ac Deum frustra coli doctrinis mandatisque hominum? nonne cum Apostoli dicerent: et quomodo possumus viam scire? respondit: ego sum via, veritas et vita? Si via est, cur non in eo pergitis? si veritas, cur non fiditis? si vita, cur non in ipso vitam quaeritis, sed portum qualemcunque fingitis? Sexcenta possem ex Evangelicis literis producere, quae huius verbi impietatem arguerent, sed receptui canam. Evangelium, bonum laetumque gratiae dei nuncium, hoc in primis adfert miseris mortalibus, ut ad certum salutis portum manu perducat, qui sine eo prorsus ignoratur. Hoc de lepido isto moderatoque, qualemcunque.

LIV. Quis est iste unus? An Christus? At in illo reconditi sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae, Col. 2: 3. At ille factus est nobis sapientia a deo, iustitia, et sanctificatio, et redemptio. Si alius? nos alium deum nescimus, praeter hunc unum, quem tamen multi non recipiunt, non sine salutis dispendio. Si homo aliquis? iubeo vos securos esse: nam ut paulo ante per contentionem multis vobiscum egimus, ne in hunc errorem incideretis, quo opinaremini vobis omnino cedendum esse, ita nunc quoque animati sumus, ut minime tutum existimemus in verba iurare magistri quantumvis docti. Maledictus enim homo qui confidit in homine, et qui ponit carnem brachium suum.

LV. Si consilia fuerint saniora, sequenda nimirum sunt: quanquam non pendemus ab hominum consiliis, sed a mente voluntateque dei, cuius voluntatem si scientes neglexerimus, vapulabimus multis, Luc. 12: 48.

LVI. Concilia dixistis pro consilia, nec velim id carptum esse calumniae adscribatis. Totus enim sermo vester adeo barbarus est, et alienus ab omni orthographia, ut nisi de industria quaedam dissimulari iussissemus, ludibrio fuissetis maximo omnibus vel mediocriter doctis. Hinc factum est ut dubitem lapsune an ignorantia concilia scripseritis pro consiliis. Totam enim istam pericopam si diligentius expenderitis, invenietis non sine soloecismo esse.

LVII. Sine animae iactura nemo Christum negligit. Nam qui non est cum Christo, contra eum est, et qui non colligit cum eo, spargit: quemadmodum iam ad fastidium usque audivisse opinor. Pertinax autem tractus non fit aliorsum, sed ad Christum. Hi enim aliorsum trahunt, qui a Christo ad creaturam avocant. Porro quibus talentum creditum est, otiosis stertere non licet, sed assidua negotiatione fatigari, ut veniente domino rationemque exigente audire mereantur: Euge servi boni et fideles etc. Opportune importuneque sunt ad coenam compellendi, Luc. 14: 23. Sed quoniam in hunc locum incidimus cui vim quidam faciunt, dicentes: En Christum dicentem: compelle intrare: igitur vi imperioque premendi sunt immorigeri, volumus eum pro virili excutere ne eo perpetuo abutantur. Primum itaque videmus servum qui ad coenam compellebat solum esse missum. Qui autem fieri potuisset, ut unus numerosam multitudinem cogeret, si id vi, imperioseque tentandum erat, ut istis placet? Deinde, nemo violentia nititur aliquem ad coenam vel mensam impellere: hoc enim nimis inciviliter fieret. Quamvis quidam eousque importunitatis in vocando procedunt, ut penulam etiam rumpant imprudentes tamen; unde Proverbium apud Germanos etiam tritissimum natum est, Scindere penulam. Adhuc tamen omnia intra amicitiam fiunt, non ex imperio, eo saltem quo isti cristam erigunt, tametsi amicitia ius quoque suum habet imperandi. Hinc patere puto, quod in praedicta parabola, Lucae 14: 23. compelle intrare, non aliud signat, quam si dicas: Vehementer eos urge, ut ad coenam veniant. Non enim verisimile est, eum qui negavit regnum suum esse de hoc mundo, hic sui oblitum imperasse, ut increduli ad se cum imperio cogerentur, aut satellitum vi, sed invitantium indefatigato odio: quemadmodum Lucae ult. hi duo discipuli, quibus se Emauntem euntibus sociavit, eum coegerunt, amico nimirum vocandi more, non vi quali eum traxerant Iudaei ad tribunal. Nunc ad viam redimus: pertinaciter ad lucem trahendi sunt ii qui in tenebris errant, ac ad coenam compellendi verbis non verberibus: sic enim divus quoque Paulus sentit 2. Timoth. 4: 2. Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni longanimitate et doctrina. Erit enim tempus cum ii, quibus aures pruriunt, sanam doctrinam non ferent, sed secundum desideria sua accumulabunt sibi doctores, qui auditum a veritate avertent, ad fabulas autem convertentur. Audistis quibuscum sit opportune importuneque agendum? Nec est quod possitis obiicere, nostra tempestate non opus esse importunitate, cum videatis omne in praecipiti vitium stare, omniaque esse ad summam impietatem inclinata. Summam enim impietatem puto, cum a deo ad creaturam convertimur, cum humana pro divinis recipimus, divinis neglectis aut etiam contemptis, adeoque neminem adhuc vidi qui pro dignitate flagitia taxaverit. Sint licet aures adeo tenerae ut mordax verum ferre diffidant, imo resiliant et vociferentur, non tamen ob id perpetuo illis indulgendum est. Et sunt contradicentes Evangelicae veritati fortiter sana doctrina revincendi, Tit. 1: 9.

LVIII. Pie errantibus donandum nonnihil putatis, id quod ipse sentio, modo error sit pius. Piissimus error est, putare non licere carnes diebus quadragesimalibus edere; impiissimus error est, populo

Christiano non indicare quae a deo sibi donata sint. Ad hoc enim recepimus spiritum qui ex deo est, non spiritum huius mundi, 1. Corinth. 2: 12. Nam hoc pacto gratia dei abiiceretur aut infirmaretur, Galat. 2: 16. Impiissimus rursum error est dicere: Si summus Pontifex animas simul omnes ad inferos detraheret, non tamen posse deponi vel corrigi: ad quem et consimiles nemo connivere simul potest et pius esse. De quibus autem hic vobis est sermo, puta erroribus ceremoniarum, audite quid Paulus dicat, Rom. 14: 1. Imbecillem in fide adsumite, hoc est pie eum accipite, tractate, docete, non ambagibus opinionum circumducite. Habetis hic clare quod eos qui infirmi sunt, ii qui firmiores sunt, non debent mittere infirmos esse, sed pia illos fidei doctrina accipere. Quorum autem id esse putatis? robustiorum nimirum ac doctiorum, quales vos proculdubio vulgo aestimamini. Vestrum itaque fuerit in hunc modum formare sermonem: O fortunati, quibus tanta bona ultro offeruntur! fuimus aliquando tenebrae, nunc autem datur ut fieri lux possimus deum benignitate. Existimastis hactenus nos esse doctos; verum id si quid fuit, mancum fuit et languidum: hoc enim quod adulterinum erat, metu malorum non fuimus ausi prodere. Nunc cum se veritas undique aperit, ubique occurrit, cavete negligatis, sed eam unanimi consensu amplectimini, ne dum alii cunctantur, alii obsistunt, alii perdunt, rursum elabatur, et fiant posteriora prioribus deteriora: nunquam non dedit multum damni neglecta dei admonitio; aut consimilem. Nunc cum ita mordicus ceremonias tenetis ac defenditis, quid aliud quam veritatem moramini? verbo absit invidia. Ipsi enim ceremoniarum vim vestris verbis extenuatis, et tamen defenditis usque ad nescio quod tempus, quae sine omni discrimine possent sana solum doctrina antiquari: id quod nihilo secius fiet vobis etiam contranitentibus. Quamobrem suadeo, ut quemadmodum aiunt Iulium Caesarem, cum se iam videret mortem effugere non posse, dedisse operam, ut collectis vestium laciniis honeste caderet: ita cum videtis ceremonias labi, propediemque totas esse easuras, laboretis ut quam commodissime cadant, hoc est, ne tam pervicaciter retineantur: sed confestim consultetis, quonam pacto in umbrarum locum lux quam ocissime inducatur: quo fiet ut miseri mortales non modo amissis ceremoniis nihil tristentur, sed vehementer etiam gaudeant se lucem diu negatam invenisse. Summa: vinum recens si in utres veteres infundatis, rumpentur utres, sed et inconsuta Christi vestis panni rudis emblema ferre nequit, Matthaei 9: 17.

LIX. Communem errorem ius facere, nescio an ullis permittam incredulis, nedum Christianis. Christus enim errantes homines ferre non potuit, Matth. 9: 36. Et Petrus gratulatur nobis quod paulo ante fuerimus ut oves errantes, nunc autem conversi simus ad pastorem et episcopum animarum nostrarum, 1. Pet. 2: 25. Et vos audetis errori iterum patrocinari, vestris etiam Canonibus reclamantibus? di. 83. Error cui non resistitur adprobatur, et veritas cum minime defensatur opprimitur. Videte quo vos caeca ducat malignitas, huc nempe, ut vestri vestrarumque doctrinarum obliti amplectamini frivola quaedam nulli cordato ferenda. Sed nolo hic stilum in vos vibrare quantum digni

essetis. Satis superque enim cuivis patere puto quam languide ne dicam iniquiter partes vestras et consilia tutemini.

LX. Quae vero sunt ista nova dogmata? num Evangelium? at hoc natum est annos iam MDXXII. Num doctrina Apostolica? at illa paulo minor natu est Evangelio. Num Patriarcharum et Prophetarum? at illa Sibyllis etiam maior est. Quapropter obsecro ut suo quaeque nomine adpelletis, quo ea cavere possimus quae tam sunt perniciosa: id autem hoc pacto tandem facturi sumus: Explorabimus omnia ad lapidem Evangelicum et ad ignem Pauli. Ac ubi Evangelio conformia deprehenderimus, servabimus; ubi difformia, foras mittemus; quiritentur licet ii quibus rei quiddam decedit: non audiemus hos Stentores, ac Sirenes obturata aure praeteribimus. Deo etenim obedire oportet magis quam hominibus. Sed quid ago, quasi non pateat quae vos nova censeatis esse dogmata?

LXI. Ut placet id verbi: Regere ecclesiam dei, quod Actorum 20. unde huc translatum est, pro pascere interpres posuit non sine sententiae iniuria. Sic enim loquitur Ephesiorum Episcopis Paulus: Cavete igitur et vobis ipsis et toti gregi, in quo spiritus sanctus vos posuit speculatores, ut pascatis ecclesiam dei quam proprio sanguine acquisivit. Ecce gregem, ecce speculatores, ecce concionem pascendam non regendam, ecce concionem non hominis sed dei, quod eam proprio sanguine invenerit. Quid tam arrogans verbum usurpastis? Pastores pascunt non regunt.

LXII. Quandoquidem autem sanguine Christi parta est ecclesia deo, (Empti enim sumus pretioso sanguine agni incontaminati, Christi scilicet, 1. Pet. 1: 19): quid est quod quidam nos contemnunt qui de grege Christi sumus? ac non modo non Christianorum, sed ne hominum quidem loco habent, non contenti si benignitate nostra liceat sibi otiosis curare cuticulam, ni prorsus ad servitutem adigant, quod non mediocriter Pauli doctrinae adversatur dicentis: Pretio empti estis, nolite servi fieri hominum, 1. Cor. 7: 23. Quid inquam in causa est ut hae indulgentiae nunquam promulgentur, nempe quod pretioso Christi sanguine simus empti, sed fictis pollicitationibus omnia impleantur ad emungendam pecuniam: cum hac una ratione ad gratiarum actionem amoremque dei potentissime accendi poterimus? Iactamus quidem Christi sanguinem quod pro nobis fusus sit, sed si quis eo fretus firmiter crediderit sibi perpetuo eius gratia deum ignoturum, hunc mox haereticum pronunciamus. Constanter, o viri, perseverate in isto verbo, quod vobis sive de industria sive casu excidit: est enim salutis verbum, Christum scilicet ecclesiam sanguine suo parasse. Quicunque igitur id firmiter crediderit ex ecclesia Christi est ea, quam suo sanguine paravit: nam fides sola salutis causa est. Qui enim crediderit, mortem non videbit in aeternum. Studete intra eam ecclesiam numerari quae Christi sanguine respersa est, ut odio habeatis ecclesiam malignantium. Quid vobis cum ea ecclesia, quae carni innititur et sanguini?

LXIII. Si nihil immutandum est, nihil novandum, cur synaxis, olim sub utraque specie fieri consueta secundum Christi institutionem ac usum Apostolorum, mutata est? vel potius mutilata? cur Episcopi munus in Principis commutatum est? cur matrimonium vetitum? aliaque sexcenta

novata sunt? reclamantibus Christo, Apostolis communique iudicio? An potentiores estis deo? ut id vetare ausi sitis quod integrum Christus reliquit? aut sapientiores, ut id quod deus per incogitantiam neglexerit absolvatis? aut tam stupidi, ut persuasuros vos autumetis liberis in Christo conscientiis, ut quod per legem divinam licere sciunt, licere non putent? etiamsi ad ravim usque clametis.

LXIV. Quamvis verba vestra paulo post temperetis in hunc modum: Donec illi quorum interest de ecclesiae negotio conveniant etc. Quod tum eventurum puto, cum aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim. Persuasum enim vobis esse cupio, quod hac nostra tempestate quidam nihil minus saevituri sint contra mundioris Christianismi adsertores, quam olim Iudaei in Christum ipsum saevierint. Qui enim fieri posse putatis, ut hi quorum laquearia nitent auro, mulae gemmis, satellites serico, ipsi his omnibus modum ullum aut correctionem recipiant? Conveniremt quidem illi facile, si liceret eis omnia ex sententia statuere sua, non scripturae: id quod mundus minime recepturus esset, qui iam ubique Evangelium adprobe doctus est (dicerem ferme magis doctum esse quam summos istos sacerdotes), neque ulla ratione ab ipso avelli potest: ac dum quiddam pronunciari videret non ad amussim Evangelio respondens, nihil aliud quam ludibrio haberet eos, qui supra Moseos cathedram sedent et onera gravia super humeros hominum ponunt, ipsi autem digitulo summo contingere ea nolunt. Haec inquam causa est, cur non sperem unquam futurum ut concilia cogantur scripturae paritura, ni principum unanimis consensus id efficiat; quem tamen impedire quidam catuli ex nostris mirum quam belle norunt, dum praestigiis munerum, honorum, sacerdotiorum oculos eorum fascinant et spebus ludunt inanibus. Frustra igitur ab illis temperatam sperabimus sententiam.

LXV. Scripturam non modo ii, quorum interesse dicitis, conferre possunt; sed et ii, qui deo eiusque ori fidunt, qui eius desiderio marcent. Fieri enim potest, ut, si solito more Episcopi se ad scriptur[illegible] cognitionem ingerant non communi generalique omnium consensu, omnes sint aut magna parte sacrarum literarum rudes. Quomodo igitur de scripturae locis obscurioribus recte pronunciabunt? Quod si maxime docti sint, nonne fieri potest ut omnes simul hallucinentur, ac aliquis ex plebe rem recte calleat? (nec volo frivolum istuc mihi ogganniatis: Concilia errare non possunt. Nam id nec vestri sine restrictione adseruerunt, sed ita temperaverunt: Concilium errare non potest in his quae sunt fidei): nonne iam scripturae vis inferretur, nec ei qui recte sentiret liceret libere recte sentire, et lucis veritatisque avidi cogerentur versari in tenebris? Quod divus quoque Paulus cavit, 1. Cor. 14: 27. statuens: Prophetae duo vel tres loquantur et alii diiudicent, ac si alii quam Prophetis, puta sedenti, revelatum fuerit, primus taceat. Potestis enim, inquit, sigillatim omnes prophetare, ut omnes discant et omnes consolationem accipiant: quem locum satis vobis patere puto. Videtis igitur cuivis, quanquam ordine quodam, prophetare licere, quo veritatem scripturarum omnes doceantur, ac omnes consolationem per dei verbum capiant, quod solum quietem praestare potest humano desiderio. Volo hic obiter vobis cogitandam relinquere impudentiam cuiusdam scioli,

qui pro publica concione ausus fuit pronunciare, quod plebeiis non liceret nosse Evangelium, nec legere; sed solis iis quibus id muneris mandatum esset, sacerdotibus nimirum et magistris nosterculis. Huic utinam aliquis asininas addat Apollo, quod vel non meminit vel non scivit Christum dixisse Matth. 10: 27. Quod vobis dico in tenebris, dicite in luce; et quod in aurem auditis praedicate a tectis. Atque iterum: praedicate Evangelium omni creaturae. Verum obiiciunt mox isti Gordium nodum: Si sic nullis licet de scripturae veritate certum quid pronunciare, nascentur errores innumeri: quivis enim pro libidine sacris abutetur literis. Rustici, an non videtis spiritum dei sibi ubique esse similem eundemque semper? qui et quanto quisque est humanarum inventionum indoctior, divinarum tamen amantior, tanto clarius eum docet: id quod probant Apostoli et stulta huius mundi quae deus elegit, et ut est spiritus unitatis, concordiae, pacis non contentionis aut dissensionis, ita suggeret, ut indoctissimi quique, modo pii sint, scripturam iuxta mentem dei quam simplicissime capiant. Id quod propheta Ioel praecinuit cap. 3: 1. Effundam spiritum meum super omnem carnem (non inquit super purpuratos tantum et mitra ornatos) et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae etc. Et in Actis idem aperte manifestatum est cap. 10, quod adhuc loquente Petro spiritus sanctus in rudem Cornelii familiam inque ipsum Cornelium cecidit: quo viso sensit Petrus spiritum sanctum non se adstrinxisse, ut vel Iudaeorum solum esset vel Apostolorum (non enim personarum receptor est), iussitque eos mox aqua tingere. Cumque alii Apostoli facti rationem exigerent, ut qui non nihil adhuc Iudaici supercilii haberent, putarentque non vulgo dissipandum quod cum se actum esset: respondit post multa: Si ergo eandem gratiam dedit illis deus sicut et nobis qui credidimus in dominum nostrum Iesum Christum: ego quis eram, qui possem prohibere deum? Haud dissimiliter faciunt hac tempestate quidam, qui mox ut pius ac eruditus quis quid ex scriptura mundius clariusque deprompserit, in haec prorumpunt: Quis tibi hanc authoritatem dedit ut id doceres? hoc patrum tantum est: quasi imperio suo iam terrere deum quoque possint, ne quenquam animare ausit ad recte docendum. Summa: ea discordia quae hodie viget non aliunde provenire mihi videtur, quam hinc, quod non totos nos permittimus eius spiritui, qui capillos capitis nostri certo numero distinxit, apud quem pluris sumus quam volucres coeli. Sed ad nostra conversi placita putamus nos a scriptura non claritatem accipere, sed illam a nobis, et divinae sapientiae fontem ita nostro imperio coercitum, ut neminem nisi per nos docere possit, cum tamen securos iubeat esse suos, quod ad scientiam orationisque fucum adtinet: in ipso enim articulo adfuturum spiritum, qui omnia suggeret, quaecunque Christus nobis dixit. Cuius cum doctrina quidam male feriati fratres, patres non contenti fuissent nec fisi, ausi fuerunt meliora tradere tentare, id quod infeliciter nimis cessit: pro Christi enim doctrina coli coepit Aristotelis, pro Apostolicis viris creverunt apostatici, pro frugalibus avari, pro piis superstitiosi, pro simplicibus vafri et hypocritae, donec tandem eo ventum sit, ut nec ius nec fas, nec coelestia nec divina hos hoedos a sinistra ad dexteram pertrahere possint: doctrinam enim spiritus non solam imbiberunt, qua si unquam recte fuissent imbuti,

nunquam huc loci ventum esset, ut coelestem doctrinam nulli fortius ignorarent, quam qui eam suo iudicio subiiciunt etiam, sibique unis ius esse interpretandi contendunt. Itaque ut tandem finiam, non unius esse videtis aut alterius de scripturae locis pronunciare, sed omnium qui Christo credunt: non enim ad mensuram dat deus spiritum, sed is quem misit deus verba dei loquitur, Ioan. 3: 34.

LXVI. Preces fundere iubetis quibus iusta satisfactione placetur deus: perinde ac preces pretium quoddam sint, quo debita peccatis nostris supplicia expientur, non quibus misericordiam dei imploremus ne nobiscum intret in iudicium, sed secundum magnam misericordiam suam misereatur nostri. Nam quod ad pretium pro abolendis suppliciis adtinet, non vos ignorare puto, quod Christus hostia pro nobis factus est ut multitudinis exhauriat peccata, Hebr. 9: 12. et 2. Cor. 5: 21. Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur iustitia dei in ipso. Sed infirmius sit Pauli testimonium nisi Christus idem apertissime dicat Luc. 22: 19. Hoc est corpus meum quod pro vobis datur: et paulo post: hic est calix novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur. Unde nescio an impietatis excusari possint, qui suis precibus aut operibus divenditis etiam tribuunt quod solius Christi est; quem coelestis pater pro nobis satisfacere voluit, ut hac liberalitate ad se traheret eos, qui nullis legis et ceremoniarum operibus accedere possent: quod iterum Paulus Eph. 1: 7. luce clarius ostendit. In quo (inquiens in Christo scilicet) habemus redemptionem per sanguinem eius. Ea est remissio peccatorum secundum divitias gratiae eius, quam abundanter effudit in nos in omni tum sapientia tum sensu, dum notum fecit nobis arcanum suae voluntatis iuxta beneplacitum suum, et caetera. Sed hae precum nundinae vehementer faciunt *πρὸς τὰ ἄλφιτα*: hinc fit ut veluti mercem exponamus nos, qui hactenus huiuscemodi hypocrisi gerrisque Persicis loculos ditavimus, ut omnia iam promptuaria plena sint, oves crassae, maceriae nulla immineat ruina, cunctaque fortunate incedant, si solum is mutus esset, qui aliquando dicturus est: Stulti, hac nocte repetentur a vobis animae vestrae, et ea quae parastis cuius erunt? *Κεφάλαιον· βαττολογία* est si in multitudine orationis quis Ethnicorum more deum se speret propitiaturum, Matth. 6: 7. Debemus nihilominus sine intermissione orare, viduae importunitatem imitati, sed orationes non indicare, hoc est venum expositis pretium inscribere, hoc modo: tantum valent vel tantum, id quod verbum satisfactionis a vobis additum innuere videtur, sed totos divinae bonitati permittere.

LXVII. Utinam eodem adfectu erga nos essetis quo iste quem consiliis vestris authorem fecistis. Non ignorare vos arbitror quorsum actio nuper apud Senatum Tigurinum habita [a] ceciderit, huc nempe ut christiane sit insimulationi vestrae occursum, quod cuidam legatorum ita doluit, ut aegritudinem animi non alia ratione consolari potuerit, quam si hac tam festiva paraenesi ad Capitulum missa iterum rubore perfunderet, dum scilicet speravit futurum, ut magna pars oculos in me torquerent, ut cui fabula ista narraretur. Hic adfectus paternus, vereor,

a) VII—IX. Apr. 1522.

vos movit ut pientissimum Praesulem ad id consilii traheretis: nam alia ratione haud factum esse constat, quod summarium totius paraenesis cum superiore actione idem pulvis esse videatur. Paternus adfectus paternè admonet, domum vocat, peculiariter monet, satisfacientem filium benigne audit, non clam nocte concionem convocat, non apud sacerdotum senatorumque ordinem traducit. sed peccantem semel atque iterum dehortatur iuxta Christi doctrinam Matth. 18: 15 sqq. ac in finem contumacem vix tandem cum moerore abiicit. Quod vobis tunc licebit, cum errasse in aliquo Christi dogmate, sacrarum literarum instrumentis, conviceritis: nam alia ratione vincere non poteritis, ni forte ad vim converti placeat. Tum vobis tam obnoxius ero quam ovicula lupo: misit enim suos Christus haud aliter quam si quis oves in medium luporum emittat. At occidere potestis, fateor, potest hoc et latro; in carcere tenere, potest febris idem sed in lecto; torquere suppliciis variis, possunt hoc pestis et tormines aliique morbi. Quamobrem dico edico vobis, ut si Evangelicam doctrinam non recte nos docuisse velitis adserere, id non minis, non blanditiis, non insidiis, non cuniculis tentetis, sed sacrarum literarum aperto Marte publicoque congressu, quo scripturam sequamini ducem ac magistram, non humana commenta. Nam alioqui nihilo plus effeceritis, quam Xerxes dum mare vibices ac pedicas, ut putabat, ferre coëgit.

LXVIII. Ut in unitate sanctae matris ecclesiae maneamus. Te rogamus audi nos. Ut in superiorum hoc est magistratuum piorum obedientia maneamus. Te rogamus audi nos. Ut pseudepiscopos tantam humilitatem doceas, qua se nec praesides nec superiores sed iuxta Petri verbum 1. Pet. 5: 1. *συμπρεσβυτέρους* reputent. Te rogamus. Ut tua eos luce illumines, qua nosse queant veram ecclesiam sponsam tuam. Te rogamus audi nos. Ut fontem eis aquae vivae adperias. Te rogamus audi nos. A cisternis autem contritis quas effoderunt, quae aquam vivam non habent, libera nos domine. Ab oneribus importabilibus, quae in humeros hominum imponunt, libera nos domine. Ferre eos iube ac facere quae docent; si alia ratione non possunt induci, ut iugum tuum suave et onus leve sinant esse, coge eos domine.

LXIX. Sic enim fiet ut ecclesia tua pace tranquillitateque altissima fruatur. Vides enim piissime Iesu, aures eorum septas esse nequissimis susurronibus, sycophantis, lucrionibus, prae quorum strepitu vocem tuam etiamsi audiant, agnoscere tamen non possunt nec ei morem gerere, istis obstantibus et eorum ingenuitati imponentibus. Ubi enim per universam Dioecesim Constantiensem tam unanimi consensu recepta est doctrina tua quam Tiguri? Anne in alio Helvetiorum pago (ut proh dolor sunt haec nostra tempora) maiorem pacem videre licet? Adhuc tamen ausi sunt specie conciliandae pacis illic ubi nulla erat dissensio omnem movere lapidem quò in bonum semen zizania sererent. Ipse enim nosti quam nihil opus fuisset tam splendida nuper trium doctorum legatione, quam tamen tracto ad hoc Hugone, non usque adeo male de doctrina tua sentiente, subornare ausi sunt, tametsi ne iotam quidem contra legem tuam nos docuisse adserere potuerint. Et nunc quonam animo ad nos scripserint non ignoras. Quod autem ad nos adtinet, nihil opus est te vocare testem quonam animo quaeque faciam. Ipse enim

nosti quam longissime a teneris abfuerim ab omni dissensione et tumultu, nec tamen destiteris nos ad id muneris invitum ac reclamantem trahere. Quamobrem te nunc merito adpello, ut bonum opus quod coepisti perficias usque in diem domini, et si unquam quicquam minus dextere atque oportet aedificavero deiicias; si fundamentum aliud praeter te iecero demoliaris, quo grex tuus spiritu tuo ductus et imbutus eo cognitionis veniat, ut sciat sibi nihil defuturum si te pastore et episcopo ducatur et pascatur. Tu enim, o fili dei, protector es et advocatus omnium in te sperantium. Eos igitur si deseruerís, nomen tuum fastidio erit omnibus et contemptui. Te enim haud aliter ridebunt atque Iudaei aliquando in cruce pendentem: dicent enim, Ecce iste coepit aedificare et non potuit consummare. O igitur suavissima vitis, cuius vinitor pater, palmites vero nos sumus, sationem ac aedificationem tuam ne deseras! te enim adfuturum pollicitus es usque ad saeculi consummationem, et iussisti ut securi essemus cum ad reges et praesides duceremur: in ipso enim tempore spiritum patrocinaturum verbaque dictaturum, quo testimonium de te cogerentur quidam inviti etiam audire. Da igitur sermonem rectum in os omnium qui gloriam tuam quaerunt et nomen sanctificant, ut ea loquantur coram principibus mundi huius, quae tibi sint accepta et miseris mortalibus utilia. Ita enim fiet ut nos, qui mutuo membra sumus et unum corpus in te uno perpetuoque capite, coeamus in unam sponsam tuam, quam Paulus uni tibi desponsavit non habentem rugam neque maculam, et deseratur ea, quae aliud non est quam inquinationes et maculae, quod nomen dei male propter eos audiat. Qui cum patre et spiritu sancto vivis ac regnas deus per omnia saecula sacculorum, Amen.

Videbor vobis, ut auguror, plus aequo omnia exasperasse: hoc enim hodie habent pleraeque Theologorum mentes cum aulicis commune, ut nihil pium, nihil sanctum, nihil rectum quam quod ipsi fecerint putent. Nam si pronuntiant, ratum esse oportet: si damnant, ferre: si calumniantur, tacere. Tum fere natura ita comparatum videmus, ut qui maxime laeserunt, velint minime laesisse videri. Quod si ipsi ita estis animati, non est ut quicquam boni de vobis sperem: nihil enim aliud quam quiritabimini, rem indignam fieri, gregarium Episcopum ausum esse Episcopo suo obstrepere, nec boni consuletis hanc admonitiunculam, qua vos ab irritando Episcopo dehortatus sum: id quod me ne tantillum quidem terrebit. Sed nec quod iam ad contumelias conversi pipionem, vappam, aut sycophantam passim adpellatis magis movebit quam asinum imber: iam enim cutem ita contraxi, ut haec tela prorsus contemnam. Ac quod ad rem adtinet, tam abest ut vobis cedam, ut nisi quietem et otium tum nobis tum nostris hoc est Christi ovibus permiseritis, longe sim vobiscum incivilius acturus, nihil veritus vel ora vestra vel supercilia. Sacris, a deoque allatis (ne id ignoretis) agere mecum oportebit scripturis, iisque minime tortis, non hominum vanitate excogitatis, cominus non cuniculis congredi: nam insidias ut primum sensero prodam. Satis fuerit hac vice ignotum esse, quod pacem specie pacis turbare fuistis ausi. Si vero, quod nolim, in praecepto instituto, nempe nomini Zuinglii parcendo, circumstantiis tamen omnibus prodere conando, ac traducere, maneatis, ego nominibus vestris minime parcam, sed nominatos in singulare

certamen haud aliter ac Menelaus Alexandrum provocabo, et si per contemptum prodire neglexeritis, inertiam orbi canam: sed dii meliora. Spero enim, quod posteaquam aculeos vestros didiceritis digne esse retusos, non sitis bellum reparaturi, sed animum ac manus deo daturi. Videtis enim quam infeliciter hactenus sint cum piis Evangelicisque viris congressi ii qui humanas traditiones, somnia, et *ὑδὲν ὑγιὲς* tuentur. Quod si desuper datum erit ut resipiscatis, sciatis me ita vestrum futurum ut nemo sit amicitiam vestram vehementius ambiturus, nemo ad propugnandum pro vobis audacius procursurus. Deus optimus maximus faxit, ut omnia omnium gentium pectora divino ita illustrentur iubare, ut in una fide unum fiant, et eum qui unus est perpetuo possideant. Amen. Valete ex Tiguro 23. die Augusti. Anno MDXXII.

---

Rumpant ilia Episcopi universi [1]
Qui sunt nomine, re lupi voraces,
Quod iam rursus in orbe veritatis
Lux Evangelicae vetus refulget,
Atque hoc, intrepidis trilinguibusque
Missis Luciferis, deo magistro.
Imo (verus enim Propheta dicam)
Quod horum imperium tyrannidemque,
Quod claves, Canones, librum Simonis,
Parricidia conscientiarum,
Quod ista agmina mercium sacrarum,
Bullas, fulmina, *δεισιδαιμονίαν*,
Verbum Evangelicum arduis triumphis
Ducit, perpetuoque victa ducet.
Qui sunt nomine, re lupi voraces.
Rumpant ilia Episcopi universi.

Conradus Grebelius
in gratiam reducis Evangelii.

---

[1]) Hi versiculi, primae editioni subscripti, a Gualtero, Operum Zuinglii editore, sunt omissi.

# SUGGESTIO DELIBERANDI SUPER PROPOSITIONE HADRIANI PONTIFICIS ROMANI NEROBERGAE FACTA AD PRINCIPES GERMANIAE A QUODAM INGENUE TUM IN COMMUNE REIPUBLICAE CHRISTIANAE TUM PRIVATIM GERMANIAE FAVENTE SCRIPTA.

Sub finem Novembris 1522. Adrianus VI. pontifex recens creatus litteras ad Comitia Ordinum Norinbergae congressorum tradendas curaverat, per quas pollicebatur pacem inter reges ac principes restituere eosque permovere, ut copias suas consociatas in Turcas converterent, simul autem adhortabatur ad opprimendam haeresin Lutheri, gravissimis criminibus oneratam, quam ei eiusque sectatoribus concesserant veniam exprobrabat, bustaque Hussi et Hieronymi Pragensis ad Constantiam imitanda proponebat. Ordines Imperii centum illa gravamina in aulam Romanam responsi loco reddiderunt; recusarunt scripta pro haereticis delata incendio dare; at censuram instituerunt novorum, qui deinceps vulgatum irent, librorum. Ad hoc etiam Confoederati a Comitiis admonentur. Diacosii Tiguri obsequentes deligunt e Canonicis Zuinglium et Utingerum, e Senatu Walderum ac Binderum tribunos censores librorum Tiguri in lucem edendorum. (Sleidan. ad a. 1522, et Wirz. N. Hist. Eccl. Helv. II. 9—11.)

Tum tacito nomine Zuinglius hoc scriptum ad Ordines Imperii misit, moniturus, ut caverent consilia Romae, tutelamque disciplinae evangelicae commendaturus. Prodiit adhuc 1522. uno folio quart. atque extat quoque Opp. I. 145 a — 146 b.

## ME LEGAT QUICUNQUE DEFENSAM VELIT ET CHRISTIANAM RELIGIONEM, ET GERMANIAE LIBERTATEM VINDICATAM.

Dederat aliquando consilium,[1] o prudentissimi Germaniae Principes, doctus quidam, quo Lutheri causa facile tum componi potuisset, ut multi opinabantur, nisi quorundam pervicacia obstitisset, qui vanas quotidie spes extinguendi Lutheri, simul atque intra se concepissent, passim inter suae farinae homines dissipabant. Quae, ut hactenus exitum non invenerunt, ita prorsus nihil remiserunt: idem agitur quod olim. Compertum etenim habemus recens inauguratum pontificem Romanum Nerobergae ista quae sequuntur proponere:

1. Se esse animatum, ut Caesarem et Francorum regem componat.
2. Ut Ecclesiam instauret.
3. Exercitum in Thurcos expediat.
4. Lutherum cum secta sua extinguat.

Hic mihi visus sum (quicunque tandem sum) operae pretium facere si vestrae prudentiae, quid ipse in hac re sentiam aperuero, ac velut ansam deliberandi suggessero: sapienti enim, inquit Salomon, si occasionem praebueris, sapientior erit. Non equidem opto, ut prudentia vestra rem ex nostra sententia gerat: ego enim quis sum? sed, quandoquidem Saepe etiam est olitor valde opportuna locutus, parvitatem nostram benignius audiat, quaeque vana videbuntur reiiciat, nec indignam rem fieri putet, si vulgaris aut privatus Principes admoneat. Nam et Amos de grege vocatus spiritu coelesti imbuitur, ut universum populum Israeliticum arguat. Ego vero humiliter modo suggero, quomodo ipse rem totam, ut primum audivi, expenderim, idemque vos facere per Iesum Christum oro. Nomini nostro non metus, sed arrogantiae notam declinandi causa, pepercimus.

1. Consideravi itaque, quod ad primum attinet, si Romanus pontifex in hoc incumbit ut Caesarem et Francorum regem componat:[2] qui fiat ut hoc apud Germanos ordiatur, a quibus negotium minime pendet? Deinde si Ecclesiam reparare constituit, quamobrem non a suis Episcopis et Cardinalibus auspicetur, praesertim quod palam sit omnibus omnem luxum et abusum Ecclesiasticorum a Romanis tanquam a fonte in universum orbem derivatos esse? Si vero copias in Thurcos expedire, miror tam audax propositum, quod septuagenarius, quod Christi mansuetissimi sacerdos et vicarius (ut hoc interim donem) nondum pacatis bellis, nec principum summorum conciliatis animis, tantum facinus promittere audet, quasi ex se omnia pendeant.[3] Nam tametsi quiddam sibi de Caesare polliceri potest, certe de Francorum rege hodie nihil potest, quem

---

1) Zuinglius significat hic suum ipsius scriptum: *Consilium cuiusdam* etc. quod 1520. nullo auctoris nomine vulgatum erat. 2) Galli 1522 post praelium apud Bicocam Lombardiam perdiderant; Caesar autem oppressa Hispaniarum seditione in eo erat, ut Franciscum I. regem eius in finibus omnibus quibus valeret copiis aggrederetur. 3) Adrianus equitibus Rhodiis quantam potuit opem tulit; sed post obsidionem septimestrem equites omni auxilio destituti coacti sunt 25. Dec. 1523, Rhodum dedere Turcis.

undique tam hostiliter oppugnant, ut ad tuendum regnum vires aegre sufficiant. Taceo quod nesciam quam tutum sit nedum pium de Republica Christiana tam temere periclitari cum hoste praesertim tam vafro, forti ac praedivite, formidabili quoque, non modo imbelli vetuloque sacerdotulo, sed summis etiam cordatissimisque ducibus.

II. Consideravi e diverso ex rebus non adeo dudum gestis, anne Romani pontifices quiddam tale, quale noster Hadrianus molitur, praestiterint. Inveni autem eos nihil minus proximis fere triginta annis quam Principum concordiam ferre potuisse: iis enim sese mutuo conterentibus Roma tacite, sed ampliter, suis deliciis fruitur. Idque fere nostra tempestate accidit, ut aut bella gesserint Romani pontifices, aut Eridis more concitaverint. [1] Quomodo autem Ecclesiasticorum mores hactenus correxerint, postremo habita concilia generalia clarissime docent. Coeperunt enim in concilio Basiliensi, quo Caesaris ac principum expectationem frustrarentur, talia vel consimilia decernere: Clericus curtam vestem non gerat, laxas manicas in tunica non habeat. Cardinalis supra triginta beneficia Ecclesiastica non habeat. Concubinam in sacris constitutus nemo aperte foveat. Crines ac barbam ad minus in mense semel tondeat. Porro Christi doctrinae brevis aut nulla prorsus mentio. Atque haec anilia deliramenta reformationem Ecclesiae audent adpellare. Expeditionis autem in Thurcos praetextu tanquam esca quantas Philippeorum myriades emunxerint, quid recensere refert? cum nemo sit, qui id non senserit nedum audierit vel viderit.

III. Omnibus igitur in hunc modum expensis, nempe neque ratione ulla, neque rerum paulo ante gestarum fide, videri posse Romanenses id in animo habere quod prae se ferunt (fecerunt enim idem a principio functionis suae Romani pontifices, quod hic noster videlicet, ut omnium oculos vanis spebus in se converterent, quas non ridiculo mure, sed insigni tandem aliquo damno eluserunt): superest, ut haec tria praetexantur, quo facilius perdere Lutherum possint. Neque ego Lutheri causae hic patrocinor, sed Evangelii: manifestum enim est omnibus, quod Lutherianos omnes eos appellant, qui Evangelium sincerius praedicant, quo latius possint atrociusque grassari.

IV. Nam quod ad Lutherum attinet, convincendus est scripturae robore non silvae. Si vero privatim quid vel in pontificem vel Principes mordacius expuit, dicatur ei dies, integrumque sit illi satisfacere: omnibus enim notum est, Lutherum nulli gentilium impegisse nisi qui prius prosciderit, nisi placeat Iudaeos imitari, qui Christum infestis clamoribus occiderunt: si non esset hic malefactor non tibi tradidissemus eum, et: Ni hunc occidis, non es amicus Caesaris.

V. Porro Evangelii cognitio quantum brevi adoleverit, nemo ex vobis est, o fortissimi Heroes, qui ignoret, quae, dum his qui ad rem sunt paulo attentiores, obstat, nec tamen aperto illam Marte oppugnare

---

1) Hoc tum inprimis Confoederati sua experientia docti norant, apud quos pontifices aliquam partem ludi, cui praemium Italia propositum erat, cum principibus exercebant. Zuinglius ipse his rebus interfuit in Helvetia praesens ac prius in Italia ipsa.

audent, cuniculis rem gerere parant. Eam enim cupiunt Lutheri nomine odiosam reddere; quod si eis permiseritis, quo quaeso devenietur?

VI. Huc certe, ut multi, quorum spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, cum Simone Christum negent, ut hi qui omnia ferre pro Christo parati sunt, passim Lutherani nominis praetextu indicta causa trucidentur, urantur, vinculis et pedoribus conficiantur: quam equidem illis gloriam (libenter enim gloriabuntur in infirmitatibus) non invideo, quin potius hortor, ut posthabitis omnibus macti virtute hunc imitentur, qui sese pro nobis redimendis exposuit. Sed est quod omnium minime velim vestras manus tam atroci flagitio contaminari, neque vos ad hanc petram offendere.

VII. Dein huc etiam venietur, ut Romanensium gratia universam Germaniam summo tumultui involvatis. Videtis enim ut regnum dei vim patiatur, violentique illud rapiant, vulgares, magistratus, docti, indocti, principes et idiotae; ac quanto quisque est innocentior tanto vehementius impressionem facit ad coelestis doctrinae fontes contendens. Hi omnes, inquam, cum Evangelii hostibus committentur, si sub Lutheri nomine bellum aut exilium Evangelio indicatur, et seditiones, dissidia, tumultus, transalpina supellex, in Germaniam transferentur, quod quantum cuiusque regno profuturum sit nemo non videt.

VIII. Moliuntur autem hanc malorum lernam Romanenses. Eorum enim literas vidi ad quosdam in Germania eiusdem pulveris homines scriptas, quibus nuntiant Pontificem Romanum omnia tentaturum, ut sectam Lutherianam extinguat: quin hi qui sunt pontificiae factionis palam gloriantur, adesse qui omnia restituat in locum pristinum. Haec vobis nimirum scientibus et prudentibus loquor. Ipsi enim sua tacere non possunt: ita urget dolor consilia in quae spes suas locant prodere.

IX. Hoc tamen admonitos volo, ut si audiatis inducias inter Francorum regem ac Caesarem factas, sciatis non ea gratia factas esse, ut vel in Thurcos mittatur exercitus, vel ut ipsi paulisper respirent. Quomodo enim simul fideliter essent pugnaturi, qui adhuc inter se hostiliter dissiderent? vel quomodo respirationem darent ei, quem statuerunt toto etiam decennio belli oneribus fatigare? Sed ut nervis omnibus possint in hoc unum incumbere, ut Evangelii praedicatio sub Lutheri nomine infirmetur. Quod si factum erit, obtinuit Roma non iam totius Germaniae regnum, sed orbis Christiani monarchiam. Taceo hic quiddam cuique cogitandum. Nulli quoque principum imponere debet, quod superiores pontifices Romani coeperunt liberos vestros ad episcopatus et purpureum pileum vocare. Hoc enim propter praesentem necessitatem tantum factum est, quo vos velut acceptis obsidibus oppignerarent vel dicto audientes facerent; quod ubi praestiteritis, despicient. Atque interim vos hoc damni feretis, ut quod aliquando Romanos pontifices passi estis vestris tribuere quod vestrum erat, cum dolore cernatis non vestris accedere.

X. Sed neque istud praeterierim, quod ad praesentem occasionem passim rumores dissipa[illegible]r, novicium Pontificem infensum esse luxui Cardinalium, atque eius esse sententiae, ut supra octo Cardinales inaugurare nolit. Deo gratia, quod vel huc ventum est: verum quid

octo faciet? Si cardinalicius ordo Rempublicam Christianam decet ex Christi aut apostolorum instituto: cur non potius augetur quam minuitur? aut quomodo licebit abolere quod deus statuit? Si ex dei instituto non est: quid vel octo miserae plebi obtruduntur, ac non potius tota radix prorsus evellitur, ne unquam simile luxus seminarium pullulet?

XI. Verum confestim videbimus an dictus pontifex cupiat ad regulam Evangelicam Episcoporum et Cardinalium mores corrigere: nam si eis Thurcorum muros et lapidea corda septies uno die, hoc est indesinenter praecipiat ambire, ac tubarum instar Evangelium ebuccinare: iam certi erimus eum ad magistri sui exemplar omnia comparaturum, qui ut messem videbat adpetere, misit suos ut meterent sine sacculo et pera, indubieque sperabimus eum Thurcorum animas lucrifacturum. Porro si machinas commeatum, pedites, classem, equites expediat, nihil differet a mundi huius tyrannis: periclitabitur enim tota Respublica Christiana. Cardinales autem et episcopi praesertim, quos suffraganeos adpellamus, si fortiter Evangelii munus obierint, immensam hominum capient multitudinem citra omne populi periculum, citraque caedem et sanguinem; ni, forte fortuna ipsi occidantur. Id autem proventus certissimum indicium erit. Granum enim tritici si mortuum fuerit, multum fructum adferet. [1]

XII. Itaque si Hadrianus, vir nimirum vehementer et prudens et doctus, [2] vere favet renascenti Christo, iubebit ante omnia Christi doctrinam pure, fideliter et constanter praedicari, pollicebiturque orbi Christianorum quoad poterit omnia ad disciplinam Christi reparaturum. Sic enim fiet ut recte coeptis omnes faveant, quotquot Christi nomine censeri cupiunt.

XIII. Si vero Lutherus, vir sine controversia pius et doctus, indigne tractetur, quis tutus erit? Erasmum iam rumor est declaratum esse haereticum, [3] qui si quid peccavit, hoc peccavit quod Romulidis istis nimis pepercit, maluitque Heli in morem paterne ac blande admonere, quam Heliam imitando acerbe obiurgare. Quod si factum erit (dii meliora) proximus est, quisquis erit piissimus et innocentissimus.

XIV. Iam neque hoc tacebo Hadrianum Romanum pontificem mire commendari ab artificio quaeque simulandi et dissimulandi, et hoc ab his qui diutinam vitae consuetudinem cum illo habuerunt; unde non iniuria quis bonam de eo spem concipere fortasse poterit: nempe, ut quicquid nunc agit citra regulam Christi, in eum usum faciat, ne insueti Evangelicae doctrinae ab eo resiliant antequam aliquid de illo audierint, donetque quiddam infirmis. Faxit deus Optimus Maximus, ut sua voluntas vincat, non nostra sententia. Summa summarum, nemo tam

---

1) Adde: „*Alioqui inutilis Cardinalium seges defuncto isto Pontifice rursum pullulabit.*“ Haec in autographo subiecta Zuinglius ipse oblitteravit. 2) De hoc Vol. VII. 266. 3) Stunica Erasmi inimicus, hoc tempore Romae versabatur, excerptis ex eius scriptis probaturus, hunc verum auctorem esse Lutheranorum schismatum motuumque inde exortorum. Leo X. quum prohibuisset invectiva Stunicae ne typis exscriberentur, post fatum illius hic ea in vulgus edidit. Erasmus ex hac re magno timore affectus trepide se defendit. Vid. *Hess*, vita *Erasmi*. I. 401 sqq.

hebes sit, ut propter Romanenses, qui Germaniam tot saeculis riserunt, quicquam tumulti excitet etiamsi Christi causa non ageretur; iterum nemo tam servili ac abiecto animo ut, ultro oblata libertate, nolit ea iuxta Pauli verbum potius uti, quam infructuosae imo detrimentosae servitutis loris teneri.

Esaiae 8:9,10. Congregamini populi et vincemini. Audite universae procul terrae! confortamini et vincemini, accingite vos et vincemini, inite consilium et dissipabitur, loquimini verbum et non fiet, quia nobiscum deus.

# DE CANONE MISSAE
## HULDRICHI ZUINGLII EPICHIRESIS.

*Ω ΚΥΡΙΕ ΕΥΟΔΗΣΟΝ ΔΗ.*

MATTHAEI XI. VENITE AD ME OMNES QUI LABORATIS ET ONERATI ESTIS, ET EGO REFICIAM VOS.

---

Probe sentiens, quantus ad reformandum cultum sit passus, praesertim ad immutationem Missae in S. Coenam, Zuinglius diu sese sermonibus sacris librisque scribendis praeparabat. Leo Iudae latinam formulam baptismatis converterat in teutonicam, ita ut pristinarum ceremoniarum nonnihil omitteret. Ad hanc formulam 10. Augusti 1523. primus infans in templo Monasterii baptizatus est. Hoc periculo tentatum esse videtur, quid de mutando Canone Missae augurari liceat; quumque haec mutatio in baptismatis ritu non admodum hominum animos afficeret, nedum offenderet, iam Zuinglius raptim intra quatriduum, 25—29 diebus Augusti librum isthunc de Canone Missae exaravit, et aliquot hebdomadibus post apologiam eius in lucem edidit. Haec incenderunt abrogandae Missae cupiditatem. Zuinglius autem hoc summum discrimen praecipitatum nolens omnia eo dirigere, ut necessitas ipsa rem exigat, cuius maturandae causa disputationem de imaginibus et Missa instituit. Attamen sesquianno post Senatus prudens demum Missam antiquari decrevit, tum vero pervicacissime.

---

THEOBALDO A GEROLDSEGG
EREMI DIVAE VIRGINIS APUD SUITENSES ADMINISTRATORI [1]
HULDRICHUS ZUINGLIUS GRATIAM ET PACEM A DEO ET DOMINO NOSTRO IESU CHRISTO.

Vides humanissime ac piissime Theobalde (quid enim doctrinam commemorem, qua tu aliquando nihil antiquius duxisti, nunc pro stercore putas, quo Christum lucreris?) vides, inquam, ut divina providentia fiat, ut Christi seges tam feliciter herbescat, inter tot etiam spinas et tribulos; inter tot coeli volucres tam anxie insidiantes; inter tot, nam apertius

---

[1]) Unus de studiosissimis et intimis amicis Zuinglii, ex quo Eremum eum vocavit usque dum Capellae una cum eo occubuit. Vid. Vol. VII. 59.

dicam, ferocientes tyrannos, qui armis contra coelestem veritatem prodeunt; inter tot tribulos et paliuros, quos inimicus homo clam in sementem tritici iniecit, malos pontifices dico (verum quid malos exprimo? cum hoc unum Pontificem vocari, et se pro principe gerere, satis flagitii sit, ut Christiani nominis gloriam infamet); inter tot diabolici regni legatos, qui hoc unum agunt, ut verbo dei insidientur et de cordibus fidelium tollant, et ad hunc usum eloquentiam, linguarum interpretationem, quin sacrarum quoque literarum peritiam comparant, ut noceant. Quemadmodum imperatores facere videmus, qui non tam suos instruunt quam hostium castra, ingenium, arma, vires, consilia explorant, quo vehementius noceant. Haec omnia verbi dei obstacula, arma, hypocrisis, ploratus, insidiae, incrementum eius sistere non possunt, augescit persecutione; dum premitur amplificatur. Crevit enim hac nostra tempestate sinapis granum, ut iam coeli volucres ferat. Et angulus ferme non est, praesertim in Germania, in quo bonus Evangelii odor non olfiat. Quid igitur cunctamur impressionem tandem facere, et munitiones eas demoliri quae se in altum extulerunt adversus scientiam dei? Quid stamus? nonne explorata habemus omnia? hostes nostri consilio destituti sunt: nam si veritate scripturae niterentur, iam dudum aciem instruxissent; in totis castris eorum trepidatio est. Atroces tantummodo minas, inania plane tela iactant: quibus qui cesserit, frustra Christum praedicandum suscepit. Nam quis alius erit usus putridi corporis nostri, quam ut in vinea domini caedatur, et stercorando terram opimet, quo vites inde pastae uberem domino fructum referant? Sanguine suo peperit ecclesiam Christus, sanguine rursum lustrabit. Non est igitur ut anxie nimis scandali rationem ultra habeamus: quis enim amplius offendi potest, quam ii fere, qui perfidia obstinati verbum recipere nolunt? Horum aliquando ratio habenda est qui Christi doctrinam receperunt ne, dum clare omnia docentur, nihil tamen quod Christo repugnat antiquatur, ii cessare incipiant et offendi, qui iam ad ipsius partes concesserint. Excutiendus est pedum pulvis in eos qui nos recipere nolunt: nam quae esset haec iniquitas propter perfidos quosdam cunctari, quos tamen mutari spes nulla est, et diffluere interim sinere illos, quos iam in Christo collegeris? Haec adeo reputatio, charissime domine et in Christo frater, me movit, ut in Canonem missae castra movere sim ausus, rem hercle facilem et minime periculosam, si adversarii vim spectes; verum cum odio summo coniunctam, si eos quorum quaestus per eum fuit uberrimus. Nam ii haud aliter saevient quam ii praestigiatores quorum puellam Paulus daemonio liberaverat, aut qui Ephesi tumultu argentarii extimulati urbem miscebant. At usus tandem postulabat ut aliquis sese periculo exponeret. Et quanquam annos iam aliquot meditor quod nunc primum ordior,[1] non tamen vel mihi ipse satisfacio: nam intra quatriduum quicquid est absolvere coactus sum. Ita urgebat Chalcographus ad nundinas Francfordienses properans. Epichiresin igitur adpellavimus, hoc est conatum. Procurrimus nos, agmen tamen ipsum sequetur, si hostes ex castrorum

---

[1]) Ampliora videsis in Commentario de vera et falsa religione; Subsidio, et Epist. Zuinglii ad Th. Wyttenbachium 15 Iun. 1523. Vol. VII, 299 etc.

latebris in apertum processerint et aciem instruxerint. Interea discent, qui aequo sunt timidiores, sanctam quandam audaciam, qua licere sibi videbunt pro suae pietatis spiritusque mensura orare, dum animam cibo potuque coelesti reficere cupiunt. Quis enim tam stupidus erit, qui putet unam eandemque orationem, nisi plane divina sit, qualis est dominica et aliae quae ad regulam verbi dei cusae sunt, omnium devotioni convenire? Nam quos tum putas doctorum saltem ac piorum non incidisse in fastidium hactenus, cum tam frigida, imo non raro impia precari compellerentur? Scio ipse non paucos qui cum missare cogerentur, et tamen interim a canone tam vehementer abhorrerent, pleraque omisisse quae offenderent: quos equidem laudo potius quam damnem. Sed hinc quiritandi ansam acceperunt malevoli. Ut igitur oculis omnium pateat Canonem aliud nihil esse quam variarum variorum orationum commentarium, e spelunca primum ceu Cacum aliquem in lucem protraxi, ut lusciosi etiam sint naevos et rugas eius visuri; quin minus dixi: monstrum esse videbunt et chimaeram. Cum enim hic te speres pietatis incitamentum inventurum, postremo draconta reperis. Tot enim impia habet quot orationes: verbis ipsis sacris, et una precatione tantum excepta, nulla est quae non aliquid impietatis redoleat. Quo fiet ut minus simus aliquando Aegyptiorum stultitiam admiraturi, quod non modo Apim et Crocodilum, sed cepas quoque et allium deorum loco habuerint, et quem tonantis Iovis modo formidare oportuit ventris crepitum: quum nos qui veram religionem adepti sumus, religiosius esse duxerimus de Canone loqui quam de verbis Christi. Hic dicebatur: Ne contingas, ne spectes, legas! nam si secus feceris, anathema eris et maranatha. Et cum in ipsa adyta penetramus, thesaurus, quod dicitur, carbones erant, imo impurior carbonibus: impietate enim quid impurius est? Et Canon ipse scatet impietate, quam ubi digito locis suis monstravimus, Canonem novum orsi sumus, non quem ab omnibus recipi velimus; ita nos Christus amet! nam quae est potestas nostra, ut hoc vel postulare vel praecipere possimus? sed ut iis qui omnibus ad hanc rem necessariis melius structi sunt quam nos, magis pia dandi ansam et occasionem offerremus. Posuimus in nostro Canone ad caput orationem generalem, in qua primi hominis status, casus, instauratio brevibus comprehenditur. Post orationes tres, quarum rationem paucis suo loco reddidimus. Haec omnia mea quidem sententia libera esse oportet, quandiu non publice in ea lingua qua quaelibet ecclesia utitur ipsam synaxim perficimus. Ubi vero publice precandi mos recipietur, utetur quaelibet Ecclesia quibus placebit orationibus, modo sint ad regulam verbi dei formatae. Quod autem ad ipsa Christi verba attinet, non mutabit ea quisquam: haec intacta semper esse oportet, non quemadmodum eis hactenus usi sumus, sed quemadmodum ea scribunt Matthaeus, Marcus, Lucas, Paulus. Quae si integra semper ac immutata servantur, iam huius rei summa integra manet: parvi enim refert quibus quisque verbis deum adpellet, modo sciat non parum referre, ut verbum dei adprobe reddat. Id sacrosanctum est, nobis subiici non debet: nec enim potest. In consecratione poculi nihil interest utrum dicas, qui pro vobis funditur, vel qui pro multitudine funditur: eundem enim sensum habent.

Nam cum Christus ad discipulos diceret, pro vobis, universo mortalium numero locutus est. Marci 13: 37. Quae vobis dico, omnibus dico. Idem igitur pollet pro vobis, quod pro tota multitudine. Et ipsam consecrationem ad Canonis nostri finem posuimus: nam discipuli quoque mox ut praebitum esset, corpus et sanguinem ederunt et biberunt, Marci 14: 23. Sic et nos decet, quamprimum per verbum dei species panis et vini inauguraverimus, omnes advocare qui esuriant, ac benigniter cibare, et postea gratiarum actionem brevem subiungere. Nullas vel pro vivis vel pro defunctis precationes struximus, atque id de industria: nam quicquid cogitarem, videbam nundinationibus fenestram adperiri. Neque tamen in ea sententia sumus, ut alibi non debeant publicae orationes fieri pro Ecclesia, potestatibus, ac in tribulationibus constitutis; imo per Christum hortamur omnes verbi dei ministros, ut hoc mox a promulgatione Evangelii faciant. Ac operam dent, ut sicubi adhuc aliquid scandali remaneat, expurgent, ut omnia olim palam in cuiusvis Ecclesiae lingua agantur: nihil enim habet verbum dei quod non debeat manifestari, nec quicquam in eo est quod lucem reformidet, Lucae 8: 17. Hanc itaque opellam, qualis qualis est, tibi nuncupandam esse multis nominibus existimavimus, isthoc tamen potissimum, quod posteaquam ad aratrum manum admovisti, non respicis retro. Quod heu quosdam facere videre est, quibus Christus belle arridet; verum ubi rei, ubi nomini quid decedere occipit, pudor est quam frigeant, quam se torqueant, in quot se figuras transmutent. Secus tu facis qui nullo adversitatis vento vel tantillum te flecti sinis, quae constantia germanae fidei argumentum est: eam enim per angelum deus Christo domino nostro praecepit. Sic tu quoque constans et robustus esto. Victor non abit, qui aciem priusquam hostis profligatus est, deserit: perseverare usque in finem oportet eum qui salvus fieri cupit. Sunt aliae praeterea causae quibus tibi in commune omnes literarum candidati plurimum debent, quod omnes ex aequo fere amplecteris. Ego vero ante omnes debitor sum, quod annis iam non adeo paucis[1] ita foveris, colueris, tutatus sis, ut parens non potuisset melius aut dexterius. Nec me in amicitiam tuam solum, sed intra pectoris penetralia admisisti, quo non video an ullum praeter necessarios tam arcte unquam admiseris, praeterquam Franciscum nostrum Zinggium,[2] virum eruditione, prudentia, pietate insignem, quo dispeream si unquam quicquam expertus sum humanius aut amicius, cuius tecum coniunctio nescio an illi plus splendoris an tibi plus gratiae pariat: nam quoties unquam sine illo soli fuimus, visi sumus medii abesse, ut liquido videatur falsum esse quod apud nostrates vertitur proverbium, inter tres unum esse reiiculum: tanta semper fuit omnium trium concordia et unitas. Hae, inquam, pietatis et humanitatis causae sunt cur tibi haec progymnasmata nuncupaverim, non quod par pari me dependisse putem, sed ut vel aliqua ratione gratitudinem erga te meam tester. Perge vir deo dignissime ut coepisti, et locum tuum ne deseras. Dabit deus his quoque finem: nemo coronabitur nisi legitime certaverit. Vale, servetque te Christus Optimus Maximus incolumem. Salvos optamus Franc.

---

1) Inde a 1516. 2) De eo Vol. I. p. 491.

Zinggium, et Ioannem Bovillum [1] fidelem in Evangelio Christi *σύνεργον*. Salutat vos omnes Leo Iudae, frater noster, etiam adiutor in Evangelio. Ex Tiguro IV. cal. Septemb. MDXXIII.

---

# DE CANONE MISSAE
## EPICHIRESIS.

Missae Canonem, ut vocant, aggressurus, in ipso statim vestibulo quam mihi multorum invidiam parem, non ignoro: atque si hominibus adhuc placere magis cuperem quam Christi servus esse, vehementer nimirum ab instituto deterrerer. Nunc vero cum ex una parte videam tam insignes talpas stare, suo tamen *γρῦ* feroces; ex altera tam oculatos Argos, sed nescio qua ex causa parum masculos: quorum ii quidem facile perspiciunt quid ubique sit in Missae Canone aberratum, sed meliora dare etiam cum possent nunquam inceptant; illi cum veritatis frontem intueri nequeant, nihil aliud quam criminantur quam nunquam agnoverunt, ac dum ipsi ab eius luce tam longe absunt, nullis propius accedere permittunt: operae pretium duximus, si ante omnia dictum Canonem e specu protraxerimus, et palam cunctis spectandum praebuerimus. Hoc enim pacto manifestum fiet, quid quantumque possit error, qui haud secus atque potentissimum aliquod numen mortalium corda sibi devincit, adeo ut quae iste dictaverit mordicus teneant, nec ratione ulla divelli possint. Quos equidem, quamvis cum dolore, sibi permittere possem errorique isti suo (talpae enim sunt, et oculos fortasse recipere nolunt), si non aliquanto procacius obstreperent. Verum hoc iterum eis faciam, parcam praeteriboque silentio. Talpae enim sunt, quas ne te videant vereri non oportet, sed ne audiant: aures enim si fefelleris, iam secure praeteribis. Hinc igitur ad nostros istos convertar, qui oculis inconniventibus aciem in ferventem etiam solem intendere possunt, istis errori suo relictis. Eisque producti Canonis vitia digito monstrabo primum; post, meliora non tam praestabo quam eruditioribus praestandi ansam exhibebo.

Principio igitur de nomenclatura dicam. Canona regulam esse, non puto qui ignoret; verum ubi, aut quo tempore id nominis invenerit, id vero omnes ignorare arbitror. Cum enim Gregorios inveniamus et Alexandros, Leones et Sergios, Romanos pontifices, quaedam in eo statuisse, qui tamen variis temporum intervallis inter se distincti sunt, videre nequeo quomodo factum sit ut merito Canonis nomen sortiretur. Nam si ante Gregorii tempora Canon adpellatus est, debuit religio vetare quicquam addi, nisi quid necessarium defuisset. Quod si defuit, indignum erat adpellari Canonem: ad regulam enim quis est, qui addi aliquid oportere credat? Sic deinceps de reliquis dicendum erit, qui velut auctarium quaedam adiecerunt. Nam si cuique licet adiicere quod videtur, licebit nimirum et abiicere quod displicet. Atque haec non

---

[1]) De eo Vol. VII. p. 43.

dicimus in hunc usum, ut canonis nomen huic praescripto invideamus: parvi enim refert quocunque tandem nomine adpellcs; sed ut plane pateat eum, cui quidam plus tribuunt quam ipsis Christi verbis, sacrumque putant si quis de illo verius pronunciet, non esse simul conditum, nec concilio aliquo, cui isti tantum tribuunt, promulgatum: nam si id unquam factum esset, admisissent stellionatus crimen Gregorii duo, Alexandri duo, Sergius et Leo, dum quaedam de suo adiecerunt. Adde quod omnia in eo scripta inferiorem Gregorio aetatem potius resipiunt quam superiorem. Quod si recipis, ut non dubito doctos omnes facile recepturos (dummodo sensum et orationis filum intuentur), eveniet ut ignoremus quonam ritu, quibusque verbis prisci illi se ad hunc cibum adparavèrint; imo eveniet ut ne Gregorium quidem auctarium suum adiecisse permittamus. Qui enim fieri potuisset ut adiecerit ad id quod nondum erat? Quin audacter dicam, si Gregorio fuisset hic Canon oblatus, nunquam quicquam additurum fuisse arbitror eum, sed vel immutaturum vel reiecturum: tanta est eius tum barbaries tum rusticitas, ut post patebit. Platinae, reliquisque rerum scriptoribus hac in re parum tribui debere arbitramur. Alterum argumentum adsumptionis huius est, quod hunc Canonem necesse foret media inter Ambrosium Gregoriumque tempestate conflatum esse: nam si ante Ambrosii tempora fuisset, nefas erat eum, isto posthabito, novum condere; aut si id licuit, verget hoc ad ingens praeiudicium Romanae sedis: permittet enim aliis Episcopis licere quod Ambrosio, nempe ut Romano pontifici suum sibi Canonem relinquant et quisque apud se proprium condant. Unde verisimilius est hunc quem in manibus habemus Canonem, recentius natum quam ut superiorum quisquam quicquam ad eum adiecerit. Adparetque nihil aliud quam precularum quarundam, tametsi aliquantisper piorum, sed non usque adeo doctorum hominum, quas illi vel publice vel privatim effuderunt, esse congeriem. Quid igitur attinet ei tam superstitiose haerere, cum etiamnunc liceat Insubribus Ambrosii sui praescripto uti, qui nunquid Christiani non sunt? Christiano igitur et mihi licebit Christiano Canone uti citra omnem vel fidei vel nominis iacturam. Nam, ut brevius colligam, Ambrosius vel hunc suum operandi ritum tradidit contempto isthoc nostro canone, vel nondum nato. Si contempto, mirum hercle non est, docto pioque viro tam barbarum ritum, adde quoque non undequaque pium, displicuisse; eritque hodie non impius qui secutus fuerit, cum scripturae tamen ratione, quod Ambrosio sequi licuit. Si Ambrosii tempestate nondum natus fuit canon, manifestum est quemque ad hunc cibum se praeparavisse iuxta spiritus dictamen; ergo nec hodie impius erit qui aliter quam haec canonis farrago continet precabitur. Ambrosii 4. lib. de sacramentis cap. 5. verba sciens volensque dissimulo, quod illic paucissima tantum quamvis summa tractet, ea nempe quibus Christus ipse usus est, quibusdam tamen exceptis; et quod ipse aliam canonis telam ordiri ausus est, etiamsi donemus hunc canonem tum extitisse. Cuius exemplum quod aemulari liceat, si evicerimus, iam superavimus. Ut ne in dubium vocem, sitne liber iste de sacramentis Ambrosii illius magni Mediolanensis episcopi necne. Quod ad oblationem illic, ut etiam vocat, attinet, in locum suum servamus.

Quod Missae nomen quidam apud Capnionem repererunt ab Hebraeis mutuo acceptum esse, hinc triumphant, verum quam impudenter audi. Capnion tradit *missah* oblationem esse quam superioribus inferiores exhibent, quam ipse quoque munus personale probat esse, quale fuit tributum de quo Christus, aliquando callide interrogatus, respondit Caesari praestari debere sua, et deo quae eius essent. Ut hic cum homine doctissimo paulisper dissentiam: Si missah munus personale est, quale ego non tributum modo, sed donum etiam minutulum quo etiamnunc principem suum quisque in Saturnalibus demeretur esse autumo, quid opus fuit Eucharistiae id nominis ab Hebraeis mutuari? cum certe pietas, etiam si Eucharistiam donaremus oblationem esse, nunquam admissura esset personale munus esse: nam quae comparatio tributi ad Eucharistiam? Verum ne hic hominem piissimum erroris coarguere voluisse censear, donabo ab Hebraeis mutuatum esse. Sed heus vos, num quod missah adpellastis Eucharistiam, extemplo erit missah, hoc est munus personale? quasi vero iste comoediae Dromo, quod a cursu nomen mutuaverat, extemplo celerrimus extiterit, et non contra pigerrimus et inertissimus: quemadmodum et Cumanus Leo, non mox ut sic adpellatus est, leo fuit, nec indigenae merces, mox ut peregrina nomina per negotiatores accipiunt, Indicae sunt; praesertim cum apud veteres id nominis aegre invenias, ni me fallit memoria, qui alias oblationem vocant. Unde apparet recens impositum esse, atque id inconsulte admodum, eucharistiae missae nomen, quam nec Christus, nec Paulus, nec veteres, ut nunc memini, sic adpellaverunt. Hinc vero adducor ut credam, iuxta iuniorum mentem, a mittendo adpellatam, quod se in coelum mittere, falso licet, existimaverint hostiam, quae semel oblata mactari ultra non potest. Verum quicquid sit, dum Christus, dum Apostoli missam nunquam adpellant, quid referebat missam adpellare cum non esset personale munus, quod tamen ipso nomine significatur? Missah personale munus significabat, antea quam Christus carne vestiretur; post idem significat. Quid nunc mea refert, qua tu quidque pro tua libidine voce nuncupes? nos de hoc digladiamur sitne eucharistia oblatio nec ne. At dum tu mihi ex nomine nihil aliud quam coniecturam obiicis, nihil occupas. Nam qua tu ratione ex nomine propositum evincere contendis, nos eadem via renitemur, quoniam Christus corpus suum et sanguinem appellavit, non missah. Verum quaestionem istam in locum ut diximus suum reiicimus. Satis hic est vidisse, missae nomen, sive nostrum est sive peregrinum, recens tamen esse, ac citra iustam rationem impositum, quod Christus, quod Apostoli, quod veteres eo abstinuerint, quos tamen certum est rem ita nuncupaturos fuisse, si oblatio esset vel personalis vel alia quaecunque. Verum quid stultius dici queat, quam cuicunque tandem rei nomen, ut collubitum sit, imponere, et mox contendere eam esse rem quam nomen indicat? Hoc enim pacto ex canicula Venerem facias, quod saepe id nominis caniculae recipiunt. Neque mihi hic eucharistiae nomen obiicias, quod neque hoc authoritatem aut a Christo aut ab Apostolis habeat, ut qui eo nusquam sint usi. Nam Eucharistiae nomen aliud nihil quam hunc cibum et potum liberale bonumque dei donum et gratiam esse praedicat, adeoque istud audet quod deum iam

videt ac sentit liberaliter hanc gratiam fecisse; unde ab eo quod iam factum est, nomen natum est. Contra tu facis, qui missam, hoc est personale munus ex eo facis quod tibi dono datum est, adeoque id audes nullo authore. Si Christus unquam dixisset: Ite offerte mihi vel patri me ipsum, non iniuria dedisses oblationi nomen missae, tametsi minus indicet quam ipsa sit apud se. Nunc cum Christus edere ac bibere solummodo iubet, nonne peccas cum aliud ex ipso facis quam ipse se fecerat? Facessant igitur haec nugamenta, et ad rem ipsam accedamus.

Huius quoque lectorem admonitum volo, quod non modo quae perperam tradita sunt in Canone prodituras sum, sed etiam quae bene. Barbarismos et soloecismos ad hunc usum indicabo, ut quibus rudius est iudicium, paulatim videant non apud priscos natum esse canonem, apud quos eloquentiae artificium longe integrius erat quam ut tantam infantiam tolerare potuerint. Sic igitur coelestem patrem, posteaquam angelicum ei encomium cecinimus, adorimur: Te igitur clementissime pater per Iesum Christum filium tuum dominum nostrum supplices rogamus et petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, haec munera, haec sancta sacrificia illibata. Recte precamur cum per Christum patri supplicamus: ita enim promissio habet Ioan. 14: 13 sq. Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam: et iterum: Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Idem promittit 15. Ideo pie dictum est: Te o clementissime pater per Christum obsecramus. Sed inconsiderate nimis: Et petimus ut accepta habeas et benedicas haec dona haec munera etc. Nam quae sunt ista dona de quibus hic fit mentio? corpusne et sanguis Christi? At illa nondum adsunt: nam consecrationis verba (ut vocant) nondum prolata sunt. Si vero haec dona panis sunt et vinum, quomodo ista sunt sacrificium illibatum? cum scholae non admittant vel ante sacra verba sacrificium esse, vel post illa panem et vinum. Neque ista elabendi rima patet, quod istud pronomen, haec, monstret id quod actutum fiet, quodque paulo post sequatur, quae tibi offerimus, non offeremus. Sed neque ista, quod pronomen, haec, universam actionem demonstret: nam in praesentiarum dona, munera, sacrificia exprimuntur. Deinde illud: Haec sancta sacrificia illibata, duplici nomine taxari potest. Primum quod sacrificia plurali numero posita huic sententiae obstant, qua scholae quoque unum esse sacrificium admittunt, etiamsi in locis innumeris totidemque vicibus offeratur, ut ipsi loquuntur. Hinc profecto adducor ut nonnihil suspicer his verbis voluisse, eum qui primum condidit, panem et vinum intelligere. Alterum, quod hic in linguam latinam peccatur, cum duo adiectiva citra copulam ad unum substantivum alligantur, Sancta sacrificia illibata; quod equidem non graviter accuso, si sententiam solummodo spectes. Verum hac nota consimilibusque videre datur, canonem hunc nostrum recentius atque nonnulli adserunt esse natum: ante Gregorii tempestatem enim nemo unquam sic loquuturus erat. Consultius erat hic precari quod pater per Christum nobis hunc panem et vinum animae cibum faceret.

In primis quae tibi offerimus pro ecclesia tua sancta catholica. Hic iterum de oblatione dicere parcemus usque ad opportuniorem locum, nempe istum: Hanc igitur oblationem etc. Pro ecclesia tua sancta

catholica, eandem infantiam resipit, quam sancta sacrificia illibata: non enim excusari potest quod sit ἀσύνδετον, cuius formam penitus non habet. Catholica. Vel hinc ex suo canone potuissent, qui tam constanter hodie rixantur de Romana ecclesia, expiscari, quaenam sit catholica ecclesia, quam se capere negant, cum eis id ad Ephesios 5: 25. inculcamus: Viri diligite uxores vestras, quemadmodum Christus dilexit ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, quam lavacro aquae per verbum mundavit ut eam sibi iungeret, quo praeclara esset ecclesia non habens vel maculam vel rugam. Hanc inquam vel intellectus tenuitate, vel animi, quod vero propius est, malignitate se capere negant, cum scilicet eos modo adserimus intra istam ecclesiam includi, qui per fidem et aquae lavacrum deo coniuncti sunt. Qui quo pacto id Matth. 16: 18. intellecturi sint non invenio: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Cum enim dicimus universam credentium concionem ubivis gentium sparsam hac via salvam fieri, si uno Christo fidat, negant se hanc concionem capere; quum nos eam dicimus soli deo cognitam et exploratam, nobis autem intellectu tantum conceptam, iterum se intelligere negant; quasi vero capere nequeant, si quis dicat non omnes esse Romanos qui intra pomoeria Romani imperii degant, sed eos modo qui animi virtute ac fide Romani sint, sive apud Indos degant, sive apud penitus toto divisos orbe Britannos. Id autem si intelligere unquam coeperint, mox quaenam sit ecclesia illa quae maculam et rugam non ferat intelligent: eos nempe hanc esse ecclesiam, qui illibata fide Christo haereant, cuius conspectui, ubiubi sunt, patent, quamvis nostrum lateant; quod ea concio dum hic peregrinamur nunquam coëat, oculis tamen fidelis mentis cernitur. Atque ea sola est catholica, id est, universalis ecclesia; aliam nescit scriptura sancta, quamvis non nesciat lex pontificia, quae aliquot episcoporum concursationem, citra scripturae authoritatem sese tollentem, ecclesiam catholicam vocat, quod tam abest ut catholica dici mereatur, ut etiam particulari ecclesiae nomine, quantum equidem ipse video, non digner, sicut nec auscultatione dignabor eos, qui inani philosophia turgidi sic argutantur: Eadem est ratio totius ad totum, quae partis ad partem, repraesentativam istam suam nimirum, ut vocant, ecclesiam stabilire cupientes: quae enim erit doctrina Christi, si philosophicis habenis eam temperes? otiosus erit Christus, si philosophicis cavillationibus cedendum est. Nos enim qui fideles sumus, hanc unam ac solam catholicam ecclesiam agnoscimus, quae scripturae sacrae testimonio nobis ostensa est, ut hi superiores loci et isti: Christus est caput corporis ecclesiae, et: Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, et: Persequutus sum ecclesiam dei, aliique innumeri plane indicant. Est nihilominus particularis ecclesia ea, cui praeceptum est ut morbidum membrum resecet, Matth. 18: 17, qualis est ea Corinthi ad quam scribit Paulus, et aliae quarum se curam gerere praedicat, et in quibus se pari modo docere adserit inquiens: Sollicitudo omnium ecclesiarum, et: Sicut in omnibus ecclesiis doceo. Aliam ecclesiae mentionem in scripturis sacris vix invenies, etiamsi intentissime perquiras. Superest ut concursantium Episcoporum, ne dicam conspirantium, ecclesia non sit alia quam cui Propheta *malignantium* nomen dedit. Quod enim ultra verum

est a malo est. Verax autem est solus deus, et omnis homo mendax: quicquid igitur a deo est, aequum, verum, bonum est: quicquid ab homine profectum, iniquum, mendax et malum est. Haec horum ecclesia a deo non est; a malo igitur est. Haec breviter hic dicta volumus de ecclesia, quae aut universalis est aut particularis. Quarum illa hic nunquam convenit, conveniet in mundi consummatione, neque errare potest, quia uni verbo dei haeret; ista, quae usus exigit secundum regulam divini verbi discernit, abiicit impudentem, revocat poenitentem, simul verbo dei pascitur, simul corpore et sanguine Christi alitur. Si quis uberiora desideret, conclusionum nostrarum farraginem legat. Absque supercilio ad nostra mittimus, non ignari ad quam infantia; sed quandoquidem congessimus in unum librum, quae alii sparsim ac nonnunquam aliter atque nos tradiderunt, citra iactantiam id fieri videri cupimus, dum sacramentum non exigimus: ut enim in nullius verba magistri iuramus, ita nostra legi ac censeri potius volumus quam accipi. Offerre se igitur perhibet sic sacerdos pro catholica ecclesia, nimirum ea quae cunctos, qui Christi nomine censentur, etiam si pessimi sunt, complectitur: quod equidem si oblatio esset, haud damnarem si pro malis quis offerret, quemadmodum pro malis quoque oramus; sed quandoquidem mali intra ecclesiam non sunt, non potest nomen catholicae usque ad malos protendi. Malos autem voco, non eos qui per imbecillitatem peccant, sed infideles: hi enim soli mali sunt ac intra ecclesiam nullatenus censendi. Sicut e diverso boni sunt, qui credunt: hi enim ex deo nati sunt, Ioan. 1: 13. et 1. Ioan. 5: 1. ac eius ecclesiae quae Christi coniunx est membra. Pro ecclesia igitur catholica offerre non aliud esset quam pro universis fidelibus. In haec iterum de industria divertimus, ut eis qui bonos et malos ex factis censent occurreremus. Quapropter cave hic fideles intelligas eos qui se fideles praedicant; sed eos modo et fideles et bonos deique filios puta, qui omnem spem in deum iactant; hi autem soli deo cogniti sunt. Ecce ut iterum ad ecclesiam nostram redimus.

Quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro et rege nostro et antistite nostro et omnibus orthodoxis atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus. Haec precatio non usque adeo impia esset, quanquam infans est, si apostoli Pauli regulam fuisset imitata, qui 1. Tim. 2: 1. iubet primum orationes fieri pro omnibus hominibus, mox pro regibus: quibus tamen Papas nostros praetulimus, non alia opinor ex causa, quam ut vel hinc servitutem suam reges discerent ac loris adsuefierent. Ut ne hoc palam faciam, quod vetustissimi canones, quorum aliquot contraximus, regum mentionem prorsus nullam faciunt, quamvis recentiores adscripserint. Verum quid hic Romanensium superstitioni praeteximus, cum ante annos aliquot apud Insubres haud invenerimus Romanum canonem qui vel reges vel imperatores loco dignaretur. At posteaquam reges etiam dignos existimavimus ut pro eis oremus, quanta quaeso vanitas est tum Romanum tum suum antistitem regi proposuisse? quem Paulus secundum post omnes homines fecit? praesertim cum nemo aliter vel cogitare possit ab aliis quam ab ecclesiasticis ut vocant excitatum esse canonem: nonne

urbanius longe fuisset, posteaquam reges quoque hoc convivio excepturi eramus, prima etiam lectica eos locare? Quam pacificare etc. quam positum est pro, ut eam. Papa nostro. Et haec recens nati canonis nota: nam Papae nomen veteribus inauditum est. Orthodoxi sunt qui recte sentiunt, nimirum de fide; recte autem sentiunt qui cum Christo sentiunt. Catholicae et apostolicae fidei cultores sunt, qui per fidem ab apostolis praedicatam universo fidelium coetui conciliati sunt, qui ecclesia est, qui Christi sponsa, qui universalis concio. Subolet nobis quiddam in hoc nomine Apostolicum hic et in symbolo secundo condito posito; verum exeutere nunc non est locus. Tu si idem sentiscere cupis, lege decreti 16. distinctionem.

Memento domine famulorum famularumque tuarum, N. et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis etc. Ubicunque pro se mutuo supplicant in Christo fratres, commendabile est, etiam si id oratione faciant imparata. Verum in hac precatione tanta est infantia et parvitas, ut vetustatem prorsus nullam redoleat. Quorsum enim attinebat circumstantes speciatim distinguere, cum universorum Christi cultorum praecessisset mentio? Quorsum attinebat deum certiorem reddere, ut ei fides et devotio circumstantium nota sit? nisi, ut suspicor, adstantibus ad emungendum aliquid munusculi blandiri voluissemus? simulque fictas istas missarum promissiones firmare? Quid enim si non circumstarent sed adstarent, aut operi intenti prorsus abessent? Vetusti canones omnes totum hoc non habent. Pro quibus tibi offerimus. Unde adparet canonis conditorem in ea fuisse opinione, quod quicunque hunc cibum ederet, simul etiam offerret, a quo nimirum omnes etiam veteres qui oblationem vocant dissentiunt. Quorsum enim quaestus caderet, si plebs quoque offerret? Verisimilius igitur est, circumstantibus hac causa oblationem tribui, quod eorum pretio vel dono sacerdos illectus offerat. Eiusdem farinae sunt quae sequuntur: Pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumnitatis suae tibi reddnnt vota sua aeterno deo vivo et vero. Nam non modo infantia sunt, sed etiam indocta et impia: redemptionem enim animarum nostrarum sacerdotis oblationi acceptam ferre an, quaesumus, impium non est? cum Christus unus ac solus id semel fecerit. Tibi reddunt vota sua aeterno deo vivo et vero. Ut omnia frigus quoddam magis quam ferventem charitatem redolent, ita nundinationes quoque sacrificulorum aperte prae se ferunt. Quae sunt enim vota ista quae adstantes hic voverunt? num voverunt se esuros? at haec non est oblatio, quam eos hic reddere dicimus: nam paulo ante praecessit, qui tibi offerunt, eos edendo non offerre, sed sacerdotem (ut ipsi putant) conducendo. Unde adparet hic quoque *vota sua* non alio respicere quam quod sacerdos hic eos collaudat, qui cum missam certo pretio se redempturos promisissent, nunc praestent. De sacerdotum diabolica nundinatione hic non est quiritandi locus. Satis superque quisque apud se indignabitur, ubi rem velut in tabula depictam cernet.

Communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semperque virginis Mariae, genitricis dei et domini nostri Iesu Christi, sed et

beatorum apostolorum ac martyrum tuorum Petri et Pauli etc. Tota haec oratio imperfecta est. Nam huic subiecto, Communicantes et memoriam venerantes, verbum prorsus nullum respondet. Quod si ita dictum esset, Communicantes memoriam quoque veneramur divae Christi genitricis Mariae, non usque adeo iaceret oratio. Nunc cum apertum sit anantapodoton, quis Canonem a priscis illis iuxta piis et doctis ad nos manasse credet? praecipue cum quaestus missarum privatarum apud illos minime fuerit, quem tamen in superiore precatione, Memento, palam *ἀναχύπτειν* videmus. Quo nunc se vertent seditiosi isti calumniatores, qui insanis clamoribus omnia complent: Proh deum hominumque fidem, vociferantes! Canonem nunc etiam attingere audent novatores isti, rem sacrosanctam, qua corpus et sanguinem Christi consecramus; nihil tutum est ab illis, detrahent mox Christum e coelo. Quos ego ad ferulam vocatos sic adoriar: Construe! Dicent: Communicantes et memoriam venerantes, copulativa constructio est. Addam ego: quod est adpositum huius suppositi? quod et Graeci *ὑποκείμενον* vocant, tu vero subiectum rectius dixeris. Tacebunt: non enim invenient verbum ullum nisi ista duo Concedas et Muniamur, quorum neutri coniungi potest. En quid faciat error? quot putas doctos quoties etiam hanc precationem legisse, et superstitione quadam nunquam verba expendere ausos? Hic est ille Canon quem attrectare non licet, inscitia plenus, infantia, impietate. Quod ad numerum divorum hic recitatorum adtinet, scias velim, fas aliquando fuisse addere quos placuisset; id quod vetusti Canones aperte indicant, quorum duo multo plura nomina habuerunt, verum a recentioribus abrasa, quod non solum hac parte factum est, sed multis aliis locis longe aliter quaedam verba scripta inveni atque nos hodie utimur; verum non tanti momenti, ut praeterire non liceret.

Et omnium sanctorum tuorum quorum meritis precibusque concedas ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Ante omnia dicendum est ut receptissimi erroris divos invocandi occasio nata sit, quam nos constanter ab ignorantia partam esse autumamus. Sanctos enim, quos Graeci *ἁγίους* vocant, recentiores non viderunt ab Apostolis Christianos adpellatos esse. Rom. 1: 7. Sanctis qui sunt Romae, id est piis, fidelibus, Christianis. Ephes. 3: 8. Mihi autem omnium sanctorum minimo, hoc est, omnium in Christo fratrum, piorum, fidelium. Et locis aliis innumeris idem invenies. Adde quod Latinis quoque *sanctus* vocatur quem vitae innocentia commendat. Posteaquam autem *divos* sanctos adpellare coeptum est, et sancti pro se mutuo precari consueverunt, simul coeptum est dicere quod divi pro nobis orent, quod tamen scriptura nulla probari potest. Nam quod ex Gen. 48: 16. obiiciunt: Invocetur nomen meum super eos, huc cogi non potest ut divorum nomina doceat esse invocanda. Iacob enim his verbis nihil aliud voluit, quam coelestem patrem orare ut nepotes suos, si quando illum in avi sui nomine invocarent, audire dignaretur. Tum enim licebat, deo velut obprobrare horum nomina patrum, quibus ipse promisisset semen, quod Christus est. Qua forma Moyses quoque utitur Exod. 32: 13. Recordare Abraham, Isaac et Israël servorum tuorum, quibus iurasti etc. Eorum, inquit, recordare quibus iurasti. Ecce ut promissorum fidem

exigat; verum Abraham, Isaac et Iacob nullatenus invocet, quod quidam nostra tempestate impostores ex his locis evincere contendunt. Sed neque hoc ipsis suffragari potest quod deus per os Hieremiae 15: 1. comminans dicit: Si steterint Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. Ubi isti sic argutantur: Deus dicit: si isti intercederent etc. Ergo intercedunt pro aliquibus. Hic si me morae non pigeret, suae professionis ignorantiam obprobrarem. Sed parcam. Sensus Hieremiae is est: Si Moses et Samuel, quorum uterque plurimum in placando deo potuit; adhuc in humanis essent ac pro populo istoc intercederent, vinceret indignatio gratiam. Quemadmodum Ezech. 14: 14. quoque loquitur: Et si fuerint tres viri isti in medio eius Noe, Daniel et Iob etc. Ubi simili modo comminatur deus peccatrici terrae, nullo pacto parciturum etiam si dicti tres viri in ea habitarent. Unde clarum est, deum veluti fingentem dicere: Si hi in humanis adhuc essent: innocentia quidem sua vitam propriam redimerent, aliis tamen propter ipsos minime parciturus essem. Sunt et alii multi loci quos huc torquent, ut adserant eos qui inter divos relati sunt pro nobis orare in conspectu dei. Quorum alius in Iob, ut 5: 1. Convertere ad aliquem sanctorum. Alius apud David: Laudate dominum in sanctis eius. Alius item in Baruch 3: 4. qui tamen in canonem receptus non est. Alii denique in Apocalypsi. Quos omnes tam violenter torquent, ut dum scriptura niti videri cupiunt, nihil aliud quam inscitiam suam prodant: ita sensus omnis ex diametro cum eorum proposito pugnat. Haec tamen atque alia ipsorum tela in conclusionum farragine contudimus. Hoc tamen omittendum non est, quod conflictatio nostra non certat contra mutuas sanctorum in humanis agentium preces: eas enim ut iubemur crebro nobis mutuo impartiri, ita solas puto mortalibus esse proficuas. Certamen nostrum hac causa divorum preces non admittit, primum quod literae sacrae nihil de hoc docent, deinde quod res verae fidei repugnat, postremo quod misericordiam dei antiquat, quae se tamen nobis tam obviam facit, ut ultro ad se vocet Matth. 11: 28. Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego requiem vobis praestabo. Non vocat iustos, ad quorum vocationem se venisse negat, sed peccatores, sed laborantes, imo gravissime oneratos. Quid causae igitur terret quo minus ad eum summa cum fiducia confugiamus? Aliam non arbitror quenquam allaturum, quam eam quae humana vanitate allata est. Si velis, inquiunt, in conspectum terreni principis solummodo satisfactionem adferre, patronis opus est, qui exacerbatum principis animum placent ac praemolliant: sic frustra in conspectum minacis dei profectionem paras, nisi patronos tibi propitios ante conciliaveris. Quae quidem ratio, ut solent omnes humanae, perniciosissime fallit, et secundum hoc in deum quoque contumeliosa est: eum enim ad tyranni archetypum exigit, quod est multo perversissimum. Quod enim principes tam inaccessi sunt, haud alia causa quam tyrannide fit. Principem aequum et bonum oportebat omnibus expositum esse, omnium angustiis opitulatorem occurrere, et omnibus omnia fieri: dum secus faciunt, principum officium conculcant. Talem mihi fingis pientissimum patrem, qui tam abest ut quenquam aversetur aut opem ferre cunctetur, ut prior mala nostra videat, auxiliumque priusquam petamus ferre adornet.

Quisquis eum ad hunc modum ex verbis suis cognoscere perrexerit, tam benigniter accipitur ut post ad alium neminem vel cupiat vel possit confugere. Quod fides etiam ipsa, modo fides sit, non figmentum, exigit: si enim spes mea deus est, si patrem esse cognosco, quid non omnia ab illo spero? quid non omnia ab ipso flagito? Sed ut diximus, de hac quaestione ad saturitatem hic loqui supervacaneum fuerit, dum alibi eam simus ad fastidium prosecuti. Nolim tamen interim sic cogites: Si tam certo a deo cuncta sunt speranda, quomodo non mutuas quoque hominum preces contemnimus? Nam deum autumo hac ratione nobis nos arctius coniungere voluisse. Dicit enim: Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcunque petierint fiet illis a patre meo qui est in coelis. Dum enim alter alterius onus ponderat, si dei amans est, levare cupit, et ut cito fiat, ad deum cum eo qui premitur contendit. Cum igitur canon sic habet: Quorum precibus concedas etc. ferri possit hoc, si sanctos fideles in hoc mundo intelligeres. Sed non patitur sic intelligi recitatorum catalogus divorum qui antecessit. Unde parum considerate divis Canonopoeus iste, quisquis fuit, preces illic tribuit, ubi summa quies est et securitas. Temporis diuturnitatem quam unam nobis quidam velut Achillis scutum obiectant, et Hieronymi contra Vigilantium amara potius quam firma tela nihil moror. Nos enim Christum ex suis verbis non ita didicimus; fides nostra alium sub pallium non admittit: lectulus enim nimis angustus est. Tenui eum nec dimittam.

Meritis concedas. Locus de merito ad exponendum difficilis est summis etiam istis Herculibus, nedum nobis militi vix gregario. Simul enim in sacris literis et Christum pro omnium delictis fecisse satis invenimus, et factis nostris promissa praemia: quae tamen apud eos, qui verbum dei suo iudicio expendunt, nec illud dei verbo subiicere didicerunt, longe lateque dissidere videntur. Primum igitur ut par est meritum Christi exponere, quatenus ipse dederit, ordiemur. Homo qui in iniquitate conceptus est quo pacto quicquam mereri possit, me plane non videre confiteor: qui enim natura malus est Gen. 8: 21, qui totus caligo est et tenebrae, imo qui mortuus est, qua ratione fieri potest ut aliquid deo dignum gerat? Atque ut hanc inopiam dissimulemus, quis sperabit nos aliquid recte gerere posse tot tantisque mersos adfectibus? quales sunt amor sui, ira, gratia, odium, amor, gaudium, tristitia. Quotus enim quisque est qui, non dicam aliqua sed omnia, non gerat ex his adfectibus? Exemplo fiet clarum quod loquimur. Munus egenti praebere prae omnibus opus est inculpatum; sed si ex amore sui proficiscatur, ut si ad hoc solummodo des ut tibi homines adplaudant, vel illiberaliter des ut centuplum a deo recipias, vel ex timore inferorum ut a cruciatibus temetipsum redimas, iam eleemosyna tua negotiatio est, merx et nundinatio. Nam ad eam formam qua deus dat, nempe ad unum hoc respiciens ut prosit ei cui datur, ipse non dedisti; hunc modum si non teneas, peccasti. Recte enim beneque nihil fieri potest quod non ad archetypum coelestem cuditur. Nos enim quid sumus? Sicut igitur de eleemosyna diximus, ita de omnibus aliis operibus dicendum erit: metus enim est ne alia longe sinistrius agamus, si operi tam pio tot imminent pericula. Nunc vigente morte qua in Adam omnes morimur, rebellan-

tibus deinde tot adfectibus, quis est qui opus bonum aut remuneratione dignum de se polliceri possit? Quo putas hic decident hypocritae isti, qui se operum suorum merce nutriunt? cum hic sui desperatione innocentissimus quisque sternitur, factis suis pro seipso diffisus, taceo quod aliis profutura se mutuo dare posse cogitet. Qua igitur via beatitudinem merebimur, cum meritum nostrum nihil sit? Qui enim fiet ut qui mortuus est aliquid vita dignum agat? Hic se lux Evangelii profert. Misertum est itaque deum huius tam ingentis inopiae nostrae; eumque videret misellos omnia nequicquam tentare, consilium invenit, quo simul iustitiae suae, quam intactam esse oportet ac sacrosanctam, satisfieret, et nos ad redamandum eum vehementissime accenderemur. Sacerdotem enim misit qui numen coeleste placaret, qui cum hostiam innocentissimam, ut quae in iniquitate concepta non esset nec pravis adfectibus quibus nos scatemus vitiata, obtulerit, pro reis facile perlitavit. Sic factum est ut divina iustitia iram remiserit, et nos nisi ingratissimi sumus tanto beneficio allecti redamare nunquam desistamus. Neque ita semel tantum seipsum obtulit ut noxam semel tantum expiaret, sed quoniam per spiritum aeternum seipsum obtulit, in hac una solaque oblatione sempiternum absolvit sanctificatos, hoc est fideles. Agnus enim est qui non unius vel saeculi vel gentis commissum abluerit, sed universi simul mundi transgressionem una morte lustraverit: ut enim erat innocentissimus, ita aeternus quoque deus erat; cumque innocentiam suam pro nobis expenderit, non potuit innocentiae pretium non simul esse aeternum: quo fit ut non ii solum qui tum vivebant cum ipse moreretur in libertatem adserti sint, neque nos qui post ad hanc gratiae spem venimus, semel tantum in baptismo liberati simus, sed aeternum est pignus per quod ad deum accedimus: ut enim noster factus est, ita perpetuo etiam noster est, ut per ipsum in sempiternum accedamus ad deum. Neque haec memorata sententia cordis nostri commentum est: ipse se ostium esse adserit et viam, negatque ad patrem quenquam venire posse nisi per se, atque, ne hoc omittam, perhibet hominibus impossibile esse salutem adipisci, deo tamen omnia esse possibilia. Per ipsum ergo unum ac solum venitur ad deum: solus enim iustus, sanctus et innocens est, ac quicquid est noster est: ipse enim factus est nobis a deo sapientia, iustitia, sanctificatio et redemptio. Solus est qui simultatem inter deum atque nos natam componit: sicut enim unus deus, ita et unus mediator dei et hominum est homo Christus Iesus, 1. Tim. 2: 5. Hic est propitiatio pro peccatis nostris, 1. Ioan. 2: 2. neque pro nostris, id est pro Iudaeorum aut discipulorum tantum, sed pro totius mundi. Expiat igitur non in baptismo tantum, sed quoties ad deum per ipsum recurrimus, ut dicto Ioannis loco apertissime videre licet. Hinc satis patere arbitror ut Christi meritum una sit solaque nostrae salutis causa: solus enim immortalitatem habet, nos contra non mortales modo sed mortui sumus. Solus per sanguinem suum pacavit et quae in coelo et quae in terris sunt, cum nos contra tam morbosum et corruptum pecus sumus ut deus propter ineluibiles maculas ex nobis sacrificium sibi fieri vetet. Quicquid igitur nobis a deo contingit, per Christum contingit: solus enim meruit, ut iustitiae suae deus erga nos

parcat (modo id firmiter credamus et a deo per ipsum postulemus), misericordia vero sua impensissime utatur. Tale est meritum Christi, ut citra ipsum impossibile sit venire ad deum. His in hunc modum se habentibus, quid attinet multa de merito nostro commentari? cum solus Christus sit qui nobis felicitatem mereatur, iubeatque ut cum omnia etiam ex dei sententia fecerimus, id quod fieri nulla ratione potest, adhuc tamen servos nos inutiles praedicemus: non sumus enim aut idonei aut sufficientes cogitare aliquid a nobis, sed sufficientia nostra ex deo est, qui nos elegit; non contra, ipsum nos elegimus. Quique nitidissima pharisaei et publicani parabola vetat ne nobis ipsis confidamus. At si quid actionibus nostris mereremur, eis non iniuria niteremur. Quum vero in sacris literis permulta videre liceat, quae merito nostro nonnihil tribuant, quale est hoc: Qui solummodo poculum aquae frigidae praebuerit ei qui Christi est, vere non amittet mercedem suam. Et quod Matth. 25: 34. scriptum est: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare; sitivi etc. Adparet ergo, quandoquidem deus operi nostro praemia pollicetur et praestat etiam, meritum non nihil esse, de quo tantopere hac tempestate digladiamur. Atque porro mihi dicendum esse videtur, quod sicut opus argentarii non malleo, non incudi, non denique cuicunque instrumento tribuitur quamvis eo confiat opus, ita nobis ipsis nihil tribuamus. Deus enim est qui operatur in nobis et velle et perficere: ipsius enim opus sumus, ipsius organa; fieri tamen nonnunquam videmus ut per abusum, ut caelo Alcimedontis, instrumento tribuamus quod eius nullo pacto est. Sic deus operi nostro nonnunquam praemia liberalissima pollicetur, cum tamen ipse sit qui in nobis velle operatur et perficere. Quid igitur ad nos transscribimus, cum neque consilium neque opus ipsum a nobis proficiscatur? Nisi parvulos quosdam deus lacte etiamnunc egentes spe mercedis extimulat, quomodo quidam eum facere existimant Matth. 5: 5. quum dicit: Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram. Hic autumant hanc terram in qua nunc peregrinamur promissam esse mitibus: quosdam enim reperiri qui terrenarum rerum spe ad deum trahantur. Verum quid refert hac in re argutum esse? cum deus operetur in nobis et velle et perficere, quid nostrum erit? cum nos etiam, quicquid sumus, Domini sumus; et hi qui tam strenue digladiantur de merito vel hac causa suspecti fieri possunt, et quod impensius nomini suo tribuunt quod deo authore fit quam ipsi authori, quod sine ingratitudinis arrogantiaeque nota fieri non potest; et opera sua fere ad quaestum et ad rem parandam facere videntur, id quod fructus ipsorum indicant. Nemo enim licentius voluptati frena laxat atque hi qui a moribus Christo dignis ut longissime absunt, ita impudentissime se iactant nobis mereri, cum nos dum tales sumus quales hi sunt qui se nobis patronos parant, ab omni spe excidimus. Sanctius igitur est Christique verbis conformius, etiamsi per morbum et adfectus de quibus paulo ante loquuti sumus rectum quid agere possemus, deo tamen omnia tribuere, qui author, qui motor est. Nunc cum ipsi nihil possimus, quae audacia est nomen dei, quod unice sanctificari oportet, expoliare ac plumis alienis sese venditare? Iam clare videmus, ni fallor, impium

esse cum petimus, ut sanctorum id est divorum meritis protegamur aut muniamur. Nullis enim nostris meritis ad deum venire possumus, sed solo Christo: nemo enim (inquit) venit ad patrem nisi per me, nec ad Christum quisquam suis meritis venit, sed patre duce: nemo enim (inquit) venit ad me nisi pater meus traxerit illum. Cum itaque omnes qui deum adeunt per Christum ire cogantur, nemo nimirum erit meritorum adeo dives ut pro aliis expendere queat. Quis enim tam abundat ut Christus? de cuius plenitudine omnes nos haurimus, et gratis haurimus absque argento, quemadmodum per prophetam deus pollicitus est. Christus itaque abundantia sua omnium merita evacuat: in hoc enim Christus est ut in odore unguentorum eius currant adolescentulae, hoc est animulae coelestis thalami cupidae. Et cum omnino deus factis nostris quiddam pollicetur aut reddit, non promittit nisi ex mera liberalitate, qua benignitatem suam paternamque facilitatem potius imitatur, quam ad nostri meriti pondus respiciat, et cum perfecto operi mercedem reddit, nihil aliud quam suum opus remunerat. Nam quale fuisset opus Pauli si Christus eum de coelo non terruisset, et ad verbi sui provinciam inaugurasset? Nonne cum omnia fecerimus quae nobis praecepta sunt, fateri cogimur quod servi inutiles simus? Sine ergo Christi contumelia fieri nequit ut cuiusquam meritis fidamus: nam quantumcunque creaturae tribuerimus, tantum Christo auferemus. Exempla divorum debemus attentius imitari quam meritis niti. Christus enim unus est quo salvi reddimur: hinc enim et Christi et Iesu nomen habet.

Protectionis tuae muniamur auxilio. Multa suggillatione dignum non est, quamvis oscitanter dictum sit. Aptius fuisset: Ut in omnibus auxilii tui protectione muniamur. Protegendo enim munimus, nec omne auxilium protectio est. Cordatum pectus, qualia prisci in Christo fratres habuerunt, nunquam tam insulse precaturum erat.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, domine ut placatus accipias. Sunt qui hanc priorem partem Gregorio non tribuant et hic tandem orsum tradant: Diesque nostros in tua pace disponas etc. Nos totam referimus Gregorio acceptam. Sic sequentia cohaerent, et haec sola plus aequo breviora, si nihil sequatur, videntur. Adde quod ad priora ista non tam respondet: Quam oblationem, quam si haec particula, Diesque nostros, interponatur. Servitutis igitur nostrae hanc oblationem esse adserit haec precatio, nec modo nostrae sed cunctae etiam familiae, quae nimirum alia non est quam ecclesia catholica, hoc est totus credentium coetus. Nam si familiam quamvis paroeciam intelligis, superest ut servitutis nostrae ad solum sacerdotum ordinem referas: quod quam arrogans sit et impium paulo post manifestum fiet. Stat igitur sententia, cunctam familiam ecclesiam esse, pro qua se, ut supra quoque auditum est, offerre iactat sacerdos: quod dum hac tempestate contentiosissime controvertitur, ad hunc locum excutiendum reliquimus.

Diximus paulo ante quomodo fiat, ut nihil prorsus deo dignum agamus, quod in Adam mortui simus et quod tantis adfectibus obruti, unde nulla spes nobis reliqua sit ad deum appropinquandi. Quam calamitatem deus filii sui pretio sarciverit. Quod verbum qui credit, iam

per eum, quem credit se misericorditer et liberaliter redemisse, salvus fit. Hic iam verbo isto fidei cibatus est: non enim secura fieri potest humana conscientia nisi dum verbo dei fidit. Verbum igitur dei cibus est qui ieiunam mentem fulcit haud secus atque corporeus panis cor hominis confirmat. Cibat igitur verbum dei humanam mentem, non offertur ab homine sed confortatur homo per ipsum. Quis autem qui alterius robore adiuvatur unquam dixit, se robur ei obtulisse? Cum igitur hoc verbum: Christus pro nobis passus est ut nos patri reconciliaret, spes unica sit animae, quis hoc verbum recte dixerit se domino obtulisse? cum verbum hoc nos corroboret. Verbum igitur est quo mens alitur, et dei verbum est. Panis igitur animae est verbum dei: nam non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore dei. Quod est autem verbum quod panis aut cibus est animae? Hoc est verbum, id est haec res est, quod Christus corpus et sanguinem suum tradidit ut vitae restituamur, qui mortui eramus. Sic enim ipse inquit Ioan. 6: 51. Panis, de quo multa vobis dixi, aliud non est quam caro mea quae pro mundi vita expendetur. Habetis iam cibum de quo tam magnifica praedicavi. Ego pro hominibus oblatus certissima eorum spes ero salutis. Sicut igitur verbum pascit et verbum aliud non est quam caro Christi pro mundi vita exposita, sequitur ut sicut verbo tantum pascimur, ita verbi huius vis ex una tantum oblatione pendeat. Hoc est, dum hoc credimus, quod semel Christus oblatus omnium omnia scelera diluerit, ut iam saturi simus et securi salutis. Haec fides oblatio non est sed dei illuminatio: nunquam enim hoc eramus crediturі ni nos pater intus traxisset: verbo igitur salutis credere ut oblatio non est sed dei operatio, dei donum, dei benignitas, ita corpus et sanguinem Christi edere non est offerre, sed mentem sua sponte ad nutationem propensam fulcire, firmare, praesentiaque eius rei, cui verbum innititur, stabilire.

Christus igitur ut una sui ipsius oblatione universum genus hominum redemit, ita semel tantum oblatus est. Quod divi Pauli verbis manifestissimum erit, Hebr. 10: 14. Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Hic pluribus opus non est: quicunque enim credunt hoc sentiunt, quod solus unusque hic agnus tam fuerit alienus ab omni macula, ut oblatus potuerit omne peccati vitium expiare. Sed hoc non omnes admittunt quod semel tantum sit oblatus. Sic enim obstrepunt: Unus quidem Christus est, sed idem saepe offertur. Ipse se semel obtulit, nos eundem crebro offerimus, non alias alium sed semper eundem; consumi autem aut minui non potest. Impermutabilis enim deus est. Hanc eorum rixandi pervicaciam dudum contudisset Pauli ad Hebr. 7: 22—28. verbum, si vel oculos haberent quibus viderent, vel cor ut intelligerent. Ubi hunc sacerdotem nostrum, cui uni hoc proprium est quod ipse et sacerdos est et hostia, sacerdotibus Moseos opponit, quos plures esse oportuerit, eo quod mors vetaret perpetuo esse sacerdotes. Hic autem cum sempiternus deus sit, sempiternus quoque sacerdos est. Isti pecudes offerebant ac sanguinem alienum, cap. 9. hic noster propria, corpus et sanguinem, obtulit. Isti propter hostiarum impotentiam eas iterare cogebantur cap. 10; hic, quod perfecto nihil deesse potest, tam abest ut iterari possit, ut non alia possit in eum

maior contumelia dici, quam quod eum iterum atque iterum offerri oporteat: hoc enim pacto ab his hostiis, quae umbra eius erant, nihil differret. Unde cap. 7. sic inquit: Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes primum pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Hoc enim fecit semel se ipsum offerendo. Hic ut ne intelligendo nihil intelligant, dicunt verum esse quod Christus se tantum semel obtulerit, sed nos saepe eum offerre adserunt, nec id iniuria: nihil enim hic obstare, dummodo Christus se ipsum non offerat. Quibus tametsi saepe satisfecimus etiam hic satisfacere tentabimus ad hunc modum: Si Christus hodie offerretur primum pro sacerdotis, deinde pro populi delictis, quaeso quod ad iterationem adtinet quid interesset inter hostiam quae Christus est, et hostiam quae pecus? ut enim ista iterabatur, ita et illa iteraretur, quod hic unice oppugnat Paulus. Deinde qui fieri potest ut homo deo deum offerat? quis enim unquam pretiosius se ipso quicquam obtulit? Unde et Christus, pretiosius se ipso nihil habens quod offerret, se ipsum obtulit, Heb. 8: 3—6. Non potest ergo mortalis sacerdos eum offerre qui immortalis deus est. Nam sicut de Christo praedictum est: Hostiam et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: ita de nobis longe magis dici convenit: Hostiam aliam a nobis deus non exigis quam ut corpus et animam in gloriam tuam expendamus. Iterum dicit Paulus Heb. 9: 12. Christus per proprium sanguinem introivit semel in sancta aeterna redemptione inventa. Item ibi: Nunc autem semel in consummatione saeculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam adparuit. Ecce hic hostia sua semel peccati vim destituit. Ibi 10: 10. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Haec testimonia cum sint sole clariora, infirmare tentant hi quibus missarum nundinae nunc in arctum contrahuntur: sic enim reclamant, unam esse hostiam non negamus; quod autem semel tantum oblata sit sic intelligimus, quod semel tantum mortuus sit, ultra nunquam moriturus, Rom. 6: 6; vivus tamen sibi vivo a nobis quotidie offerri potest. Quasi aliud sit Christum mori et aliud Christum offerri, aut quasi aliud moriendo, aliud offerendo actum sit, aut mactari aliquid deo possit quod non simul offeratur, aut victima ulla offeratur quae non mactetur. Sed verba ipsa Christi audiamus. Matth. 26: 28. ait Christus: Hic est sanguis meus sanguis novi testamenti, qui pro multitudine effunditur in remissionem peccatorum. Hic mihi dicas velim, quidnam hoc sit quod peccatum abluerit, oblatio an mors, an sanguinis effusio? Si mihi respondes, oblationem spontaneam peccati debitum diluisse, obiiciam sanguinis effusionem abluisse peccatum, ut hic ante oculos in verbis Christi vides, sanguinem novi testamenti effundi in remissionem peccatorum. Cogerisque oblationem et sanguinis effusionem idem esse fateri, nimirum ut cum sanguis funderetur, ipse se offerret, ac dum offerretur sanguis quoque funderetur. Quod ubi admittere coactus eris, sequetur tunc Christum offerri cum mactatur ac sanguis funditur, et rursus cum mactatur tum offerri. At Christus semel tantum mactatus est, et sanguis semel tantum fusus est; ergo semel tantum oblatus est. Ad idem facit quod Rom. 6: 9. scribit Paulus, quod tamen isti ad defendendum errorem suum torquere conantur. Christus a mortuis excitatus, ultra

non moritur; mors illi ultra non dominabitur: nam quod mortuus est, peccato mortuus est semel, quod autem vivit, vivit deo etc. Hic in hunc modum interrogabo: Christus dum semel peccato mortuus est, an tunc se ipsum obtulit cum moreretur nec ne? Si respondes (nam isti hominum generi omnia licita sunt), cum moreretur non esse oblatum: quaeram quo pacto intelligas hoc Ephes. 5: 2. Quemadmodum Christus dilexit nos et tradidit seipsum pro nobis oblationem et hostiam deo in suavem odorem; quaeram inquam ubi aut quando seipsum tradiderit in oblationem et hostiam? Nonne tunc cum iuxta Petri verbum 1. Petri 2: 23. tradebat se iudicanti iuste, hoc est, cum patris voluntati obtemperaret, ac patiens non comminaretur? nonne cum peccata nostra in corpore suo ferret ligno adfixus? Adigeris igitur fateri tunc seipsum obtulisse cum moreretur. Ergo si oblatus peccatum extinxit, et peccato mortuus idem fecit, idem quoque erunt mori et offerri: nam quis unquam diceret alias hostiam offerri, alias occidi? et non contra tunc offerri cum occiditur, et rursus occidi cum offertur? Cum igitur Paulus hic dicit: Peccato mortuus est semel, haud aliud dicit, quam pro peccato semel oblatus est. Sicque manifestum est quod haec tria aequipollent: Christi sanguis semel tantum fusus est, Christus semel tantum mortuus est, et Christus semel tantum oblatus est, ad exhaurienda hominum peccata. In hoc enim hostia, quae Christus est, ab aliis hostiis differt, quod hae iterabantur, illa semel oblata sanctificatos id est fideles in sempiternum consummavit absolutosque reddidit: nulla enim pro peccatis hostia nobis reliqua facta est, Hebr. 10: 26. Haec manifestiora fient Pauli Hebr. 10: 10. verbis: In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Quid oro hic aliud audis quam nos per voluntariam Christi oblationem sanctificatos esse? Voluntariam vero oblationem tum esse impletam cum corpus suum pro nobis obtulit? postremo et oblationem et corporis sui traditionem semel tantum esse factam? Quo quid apertius dici potest? Facessant igitur hinc et ocius facessant, qui scripturae sanctae claritati nebulas inscitiae suae imo malitiae offundere pergunt, qui oblationem a morte distinguunt, rem eandem, sed aliter adpellatam, nullis scripturarum suffragiis, sed sola patrum vociferatione nixi. Quibus porro tantum tribuunt, ut dicant, recipi non posse, ut si a nobis nihil offeratur, deus tam diu conniverit ac patres errare permiserit: quasi vero deus unquam quenquam ad se ita traxerit ut non simul infirmum toleraret, quem fide interim arctissime sibi iunxerat. Errori patrum occasionem dedit verbi dei neglectio: nam si hoc solum velut unicum scopum spectassent, Eucharistiam nunquam erant aliter adpellaturi quam Christus, quam Paulus, qui commemorationem, qui testamentum adpellarunt. Sed sic habet iudicium dei: Posteaquam ii quos unice oportebat simplici verbo dei intentos esse, ad sua placita consiliaque sunt conversi, passus est eos deus ire in adinventionibus suis, comprehenditque in astutia sua. Contra non itidem eos labi passus est, qui literarum sacrarum rudes dei benignitati se permiserunt. Hinc videmus indoctam plebem corpore et sanguine Christi pro cibo animorum uti, non pro oblatione abuti. Et contra videmus eos, qui oculus in ecclesia esse debuerant, huc erroris lapsos esse, ut etsi

constantissime semper adsererent, idem esse sacramentum quo ipsi quo plebs vesceretur, oblationem tamen quod ipsi ederent esse contenderent. Arrisit lucrum, placuit authoritas et excellentia, pessimae caelestis doctrinae pestes. Sic patet ecclesiam dei desertam non esse, sed mirabili providentia servatam. Tametsi enim in rebus aliis non paucis error docentium multitudinem quoque secum traxit, hic tamen dei custodia vigilatum est, ut soli erroris authores erraverint. Quamvis nonnullos sentiam, etiamsi oblationem vocaverint, non aliud tamen putavisse quam rememorationem esse. Ex quibus est Chrysostomus, qui super his verbis Hebr. 9: 26. Introivit semel in sancta, cum diutissime secum ipse luctatur, huc tandem descendit, ut putet rememorationem potius esse quam oblationem. Unde coniectare licet priscos illos oblationem vocasse quemadmodum nos resurrectionem et natalem Christi diem etiamnunc adpellamus, non quod Christus nunc nascatur vel resurgat; sed cum semel hoc factum sit, nomen tamen ad vividiorem memoriam tenemus. Sic et hic quoque factum videri potest. Fusius in Conclusionibus de hac re scripsimus. Sequitur:

Diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Hanc tandem huius precationis partem Gregorio, ut diximus, adscribunt, nos totam. Hic autem videre licet quam stilus canonis totus a veterum dictione abhorreat: nam non alibi per omnem canonem orationem elegantiorem invenies quam sit ista, meliusque expensam, quanquam utrumque mediocriter. Sive Gregorii sit, sive non sit, nos eius esse propter elegantiam solummodo permittimus, nunquam alioqui crediturі quod homo tam pius et doctus ad tam barbarum canona quicquam additurus fuerit. Unde fere adducor, ut putem Gregorium sic inter alia quoque precatum esse, atque hanc precationem adusque nos demanasse. Dies, inquit, nostros, in tua pace disponas, ut pacem nostram excluderet, ubi cum peccatoribus pacem habemus. Breviter omnia, praeter hanc oblationem: nisi et hanc pro rememoratione velis, ut diximus, accipere, mediocrem vetustatem, qualis Gregorii fuit, citius quam quicquam per totum canonem resipiunt. Adde quod dictio quoque Gregorio quam simillima est, non attingens ad mundam istam veterum dictionem, nec prorsus humi repens.

Quam oblationem tu deus in omnibus quaesumus benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris. Quid quaeso hic audio? Christum nos offerre adserimus, et is benedictus nondum est? Cogeris igitur dicere quod hic oremus, ut panis et vinum benedicantur. At quomodo panis et vinum oblatio sunt? quod nec scholae admittunt nec veteres. Adscriptam. An oramus, obsecro, ut Christus adscribatur, an ut panis et vinum? Prius hoc impium fuerit, cum Christus in dextera dei sedeat, sequens autem stolidum. Quorsum enim attinet orare, ut panis et vinum adscribantur? an symposium est? At alterum ex his fateri cogimur: aut enim, ut ipsi loquuntur, Christum offerimus aut panem. Si Christum, quid opus est ut adscribatur? si panem, quid refert adscribi? cum secundum istorum traditionem substantia panis et vini transeat in corpus et sanguinem. Ratam. Firmam servare forsan oramus deum promissionem, ne scilicet humano more offensus testamentum

mutet. Rationabilem. Id verbi Pauli Petrique theologiam resipit, Rom. 12: 1. 1. Petri 2: 2. sed extra chorum, quod dicitur. Haec ideo suggillavimus, ut oculis omnium pateat, quam inepte precatus sit, quisquis tandem sic precatus est, desinamusque canonem haud secus mirari ac pueri Iunonis avem.

Ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi filii tui domini nostri Iesu Christi. Hic manifeste adparet panem et vinum superius oblationem adpellata esse, cum hic oratur, ut ea corpus et sanguis Christi fiant. Cur igitur haereticae pravitatis inquisitores non inquirunt in canonem? cur non dicunt: scandalosum est panem et vinum ante consecrationem oblationem vocare? Dices: hic oratur solummodo ut panis benedicatur, ut adscribatur, ut ratus fiat cum in corpus transit, ut spiritale gratumque fiat sacrificium cum perficitur. Nihil dicis: nam oblationem adpellasti, quod panem adhuc esse fateri cogeris. Vide quid sit cum summa imperitia luctari praesertim cum se religione palliavit. Hoc tamen impie dictum non est, si oramus ut panis corpus et sanguis fiat dilectissimi filii dei; modo fieri hic non pro transsubstantiari Theologorum nostrorum verbo accipias, sed ita sentias ut panis et vinum cum fide edentibus fiat corpus et sanguis Iesu Christi, quocunque tandem modo id fiat: nam haec Theologorum curiosa transsubstantiationis commentatio erroribus, imo impietatibus multis locum fecit.

Qui pridie quam pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum ad te deum patrem suum omnipotentem. Pulchre satis hic ad rem accederetur, cum Christus ipse agens et loquens inducitur, nisi iterum humani figmenti aqua misceretur. Nam quid attinet mendacium addere, posteaquam Christum agentem et loquentem fecimus? Apud quem enim Evangelistarum, nam et Paulus Evangelista est, invenire potes, quod Christus in coelum oculos extulerit ad patrem omnipotentem. Quod equidem ne attrectaturus quidem eram si homo hic ageret, qui cum alias saepe legerit Christum oculos in coelum sustulisse, potuit et hic similiter ab eo factum esse ariolari; at posteaquam Christum agentem fecimus, cur ei tribuimus quod Evangelistae non tribuerunt? Hactenus decorum servatum esset, si posteaquam Christum agentem fecissemus actioni eius nihil addidissemus. Sed hoc agit audacia: nullis se non miscet etiam divinis et sacrosanctis, ne nihil aut esse aut fecisse videatur.

Tibi gratias agens fregit, dedit discipulis suis, dicens. Hactenus agebat Christus, hic loqui incipit. Et ut in actione fides Christo non servata est, ita nec in oratione.

Accipite et manducate ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum. De nostro hic additum est: ex hoc omnes et enim. De quo verbo Neoterici tantum coaxant quantum ad mille Dianas irritandas satis esset. Quod verbum etiamsi desit, sensui tamen nihil adimit, neque ipse hic aliud accuso quam humanam audaciam, quae divinum opus integrum esse non putat, nisi munus quoque suum adtulerit. Quanto aequius erat, posteaquam Christum loquentem fecimus, vel secundum Matthaei verba dicere: Accipite et comedite: Hoc est corpus meum; vel iuxta Lucae: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur; vel iuxta Paulum: Quod

pro vobis frangitur. Nam et in potus exhibitione addidit: Qui pro multitudine funditur. Quod autem, ex hoc omnes, de nostro addidimus, hac causa, ut arbitror, factum est, quo palam fieret omnibus licere convivam hic esse. At isthac sollicitudine nihil opus erat: nam quod Christus discipulis dixit, omnibus nobis dixit, Marci 13: 37. Hic coelum inclamabunt et maria, qui sibi sese deos etiam facere licere putant: O facinus, o tempora! ipsa consecrationis verba iste accusat, suggillat, conculcat. Quos ergo contra sic feriam: Age bone vir, dic sodes, quae sunt consecrationis verba? dicet: Hoc est enim corpus meum. Addam: quis ea ad hunc modum tradidit? Hic magis muti sunt quam piscis. Quin vos, oro, blande convenire liceat. Non autumo quenquam adeo perverse ignorantem aut stupidum esse, ut hominis verbo tantum tribuere velit quantum dei. Nunc vero cum vos non contenti sitis dicere, dum panis iste editur et potus hauritur, corpus Christi edi et bibi, nisi etiam perhibueritis, anteaquam edamus et bibamus, etiamsi nunquam edamus vel bibamus, substantiam panis in corporis Christi substantiam converti: qua potentia obsecro putatis substantiam in substantiam converti? Dicetis, ni fallor, divina. Addam ego: Quid igitur possunt humana verba, si cuncta divina potentia constant? Addenda ergo non erant, ne Scotus et alii tot verborum modios effundere coacti fuissent. Vides autem uter iniquius consecrationis verba tractet, tune qui tua divinis misces, an ego qui id ferre nolo. Ego dei verbum non taxo, sed hominis audaciam, liceregue arbitror, ut quicunque verbis Evangelistae potius quam praescriptis a Canone uti velit, libere utatur. Quid enim vetabit ne iuxta Lucae verba panem ad hunc modum benedicam: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Quod si licebit, potero et reliquo nimirum Canone misso iuxta divini verbi praescriptum orare. Haec per contentionem propter eos solummodo diximus, qui de canone verbum immutari debere negant, cum tamen interim videant etiam ipsis consecrationis verbis nescio quem de suo addere ausum. An haec non est summa perversitas: tuis nec addi nec adimi quicquam pati, divinis autem te tum addere, tum demere citra omnem etiam rationem?

Simili modo posteaquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, benedixit, dedit discipulis suis, dicens: Accipite et bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. „Praeclarum et in sanctas ac venerabiles manus suas“ nullus Evangelistarum habet: quamvis hoc non sit magnopere curandum. Item etiam nullus: gratias agens. Matthaeus habet: gratias egit. Benedixit, nullus habet. Haec, ut diximus, non magnopere damnamus: nam fide hic omnia potius confiunt quam verbis, sed pervicaciam admiramur, qua isti in divinis verbis, ut volunt, libidinantur; sua etsi sint indoctissima et nonnunquam impia servari tantopere volunt, ut ne unguem latum ab eis liceat recedere. Hic est calix. Poculum est Graecis non calix, capiturque poculum pro eo quod in poculo continetur, et est sensus: Hic potus novum testamentum est: est enim sanguis meus, qui pro

multitudine effunditur in remissionem peccatorum. Novi et aeterni testamenti, ex 13. cap. Pauli ad Hebraeos huc translatum est. Mysterium fidei, nostrum est. Quae nunc est iniquitas, cum isti consecrationis, ut vocant, verba libere undecunque sacrarum literarum consarcinant, neque hoc contenti sua quoque addunt, aliis non permittere in suis, quod ipsi in divinis citra rationem etiam audent? Sed ad hunc modum debuit abominatio, quae se in locum sanctum statuit, sua divinis miscere. Sicut aquam quoque miscent, dicentes aquam in oblatione populum significare. Ubi duplici etiam nomine peccatur: primo quod oblationem faciunt, quod rememoratio est. Deinde cum aquae symbolum sint gentium, non debuit infidelium symbolum fidelium fieri. Ubi tamen divini iudicii solertiam facile videmus. Caupones Israel apud Isaiam 1: 30. accusat, quod miscerent aquam vino. Sic factum est, ut postquam coepit homo divina omnia sub imperium suum subigere, divinis etiam contumeliam auctario suo faceret, quo tandem eius cauponatio undique manifestior fieret. De usu huius sacramenti sub utraque specie, non est quod hic dicamus. Lippis enim omnibus patet humana temeritate factum esse, ut altera specie plebs privaretur, quam adeo manifeste Christus iussit omnes bibere. I nunc et haereticos esse vociferare, qui unis Christi verbis haerent, anxieque cupiunt ut omnes eis nitantur! Interea tamen cogita quales hi sint qui ad sacra verba sua iungere, qui mutare ausi sunt, qui aquam inauspicatum symbolum miscent, qui alteram speciem amputarunt, quam deus etiam, cum solis sibi eam servarent, misceri passus est, ut dum intelligere nollent, gustando saltem sentirent, qualesnam caupones essent.

Haec quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Lucas habet post panis porrectionem: Hoc facite in meam commemorationem. Tametsi non sum nescius, cum hoc verbi, tum alia, ad utranque speciem referri debere. Pauli 1. Corinth. 11: 24. verbis haec nostra sunt similiora, ubi post panis porrectionem sic infit: Hoc facite in meam commemorationem. Post vini sic: Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Atque ne ignoremus, quidnam Christus voluerit hoc verbo significare, addit: Quotiescunque manducaveritis panem hunc, et poculum biberitis, annunciate mortem domini donec veniat. His apertissimis verbis ostenditur ipsam synaxim aliud non esse quam commemorationem passionis dominicae. Qua fronte igitur quaeso ex commemoratione oblationem fecerunt isti? Unde qui fideles sumus, dum Christi corpus et sanguinem edimus ac bibimus, mortem domini ebuccinemus, idque quandiu mundus constiterit. Causa praeconii satis ampla est, quod Christus nos liberavit sua morte et sanguinis effusione, atque eadem in cibum tradidit, quae fide comedimus non dentibus, propter quam deus nobis invisibiliter illabitur ac animum pascit.

Unde et memores domine nos servi tui, sed et plebs tua sancta. Hic servos pro ministrantibus sacerdotibus positos esse autumo, ne unquam sibi primas non tribuerent. Christi filii tui domini dei nostri tam beatae passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis. Ut ne barbariem hic caviller tantisper tolerandam, est haec precationis pars non inconsulte superioribus coniuncta. Cum

enim dixisset Christus: Hoc facite in meam commemorationem, recte dicimus: Unde sumus o domine memores filii tui, passionis, descensionis ad inferos etc. Verum quod mox sequitur, non video quomodo non sit per summam oscitantiam iunctum.

Offerimus praeclarae maiestati tuae de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam. Blasphemia haec est: solus enim Christus talem hostiam offerre potuit, et creatura praeterea nulla. Deinde obsecro quantum cerebri habuisse putes eum, qui iam iam dixerat: O domine, quod haec in commemorationem facere iussisti, en facimus; et priusquam huius sententiae deverbia abierint, sic infit: offerimus? Sed ogganniunt quidam scioli: Haec commemoratio est oblatio, quamvis nihil adferant quo id probent. Unde eos admoneo, ut orationem suam vertant, et dicant: Haec oblatio est commemoratio: nihil enim aliud est, ut satis iam visum est.

Panem sanctum vitae aeternae, et calicem salutis perpetuae. Cur hic non inquiritis in Canonem, o suaves inquisitores? non auditis quod post consecrationem corpus Christi panem vocet? Sic insanit caeca semper invidia. Vulcano sacrificaturos se spondent, qui panem vocet post sacra verba, et Canonem suum, quem quotidie legunt, non damnant.

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris etc. Tota ista precatio ad oblationem tendit. Sic hodie solent umbris, quae praeterierunt, sua firmare: Nonne Abel, inquiunt, obtulit, nonne Melchisedec? non cogitantes haec adumbrationes quasdam Christi, qui se tum oblaturus erat, fuisse.

Supplices te rogamus omnipotens deus. Si nunc quae proxime sequuntur amputes usque ad haec verba: Ut quotquot etc. non impie precaberis: nam quae interposita sunt, eam opinionem redolent, quae se offerre contendit. Supplices, igitur dic, te rogamus omnipotens deus, ut quotquot ex hac altaris tui participatione sacrosanctum filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur.

Memento etiam domine famulorum famularumque tuarum. Nisi famularum esset additum, periculum erat ne deus pro famulabus exaudiret precationem. Quapropter diserte utrunque sexum expressit: vafer enim est quo cum agimus. Sed dicunt quidam: Quid prosunt hae cavillae? Hoc prosunt, ut videas canonem precularum variorum temporum esse fasciculum, qui ubi sit humeris servorum Christi impositus non constat.

Purgatorium, res Ecclesiasticis quaestuosissima, hinc esse probatur. Sic enim prodeunt: In missae canone oramus pro defunctis: ergo est purgatorium. Neque hoc ictu contenti alium bicipitem infligunt, quem ex Origene impensius philosophante protulerunt. Quidam, inquiunt, hinc decedunt non summe boni, quos nimirum expiari ante oportet quam in conspectum dei venire detur. Rursus quidam hinc migrant non summe mali, quos si ad inferos releges, iniuria adfeceris: purgandos igitur oportet mittere ad Plutonia regna. Quam nos aliquando rationem imitati, sic pronuntiavimus: Scriptura sacra non constare, sitne purgatorium nec ne; ratione tamen facile capi purgatorium esse oportere.

Postea vero quam sensi dolosius fallaciusque nihil esse humana ratiocinatione, didici haec solum adserere quae ex ore dei accepta sunt. Cumque hos locos, quos Theologastri ad purgatorii adsertionem torquent, dudum evicissem nihil eis suffragari, quin ut arrogantius dicam, cum adscruissem etiam ab istorum imperio, sua sponte adfulsit fidei lux, quae sic palam pronunciabat: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui non crediderit, condemnabitur. Hanc ubi legem promulgari audivi, iam agnovi quotquot ex humanis excedunt, aut in fide excedere, aut sine fide. Si in fide, salvi sunt: nam lex sic habet: Qui crediderit etc. salvabitur. Ac ne tu mihi moram hic causeris ullam, audi quid Christus dicat, Ioannis 5: 24. Amen amen dico vobis, quod qui verbum meum audit et credit ei qui me misit, habet vitam aeternam. Ecce hic quoque verba legis. Sequitur: Et in iudicium non venit, sed transit a morte in vitam, imo transiit iam in vitam, quam hic certa spe adeptus est, iuxta Graecanicam veritatem. Ecce remotionem omnis morae. Rursus: Qui non crediderit, condemnabitur. Fines igitnr hic duos tantum esse didici, unum fidelium, alterum infidelium. Sequebatur hanc lucem alia, quae Origenicam rationem prorsus evertebat: ea erat, nostris factis nos bonos censeri non posse, sed sola fide, atque felicitatem non rependi factorum nostrorum meritis, sed Christi. Non summe bonum igitur, et non summe malum, quem Origenes ad purgatorium relegat, humanae ambitionis figmentum esse cognovi. Nemo enim bonus est, nisi solus deus, et quem is fecerit bonum. Iustus autem meus ex fide vivet; et: Amen dico vobis, clamat Christus, qui credit in me, habet vitam aeternam. Sed et Lazarus, iste cuius spes et robur deus erat, mox ut hinc migravit ab angelis deportatus est in sinum Abrahae. Contra dives apud inferos aciem in Abraham tollit et Lazarum. Cui et Abraham duos solummodo locos hinc proficiscentium esse indicat, taliter dispositos ut neutri ad alteros transmeare queant. Purgatorium itaque esse non constat; humanae tamen coniecturae nihil non audent, nec fortasse iniuria, cum tantum pariant. Nam quae res unquam tantum pecuniae congessit, ac coniectura ignis purgatorii? Et quamvis Plato dicat, nullas rationes esse magis frivolas, quam quae coniecturis nituntur, tamen contra videmus nullam philosophorum tam certam unquam fuisse rationem, quae tantum rei pepererit, quantum vana purgatorii coniectura.

Ipsis domine et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii lucis et pacis ut indulgeas deprecamur. Perhibent Augustinus et Chrysostomus morem pro defunctis orandi ab apostolis usque ad se manasse. Quod ego vehementer admiror, cum nemo apostolorum quicquam de ea re prodiderit, tametsi in mentionem mortuorum nonnunquam inciderint. At si omnino res haberet ut Augustinus Chrysostomusque prodiderunt, non puto apostolos alia causa quam indulgentia infirmis quibusdam permisisse pro mortuis orare: Paulus enim non vult nos contristari pro mortuis sicut infideles, qui a spe futurae vitae alieni sunt. Sic etiam hodie faciendum arbitror, si qui adeo tenui fide sunt, ut fideles parentes coelesti domino anxiis precibus commendare cupiant, eos abiiciendos importune non censeo: violenter enim Christus linum fumigans non

extinxit, et ὀλιγοπίστους discipulos toleravit. Sed in infirmitate permanere, et quod quidam lucriones faciunt, stabilire, id vero nullis permittere debemus. Docendi ergo sunt et verbo dei adsumendi, non ad cogitationum disceptationem, sed ad imbecillae mentis confirmationem: nempe, quod quic.' que verbo dei fidat, quod verbum Christum agnum totius mundi peccata expiantem nobis esse praedicat, quod, inquam, sic credens salvus fiat, et in ignis iudicium non veniat, sed transeat a morte in vitam. Interea dum infirmus est, aliter orare non permittatur, quam ut voluntas dei fiat, iudicia eorum qui hinc migrarunt nobis prorsus esse incognita: soli enim deo nota esse; hinc orare nos ut eius voluntas fiat: nam solo Christi merito ad felicitatem perveniri. Nundinas, venales preculas, et missas, fictasque vultu hypocrises, εἰς κυνόσαργες ociter mihi mittas oro. Reliqua quae ad hanc rem adtinent, si non alibi uberiora invenies, ex Conclusionum nostrarum farragine petas.

Nobis quoque peccatoribus etc. Tota oratio ista non abhorret a Christi doctrina. Est tamen quod hic et superius in altero nominum divorum catalogo cupiam omitti, nempe, ut si maxime iuvet beatorum nomina recitare, horum tamen nominibus parcamus, qui citra sanguinis aut confessionis periculum hinc migrarunt. Absolutius tamen fuerit obsecrare, ut intra horum consortium nos deus recipiat, qui per fidem ad ipsum dudum venerunt.

Per quem haec omnia domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et praestas nobis. Hic, quantum ipse video laudibus Christum et patrem vehimus, quod hic nobis semper bona per illum creet, sanctificet, vivificet, benedicat et praestet. Quod si alii quoque ad hunc modum capiunt, ferendum plane est. Verum in quem usum tot cruces in aëra pingamus, non video. Hinc subolet mihi quod Creare velint hic referre ad hoc quod Christi corpus hic fiat et sanguis. Praecessit enim: Haec omnia domine bona, quod quam absurdum sit apud ipsos etiam quisque facile videt: non enim creari Christum perhibent, sed panem in eum transsubstantiari. Simili modo de Vivificas dicendum est: videtur enim ad hoc tendere ut panem per conversionem petamus vivificari. Omnia tamen puriora erunt ac veritati conformiora, si pronomen haec, et cruces omittas.

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi deo patri omnipotenti in unitate spiritus sancti omnis honor et gloria per omnia secula seculorum. Haec est altera encomii pars, in qua, si recte superiora quoque intellexeris, nihil prorsus invenio, quod non sit probandum: hoc uno excepto, quod actio simul concurrens facit, ut verba non eatenus accipiamus, quatenus accipienda sunt. Ista enim frequens crucesignatio animum haud secus terret, atque Mathematicorum characteres idiotas, si quando admittantur, terrent, qua hic prorsus abstinendum erat. Unius enim dei, qui tres est, tum essentia et unitas, tum gloria et actio exprimitur. Ad quam rem nescio quid cruces tot faciant. Subolet mihi (pace omnium dixerim) eum qui cruces tot adiunxit, simplici plebeculae veluti praestigio quodam illudere voluisse: nam vetusti canones multis locis, et praesertim isto hic loco, cruces alia manu pictas habent quam eius qui scripsit. Crucesignationem non contemnimus: sed tales velim

omnes Christi discipulos esse, ut crebrius cogitent quid in cruce actum sit, quam crucem in ventum figant. Fidem crucis maximam esse oportet, crucibus pictis opus non habent qui Christum vivunt. Huc pertinet quod benedicere non est crucis charactere signare, ut vulgo iam creditur, sed hoc quod nos dicimus gratiam vel referre vel agere.

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti etc. Oratio dominica cur in hunc locum reiecta sit satis dispicere nequeo, nisi quod, quocunque me tandem vertam, augurari cogor verum esse quod vulgo iactatur: nempe, apostolos dum panem frangere, hoc est participare voluerint, ab oratione dominica orsos esse. Unde inter prima positam oportuit, sive sic usi sunt apostoli sive non sunt usi, tametsi usos facile credam. Omnia enim fere in ipsa contenta opportunissime a principio precabimur, praecipue tamen hoc: ut panem nostrum quotidianum aut supersubstantialem nobis dare velit deus.

Libera nos quaesumus domine etc. Hanc orationem quidam canones, posterius quam primum scripti fuissent, adscriptam habent, quod atramenti manusque alterius notae palam faciunt. Quod ad divorum invocationem adtinet, satis ostensum est ad iniuriam Christi pertinere, si per alium propitiatorem tentemus ad deum, quam per Christum, accedere. Et beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea. In uno canone rubrica erat adscriptum: Hic nominat sanctos, quoscunque voluerit. Unde adparet, ad superiores quoque catalogos fas fuisse quos libuisset divos adiungere, quod vetustorum canonum abrasa intervalla probe demonstrant. Et quamvis divorum invocationem prorsus non recipiat vera inconcussaque in Christum fides, hic tamen et superius adparet veteriores non tam stolide obstupuisse ad verba Canonis, atque nos hodie facimus.

Ab omni perturbatione securi. Fiat voluntas tua.

Pax domini sit semper vobiscum. Sic Christus quoque suis precatus est cum inopinatam resurrectionem praesens suis ipse annunciaret. Post haec subdunt vetusti canones: Agnus dei, et nihil amplius; recentes post Pax domini, cruce supra calicem ter circumlustrata, iungunt:

Fiat haec commixtio et consecratio corporis et sanguinis domini nostri Iesu Christi accipientibus nobis in vitam aeternam. Quae mihi verba multo absurdissima videntur. Nam si hic primum miscentur corpus et sanguis, quid est hoc quod plebi porrigimus? an illi exangue corpus manducant? aut quae est haec consecratio quae hic denuo fit? nonne prius consecrata sunt panis et vinum? Ita sunt aliqui tam nullo iudicio, ut quicquid in buccam venerit, recipi etiam ab aliis velint; rursus quidam adeo carent omni sensu, ut quantumvis temere oblata recipiant.

Cum ter Agnus dei repetimus, postremo loco dicimus: Dona nobis pacem. Sed cum pro defunctis missamus, religio est dicere: Dona nobis pacem. Nam defuncti (sic enim causantur) nondum sunt in pace. Valida certe ratio, quod cum defuncti non sunt in pace, nos pacem nobis precari non debeamus. Sed dicunt, nobis, in persona omnium qui vel vivunt vel in igne purgatorio sunt, dici. Quid tum? nonne eo plus egent pace, quo magis torquentur? si modo torquentur.

Quae deinde sequuntur orationes, in vetustis canonibus nusquam scriptae inveniuntur, licet recentiores per margines laboriose adposuerint, quarum prima: Domine Iesu Christe qui dixisti apostolis tuis etc. utcunque tolerari posset nisi hoc resiperet, quod totus Canon, nempe, sacerdotem pro populo sacrificare. Secunda in universum ferri potest: Domine Iesu Christe qui ex voluntate patris etc. Orat enim ut deus per hoc convivium nos peccatis liberos faciat, et ad perficiendum dei voluntatem animet. Tertia: Perceptio corporis et sanguinis etc. nihil aliud optat quam priores, et infantissima est. Ad ipsam manducationem his verbis usi sunt veteres, ut ex vetustis canonibus patet: Corpus domini nostri Iesu Christi prosit mihi ad vitam aeternam. Ad potionem: Sanguis domini nostri Iesu Christi prosit mihi ad vitam aeternam. Ubi clare videtur eos qui sic precati sunt, non in ea fuisse opinione, ut pro aliis offerrent, vobis nimirum dicturi si id sensissent.

Hactenus levi admodum velitarique pugna cum missae canone congressi sumus, qua tamen omnes eius partes lacessivimus, ut plane pateat ei nihil integri relictum esse. Maiores impetus pressuri sumus, donec contra nitentium copias in arenam descendisse conspexerimus: nam sine pulvere haud puto victoriam cessuros esse istos, qui quicquid a Christi partibus stat, oppugnant; rursus quicquid contra eum insurgit, amplectuntur, et socia arma iungunt, non modo superstitiosi (quod nomen eis aliquandiu apud me patrocinari passus sum) sed impii etiam, ut qui praeter scripturae auxilia, praeterque rationem et aequum, sola vi conentur veritatem opprimere, nec sine Theseo. Coniurant cum principibus istis, quibus fidere vetat dominus, quosque furum socios vocat Isaias, et rem armis tentant, postquam scripturis congredi non audent. Nostrum interea fuerit patiendo testari quanto fortius sit verbum dei omnibus omnium Principum armis, consiliis, impetibus; qua una ratione nitorem suum Evangelium Christi recipiet.

Confutato canone superest ut meliora praestemus, quod promittere non ignoramus quam plenum arrogantiae esse videri possit, sed eis tantum quibus displicet quicquid dextere agitur. Non sumus igitur quicquam prolaturi, quod non sit ad regulam divini verbi aptatum, atque hoc ad canonem quem daturi sumus referri volumus. Prius tamen nonnihil de his quoque loquemur, quae ante et post canonem aguntur.

Vestes, quibus amicitur caelestis mensae minister, non admodum damnamus, quod ad formam adtinet. Nam quem non moveat caput ad eum morem velatum, quo Christus velabatur in Caiaphae domo? si modo nostrum quoque caput honeste velatum sit: nam ut nunc glabras rubentesque genas ostentamus, lenocinium potius est, quam eius quod Christus tulit imitatio. Poderis, quam nos Albam vocamus, eam vestem referat, qua Christus ab Herode ad ludibrium donatus est, unde eam fluere mallem quam cinctam esse, ni propter operationem colligamus. Chlamydem quoque purpuream quovis tempore oportet esse non secus ac poderem albam. Pusillum hoc quod in manu sinistra gestatur, si ad statuam alligationis, ad quam flagris caesus est, symbolum sit, probatur. Similiter hoc quod nunc Stolam vocamus, quamvis revera stola non sit, si reliqua vincula repraesentet; sed reliquum auri, argenti, gemmarum,

holosericorum luxum tam abest ut probemus, ut ingentem etiam contumeliam Christi esse ducamus. Sed excogitavit haec avaritia, quae se hypocriseos fuco ad hunc modum venditat. Nobis Christus unice spectandus est. Quicquid aliter geritur atque ipse gessit, flagitium est. De luxu mundi ecclesiastici iustus liber extruendus est; si quis digne velit confutare.

Exordium, quod Introitum vocamus: nam alia quibus se quisque accingit missa facimus, non sit aliunde petitum quam ex sacris literis. Quod si quae aliunde petita sint, contemni debent et in eorum locum sacra recipi.

Kyrie eleeson, domine miserere nobis est: Christe eleeson, Christe miserere.

Gloria in excelsis deo et in terra pax, hominibus bona voluntas, et reliqua. Prae cunctis nobis videtur esse oratio Christiano homine dignissima: nam symboli formam habet, encomii et precationis. Id consideranti facile patet.

Oratio quae deinde nomine omnium Christianorum effunditur si de tempore est, ut vocant, sine omni cunctatione palam pronuncietur; si de divis et aliquid de intercessione contineat, mittatur, et ad aliquam generalem recurratur.

Lectio non aliunde petitur quam ex sacris literis. Quid autem hic fieri cupiam post in genere dicetur.

Anabathmicon, quod nos Graduale vocamus, ad breviorem mensuram notarum stringatur: quid enim fastidiosius audiri potest, quam tot voces sub una vocali boare? Sit autem et Graduale ex sacris tantummodo literis.

Halleluiah, hoc est, laudate deum, superstitiose nimis utimur: nunc pervicacius abstinemus ab eo quam Iudaei a suilla; mox eo vel surdos taedio adficimus. Nec unquam eo utimur quin vocibus innumeris, velut citharoedus qui frequenter chorda errat in una, vel nobis ipsis nauseam moveamus. Taceo quod iam posthabitis sacris verbis nostra deboare coepimus. Modum vocum hic quoque ut uspiam desideramus.

Prosae, quas Sequentia vocant, plerunque sunt aniles fabulae et rythmi inurbanissimi. Ab eis abstinendum censemus. Si vero quae Christum redoleant, eo crebrius anilium loco decantentur.

Sequitur Evangelion, cui lucerna, quod Evangelium lux sit, adhibetur accensa; sed cum in Germania Latine legitur, vixque unus et alter intelligit, quid aliud agitur, quam ne intelligatur? quod idem est ac lucernam subtus modium recondere. Qui ergo Evangelium coram populo dei in ea lingua praelegunt quam vulgo non capiunt, vocem pastoris ovibus invident. Unde tametsi infirmis videam nonnihil etiamnunc donandum esse, in Evangelii tamen lectione, qui quicquam donat, peccat. Nam hoc est vitae verbum, quod qui abscondit, vitam aufert. Obsecro igitur omnes qui dei sunt, ut ante omnia Evangelium Christi in ea lingua palam legant, in qua versantur: similiter Epistolam, ut vocant. Et si in utriusvis lectione aliquid occurrit intellectu difficile, brevibus, pro temporis ratione, exponant; donec omnia tandem vulgatae linguae

reddantur. Si dies dominica sit, aut aliae feriae, paulo diutius in enarratione Evangelii versentur.

Post Evangelii expositionem sequitur symbolum in Nicena synodo secundo conditum. Quod nihil aliud est quam eius fidei, quam paulo ante in Evangelii expositione audivimus, confessio. Corde namque ad iustitiam creditur, ore tamen confessio fit ad salutem.

Sequitur cantio, qua ad offerendum illeximus, haud aliter quam Sirenes. Hic curritur: alius suffumigat, alius collatam stipem in lancem aliquam excipit, ne quid defluat, et suavis sacerdos interim aliqua altaris laciniola vulnus extergit. Quae avaritiae species ne unquam repullulet, longius ableganda est. Cunctaque, inter symbolum et praefationem hactenus tum agi, tum dici consueta prorsus resecanda. Cumque panem et vinum quo usus postulat locaverimus, sic ad devotionem extimulabimus.

Dominus vobiscum etc. Sursum corda etc. Gratias agamus domino deo nostro. Vere dignum et iustum est etc. Sanctus, sanctus, sanctus etc. Canonem loco non movimus, sed in eius locum quo hactenus usi sumus, alium ponimus, non ignorantes, quam male simus passim aduituri, dum alii audaciam, alii impietatem obprobrabunt. Nec iniuria hoc facerent, si prior Canon culpa vacaret; cum vero iste sit non modo audacia, sed summa etiam temeritate in ecclesias introductus, primumque sit impietatis a nobis convictus, audacia non est errorem deseruisse, sed virtus; nec impietas est impietatem expugnavisse, sed verus dei cultus. Neque hic legem cuiquam damus, ne liceat ei aliter precari quam nos precaturi sumus, sed cuique in suo sensu abundare integrum facimus. Quod utinam maiores quoque fecissent! nam quantum referebat quibus quisque orationibus ante vel post eam actionem, quae Christo tribuitur, obsecravisset? adeon ad unius indocti capitis, vel plurium etiam, sed plane indoctorum, ne dicam impiorum, praescriptum omnibus vivendum est? Oret quisque pro spiritus divini adspiratione ut placuerit! nos sequentibus, et oratione et actione, usuri sumus. Quae si cui placeant, licebit uti; si displicent, suis utatur, aut ad glandem redeat. Huius quoque volumus pium lectorem admonere, quod aliquandiu nobiscum deliberavimus, an expediret propter infirmos quosdam eodem ordine orationumque numero, licet aliis tum verbis, tum sententia uti, ne nimis abhorrerent a nuper nata traditione; deliberandoque huc propemodum inclinabam, ut formulam veterem imitarer. At posteaquam diligentius omnia circumspicio, video ordinem tam in isto vetere Canone peccare, quam verba et sensus. Nam, ut reliqua taceam, quae suo loco reddemus, hoc prae omnibus displicebat, quod benedictionem non extemplo manducatio sequeretur, quam tamen apostoli, mox ut exhibitum est mysterium, perfecerunt. Haec causa fuit ut alia via consulendum esse infirmis decreverim, brevi quidem, sed illa non inutili. Si qui tam infirmi sunt, ut non protinus abusum deserere, ac id quod e mente Christi est adsumere audeant, tantisper lacte nutriendi sunt, donec solidum quoque cibum conficere possint. Hoc tamen considerandum est, quod non in eum usum consulturi sumus, ut perpetuo infirmi maneant, sed ut magis ac magis

adolescant. Interea dum per metum aliter non possunt, ubicunque hostiam inveniunt, aut oblationem, aut offerimus, aut similia verba: secum aliter loquantur quam adfectus verborum postulant; nempe pro hostia intelligant eam hostiam quam Christus semel obtulit, et apud se pro hostia et sacrificio rememorationem accipiant, pro offerimus rememoramus vel commemoramus. Cum ad intercessionem divorum ventum erit, omittant. Orationem pro defunctis mallem aliquanto plus a quaestuoso sensu seiunctam esse; eam ita quoque temperent, ne ultra, quam verbum dei doceat, de mortuis sentiant, sed fiat voluntas tua dicant. Et quamvis haec omnia difficilia sint ad observandum, commodius tamen paulo habituros spero infirmos, quam si omni consilio destitueremur. Sed ut rem adeamus, postquam cum coelestibus animis omnipotentem deum ter sanctum cecinimus, sic tandem precibus adoriamur:

Te igitur clementissime terque sancte pater, I. qui hominem ab initio creasti, ut hic paradiso, post vero Te frueretur, II. a qua ipse gratia sua culpa excidit, quapropter et morti iuste adiudicatus est, III. qua omnem deinde posteritatem ita vitiavit, ut vitae prorsus nulla spes esset relíqua, nisi tu, qui solus bonus es, bonitate tua eius aerumnas levare statuisses, IV. qua etiam semen promisisti, quod malesuadi seductoris caput contereret, ne miser homo perpetua desperatione contabesceret, V. promissumque semen, cum tempora per te designata complerentur, VI. filium tuum dominum nostrum Iesum Christum, carne per illibatam perpetuamque virginem Mariam adsumpta, praestitisti, VII. ut immaculatus pro nobis sacerdos fieret, quem hostia nimirum nulla nisi immaculatissima decebat, VIII. quam cum ex omni hominum coetu invenire non posset, seipsum praebuit pro deploratis mactandum: IX. neque hoc contentus, seipsum quoque, ne nobis quicquam deesset, in cibum potumque donavit; X. Te, inquam, benignissime pater, obsecramus, ut laus bonitatis tuae de ore nostro nunquam deficiat, et quamvis gratitudo nostra, etiam si summa esset, beneficentiae tuae respondere nunquam posset, Te tamen, qui idem es bonitatisque tuae sinum nunquam contrahis, dignos oramus ut nos facias, qui laudem tuam corde, opere, oreque, decantemus, et aliena a bonitate tua nunquam petamus. Quod nimirum tunc adsequemur, cum eis te verbis et laudabimus et orabimus, quibus te convenire docuit dilectissimus filius tuus dominus noster Iesus Christus. XI. Eius itaque praecepto moniti audemus dicere: Pater noster qui es in coelis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in coelo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, Amen.

XII. Deus qui non modo hominem a iuventute pascis, sed et omne animal vivens, te obsecramus, ut esurientes animas nostras coelesti cibo pascas! Tu enim es qui esurientes bonis impleas. Anima nostra spiritus est tua manu ad imaginem tuam factus, unde alio cibo quam spiritali refici non potest. Is autem solo verbo oris tui administrari potest. Sermo enim tuus est veritas: nam tu veritas es, ex qua nihil nisi verum, sanctum, firmum impollutumque prodire potest. Oramus igitur, o domine, ut

verbi tui cibo nos nunquam destituas, sed continua bonitate pascas! Ipsum enim panis est qui dat vitam mundo: frustra enim carnem filii tui et sanguinem edemus et bibemus, nisi per fidem verbi tui hoc ante omnia firmiter credamus, quod idem filius tuus dominus noster Iesus Christus pro nobis cruci adfixus praevaricationem totius mundi expiarit. Nam ipse dixit carnem nihil prodesse, spiritum esse qui vivificet. Ut igitur spiritu tuo vivificemur, ne quaeso verbum tuum a nobis unquam auferas! Eo enim veluti vehiculo spiritus tuus trahitur: nam ipsum otiosum ad te non revertitur. Eo uno soloque humana mens libera fit: ipsum enim solum verum est, et tu per filium tuum pollicitus es, quod si veritas nos liberaverit vere liberi simus. Da igitur ut verbi tui cibus nunquam nobis desit, quo uno liberi et securi salutis reddimur. Per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti deus, per omnia saecula saeculorum, Amen.

XIII. Tuo igitur, o domine, verbo docti coelum et terram potius perire quam verbum tuum, firmiter credimus, ne apicem quidem ullum unquam casurum. Quo fit, ut sicut filium tuum pro nobis semel oblatum patri reconciliasse credimus, ita quoque firmiter credamus eundem sese nobis animae cibum sub speciebus panis et vini praebuisse, ut liberalis facti memoria nunquam aboleretur. Tu tamen, si fides uspiam labascit, auge nobis fidem, et da, ut sicut filius tuus per crucis contumeliam et amaritudinem in gratiam tuam nos reduxit, deliciasque nobis aeternas peperit, ita nos quoque, dum carnem eius edimus et sanguinem bibimus, ad eius exemplum huius mundi aerumnas et afflictiones eo duce et protectore vincamus. Ad hunc enim usum se in cibum dedit, ut quandoquidem ipse vicerat mundum, nos quoque, cum eo vesceremur, ad vincendum mundum animaremur. Frustra iactabimus nos eius memoriam facere, quod ipse fecit, si verbo solum hoc praedicemus. Tu igitur clementissime pater per Christum filium tuum dominum nostrum, per quem omnia vivificas, instauras et moderaris, da ut factis eum exprimamus, ut in Adam olim obliterata imago hac via speciem suam recipiat. Quod, ut efficacius firmiusque nobis contingat, da, ut quotquot ex huius filii tui corporis sanguinisque cibo participaturi sunt, unum solumque spirent et exprimant, ac in eo, qui tecum unus est, ipsi unum fiant. Per eundem Christum dominum nostrum.

XIV. Deus qui per eum, quo maior inter natos mulierum non surrexit, manifestare dignatus es, quod filius tuus agnus esset, qui peccata nostra tolleret, nunc quoque per eum agnum invocari patere, et cum clamamus: Agne dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis! tu benignus culpam omnem dona. In hoc enim passus est, ut per ipsum perpetuo ad te accederemus; in hoc infirmitate nostra amiciri voluit, ut nos in eo roboraremur; in hoc se in cibum praebuit, ut eius alimento in virum perfectum plenae aetatis suae augesceremus. Trahe domine pectus nostrum tui luminis gratia, ut digne, hoc est ea fide qua oportet, ad hoc sacrosanctum filii tui convivium accedamus, cuius ipse et hospes est et epulum.

XV. Nam ea nocte qua tradebatur accepit panem, et gratias agens, benedixit ac fregit, deditque discipulis suis, et ait:

xvi. Accipite et comedite! Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem.

xvii. Similiter et poculum posteaquam coenatum esset accepit, gratias egit, et dedit illis, dicens:

xviii. Bibite ex eo omnes! Hic est enim sanguis meus, ille novi Testamenti, qui pro vobis funditur in remissionem peccatorum. Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.

xix. Quotiescunque enim manducaveritis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem domini annuntiate quousque veniat.

Venite igitur omnes qui laboratis et onerati estis, et ego requiem vobis praestabo.

Corpus domini nostri Iesu Christi prosit tibi ad vitam aeternam.

Sanguis domini nostri Iesu Christi prosit tibi in vitam aeternam. Similiter ad suam manducationem dicat, mutata tamen persona, minister. Post coeleste convivium dicat: Gratias agimus tibi domine pro universis donis et beneficiis tuis qui vivis et regnas etc. Nunc dimittis servum tuum domine etc.

Complementa, ut vocant, si gratiarum actio sint, dicantur; sin minus, puta si ad oblationem aut sanctorum intercessionem, omittantur, et ad generales precationes recurratur. Dominus vobiscum. Benedictio sine: Ite! missa est, dicatur.

Nunc reddam eorum quae superius numeris signata sunt rationem. i. Primi hominis institutionem ante omnia nosse oportuit, ut ii. praevaricatio melius intelligeretur et condemnatio, quae iii. secuta est quaeque posteritatem omnem vitiavit. iv. Dei commiseratio, Evangelii umbra significatur. v. Solatur promissio seminis quod Christus est. vi. Evangelium bonum dei nuntium tandem oritur. vii. Nam Christus innocens sacerdos nobis datur. viii. Idem hostia fit. ix. Ac se nobis in cibum dat. x. Ad Patrem Catastrophe, et ad orationem dominicam praeparatio. xi. Oratio dominica fidem primum exigit, ut patrem vocemus. Honorem dein nomini eius precatur; post, nobis necessaria. xii. Haec oratio cibum verbi postulat, qui unicus est fidei salutisque causa. Orationem pro potestatibus proque Ecclesia hic de industria omisimus, ne quaestui ulla rima pateat. Prius enim cum Evangelium exponeretur, palam ex more hoc factum esse oportuit. xiii. Secunda oratio ad cibum corporis et sanguinis Christi, ut edendo eum imitemur, descendit. xiv. Ad remissionem peccatorum tendit. Nihil aliud, quam in oratione dominica continetur, emendicare visum est necessarium esse. xv—xviii. Matthaei, Lucae, Marci, Pauli verba sunt.

Statueram omnium fusiorem rationem reddere, sed latiora chalcographi commoditas non ferebat, cui hoc loco cessimus. Nam piis, ut arbitror, satis dictum factumque est: nam quod hic desideratur quisque sarciet, nobisque beneficium praestabit. Nos altius rem expendendi aliis ansam modo praebuimus. Opera nostra publicam faciem non verentur. Scimus enim in quo sint facta. Aequi bonique consule, qui aequus et pius es. Reliquos nihil moror. Commendo me omnium fratrum charitati.

# HULDRICI ZUINGLII

## DE CANONE MISSAE LIBELLI APOLOGIA

### AD THEOBALDUM GEROLDSEGGIUM EREMI SUITENSIUM ADMINISTRATOREM.

Cogit me inconsulta indulgentia, ut quidam putant, quae tamen inconsulta non fuit, quemadmodum manifesto intelliges vir celeberrime, tam mature ac fere in ipso nixu, hanc Apologiam dati ad te canonis scribere. Sunt enim qui vereantur, ne quidam, nomini nostro addictiores, eis quae nos infirmis pia quadam indulgentia donavimus pervicacius inhaereant: quae tamen nisi prorsus aboleantur, priscam sint abominationem velut postliminio reductura. [1] Ex his inter prima ponunt vestium ornamentum, cuius tamen ipsi longe alias causas produnt, quam nos unquam agnoverimus. Qui in ea semper opinione fuimus, quod vestium usus harum (quas Christus tulit) contumeliarum esset adumbratio: ut velum, quo nos caput obnubimus, similitudo esset eius ac expressio, quod Christus in Caiaphae domo velatus pertulit, et reliqua quae nunc praeterire brevitatis studium iubet. Hic inquiunt: umbrae omnes praeterierunt, unde qui eis locum dat, quid aliud facit quam in Christo renatos iudaizare? Si eas vestes, in quibus Eucharistiam proditrix avaritia hactenus venumdedit, serves: quid aliud quam Christi plebem hanc simplicem rursus, ut oblationem esse credat, inducis? Ad haec nos in hunc modum respondemus: Recte sane! nam et ego nolim hunc velatum Mosen redire, posteaquam hilaris apertaque Christi facies adparuit. Et quamvis hic nonnihil causari possem de horum discrimine, quae futurorum umbra erant, et eorum quae praeteritorum memoria, missis autem his omnibus ingenue credo, vestes eas prorsus omittendas esse quibus hactenus usi sumus; modo sine discrimine id fieri queat. Si vero periculorum quid immineat, adsumantur prius qui infirmi sunt, clareque doceantur quid vestes ad rem fecerint, quidque, nisi omittantur, sequi festinet. Ipsi enim (ut verum fateamur) dum haec de vestibus scripturi expenderemus, vehementer pertaesi eramus vestes infirmis permittere. Sed ne nihil donaremus, eas tum concessimus, quas nunc anxie omittendas censemus, dum inanibus ceremoniis fenestram diduci sentimus. Oramusque cunctos in Christo fratres, ne nostro nomini quicquam tribuant, sed omnia ad libram verbi caelestis expendant, cui si dissimilia invenerint, reiiciant. Nam in ecclesia dei aedificare statutum est opus, quod irruente igne mansurum sit eiusque vim contempturum; tale autem esse nullum potest, quam quod super fundamentum, quod Christus est, excitatur: qui et prophetarum et apostolorum aedificium sustinet.

---

1) Isti homines, omnia per tumultum deturbare cupientes, in partes Anabaptistarum discesserunt, *Grebelius*, *Manzius*, *Roeublius*, alii.

Secundo, verentur ne permissae cantiones, puta, Introitus, Gloria in excelsis deo, reliquaeque, veluti remorae quaedam, pure nascentem Christianismum detineant, in posterumque ceremoniis praeiim faciant. Ad quod fere idem quod prius dicimus, quamvis hic non sit tam anxie festinandum, modo sine intermissione incedamus, sicut in vestium antiquatione, si ea solummodo cantemus quae ex sacris sunt literis prodita. Protinus tamen velim Epistolam Evangeliumque ea lingua legi, quae vulgo intelligitur, ac si fieri a principio potest, succedat cantui quoque verbi dei enarratio; sin minus, ferendae sunt aliquandiu suaves istae lusciniae, quae a cantu temperare nequeunt, modo coelestia unice modulentur, donec verbo dei omnia perrumpere possimus. Quod sicubi carminum tumultum, etiam prophetae quondam infestum, Amos 5: 23. inter initia deserere citra turbam datur, mittatur. Nam quicquid hic dictum a nobis est, propter imbecilles dictum est, quemadmodum non uno loco testati sumus: paci enim studemus, sed Christianae; infirmis servimus, sed eis quos spes est convalituros; importunitati quorundam cedimus, sed tantopere donec inconsulti frangantur impetus. Nec enim ignoramus Pauli ad Ephes. 5: 19. et Coloss. 3: 16. verba de psallendo canendoque in cordibus, nihil auxilii ferre his qui cygneos cantus suos eis tuentur. In cordibus enim inquit, non vocibus. Sic igitur Psalmi laudesque dei tractandi sunt, ut mentes nostrae deo canant, neque hic Latinis tantum loquendum est aut Graecis (Christus enim nec Scytha est nec Achivus), sed omnibus qui nomen dederunt Christo. Facessat igitur, quantocius fieri potest, e templis hoc barbarum murmur, quod ne hi quidem intelligunt, qui se hoc nomine venditant. Nihil enim pudebit eam linguam barbaram adpellare, quam vulgus non intelligit, quum Paulus aliena verba ambitiose detonantem barbarum vocet; modo ad aedificationem omnia fiant, non ad destructionem aut ruinam.

Postremo, precationes eas, quas ante Christi actionem posuimus, ita exibilant, ut laesae maiestatis propemodum insimulent, quod eas huc inducere simus ausi. Huiusque iudicii sui causam reddunt, quod Christus orationem nullam praemiserit, sitque peccatum quicquid deus ipse nec verbo nec facto docuerit. Hic aequos iudices adpello: si hac in re quicquam peccavi, emendabo; si contra, aequum erit istos clamori parcere, qui inaudita causa pronunciarunt, sententiamque mutare. Primo itaque admoneo, ut diligenter considerent, quoties tandem in nostro de canone Missae libello caverimus, ne quisquam hic legem sibi praescriptam esse putet; cumque id crebrius invenerint, agnoscant, iniuria se tam repente ad calumniandum prosiliisse; praesertim cum omnem praecipiendi suspicionem his duabus rationibus potissimum represserimus, quod eo loco non simus quo praecipere liceat: nos enim quid sumus? et quod omnis opera nostra in dicto libello huc tendit, ut quisquis videat sibi licere precari iuxta caelestis spiritus instinctum. Neminem enim huc accessurum arbitror, qui non prius mentem anxie perlustret, quanta sit in ea fides, quanta inveniendae alimoniae spes, quantus denique cum filio dei animae sponso coniungendi ardor. Hanc animi sive meditationem, sive deliberationem, nos aliud esse non putamus quam orationem; cumque alii hanc in sinu effundant, nos ne imbecillibus uspiam deessemus,

palam id fecimus. At dicunt isti: Maiore opus est fide, quam ut oratione speremus aliquid confici posse. Idem ego sentio: neque enim ex dictis nostris expiscari posse arbitror, quod hac in re quicquam humanae actioni tribuam. Quamvis eam fidem, quam hic exigitis, iam inde ab exordio creationis petita materia excitare conemur: non enim aequa est omnium fides, et hae orationes quid aliud sunt quam fidei stimuli? Quod si qui sua sponte currunt, currant precor amplius, ac nos cum imbecillibus antevertant! Lucrentur calcaria! non invidebimus, nos interim languidiores ad eam mensuram extimulabimus quam isti iam tenent. Peccatum autem esse quicquid deus nec verbo nec facto docuerit, facile admisero: nam ut solus bonus est, ita bonum ab alio quam ab eo proficisci nequit. Verum, quid quaeso a nobis per universas quatuor orationes istas dictum est, quod a verbis sacris alienum sit? cupiam unicum iota ostendi quod non sit ex caelesti thesauro depromptum, quanquam aliis verbis, quo omnia fierent tum planiora tum magis obvia. Sed reclamant: Esto, nihil a verbo dei alienum dixeris! adhuc tamen isto loco orari nihil debuit quam oratio dominica, et hoc quod tu oratione tentas, nempe fidem infirmorum excitare, verbi dei praedicatione fieri oportebat. Ad haec sic respondemus: Ego a vobis discere cupio, ubi deus praeceperit praeter orationem dominicam nihil orandum esse. Nonne Mosi, Isaiae, Manassi, David, aliisque prolixas orationes licuit effundere? Nonne Paulus oravit ut colaphi humilitatis custodes a se auferrentur? Et Christus ipse calicem passionis deprecatus est, qui omnium petendi copiam fecit, cum diceret: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Modo ea petamus quae illi dare indecorum non sit: nam et apostoli aliquando precati sunt ut eis fidem augeret, quod ipsum in oratione dominica (ut arbitror) non continetur. Quod ad praedicationem adtinet, iterum vobiscum sentio; verum quanti refert, sive orationem adpelles quod in eum solummodo usum profers ut mentes excites, sive praedicationem, dummodo idem intendas? Et ut nonnihil in vos regeram: Unde sacrarum literarum probabitis sermonem anteire synaxim oportere? Quod si factum Christi attuleritis, cogemini post esum corporis et sanguinis sermonem habendum esse concedere: nam Christus hunc prolixum sermonem (quem Ioannes scripsit) post corporis sanguinisque sui convivium habuit. Verum ne cuiquam occasionem contendendi praebeam, paucis expediam quid de hac controversia sentiendum sit. Sicut nullis sumus circumscriptionibus aut circumstantiis alligati, sic neque eis quae circumstantias comitantur rebus. Sequitur autem personae circumstantiam ordo. Ut igitur per Christum ab omni sumus persona liberati, ita et ab ordine qui personam comitatur. Non hercle ita ab ordine, ut eum non debeamus in actionibus cunctis servare, sed quod ordo in nostra potestate sit, quemadmodum et persona, locus et tempus, quae nunc testimoniis probare non est locus. Cuivis igitur tum privato, tum ecclesiae, integrum est, vel multis vel paucis orare. Quis enim vetabit ne tu noctes totas ad hanc mensam accessurus in meditatione sacrarum literarum teras? aut ne quam brevissimis totius ecclesiae devotionem excites? conceptisque verbis, quae tamen aliud non resipiant quam dei verbum, cunctorum mentes expies? Nam cum Christus

mandaret discipulis ut, primum in civitates ingressi, opportunos hospites quaererent, non ita ad ordinem propterea quod primum dixit alligavit, ut si se prius occasio docendi detulisset, non eam protinus arriperent. Sic et hic videmus nos nullo Christi praecepto ad hunc vel illum ordinem alligatos esse. Christus a coena corpus et sanguinem suum praebuit, Paulus rescindit coenam, et iubet domi edere. Christus in coenaculo praebuit hunc cibum, Paulus in templo nimirum frequenti ecclesiae. Christus completo convivio docuit, nos ante docemus. Cur igitur non liceat in locum coenae orationes subrogare? atque hoc (ut diximus) pro arbitrio cuiusvis vel privati vel ecclesiae, salva tamen semper integraque Christi actione, cui vis nulla facienda est, quaeque rursus circumscriptioni nulli addicta est. Si usus exigit, omitti possunt et sermo et oratio, coena et ieiunium, sed non possunt omitti sacra verba. Cum vero ad tam admiranda mysteria non quaevis mens intrepide accedat, arbitrati sumus, haud contemnendum operae pretium facturos, si trementes oratione, ad Christi regulam exacta, animaremus, qua uti ut cuique liberum est, ita et negligere. Nihil igitur causae reliquum esse puto, cur merito queri possint has orationes a nobis esse editas. Nam si Christo consonae sunt, ac ipsi ab ordine solum abhorrent, omittant; si contra alienae a Christo sunt, ostendant hoc, et quicquid peccatum est, scriptis refellant. Nunquam enim hoc e manibus eripient, ut non liceat, sicut Paulus orandi quoque copiam in omni loco fecit, sic ante omnem actionem, quantumcunque et quibus verbis voles, modo a Christo non alienis, orare. Cum igitur hac in re, quod ad orationes adtinet, peccasse convinci non possimus, obsecro cunctos qui Christi sunt, ut diligenter caveant ne se in spiritum contentionis et dissensionis artibus suis circumveniri patiantur: in pace enim vocavit nos deus; crebroque volutent quod scientia inflat, sed charitas aedificat; et quod in sapiendo quoque modus servandus est, ne scilicet sapiamus plus quam oportet, sed ad sobrietatem. Lubens ac volens hanc satisfactiunculam tumultuarie effudi, maxime ut omnibus manifestum facerem, nihil me vestium hypocrisi tribuere, neque probare barbarum, hoc est ignotum in ecclesiis, etiam sacrarum literarum; tantum ne nostra indulgentia quisquam quereretur tandem se deceptum esse. Perstrinximus obiter interim eos quoque, qui nodum (quod dicitur) in scirpo quaerunt, vitio vertentes, quod iure verti huc non potest; praesertim cum omnia exceptionibus necessariis probe vallaverimus. Quae omnia, obsecro, ut omnes boni consulant, et hoc unum agant, ut Christi gloria, non nostra amplietur. Servet ecclesiam suam Christus. Et tu quoque, Theobalde frater in Christo colende, Vale. Ex Tiguro, nono die Octobris, anno MDXXIII.

# ADVERSUS HIERONYMUM EMSERUM
## CANONIS MISSAE ADSERTOREM
### HULDRICHI ZUINGLII ANTIBOLON.

VENITE AD ME OMNES QUI LABORATIS ET ONERATI ESTIS; ET EGO REQUIEM VOBIS PRAESTABO. MATTH. XI.

Hieronymus Emserus, Consiliarius Georgii, Ducis Saxoniae, et Professor Lipsiae, defendit Canonem Missae contra Zuinglium ac Lutherum, idque ut ex hoc antigrammate Zuinglii apparet, singulis adversus singulos libellis. Eum autem, quo Emserus Zuinglium adortus est, editor frustra conquisivit. Iam 16. Maii Zuinglius certiorem fecit Vadianum, sese in eo esse, ut contra Emserum scriberet. Vol. VII. p. 341 sq. Iacobus vero Wimphelingius et Lutherum rogavit et Zuinglium per epistolam 21. Maii 1524, ut ne Emseri rabie et contumeliis exacerbari se pateretur, sed eius argumenta perpenderet quae ipsi gravia viderentur, neve discordiam augeret, facile mox in bellum erupturam. (Ibid. p. 322 sq.)

Latina editio princeps in lucem prodiit apud Froschoverum Tiguri mense Augusti 1524, contributa Operibus Vol. I. pag. 192 a — 201 b. Anno 1525 duae versiones vernaculae vulgatae sunt, una in hunc modum inscripta: Ein Gegenwurf und Widerweer H. Zuinglins wider Hieronymus Emser des Canons und der Mäss Beschirmer. Zürich bey Froschover. Altera hunc titulum gerit: Huldrichen Zuinglens Antwort wider Hieronymum Emser den Schutzherrn des Canons oder Stillmess, nullo indicio loci.

---

Parum abfuit, o levissime Emsere (nam aegocerotas plus quam cervos leves esse oportet), quin a clarissimo caelestis verbi lumine nos avelleres, ac Romani Pontificis partibus adiungeres tuo isto minaci libello, quem contra confutationem nostram, quam in missae Canonem protrusimus potius quam edidimus, evulgasti. Ita est altiloquus, ut nemo prae sensuum arduitate capere possit, nisi in puteum descendat; ita scripturis solidioribus, puta Legendis Sanctorum, et aliis plusquam

anilibus naeniis firmatus, ut expugnare nullus queat, nisi sit cucurbitis, peponibus et macerata caule probe instructus. Adde quod insidiae de improviso coortae supra quam pro magnitudine terrent, quas tu prudenter intentasti: nam, quod Christianum in primis facere oportebat, nullius admonuisti, feciales tabulas res repetentes non misisti, sed nihil tale suspicantem repente non a fronte sed a tergo adortus es; neque cominus manum conseruisti, ut saltem armorum fragor hostem adesse nunciaret, sed in remotissimis partibus tumultuaris. Unde nec rumor irati Ibicis, ac temere omnia vastantis, ad nos pervolare potuisset, nisi fortuito factum esset, ut Georgius Vadianus, vir insigni pietate humanitateque praeditus, propter certa negotia istic iter faceret, [1] ubi tu grassabaris. Ac dum novitate rei primum haud leviter motus esset, nactus tamen unum e libellis tuis, veluti captivum de exercitu tuo, celeriter ad nos transtulit, quem nos paulo humanius tractavimus quam tu nostrum: non enim subito in eum irruimus, sed blande haud blande loquentem audivimus, captantes interim num tu ipse aliquid? Verum quintus nunc mensis agitur, quo nihil abs te accipimus: miserti itaque captivi, diutinam calamitatem levare, ac tibi eum remittere statuimus, quamvis longe alia lege quam acceperamus: nos enim comitem dedimus, qui exponat quam belle tuus iste sit a nobis habitus, id autem amanter et benigne. Non comminabitur flagra, non tyrannos, non cruces, quemadmodum tuus crepat: nec enim eum fugit Christi discipulum ita instructum esse oportere, ut ista experiri malit quam intentare? hanc pugnam non esse armorum aut lictorum, sed veritatis et pietatis, quae tam exosae semper fuerunt huius mundi filiis, ut caput nunquam exeruerint sine suo periculo. Periculum autem voco iuxta tuam mentem, qua putas detrimentosum esse, si piis supplicia eveniant: nisi enim putares, non tam superciliose comminareris. Quamvis damnum sibi ipsis tandem dedisse sentiant, qui veritatem non modo non audierunt, sed cum summa ignominia exterminare sategerunt. Neque rursus iste noster ob quamvis levem causam vociferabitur, maledicet et convitiabitur: neque enim poterit, cum tuus ita omnia maledicendi pigmenta et convitiandi lenocinia consumpserit, ut velit nolit cogatur, dum nihil horum reliqui fecisti, ab eis temperare, ne tantisper tuo similis fiat. Atque hic unus ac solus est fructus, quem ex tuo carpsimus, nempe, ut cum tam intempestive ac insulse tumultueris, nos, dum videmus quam parum hoc tibi decorum sit, alia ingrediamur via. Quid enim quaeso fieret, si omnia convitia tua convitiis referirem? an non convitiorum rhapsodia merito libellus adpellaretur? etiam cum ipse id vere possem, tu vero haud vere facias. Quid enim refricem, quam spurca olim crimina potius quam carmina in Helvetiorum nomen expueris? [2] ubi parum aberat (aderam enim et ipse tum, sed ferme puer), quin impudentissima verba tua, adde illepida, impura, nefanda, per iugulum redire cogerentur. Quid scortationes et adulteria commemorem, quae te non raro solum

---

[1]) Mercator. Complures Sangallenses tum mercatus Germaniae Orientalis et Poloniae frequentabant. [2]) Sebast. Hofmeisterus unum de iis effert in suo responso ad Eccii Missivum:

vertere coëgerunt? Quid vero ex tuo tibi libello vana, frivola, crassa, imprudenter, impudenter, mendaciter dicta obprobrem? quid pertinacia, stolida, indocta, malitiose dissimulata, supina, furiosa, impia, pugnantia? adde sycophantias, depravationes, et id genus strophas? Qualia sunt, quod de Davidis persona induis, et adversus incircumcisum proficisceris, podagricus etiam. Quod aegoceros cornua ventilas contra eum, qui domi harum belluarum tantum vidit, ut earum aspectum nihil vereatur. Quod regulis cancellariae alicubi quiddam probare niteris, et bellam de missali Ambrosii Gregoriique fabellam narras. Quod Rom. Pontifices Lesbiam regulam adpellas, quamvis id tam vere facias quam inconsiderate. Quod perhibes nos species panis et vini corporis ac sanguinis Christi nomine dignari. Quod vafre dissimulas planum istum, sed tibi inextricabilem nodum, quem sic colligimus: Dum constat Christum hoc sacramentum Eucharistiae semel tantum, unoque solummodo ritu instituisse, sequi necesse est, ut cum vos oblationem esse contendatis, quotquot ea utantur, offerant. Quod *ἀσύνδετα* producis, quae talem formam prorsus non habent, qualem: haec sancta sacrificia illibata. Quod perhibes nos abiicere librum Ambrosii de sacramentis, quum non aliter quam ad hunc modum loquamur: Ut ne in dubium vocemus sitne liber iste Ambrosii nec ne etc. Quod me veluti glorianten facis, quod canonem primus confutaverim, cum nos de ordine modo loquamur: quod primum, hoc est, ante omnia Canonem simus in lucem e specu producturi. Quod solis Apostolis affirmas dictum esse: Bibite ex hoc omnes. Quod haereticos vocas, qui vel unius Christi verbis haereant. Quod alicubi adseris verum Christi corpus dentibus teri; et paulo post Canonem vestrum defendens, sic ais: Canon spiritalem vocat cibum: qui si spiritalis cibus est, ut haud dubie est, quomodo dentibus teritur? Quid inquam ista tibi obprobrem, ex quibus totus libellus consarcinatus est, ita, ut ea si adimas, haud aliter nudus et implumis proditurus sit, quam graculum olim abiisse ferunt apologi, cum suam quaeque pennam avis repetivisset. Iam hoc ut te deceat, expende, quod hominem tibi ignotissimum, cui tamen ipse notissimus es, tot ignominiosis vocibus adlatras! cui si ad eum modum responderemus, nihil hercle expectandum nobis esset, quam ut piae aures sese continerent, et lapidibus, manuum complosione ac sibilo, tanquam rabiosos canes ambos ex theatro deturbarent. An tu hac ratione ad partes nos tuas pertrahi speras? Si tam stupidus essem ut putarem te aliquid dicere: terrerent tamen inusitata maledicentia et furiosi clamores,

---

„Suice inimice Dei, fidei hostis, Suice tyranne,
Lactiphagus nequam, Vah boum mulctor iners.
Dî nequeunt ultra caedes et ferro rapinas,
Quas sylvis genitus, more latronis amas.
Tempus adest, quo Tu, dum speras aurea dona,
Liligeri fugies ferrea tela ducis.“

Sed etiam Melanchthon cavillatus est Emserum in hoc disticho:

Emserus caper est; Fabrum Constantia mittit.
Ille suis fumis uritur, hic scabie.

(Melandri Ioco — seria Vol. I.)

quibus etiam non in loco prorumpis, quo minus sententiae tuae accederemus. Cum igitur videri velis libellum tuum scripsisse, ut vulneri nostro medearis, ac interim nihil quam mille alia infligas, manifestum facis te, aut linguae petulantia, non medendi studio, aut muneris alicuius a Pontificibus emungendi spe, non veritatis tuendae causa (quam usque adeo non vides, ut iuxta verbum dei in meridie palpes) animum ad scribendum induxisse. Ac dum nos frusto panis conduci posse praedicas, ut cui libeat maledicamus, quem tamen neque Pontificum, neque maximorum principum vel munera vel honores a veritatis tramite unquam revocare potuerunt: nihil aliud facis, quam ut prior istud occupes, ne in te dicatur. Quis enim tam vitiato erit olfactu, ut cum tua legat, non confestim videat in ipso limine te hoc agere, ut pugnae spectatores habeas mitratos istos Pontifices? et cum ad pugnandum prosilis, clamando Stentora vincis, ut te omnium oculi unum spectent; ipse vero, quod per podagram non liceat, ne digitum quidem latum promoves, et ubi facienda erat impressio, illic cessas, cum a clamore nunquam cesses; atque haec est pugna tua. Postremo veluti opima spolia illis de nobis posueris, spem recuperandi regni facis adeo tum gloriose, tum vane, ut nihil magis in te competere videatur, quam hoc parasiticum: Sic Pyrrhus quoque factitavit. Unde palam fit te istorum hominum favorem aucupari, ut aliquid reportes: quam profecto notam in nostro libello abesse, te quoque iudice probabimus. Amicis igitur quibusdam dissuadentibus quicquam adversus tantam vanitatem sumere, aliis autem suadentibus, utrisque facere aliquid (nam satis quis omnibus potest?) hoc ordine decrevimus. Quae ad rem minus faciunt, surda aure praeteribo: quid enim denuo tecum digladier, ubi tandem aut quo tempore sit ortus Canon? eum te videam ignorare, quod alicubi apud authores Canon accipitur pro cuiusvis ritus ordine ac regula; et dum istuc legisti, arbitratus es de isto vestro Canone loqui. Aut cur excusem, quod ridicule nimis et scurriliter, ut ipse putas, quaedam dixerim? cum nemo ignoret, eum qui confutat tum ioca tum seria sic admovere, ut ad expugnandum valeant. Et quamvis tu illic vehementer labores (quid enim faceres, cum ubi opus erat nihil posses?): nos tamen his levioribus nihil movebimur, sed eos tractabimus locos, quos tu praeteris, ut omnibus, qui paulummodo sacras literas degustarunt, manifestum fiat, de industria te illos transilivisse, quod vel minus eos caperes, vel retrudere desperares: quales sunt Ecclesia, Divorum intercessio, Meritum, Eucharistia num sit oblatio, an sit purgatorium nec ne. In illis si quid peccatum erat, hoc tibi prodendum ac probandum erat, neque id tuis exclamationibus, sed e caelestis verbi fontibus. Tractabimus autem dictos locos brevioribus velut aphorismis, quo quaeque possis clarius perspicere. Quos ubi videris, non subito: O coelum, o terra, o rem indignam! exclames (quo nihil aliud nobis quam anilem impotentiam probares); sed ubicunque tandem errare nos deprehenderis, ad armarium sacrarum literarum recurre, et hinc prolata machaera expunge quicquid pulcherrimum divinae veritatis ordinem vitiat, et in eius locum id cuius opus est repone. Id si feceris, lucratus eris fratrem, et nos perpetuam gratiam debebimus; sin minus, non est ut mille libros scribas: nam

quantumcunque humanarum doctrinarum adduxeris, nihil quam in coelum spues: totum enim in te recidet. Frustra enim colunt me (inquit is qui supra coelos et extra hunc telorum iactum habitat) docentes doctrinas et praecepta hominum. Nos istis nihil movebimur, quemadmodum ne nunc quidem vel tantillum respondissemus, nisi fuissent, ut dictum est, qui putarent pretium operae esse, si tam inutilem libellum silentio non praeterivissemus. Proinde intellectum tuum captivum trade in obsequium dei, non hominum, non patrum, non carnis. Nam quotquot patrum tandem obieceris, vetustas quidem apud ignaros aliquid existimationis inveniet. Porro sententiae ipsorum eadem est quae nostrorum temporum ratio. Quid enim refert hodie an ante sesquimille annos strenue quidem dixeris, sed absque verbi dei authoritate? Ad sacras literas sic accede, ut illic invenias quid sentiendum sit; non ut quod ipse prius domi sentis id sacras literas, reclamantes etiam, sentire compellere velis. Sic vitam institue ut potius velis esse piissimus, quam ad pugnandum acutissimus. Hoc si attigeris, concidet omnis iste contendendi fastus, videbisque quam curta sit suppellex tam pontificum quam propugnatorum suorum. Det deus, ut ubicunque errem docear; et tibi det, ut cognoscas quid sit error, quid verum, Amen. Vale, ex Tiguro etc. MDXXIV. XIII. calend. Septembris.

---

# ADVERSUS HIERONYMUM EMSERUM DE ECCLESIA.

Ecclesiae nomen Graecis a convocando derivatum esse, nemo est quem fugiat. Unde et Latinis receptum vocabulum, nunc pro coetu, nunc pro concione, pro certa multitudine, pro populo tum secundum carnem, tum secundum spiritum, Israelitico in sacris literis promiscue accipitur. Nam ubique videre est in veteri Testamento, quod ubi Hebraica veritas habet kahal vel edah, ibi Septuaginta transtulerunt *συναγωγὴν* aut *ἐκκλησίαν*; Latini vero coetum, congregationem, multitudinem, universum populum Israel, aut id ipsum Ecclesiae nomen posuerunt: quae si fusius ostendere velimus, a concepto brevitatis studio avocabimur. Unde satis erit certos et paucos ostendisse locos, quibus id manifestum fiat. Exodi 12: 3. Loquere ad omnem multitudinem filiorum Israel. Hic habent Hebraei pro multitudine edah, Graeci *συναγωγὴν*. Levitici 8: 3. Omnem coetum filiorum Israel. Hic habent Hebraei chol-haedah hakhal, hoc est omnem coetum Ecclesiae, quod et Graeci *συναγωγὴν ἐκκλησίας*. Numeri 20: 4. Ecclesiam domini. Hic habent Hebraei kahal, Graeci *συναγωγὴν*. Haec autem omnia huc solum tendunt, quod Ecclesiae nomine totum populi Israelitici coetum, congregationem, concionem, exercitum, multitudinem intelligi videamus. Unde clarum est Ecclesiam sic non modo pro piis, sanctis ac fidelibus, sed etiam pro impiis, sceleratis ac perfidis, dummodo ex semine Abrahae secundum carnem cumque piis mixti essent, accipi. Quoties enim factum est, ut prodita perfidia sua quidam experimentum dederint? quod

tametsi corpore ac hominum opinione intra ecclesiam censerentur, re tamen vera nihil minus quam intra ecclesiam essent, quae sine macula et sine ruga, de qua paulo post.

Ad hunc modum in novo quoque Testamento videmus Ecclesiam pro omnibus accipi qui Christo nomen dederunt, quique intra coetum Christianorum versantur et victitant, etiamsi re vera sint parum fideles, ut cum Paulus dicit se persecutum esse Ecclesiam dei, 1. Cor. 15: 9. Nam persequebatur quotquot essent Christiani, hoc est qui se Christianos confiterentur. At inter Christianos semper et mali sunt et infideles, tametsi nos eos non agnoscamus, nisi dum se fructibus produnt. Hanc Ecclesiam Christus ipse clarissimis coloribus depinxit, Matth. 13: 24. ubi per parabolam bonum semen seminantis in agro, et inimici, hoc est diaboli clam lolium miscentis, nihil aliud vult, quam quod omnes quidem recipimus verbum, qui Christiani adpellamur, aut recepisse saltem videri volumus, nihilo tamen secius diaboli quoque semen admittimus. At sementem deus tolerat ex tritico et lolio surgentem usquè in diem messis; quin etiam iubet ut utrunque sinamus crescere: servata tamen gravium, quibus abiectio; et levium, quibus venia tantisper debetur, ratione, (de qua nunc non est dicendi locus) crescere, inquam, sinamus usque in diem messis. Idem portendit parabola verriculi ad piscium venationem expansi, quo boni simul et mali colliguntur, simul victitant, versantur, miscentur. Et tandem veniunt angeli, et separant putidos ab integris et recentibus. Idem pollet de virginibus decem parabola. Hic istud discimus quod universa multitudo Christianorum, quae se fidelem censet, simul unus fidelis populus, una Ecclesia dicitur, et adhuc non est illa incontaminata: nam naevos multos habet, quorum ad quosdam connivere alienum a Christo non est.

Habes nunc, tam in vetere quam novo Testamento, ecclesiam tam ex fidelibus quam infidelibus, sed fidem simulantibus, congestam; neque adhuc talem, cui neque ruga haereat neque macula. Nam olim omnes vitulum vel conflabant vel adorabant; et cum Christo Iudas fuit, cum apostolis Ananias et Sapphira, et Alexander aerarius, et falsi fratres, et exploratores, qui libertatem Christianam prodere et circuncisionem Christo iungere conabantur. Attamen ubicunque cum Christianis habitarent, nomen Ecclesiae ad hunc modum acceptae non immutabant.

Est igitur alterum Ecclesiae genus, quod Paulus Ephes. 5: 25. describit, sic inquiens: Viri, diligite uxores vestras, quemadmodum Christus dilexit ecclesiam, et tradidit se ipsum pro ea ut ipsam sanctificaret: quam aquae lavacro per verbum mundavit, ut eam sibi copularet, quo praeclara esset Ecclesia non habens vel rugam vel maculam. Hic nemo negat unam veluti columbam in Canticis esse Ecclesiam, sed quam? Eam nimirum, pro qua se Christus tradidit, in eum usum ut sibi eam sanctificaret, quaeque dum verbo isti, quod Christus sese pro nobis tradidit, crederet, aquae lavacro tincta, sic ab eo mundaretur, ut prorsus speciosa et praeclara esset Ecclesia, Christi sponsa, citra omnem rugam et maculam. Sequitur ergo, quod qui credunt Christum ita nos dilexisse, ut se ipsum pro nobis sanctificandis traderet, Christi Ecclesia sint, et ab omni ruga et macula alieni: nam

Christus eos ad hunc usum mundavit, ut sibi copularet. Porro quos filius liberaverit, vere liberi sunt; et quod deus mundavit, ne Petro quidem permittitur ut immundum dicat. Una igitur ista formosa columba, ab omni labe libera, non aliquot Pontifices sunt, etiam sancti, pii, immaculati, sed quotquot se Christi sanguine redemptos ac ei velut speciosam sponsam copulatos inconcusse credunt. Non enim se in tam angustum contrahi patitur, ut intra pauca, et sibi solis hunc honorem arrogantia, membra contineatur; sed per universum orbem sese extendens ubique membra sumit, et quanto vastior ac amplior, tanto et speciosior est.

At obiiciunt hic quidam: Talis ecclesia tam nusquam est quam Platonis respublica, quod nemo sine crimine vivat, quod omnes peccaverint, quod nos ipsos seducamus, si peccatum habere negemus. Qua ratione igitur fieri possit, ut alicubi sit Ecclesia quae rugam non habeat aut maculam? Quibus ad hunc modum satisfacimus: Quae sine ruga est et macula, non suopte ingenio talis est, sed Christi beneficio: sic enim inquit Paulus: Dilexit ecclesiam (Christus videlicet) et tradidit seipsum pro ea, ut ipsam sanctificaret. En tibi, unde sancta sit, pura, et ab omni ruga laevigata. Christus tradidit seipsum pro ea, ut ipsam sanctificaret. Nos enim quid sumus quam vitiorum lerna? Unde quum mundi esse cupimus, alio lustrante opus habemus; at is solus Christus esse potest. Agnus enim est qui tollit peccata mundi; in eius nomine quicquid petierimus a patre accipiemus. At quomodo invocabimus si non credamus? Invocant ergo ac petunt a patre per Christum ii modo qui Christo nituntur. At qui nituntur Christo praeter quam qui sciunt eum pro nobis esse passum? Quomodo vero hoc scitur? Fide. Constat igitur, quod qui in Christo nituntur, sine ruga sunt et macula, eo quod Christus sine his ipsis est, qui et noster est: nos enim sanctificavit, ut illi iungi per ipsum possemus. Atque hoc est, quod divus Ioannes 1. cap. 2: 1. docet: Sed et si peccaverit quis, advocatum habemus apud patrem Iesum Christum, iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris etc. Et Paulus ad Hebraeos 10: 19 sqq. Cum igitur fratres liberam ac certam fiduciam ad ingrediendum sancta habeamus per sanguinem Iesu, quam ille viam nobis instauravit, novam quidem, sed vivam, per velamen, hoc est per carnem suam; cum etiam habeamus sacerdotem magnum, eundem Christum constitutum super domum dei, accedamus cum vero corde et fidei absoluta firmaque persuasione, ut corda nostra sint aspersa, hoc est lustrata a malorum conscientia, et corpus ablutum aqua munda: teneamus confessionem huius fidei nostrae indeclinabilem. His testimoniis manifeste docemur, per Christum nobis viam perpetuo patere ad deum, ut qui sit super domum, hoc est ecclesiam dei perpetuus sacerdos constitutus et propitiator; sed hac ratione, ut fidei confessio inconcussa maneat. Hi ergo sine ruga sunt et macula, qui in Christo sunt: is enim solus eas abstergere potest.

Fit hoc apertius, cum ipsius Christi verba protulerimus. Cum discipulos Matth. 16: 15. interrogasset: Vos autem quem me tandem esse dicitis? ac Petrus omnium nomine respondisset: Tu es Christus filius dei vivi, reddidit inter alia Christus: Et ego tibi dico, quod tu es

Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Ne hic diutius super istorum verborum sensu digladiemur (vicit enim olim sententia, quae Christum petram facit, non Petrum; neque id solum, sed et fides eam dictat et Christi verba alibi aperte ipsam germanam esse ostendunt, ubi se vitem facit, nos palmites, qui fructum nullum dant, nisi in vite manserint, Ioan. 15: 4); ne, inquam, his immoremur, videmus hic luce clarius ipsam Christi ecclesiam sponsam suam (dicit enim ipse, meam) hic habere fundamentum et robur, quod sit eius, cum confitetur Christum dei vivi esse filium. Hoc veritas ipsa loquitur. Pereant qui contra loquuntur. Quod autem quibusdam hoc leve nimis videtur, inde provenit, quod Christum filium dei esse vivi se potius credere simulant, quam vere faciant. Qui enim filium dei esse credit, quem videt pro se cruci adfigi, qui fieri potest ut non simul peccati magnitudinem ponderet, tantam nimirum, ut solus dei filius ipsam expiare possit? et imbecillitatem imo impotentiam nostram, ut quae tanta sit, quod nostro Marte ad deum accedere nulla ratione datur. Cum igitur dei filius nos a peccati morte liberavit, ac nos id firmiter credimus, fieri non potest, ut non admirabili metamorphosi in alios homines transfiguremur. Id autem quum tam raro fieri videamus, hinc provenit, quod iuxta Prophetae verbum omnes sunt hypocritae. Unde et apostoli tantopere ubique sudant, ut veterem hominem exuamus, et novum induamus, nempe Christum. Magnum opus est Christum cruci adfixum credere filium dei esse. Hoc opus dei esse, ipse testatus est Ioannis 6: 29. Hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille. Qui igitur, et quotquot Christo fidunt, supra petram, quae nullis ventorum procellis concuti, nullis diluviorum inundationibus dilui potest, aedificati sunt. Et quotquot supra eam aedificati sunt Christi ecclesia sunt: meam enim ipse dixit. Sua autem esse non potest impura et rugosa. Relinquitur ergo, ut qui Christo fidunt sine ruga sint et sine macula: nam omne studium huc vocant, ne in peccatum, in quo prius mortui erant, relabantur, Rom. 6: 2. Quod qui non faciunt, labiis magnifica detonant, factis Christum produnt: quo deinde fit, ut nomen dei per eos male audiat.

Haec est illa Ecclesia, quae errare non potest, quod sibi Pontifices tam falso quam impudenter arrogant. Nam haec ecclesia Christi uno verbo dei nititur: quod tam firmum et immobile est, ut coelum et terram citius ruere oporteat, quam ipsius unum apicem. Contra, Pontificum ecclesia suo verbo nititur. Currunt quidem tanquam sint a domino missi, sed visiones, hoc est placita cordis sui loquuntur. Unde nihil quam tenebras miserorum oculis offundunt. Lumen enim fidei, quo verbum et agnoscitur et fratribus proponitur, cum non habeant, vide quantae sint tenebrae? Quod pulcherrime Christus insinuavit, Matth. 6: 23. inquiens: Si ergo lumen quod in te est, tenebrae sint, ipsae tenebrae quantae erunt? Quod autem fidei lumen non habeant, hinc patet, quod verbum dei non unice praedicant et tuentur. Nam fidelis mens ea est, quae unum deum spectat; at quae hoc facit, nullius verbum audire potest, quam dei sponsi sui. Tam abest ut possit humana deliramenta aliis praedicando inculcare. Haec omnia planis Christi verbis plana fient, Ioan. 10: 1. ubi docet, quod qui aliunde quam per ostium in

ovile ovium introierit, fur sit et latro; ostium autem se esse paulo post aperit. Quid ergo per Christum in caulas dominicas ingredi aliud est quam Christum indutum esse? Christi verbum unum ac solum adferre, et esurientibus proponere? Sicut enim pater eum miserat, sic et ipse discipulos suos misit. Christus autem cum pontificum placitis et traditionibus acerrime depugnavit, et dei verbum unice audire praecepit. Ergo qui se per ipsum in ovile suum ingredi iactant, adversus humanas traditiones pugnabunt, et verbum dei unice proponere satagent: quod si minus fecerint, iam dei verbo iudice fures sunt et latrones. Tales autem cum sint, qui fieri potest ut errare nequeant, qui propterea fures facti sunt et latrones, quod a vero tramite declinaverunt?

Ecce tam abest ut quorundam pontificum conventiones ecclesia sint ista Christi sponsa, quae errare non potest, ut si recte ad aequilibrium eos expendas, fures et latrones potius sis pronuntiaturus, quam quicquam aliud. Adhuc tamen esse oportet speciosam ecclesiam, quae rugam non habeat neque maculam, adversus quam etiam inferorum munitiones ac portae nihil possint; et secundum ista, quae labi et errare nesciat. Eam igitur Christus pulcherrima ovium et pastoris parabola ostendit, ibidem docens, quod oves vocem pastoris audiant, si sit pastor, et quod eum sequantur; sed alienum non sequantur, quia vocem eius non agnoscant. Ovium ergo est iudicare, pastor an fur sit qui ad se venerit? et an vox pastoris an insidiatoris sit? Unde autem ovibus tanta solertia, ut hic non hallucinentur? Hinc, quod paulo post sequitur: Ego cognosco oves meas, et cognoscunt me meae. Unde autem cognoscunt oves Christum tam sagaciter, ut nullius vocem pro illius accipiant? Hinc, quod a deo cogniti sunt; hinc, quod pater eos traxit (nam ad Christum nemo venit, quam is quem pater eius traxit); hinc, quod omnes a deo docti sunt. Sequitur ergo quod hae oves modo non errant, quae vocem pastoris sui tam probe agnoscunt, ut aliam prorsus non recipiant. En tibi ecclesiam quae errare non potest! eam videlicet, quae solam pastoris vocem audit, pastoris non cuiuslibet, sed eius solummodo, qui per ostium intrat, qui solum hoc adfert quod Christus, qui solum in nomine patris venit quomodo et Christus, et (ut breviter dicamus) cum sit unus tantum pastor, tametsi abusive plures adpellentur pastores. Haec tandem sola est ecclesia labi errareque nescia, quae solam pastoris dei vocem audit: nam haec sola ex deo est. Qui enim ex deo est, verbum dei audit. Et rursus: Vos non auditis, quia ex deo non estis. Ergo qui audiunt, dei oves sunt, dei ecclesia sunt, errare nequeunt: nam solum dei verbum sequuntur, quod fallere nulla ratione potest. Quod si aliud verbum sequuntur, iam non sunt oves Christi, non grex, non ecclesia: nam alienum secuti sunt. Hoc enim est ovium, ut alienum ne audiant quidem. Sic enim prosequitur Christus: Omnes quotquot venerunt (intellige in nomine suo) fures sunt et latrones, sed non audierunt eos oves. Ergo quotquot audierunt fures et latrones, non sunt oves Christi: nam oves Christi non audiunt istos. Vide in transcursu periculum etiam imminere ovibus, si eos audiant, qui suum verbum adferunt.

Habes iam quaenam sit ecclesia quae errare nequeat, ea nimirum sola, quae solo verbo dei nititur; non eo, quod Emserus putat nos solum spectare quod literis aut vocibus constat, sed eo quod in mente splendet et omne verbum, a quocunque adferatur, agnoscit an patris ac pastoris sui sit nec ne. Quae lux non aliunde hauritur, quam a patre luminum, qui per spiritum suum ita suos omnia docet, ut omnia iudicent, et ipsi a nemine iudicentur: nam a nemine seduci possunt. Turgeat licet alius eloquentia, alius iniquo dominatu cunctos premat: veruntamen hic noster immotae rupi similis stat, moveri nescit: nam scit quae vox dei, quae seductoris sit. Atque haec est unctio, quam Ioan. 1. cap. 2: 20. nos omnia docere perhibet. Haec, inquam, errare non potest: nam neque quisquam praeter solum deum ipsam docere potest. Vides quo frigidae istae Pontificum argutiae cadant, dum contendunt verbi caelestis sententiam ab hominum iudicio pendere oportere? cum ex superioribus plane constet verbo nusquam fidem haberi, quam ubi pater traxit, spiritus monuit, unctio docuit: atque haec unum sunt. Fateor hic tibi ignoscendum esse, Emsere, dum verbi vim non sentis, quod etiam hanc de ecclesia sententiam non capis. Nunquam enim scies quaenam sit ecclesia quae labi non potest, nisi verbum agnoscas dei quod ecclesiam constituit; dum eo fidere facit et eam ab errore defendit, dum aliud verbum audire non permittit. Hanc rem solae piae mentes norunt. Neque enim ab hominum disceptatione pendet, sed in animis hominum tenacissime sedet. Experientia est: nam pii omnes eam experti sunt. Doctrina non est: nam doctissimos homines videmus rem saluberrimam ignorare. Hinc est quod Christus patri gratulatur, quod haec a sapientibus absconderit, et infantibus adperuerit. Frustra igitur pro quibusdam adeo sumus anxii, quod verbum recipere nolint; sed frustra non erit si anxie deum precemur, quo spiritus sui gratiam largiri et in agnitionem verbi sui trahere dignetur.

Vides etiam hic Emsere, quam probe sibi constent, quae de ecclesia in confutatione nostra scripsimus, quae tu velut minime cohaerentia satis inciviliter calumniaris. Diximus hanc Christi sponsam ecclesiam per universum orbem, ubicunque fideles sunt, dispersam, ne tam misere, instar alligatae Hierosolymis asinae, Christi oves aut Romae, aut Alexandris, Iuliis, Leonibus, Hadrianis perpetuo astringerentur. Ne tu putes temere dictum esse, diximus hominum oculis obscurum esse, quinam aut quot intra Christi ecclesiam sint, ad hunc usum, ut adpareat non istic esse ecclesiam, ubi aliquot Pontifices congeminant, sed illic, ubi verbo dei haeretur, ubi Christo vivitur; quod et ipsum soli deo nudum et apertum est. Tam potens malum est hypocrisis! Fieri enim potest, ut non modo ii, qui verbo obstrepunt, extra hanc ecclesiam Christi sponsam constituti sint, sed etiam hi qui se Christi esse praedicant, quique pia in proximum opera multa exercent. Nam ista saepe numero ex mente impiissima proficiscuntur: sunt enim quos gloria vexat inanis. Deum autem nemo latere potest, huic renes et corda patent. Hinc diximus hanc ecclesiam hominibus ignotam, et nunquam coituram esse usque ad ultimum istum diem, quo dei filius ad se vocabit omnes Gentes, et iudicio cum eis contendet. Illic videbitur qua quisque fide fuerit.

Postremo loco diximus de peculiaribus ecclesiis. Ex hoc quod Christus morbidam ovem excludi a grege iussit, Matthaei 18: 17. eis tribuimus, quod universa omnium membrorum ecclesia nunquam hic coire potest, cui diceremus quod frater nollet resipiscere. Neque hoc sine exemplo diximus, sed Pauli tum verba, tum exemplum adduximus: qui ecclesiae, quae tum Corinthi erat, iussit ut eum, qui parum pudice cum noverca versabatur, tantisper abiicerent, donec eum facti pertaesum esset. Sic in Actis 13: 1. apud ecclesiam, quae Antiochiae erat, Paulus et Barnabas, Niger, et reliqui fuerunt. Sic passim in literis sacris de peculiaribus ecclesiis sermo fit. Sed omnes istae ecclesiae una Ecclesia Christi sponsa sunt, quam Graeci catholicam, nos universalem adpellamus. Quae non est omnium episcoporum collectio, sed sanctorum, hoc est fidelium omnium communio, ut patres in symbolo addiderunt. Nam apud veteres videre licet hanc particulam, sanctorum communionem, defuisse: sed succedente tempore, cum sibi nimirum hi, qui hodie quoque se pro catholica ecclesia gerunt, hoc nomen arrogarent, explicandi nominis gratia fuit addita.

Harum itaque est, ut iam patuit, impudenter delinquentem abiicere, et resipiscentem et ad regulam Christi sese componentem rursum in gratiam et communionem admittere. Harum est et de pastore iudicare (ut supra dictum est) et de doctrina, ut 1. Corinth. 14: 29. Prophetae autem duo vel tres loquantur, et reliqui diiudicent! nam si alii sedenti revelatum erit, primus taceat! potestis enim singuli prophetare, ut omnes discant et consolationem adhortationemque accipiant. Etenim spiritus prophetarum prophetis obtemperant. Videmus hic plane verbum dei olim longe alia ratione tractatum fuisse quam hodie. Nam non solis per ordinem prophetis, sed vulgo etiam in subselliis sedentibus, in ecclesia de verbo loqui licebat, quod spiritus revelasset. Qui mos si nunquam remisisset, nunquam tot errores in Christi ecclesiam fuissent inducti: sunt enim semper qui per spiritum caelestem deprehendunt adfectuum docentis fraudem, qua deinde patefacta liberaretur verbum a violenta depravatione; sed hoc detrimenti isthinc venit, quod spiritus prophetarum noluerunt prophetis subiici. Quo etiam manifestum fit, quod horum prophetarum spiritus non ex deo fuerunt, qui fratribus prophetantibus obtemperare et auscultare noluerunt: nam verorum prophetarum spiritus prophetantibus obtemperant. Paulatim vero huc ventum est, ut quicquid perversissimus quisque nugator pro suggestu, in loco scilicet prophetae, effutiret, pro oraculo haberetur; et quisquis non haberet, sed vel gry contra mutiret, crudelissime vapularet.

Quod autem hic quispiam obiicere posset, hic verbi iudicem constitui ecclesiam, etiam quamvis, et nos superius strenue negasse ullum ei iudicem imponere licere: dicimus: idem nos sentire quod prius: nam perpetuo qui spiritalis est, omnia iudicat; veruntamen quid aut quomodo iudicet, audire oportet. Qui in ecclesia scripturam caelestis verbi explicari audit, hoc quod audit iudicat: attamen quod auditur, non est ipsum verbum quo credimus. Si enim eo verbo, quod auditur vel legitur, fideles redderemur, omnes plane essemus fideles. Alicubi enim verbum fidei vel legimus vel audivimus, praesertim hac tempestate, qua omnia

reboant Evangelium, etiam sylvae et arva; sed contra videmus et audire et videre multos, nec tamen fidem habere. Manifestum ergo fit, quod eo verbo quod caelestis pater in cordibus nostris praedicat, quo simul illuminat ut intelligamus, et trahit ut sequamur, fideles reddimur, de quo satis paulo superius dictum est. Qui illo verbo imbuti sunt, verbum quod in concione personat et aures percellit, iudicant: sed interim verbum fidei, quod in mentibus fidelium sedet, a nemine iudicatur, sed ab ipso iudicatur exterius verbum. Quod et ipsum deus in medium adferri ordinavit, tametsi fides non sit ex verbo externo. Quod probe Christus explicuit per parabolam seminis in callem, saxum, spinas, et bonam terram cadentis. Iudicat autem fidelis non ex sua, sed divini spiritus sententia: propterea dixit prophetarum spiritus prophetis esse audientes. Non enim est contentionis et dissidii deus, sed unitatis et pacis. Ubicunque igitur fides vera est, ibi et spiritus coelestis esse cognoscitur; ubicunque autem spiritus coelestis est, ibi studium unitatis et pacis esse nemo ambigit. Fit igitur, ut quicunque fidelis propheta sit, sicubi ignorat et errat, corrigentem ac docentem ultro admittat, etiam infimum quenque. Neque est periculum, ut in ecclesia confusio fiat: nam si per deum ecclesia congregata est, ibi ipse est in medio eorum; et quotquot fideles sunt, ad unitatem et pacem tendent. Ac si qui vel arrogantius vel odiosius contendere perstiterint, statim olfacient quinam ex adfectibus, qui ex charitate et dei spiritu loquantur, et garrulos compescent.

Hoc autem ut expeditius faciant gnomona habent, quo spiritus explorare docuit divus Ioannes an ex deo sint. 1. cap. 4: 1. Omnis spiritus qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex deo est; et omnis spiritus qui non confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex deo non est: et hoc est antichristi. Quid autem est credere Christum Iesum in carne venisse? anne hoc tam salutare est? Minime, nisi credamus nobis venisse, et nobis Christum Iesum, hoc est unctum, salvatorem esse, eum, qui vere rex et salvator est filius dei et hominis. At si ipse salus est, ut vere est, quid prodest alibi salutem quaerere? an hoc citra iniuriam natura salvatoris fieri potest? Is ergo spiritus ex deo est, qui illi soli gloriam tribuit: contra ex deo non est, qui creaturae tribuit quod dei est. Quod si nunc dissidium de verbi sensu in ecclesia oriatur, hi qui spirituales sunt confestim vident, qui sensus maxime ad dei gloriam, deique voluntatem tendat, qui contra: fieri enim nequit, ut qui de terra est, non de terra loquatur; et qui de coelo est, non omnes vincat apud eos qui eodem spiritu imbuti sunt. Exemplo fiet haec res apertior. De clavibus multa sunt etiam hac tempestate iactata; sed quam recte, piorum esto iudicium: nos hic eum sinum non excutiemus. Alii pontifici Romano adiudicarunt, alii cuivis ut vocant sacerdoti: et cum maxime pii videri voluerunt, peccata per solum deum remitti tradiderunt, sic tamen ut sacerdos remissa pronunciet. Atque huc detorserunt iudicium Levitarum, quorum erat de lepra decernere; decem leprosos, quorum tamen qui Samarites erat, ad salvatorem non sacerdotem gratulatum redibat; et Lazarum e fasciis sepulcralibus extractum. His nunc verbi dei authoritatem opponemus; ac primum Pontificis sectatoribus hoc, adsentientibus suis scriptoribus, extorquebimus, ut non negent Petro claves non illic

esse praestitas, ubi Christus dixit: Et tibi dabo claves regni coelorum, sed solummodo promissas. Deinde ab omnibus quaeremus, ubi tandem sint traditae: nam traditas oportet, Christus dixit; fieri oportuit quod dixit. Respondent, partim illic, ubi dixit Ioan. 20: 20. Accipite spiritum sanctum! quorum remiseritis peccata, remissa sunt etc. partim, ubi dicitur: Pasce oves meas, Ioan. 21: 15. Nunc vide quam facile deprehendatur, ubinam a recto clavium sensu declinent, ubi teneant. Proximi sic deprehenduntur: Si tunc Petro claves sunt traditae, cum dictum est: Pasce oves meas, ergo pascere est clavium officium. Cum ergo nemo tam stupidus sit, qui non per pascere *verbo docere* intelligat, fit, ut cum illi maxime contendunt soli Petro ac primum claves esse creditas, nihil aliud efficiant quam quod Petro ante omnes sit verbi ministerium commissum. Nam si claves habere *pascere* est (ut certe est): negare non possunt Petro illic aliud nihil quam diligens ac fidele verbi ministerium imperatum. Quod autem addunt primum Petro imperatum, hic hallucinantur: nam prius erat verbi ministerium omnibus commissum, ipso resurrectionis vespere. Alii vero quorum viam dominus vult sic: non imus inficias illis claves esse traditas, ubi Christus dixit: Accipite spiritum sanctum etc. Ioan. 20: 20. Sed quod claves sint aliquod sacerdotis verbum, aut aliud quodcunque tandem quam Evangelii verbum, id vero inficiamur sedulo. Nam quod Ioannes his verbis explicuit: Accipite spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum tenueritis, tenta sunt: hoc Lucas aliis sic enarravit: Tunc adperuit illis mentem, ut intelligerent scripturas. Et dixit eis, quod sic scriptum esset, et sic oportuisset Christum pati, et resurgere ex mortuis tertia die; et in nomine ipsius praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes Gentes, initio facto a Hierosolymis; vos autem estis testes horum. Quod hic Lucas dixit: Tunc aperuit illis mentem: hoc Ioannes dixit: Accipite spiritum sanctum: is enim ad hoc datur, ut mentem adperiat. Marcus ad hunc modum extulit: Ite in orbem universum, et praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui non crediderit, condemnabitur. Quod hic Marcus dixit: Ite in orbem universum: hoc Ioannes dixit: Sicut misit me pater, sic et ego mitto vos. Lucas: praedicari in omnes gentes etc. Vos estis testes horum. Quod Marcus dixit: Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit (praedicato nimirum Evangelio) et baptizatus fuerit, salvus erit; hoc dixit Ioannes: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Nam hac sola ratione remittuntur peccata, si firmiter crediderimus Christum pro nobis esse passum. Et quamvis remissio peccatorum discipulis tribuatur, hoc tamen aliunde non est, quam quod discipuli verbum ministrant: non enim est aliud nomen sub sole in quo nos oporteat salvos fieri, quam in nomine Iesu Christi, Actor. 4: 12. Ideo Lucas eam sententiam sic protulit: Sic oportet praedicari in nomine ipsius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. Quod Marcus dixit: Qui non crediderit, condemnabitur, hoc Ioannes sic tradidit: Quorum retinueritis, retenta sunt. Retinuerunt autem Apostoli peccata incredulorum, cum abeuntes ab eis pedum puluerem excusserunt, iuxta praeceptum domini,

Luc. 10: 11. Sicut in Actis legimus fecisse Paulum cap. 18: 6. Claves ergo sunt pascere, pascere vero est Evangelium adferre. Cui qui crediderit, salvus est, solutus est: scit enim se per filium esse liberatum. Contra qui non crediderit, condemnatus est, ligatus est, carni addictus est, ut quae sint spiritus non capiat. Quod autem istorum apud Evangelistas locorum hic sit sensus, hinc manifestissime patet, quod singuli isti loci Christi adparitionem ac sermonem, qui ipso resurrectionis die coram discipulis facti sunt, describunt: quod omnibus facile patet, dum historiae contextum recte intuentur. Nos hic diutius non immorabimur: nam in Conclusionibus nostris fusius eam rem attigimus. Nunc redibimus unde digressi fuimus. Si inquam in ecclesia de clavibus fiat dissensio, ut Pontifices sibi vendicent, sacerdotes item sibi, verbum autem ad hunc modum expensum soli deo vendicet: quis erit in ecclesia fidelis, qui non aperte videat hanc sententiam esse et verissimam et certissimam, si claves solius verbi esse cognoscantur, et eius modo verbi, quod creditum in mentibus fidelium sedet; et Apostolos nihil aliud facere, quam quod claves adferunt, hoc est verbum dispensant? Nam aliae duae sententiae carnem resipiunt, quamvis altera magis altera. Pontificis enim sectatorum ita carnem resipit, ut ea non modo mentem, sed et pene rem omnium fidelium circumscripserit. Sic ergo iudicat quaevis ecclesia de verbo, quod coram se proponitur. Sed quo iudicat? Verbo fidei, quod intus per spiritum doctum est in animis fidelium. Iudicium ergo hoc peculiaribus ecclesiis non ita tribuitur, ut solis tribuatur: est enim ecclesiae Christi sponsae. Quoniam vero illa hic nunquam coit, iudicat per partes et membra sua. Sic Antiochiae erant docti in ecclesia, sic Hierosolymis; et Moses per singula Sabbata legebatur etc. En tibi fusius quid sacrae literae de ecclesia Christi sponsa, quae errare non potest, habeant. Quae ut rectius ac citius capere possis, iterum in brevia quaedam placita redigam, superiorum veluti summaria.

Ecclesia, quae eos quoque complectitur, qui se Christi nomine falso venditant, non est sponsa Christi, neque de ista fit mentio in symbolo.

Ecclesia, quae firma fide Christo dei filio innixa est, ecclesia catholica est, sanctorum omnium communio quam in symbolo confitemur, rugam non habet neque maculam. Christi enim sanguine abluta est, ut eidem speciosa sponsa esset.

Ecclesia ista in via Gentium, iuxta Petri verbum, reliquum vitae tempus non incedit: cavet enim a peccato, in quo prius mortua iacuerat. Et quoniam haec via polluta est, quam diu in carne versatur, habet quod poeniteat, et quod per Christum caput suum expiet.

Ecclesia ista soli deo est cognita: homo enim videt in facie, solus deus in corde.

Ecclesia ista non potest errare, quia in solo dei verbo nititur. Est enim ovile domini, in quo oves nullius vocem audiunt, quam pastoris sui.

Ecclesia Pontificum, quae suum verbum adfert, est ecclesia inimici hominis, hoc est diaboli, qui silente nocte superseminavit zizania. Et oves quae istam audiunt, oves Christi non sunt: nam quae Christi sunt, non audiunt vocem alienorum. Vide infallibile iudicium verbi dei.

Ecclesia, quae est Christi sponsa, et pastorem et verbum eius iudicat. Non ergo Pontifices ecclesiae domini sunt aut iudices, sed ministri: quos ecclesiae integrum est abiicere cum verbo eorum, dummodo suum non Christi adferunt.

Ecclesia Christi sponsa, quandoquidem hic nunquam coire potest, attamen verbo semper opus habet: fit ut per partes et membra sua, hoc est peculiares ecclesias, cum pastorem tum verbum exterius iudicet; sed per verbum dei quod in mentibus fidelium scriptum est.

Ecclesia peculiaris impudentem item reiicit, ac poenitentem rursus in gratiam accipit; sed non alia vi, quam quod membrum ecclesiae Christi est.

Ecclesia, quam triumphantem vocant, istius nostrae ingenium et conditionem non habet. Unde et in praesentia de ea nihil dicendum esse duximus.

Haec tibi, o robustissime Ibex (sic enim adpellari amas), expugnanda erant, non transilienda. Scripturis rem agimus, non clamoribus. Unde et te ostendere oportebat, ubi scripturam minus recte intellexissemus, ubi vim adtulissemus; non causari Communicantes qua ratione miniato calamo primam literam haberet scriptam, et id genus nugas: quas cum doctis dudum contuleramus, et nihil quam nugas esse expenderamus. Sed et nunc ex superioribus placitis vel unum erroris convince, et nonnihil feceris. Sed spero, ut cum ecclesiae Christi firmitatem et fundamentum videris, ab errore pristino sis animum revocaturus, et cum ea amicitiam fortunasque omnes iuncturus.

## SEQUITUR DE DIVORUM INTERCESSIONE.

Cum de divorum intercessione scribis, adeo ieiunus es, ne dicam stolidus, ut certo mihi persuadeam, te nostra, quae angusta quidem sunt, quod alibi eam rem eramus fusius prosecuti, sed augusta quoque, quod praeter purum verbi dei sensum nihil resipiant, prorsus non intellexisse. Quamobrem et ea tibi ad breve redigam, sed ita, ut quae nunc breviter damus, prioribus quae nullo modo poterant in breviora concidi nonnihil lucis allatura sint.

I. Solus Deus bonus est. Lucae 18: 19.

II. Ab hoc ergo fonte uno et solo bonum derivare oportet, quicquid eo indigum est. Omne datum enim optimum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens a patre luminum. Iacobi 1: 17.

III. Hac nota discernuntur fideles ab infidelibus, quod fideles ab uno et solo isto bono pendent, ei unice haerent, ad ipsum solum recurrunt, ex solo hauriunt. Infideles autem contra, a creatore se ad creaturas convertunt, ab eis pendent opemque sperant. Deut. 32: 39. Videte quod ego sim solus, et non sit alius deus praeter me. Deum autem esse, non est aliud, quam summum bonum esse: summum bonum esse, non est aliud quam דַּי, hoc est, sufficientiam omnis boni esse. Bonum ergo illud se esse, deus nobis proponit, quod omnis boni, opis, auxilii nobis author sit; et quod solus id boni sit, et quod non sit alius deus, hoc est bonus, et cuiusquam opis fons, praeter se. Alterius partis testimonium habes Hieremiae 2: 13. Duo enim mala fecit populus

meus: Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas.

IV. Fideles ergo soli sunt, qui se dei esse sciunt, ut alium patrem ne nominent quidem, quam omnipotentem patrem: tantum abest ut in alium spem habeant. Quorsum enim adtinet patrem adpellare deum, cuius tu filius non sis, neque in eum ut patrem speres? praesertim cum ipse vetet ne patrem nobis vocemus in terris, Matth. 23: 9. Ipse enim solus est, qui nos in spe, quam in se habemus, securos reddit. Psal. 4: 9. Quoniam tu domine solus in spe habitare fecisti me. Beatus enim est vir, cuius spes est nomen domini, Psal. 39: 5. et contra: Maledictus qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum. Hierem. 17: 5. Et a domino recedit cor eius. Porro a domino recedit, qui alibi quam apud ipsum id boni quaerit, quo eget. Nisi vero istuc non sit recedere, cum filius, deserto vero patre, alium eligit ad quem confugiat, cui aerumnas suas queratur, et ab eo auferat auxilium. At coelestis pater ita pater noster est, ut nos fecerit, creaverit, et in peculiarem populum elegerit. Deut. 32: 6. Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te? Filii ergo sunt dei, qui eum patris loco habent. Patris autem loco habent, qui unum hunc patrem agnoscunt, ab eo pendent, eum solum audiunt, ab eo solo omnia sperant.

V. Porro, quod citra cunctationem ad eum confugere tuto liceat, apertissimis ubique verbis ipse declaravit. Gen. 15: 15. Abraham sic adfatur: Ego protector tuus sum, et merces magna nimis. Idem verbi dictum puta omnibus qui cum Abraham fideles sunt. Levit. 20: 8. Ego dominus qui sanctifico vos. Num. 35: 34. Ego enim sum dominus qui habito inter filios Israël. Psal. 34: 3. Salus tua ego sum. Isaiae 43: 25. Ego ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me. Ezech. 18: 31 sq. Quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis, dicit dominus deus. Revertimini et vivite. Isaiae 44: 21. Memento horum Iacob et Israël, quoniam servus meus es tu etc. Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua. Revertere ad me, quoniam redemi te. Item 55: 1. Omnes sitientes venite ad aquas etc. Per totum nihil aliud est quam liberalis dei ad se invitatio. Et Levit. 26: 40. gratiam pollicetur eis etiam, qui tantopere offendissent, ut in captivitatem sint abducti, si ad se clamaverint. Atque haec pauca de instrumento vetere sufficiant. Nam quid aliud ubique agitur, quam ne populus alio quam ad deum verum recurrat, spes suas ab eo non alienet, nullibi salutem inventuram putet, quam apud coelestem patrem, qui tot tantaque patribus fecerit bona? Hoc enim cuique deus est quod sibi sufficere putat ad praebendam cupitam rem.

VI. Totum autem novum testamentum quid aliud est quam solida certaque gratiae dei confirmatio? Nam qui filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo negare aliquid poterit? aut quomodo nobis non omnia cum illo donabit? an hereditatem an gratiam negabit, qui filium dedit? ac talem filium, ut ipse sit salus nostra, Iesus enim est, ut via sit, veritas et vita. Qui in diebus carnis suae cum publicanis et peccatoribus hac gratia conversabatur, ut mundo palam faceret quod venisset ad inveniendam ovem perditam, et ad vocandum

ad se peccatores, neque quemquam aversaretur. Sic enim sese nobis exhibens clamat: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego requiem vobis praestabo. Hic filius dei pignus nostrae salutis est: per ipsum enim accessum habemus ad deum. Nam ad patrem nemo venit nisi per eum. Ioan. 14: 6.

VII. Unde non est ut sibi perfidia hoc praetexat. Equidem, inquiens, non ignoro spem omnem mihi in deo esse repositam; attamen patronis opus habeo, qui me summo isti deo commendent. Ex verbis enim suis facile iudicatur, quaenam sit quae sic loquitur, nempe perfidia. Cum ais: Scio omnem spem mihi esse repositam in deo: cur igitur ad eum in omnibus adversitatibus non confugis? an pater non est? an frater filii eius non es? an aversabitur pater, qui filium pro te dedit? an filius qui pro te passus est, quique te fratrem adpellat? Ioan. 20: 17. An aliquid apertius ab eo desideras audire, quam: Nemo venit ad patrem nisi per me? Adprehende omnium creaturarum coetum, et confiteri cogeris quod nihil eorum veniat ad patrem, nisi per filium; nec est ut responsando etiam perpetuo mihi dicas: Intercessoribus apud filium mihi opus est. Non enim videre vis, quod in eum usum ipse ad nos descendit, ut patefaceret quam minime esset inaccessus. An apertius aliquid dici potest ad firmandam per illum in deum spem? quam: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, Ioan. 16: 23. In nomine meo inquit, non in nomine Abraham etc. Unus enim est mediator dei et hominum, homo Christus Iesus etc. 1. Timoth. 2: 5. Isto si tu nomine alium quemcunque tandem dignaberis, nonne in filium dei contumeliosus eris? quis enim mediator noster esse potest, quam solus is qui dei filius et homo est? An hoc non est filium dei conculcare? Nam si tot tamque variis (ut vulgo perniciose creditum est) patronis aditus ad deum patefit, frustra igitur Christus mortuus est; non solus mediator est, non solus via, ad patrem venire licebit alia quam per filium, fraudulenter dixit: Venite ad me omnes qui laboratis etc. Quod quam blasphemum sit, impium, ingratum, et perniciosum, nemo satis digne queat exequi.

VIII. Iam quae vulgo in contrarium adducuntur, aut frivola sunt, aut carnalis sapientiae audacia huc torta. Frivola sunt, quae Emserus quiritatur sic vociferans: Testatur hoc etiam (Divos videlicet pro nobis intercedere) tam Oriens quam Occidens; nec natio sub coelo est, quae non magnam partem incolumitatis suae divorum precibus post deum acceptam ferat. Cui ego: Nunquid et Auster et Boreas? nunquid Troglodytae cum Galactophagis? Nos scriptura sacra nitimur, iste vero nobis Orientem et Occidentem oggannit. Et paulo post omnium ferme Germaniae cathedralium ecclesiarum (ut vocant) tutelares deos coacervat, et miserrime favorem aucupatur suo libello: Nunquam, inquiens, tam ingratas esse futuras istas ecclesias, ut credant divorum preces et suffragia nihil apud deum posse, quod tot ac tanta beneficia ab eis acceperint. Hic primum ignorat dei esse beneficia, quae ipse creaturae adscribit. Quod aperte Petrus et Ioannes Act. 3: 12. docent, indignantes quod vulgus sibi restituti claudi virtutem adscriberet, Iesu Christi esse testantes. Quod et Christus ipse manifeste docet: In nomine meo, inquiens,

daemonia eiicient. Non dixit in nomine suo, sed in meo nomine, hoc est, in mea virtute. Deinde non videt, si ad hunc modum ipsum argutantem audiamus: Multi senserunt divi Nicolai opem in fluctibus, ergo Nicolaus velut Iovis filius, ac tutelaris deus invocandus est: non videt inquam sequi: Apollo et Aesculapius multos restituerunt incolumitati; Castor et Pollux longe plures quam ullus Nicolaus a naufragio liberarunt, si cultoribus ipsorum credimus. Ergo pro Iovibus et diis auxiliatoribus invocandi sunt. Quo modo Symmachus aliquando pro defensione deorum suorum quiritatus est, longe tum fortius tum eruditius quam hic noster, suadens ut Quirites ab eis Diis non deficerent, quorum opem domi militiaeque nunquam non sensissent. Carnis sapientia ad hunc usum torquere fuit ausa omnes scripturae locos, qui vel sanctorum vel intercessionum, et similia verba haberent. Quorum magnum modum et in Conclusionibus et Canonis confutatione adseruimus in libertatem: quapropter missis nunc eis Emsero nostro duos modo, quibus ipse maxime niti videtur, e manibus eripiemus. Levavi oculos meos in montes, inquit, unde veniet auxilium mihi; ac mox Cassiodoros et Bedas testes constituit, qui sentiant montes esse divos etc. At non spectat infelix quid continue sequatur: Auxilium meum a domino, qui fecit coelum et terram. Quid huius possunt sacrae literae, quod Cassi et Duri ex montibus Divos faciunt? cum lippis pateat Prophetam hic non aliud tam constanter agere, quam ut se deo probet, auxilium non sperans aliunde sibi venturum, quam ab eo qui fecit coelum et terram. Alius est: Memento Abraham, Isaac et Iacob etc. ubi primo non advertit nullo modo acquipollere: O deus, memento Abraham Isaac et Iacob, quibus iurasti, et: Abraham intercede pro nobis! cum prius hoc deo dicatur, ut in patrum gratiam filiis Israël dignetur benefacere; posterius autem Abrahae diceretur, quod tamen nusquam in sacris literis invenitur. Sed cum semper habeat contentio quod obiiciat, ac tacere non possit, sic obstrepit: Cum videamus Israëliticum populum ad dominum clamavisse in nomine patrum suorum, nimirum et nobis idem licebit. Cui breviter hoc Petri Act. 4: 12. respondebimus: Et non est in aliquo alio salus (de Christo autem loquitur): nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Proinde Emsere hoc age, deum optimum maximum precare, ut sanam mentem tibi det qua discas, sicut ab origine mundi inter perfidos abiecti sunt, qui alibi opem quam apud unum solumque deum quaererent, Rom. 1: 25. (Noluit enim deus, ut poplite utroque claudicaremus, quemadmodum per Heliam testatus est): sic et hodie inter perfidos merito numerari, qui sibi alios ad succurendum vocant, quam unum solumque deum. Qui et Graecis a θέειν dictus est, quod omnia moveri faciat, et ad omnia accurrat. Deus enim de propinquo est, non deus a longinquo; qui prius etiam quam voces dicit: Ecce adsum. Et cum istud didiceris, iam tantus author fias simplici populo dei, ut in deum omnem cogitationem et spem iaciant, quo veri dei cultores fiant, quantus fuisti praeco, ut a deo ad creaturas avocares, quo verus apostata fuisti, aut quod vero similius est, incredulus. Quod ubi factum erit, iam tandem gratulabimur te in fidelium numerum a domino accensum. Nam

quam diu in creaturis haeres, nondum adprehendisti unicum istum animae sponsum, quem in Canticis sibi gratulatur adprehendisse: Tenui, inquiens, eum, nec dimittam. Sanctos et Divos hactenus imitaberis, quatenus et ipsi Christi sunt, iuxta Pauli verbum, imitatores. Et firmiter interim crede, ubi duo vel tres unanimiter aliquid super terram a domino postulaverint, eos impetraturos esse. Ac dum de precibus sanctorum loqueris, aut de ipsorum charitate, cave de indigetibus, hoc est coeli iam civibus idem sentias, quod de peregrinis adhuc et exulibus: qua in re multos hodie videmus errare. Caetera ex Conclusionibus nostris pete, aut ex Canonis confutatione, et patere ut de hac re nunc vela colligamus, ut compendio ad finem venire liceat.

## MERITUM.

Cum ad locum de Merito venisti, ipse ne digito quidem attrectas, sed ad Roffensem quendam remittis: quem an homo sit, an fortasse deus aliquis, ignoramus. Nam si de Merito aliter sentit atque sacrae literae, supra id quod numen est et habetur esse oportet: nam spiri u dei imbuti, locuti sunt sancti dei homines. Quod si Roffensis iste tuus vel meliora vel firmiora dedit, eum qui priora dedit, quae nos secuti sumus, iudubie superat. Hoc autem cum fieri nequeat, operam dare debueras, ut quibus nos fidimus subruerentur; et ubi sinistre verbum dei intelligimus, ad veros fontes manu ducere. Nam ut optimus quisque bene de Roffensi [1] sentiat, nunquam tamen ad illum eramus relegandi, sed ad sacras literas, quas Christus ipse scrutari iubet; et diviti cum Tantalo sitienti sub Abrahami persona dicit: Habent Mosen et prophetas. Legant illos. Sic inquam tibi agendum erat, atque adeo brevibus id potuisses, quomodo nos hic facturi sumus. En tibi!

Nemo venit ad patrem nisi per me, inquit veritas Ioannis 14: 6. Nam eadem veritas est et via et vita. Ergo nostris meritis non venitur ad deum, sed solo Christo.

Ioan. 15: 4. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites. Ergo nostris viribus nihil possumus, sed solis viribus vitis. Quid igitur meremur?

Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi! Ioan. 1: 29. Ergo merita nostra non tollunt peccata: nam si tollerent, Christus frustra e coelo esset missus. Quem hoedus inter vepres haerens et ab Abraham pro filio mactatus significabat.

Matth. 19: 29. Apud homines hoc, videlicet salvum fieri, impossibile est; apud deum autem omnia sunt possibilia. Ergo frustra merita nostra adornamus, si humanarum virium non est ut salvus fias.

Lucae 17: 10. Sic et vos, cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus. Si sumus inutiles servi, qui fieri

---

[1]) Io. Fischerus, amicus Erasmi, primo Cancellarius Universitatis Cantabrigiensis, Episcopus Rochetriae, quem Henricus VIII. iudicio damnari occidique iussit, religioni habentem sacramentum successionis a tyranno postulatum dicere — scripsit vindicias missae.

potest, ut meritorum nostrorum sit aliquis usus? cum meriti merces tunc detur, cum utiles fuimus.

Ioan. 15: 5. Sine me nihil potestis facere. Ergo cum nihil possumus, nihil meremur.

Non vos me elegistis, sed ego elegi vos. Ibidem. Ergo non iungimur deo nostris meritis, sed illius liberalitate.

Ioan. 9: 1. Interrogatus Iesus cuiusnam peccato factum esset, ut caecus, quem paulo post videntem reddidit, sic nasceretur, respondit: Neque hic peccavit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera dei in illo. Ergo libera voluntate dei sic vel sic nascimur, vivimus, degimus. Manifestat autem gloriam suam deus secundum eandem voluntatem, nec quisquam dicet: Cur fecisti me sic? Sed quandoquidem se hic adyta providentiae divinae, quam aliter praedestinationem vocant, aperiunt, et nos ad alia festinamus: a Christi ad Pauli verba transiliemus.

Rom. 11: 6. Si autem ex operibus (fit scilicet electio): non amplius est gratia vel donum. Ergo qui meritis nituntur, gratiam repudiant. Lege totam ad Romanos epistolam, et ad Galatas totam, et videbis quid meritum, quid gratia. Sed et si patribus (ut videris) magis deditus es, quam uni patri coelesti, Augustini librum lege de libero arbitrio et gratia.

Rom. 3: 20. Galat. 3: 10. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Cur igitur de merito tam multa?

Ibidem. Omnes peccaverunt et egent gloria dei, iustificati gratis per gratiam ipsius. Ergo si omnes ita peccavimus, ut gloria dei opus habeamus, et ille gloriam suam gratis iustificando nos manifestavit, meritum nihil quam detrimentosum commentum est.

1. Corinth. 15: 22. Sicut in Adam omnes moriuntur etc. Ergo in Adam omnes sumus mortui. Qua via igitur aliquid vivum aut vita dignum operabimur? Sed in solo Christo omnes vivificabuntur. Ibidem. Ergo non in nostris meritis.

Galat. 2: 16. Scientes autem quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. Si igitur facta nos beatos non reddunt, cur meritum comminiscimur?

Ibid. Si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est. Ergo si nostris meritis penetratur coelum, frustra Christus missus est, ut aperiret.

Galat. 5: 4. Evacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini; a gratia excidistis. Ergo qui operibus nituntur, a Christo sunt alieni. Nam te puto satis intelligere, quod in lege iustificari non sit legem nosse aut legere, sed legem exprimere conari, ut iustus fias. Stultum enim esset, si quis tenore aut sensu legis Paulum existimaret quenquam putare salvum fieri.

Philip. 2: 13. Deus enim est qui operatur in vobis et velle et perficere.

Deficient me omnia prius, charta, calamus, tempus, quam testimonia, quibus luce clarius videmus nos sola gratia dei, non nostris meritis felicitate donari. Ea vero per Iesum Christum uberrime et effusa et firmata est, ut de plenitudine eius nos omnes accipiamus. Quod autem in contrarium multi loci, quibus meritum adseri videatur, adduci possint, non inficiamur; sed ad eam semper confugiendum est regulam,

quod sicubi eadem res et deo et nobis accepta feratur, eam semper sententiam sequamur, quae ad gloriam dei spectat, et nomen eius sanctificans illi omnia refert; non contra, istam quae nobis aliquid tribuit: tametsi deus per benignitatem, qua nos nunquam destituit, nonnunquam nobis tribuat, ut ministris et filiis suis, quae eius solius sunt. Nam et nos ipsius modo dono filii eius sumus, ut cum dicit: Qui vos recipit, me recipit; et: Ite, infirmos curate, leprosos mundate etc.; et: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Aliis innumeris etiam locis nobis tribuit, quae nullius ne esse quidem possunt quam eius. Quomodo et hic in meriti causa videmus nostris operibus tribui, etiam ore dei, quod illius est gratiae: non hercle alia ratione, quam quae vel nunc est dicta, videlicet illius benignitate; vel quod inter membra Christi semper sunt quibus adhuc lacte opus est, qui non confestim huc veniunt, ut abnegatis se ipsis toti in deum rapiantur, ut iam non ipsi, sed Christus in eis vivat, ut cognoscant se ne vivere quidem, nisi quod deus vita, motus, actio rerum omnium est. Sed et hoc paulo uberius in Conclusionibus et confutatione Canonis tractavimus.

## MISSA.

Miseras paulo ante ad Roffensem; nunc cum de missa agis, partim ad Adsertionem tuam contra Lutherum scriptam mittis, partim hic quiddam miserum disperdis. Quod si Adsertionem ex his, quae hic cornicaris, velut ex ungue leonem metiri patiaris, tam nihil facit Adsertio apud Lutherum, quam apud nos cassa ista garrulitas. Adsertio quid contineat, me clam est: nam libri tui nunquam ad nos veniunt. Proinde paucula quaedam de Missa hic dabimus, sed tam inexpugnabilia, ut etiamsi non modo tu, sed et Romanus Pontifex cum omnibus sectatoribus suis omnes omnium machinas tum scientiae, tum eloquentiae admoveatis, infecta tamen re abire cogamini. Atque istud solidum robur et immobile non ex nobis est, ut nec omnia quae contra te proferimus, sed ex sacrarum literarum apothecis depromptum. Sic igitur accipe!

Novum Testamentum aeternum est, probatur Esaiae 9: 2. et Hierem. 31: 31. Ergo et sanguinem, quo novum Testamentum respergitur, aeternum esse oportet: est enim sanguis aeterni filii dei, 1. Pet. 1: 19. Hebr. 9: 12.

I. Sanguis Christi solus tollit peccata nostra: ipse enim solus est, qui tollit peccata mundi, et qui per sanguinem suum omnia reconciliavit, Coloss. 1: 20. Nam si alia ratione peccata expiari potuissent, Christus frustra mortuus esset; et qui eum ederent, adhuc esurirent; et qui biberent, nihilominus sitirent: quod longissime absit a mentibus fidelium. Ipse enim exaltatus a terra omnia traxit ad seipsum. Sed et peccatum non aufertur sine sanguine, Hebr. 9: 22.

II. At sanguis Christi semel tantum oblatus est: aeternus enim aeterni filii dei sanguis est. Hebr. 9: 12. Per proprium sanguinem introivit semel in sancta.

III. Ergo sanguis Christi, semel oblatus, in aeternum durat ad exhauriendum omnia omnium peccata.

## Secundo sic accipe:

I. Christus illic tantum offertur, ubi patitur, sanguinem fundit, moritur: haec enim aequipollent. Probatur. Nam Paulus Hebr. 9: 26. sic inquit: Neque ut saepe offerat semetipsum etc. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi. Ergo offerre Christum est pati Christum: nam Paulus Christi oblationem hinc probat unicam esse oportere, quod semel tantum sit mactatus. Ergo illic solum offertur, ubi moritur: nam oblatio mortem sequitur. Tunc enim perficitur oblatio, cum id quod offertur occisum est.

II. Christus non potest ultra mori, pati, sanguinem fundere. Rom. 6: 9. Christus qui resurrexit a mortuis, ultra non moritur, mors illi ultra non dominatur: nam quod mortuus est, peccato mortuus est, et hoc semel; quod autem vivit, vivit deo.

III. Ergo Christus ultra offerri non potest: mori enim non potest. Nunc te huius admoneo, ne mihi ullam istarum propositionum inexcussam transilias. Id si feceris, nunquam ex sacramento Eucharistiae oblationem facies; etiam si patrum testimonia terra marique advehas. Nam quotquot attuleris, dei verbum infirmare non possunt: nisi forte apud eos, quibus verbum hominis maiore in pretio habetur, quam verbum dei; quibus cum nos tam nihil agimus, quam cum incredulis. Cibum ergo spiritualem eucharistiam esse sidito: qua ii, qui mortem Christi vitalem sibi credunt, sese mutuo in unum Christi corpus coagmentent, iungant, uniant. Quo pacto Paulus 1. Corinth. 10: 17. omnem multitudinem, quae scilicet mortem domini, quomodo dictum est, annunciat, unum corpus et unum panem adpellat: nam ea gratia omnes de uno pane et uno calice participamus. Erit iste huius sacramenti usus longe saluberrimus. Cum enim Christianos velut unum corpus vivere oporteat, non possunt membra fidelius, arctius, fortius conglutinari, quam eo coagulo, quo utraque unum fecit, Christo videlicet. Quotquot ergo se Christi esse iactant, tum id probabunt vere esse, cum fratrem membri loco, puta oculi, manus, pedis habent: id si non praestant, iudicium sibi manducant et bibunt, qui ad hanc mensam accedunt. Ad hoc enim posita est, ut simul eundem cibum edentes, hoc est fide quae est in Christo Iesu, in unum corpus coaliti, hac sacra velut initiatione et sacramento, in unum exercitum et peculiarem dei populum uniamur.

## DE PURGATORIO.

Miratus es haud aliter, quam si equi soleam invenisses, ut nostrate proverbio in aliena lingua liceat uti, quod Purgatorium his Christi verbis reiicimus: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Tametsi nihil potentius adferri queat ad prodendum avarissima de Purgatorio figmenta, horum qui quaestum pietatem esse putant. Nam his verbis ante omnia aperitur qua via salus miseris veniat, fide scilicet: quod si fide, non ergo ex operibus. Ecce ecce ut subito purgatorium evanuerit: id enim ad sarciendum quod nostris operibus defuisset effinxerant; at illis non itur ad deum, sed fide. Relinquitur ergo, ut

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus futurus sit, non qui igne lustratorio assus fuerit. Fieri enim oportet, ut quotquot moriantur aut in fide Christi hinc decedant, aut citra eam fidem. Si in fide hinc migrant, salvi sunt. Sic enim ait: Qui crediderit, salvus erit. Si in incredulitate, damnati sunt. Ait enim e diverso: Qui non crediderit, condemnabitur.

Ioan. 3: 16. Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Non enim misit deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est, quia non credidit in nomine unigeniti filii dei. Vides primo filium datum, ut qui credat in eum habeat vitam aeternam. Deinde vides vitam aeternam esse secuturam. At aeterna non esset, quae longo tempore in purgatorio igne luctuose exantlaretur. Tertio loco vides mundum salvari per Christum. Quarto, quod qui in eum credit, non iudicatur; at qui in purgatorium retruderetur, certe iudicaretur. Adpensis enim commissis, Romani Pontifices ceu Minos aut Rhadamantus in Cocytum abiecerunt, aut ad fortunatas insulas ablegarunt. Quinto, quod qui non credit, iam iudicatus est: quod gratia virtuteque Christi non est nixus. Firmissimum igitur hoc est, quod aut fideles hinc decedimus, aut infideles etc.

Ac ne in mora periculum quis suspicetur (ut dici solet) audiamus quid rursum veritas dicat, Ioan. 5: 24. Amen amen (vide iusiurandum) dico vobis, quod qui verbum meum audit, et credit ei qui me misit, habet vitam aeternam; et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam. Porro, quid tandem est iudicare, si purgatorio igni addicere non est iudicare? Qui ergo Christo fidunt, a morte transeunt, imo transierunt in vitam, non temporariam, sed aeternam.

Et figuratus iste dives, qui Lazarum in sinu Abrahami videt, his verbis ad desperationem adigitur: Ingens hiatus inter nos et vos est, ut neutri ad alios transmeare possint etc. At illic loquitur de corpore solutis, nec plures quam duos fines ponit, quorum alterum Lazari persona adumbrat, alterum divitis. Qui ergo hinc abeunt, aut portantur ab angelis in coelestia palatia, et ad illos qui alibi sunt descendere non possunt; aut ad inferos truduntur, et ascendere nunquam dabitur. Cur igitur tantopere digladiamur, cum veritas dicat hos non posse ascendere, illos non descendere? An nostrum est in alio mundo ergastula, carceres, compedes, ignes, frigora, fames, et alia tormenta condere? Cur igitur his figmentis miseras conscientias seducimus?

Roman. 8: 1. perhibet Paulus nihil damnationis manere hos qui sunt in Christo Iesu. Ergo si in Christo Iesu firmi et immoti perstiterimus usque in finem, salvi erimus, Matth. 24: 13.

Latro eodem die quo consors poenae, eodem et gaudii gloriaeque Christi sodalis fuit. Ubi hic flagra et reliqua mala pertulit? Aut iniquus est deus, ut facta verbis non aequet? quem videmus tam ex amussi in latrone implevisse: In iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam.

De dormientibus vetat Paulus nos esse sollicitos, 1. Thessal. 4: 13. tanquam spem nullam habeamus futurae vitae, quomodo Gentes nihil

spei habent. Quod si purgatorium esset, contristari proculdubio docuisset pro eis, quos tam misere adfligi cruciatibus sciremus. Cum ergo in mortuorum mentionem inciderit, neque id solum, sed etiam in curae ipsorum sermonem, et de purgatorio tamen ne tantillum quidem moverit: satis patet Paulum nihil de purgatorio scire, qui sibi sufficere novit, quod sciat Christum, et hunc crucifixum. Verum quid multis opus est, cum humanum commentum videamus authorem esse purgatorii, non verbum dei? nam quae vulgo pro adsertione eius ex sacris literis adferuntur, violenter nimis huc detorta sunt.

Quamobrem Emsere posthac non, quam expedite contumelieris aut insurgas, aspice, sed quam vere iusteque dicturus sis. An putas obscurum esse vel visu captis, quid tuis scriptis spectes? quibus tamen haud aliud probas, quam te clamosum hominem, ventris causa, istuc frigidum patrocinium Romanensibus praestare. Quorum dominatus adeo constare nequit, ut etsi omnibus omnium principum armis defendatur, citius tamen futurum sit, ut patroni cum clientibus pereant, quam ille restituatur. Quapropter Germanus cum sis, ingenue tuae genti favere oportet, etiamsi Christus parum apud te poterit. Vides enim ut omnes reducem ex Aegypto Christum amplectantur, eius verbum unice audiant, ab eo ne morte quidem avelli queant: quo nihil aliud quam pax, gaudium, iustitia, sanctitas, innocentia nascerentur, nisi essent quidam tui similes male feriati, omnis tranquillitatis hostes, qui communi saluti tam pertinaciter obstreperent, ut nihil malorum, seditionum, bellorum revereantur, quo ventri deo suo ad ingluviem omnia suppeditent; non formidabo dicere, orbem totum decoquerent, si conniveremus. Tu igitur sanctis fave coeptis, noli in Germaniae perniciem natus esse, noli putare eos, qui coeleste verbum ab iniqua tyrannide eripiunt, sinistre agere. At si tam aequam habere mentem non potes, a rebus divinarum literarum animum ad medicam transfer, ut saltem podagrae tuae possis aut bubulo stercore, aut rapis elixis, aut ferventi aceto mederi. Ad sacras enim literas minus quam ad ullam rem natus es. Vale, donetque te dominus bona mente!

# DE VERA ET FALSA RELIGIONE
## HULDRICI ZUINGLII COMMENTARIUS
### ANNO MDXXV MENSE MARTIO

VENITE AD ME OMNES, QUI LABORATIS ET ONERATI ESTIS; ET EGO REQUIEM VOBIS PRAESTABO. MATTH. XI.

Fama de Zuinglii scriptis et factis pro restitutione Evangelicae doctrinae iam in Italiam percrebruerat, maxime vero in Galliam. Archeteles eius nonnullis innotuerat. Complures ipsum visere atque expetere, ut opere latini sermonis evangelicae doctrinae summam, quam sua mente informasset, in lucem ederet, et Francisco I. regi Galliae dedicaret, abs quo suffragium reformationi faustum sperabatur. Tum Zuinglius nihil intermissa contentione intra tres cum dimidio menses hunc librum exarare, in quem tempori parcendi causa scripti contra Emserum plurimam partem inseruit. Erasmi videtur hoc opus aemulationem movisse, qui hanc vocem ad amicum misit: O bone Zuingli, quid scribis, quod ipse prius non scripserim! (Vol. VII. 399.)

Nos quidem duas editiones notas habemus, unam ab Usterio descriptam (Appendice ad vitam Zuinglii p. 477 sq.) paginis 436 octonis comprensam. Typographus in numero falsus decadem transiliit; ex quo Usterius 446 paginas indicat. Altera item apud Froschoverum iisdem typis excusa 438 paginas habet aliumque titulum gerit, verbis: „Anno MDXXV Mense Martio carentem"; et errata, quae in priore folium unum replent, in textu ipso sunt correcta. Orthographia quoque nonnihil immutata, ex. c. cum pro qum, adhuc pro aduc et alia eiusmodi. Unde liquet, istam editionem ut correctiorem esse, sic posteriorem. Ad eam vero liber noster in Opp. II. 158 b — 224 b descriptus habetur, sic tamen ut in marginalibus crebriores indiculos reperias. Anno post vernacula versio vulgata est: „Von warem und falschem Glauben, Commentarius; das ist: Underrichtung Huldrych Zuinglins. Ver-

teutschet durch Leonem Iudä. Innhalt diss büchlins findst du im nachgenden Blatt. Getruckt zu Zürich by Christoffel Froschouer. MDXXVI. Christus Matth. XI. „Kummend zu mir alle die arbeitend und beladen sind, ond ich wil üch ruw geben.“ XIV et 289 pagg. 8. Eam versionem Leo dedicavit amico Guilielmo a Zell, compatri Zuinglii, Argentoratensi generoso, qui aliquamdiu Tiguri commoratus erat, „ut suum compatrem dilectum semper secum haberet atque eo nusquam careret.“ Sic ad amicum inter alia Leo: „Probe nosti, quanta cum diligentia, cura et fide Zuinglius veritatem proferat, quam accurate omnia consideret, ut ne qua vis inferatur Scripturae, quam breviter omnia comprehendat, quam nihil ex affectibus, sed omnia in honorem unius Dei doceat et concionetur, ita ut, meo quidem iudicio, hodie pauci reperiantur eruditorum, fide et religione ipsi antecellentes.“

Ea pars huius libri, qua de S. Coena disseruit, prius in publicum prodiit post editionem principem, idque ter eodem anno 1525. A. „Vonn dem Nachtmal Christi, Widergedechtnus oder Danksagung Huldrychen Zuinglins Meynung, jetz im Latinischen Commentario beschriben, vnnd durch dry getrüw brüder ylends in tütsch gebracht. Ob Gott wil zu gutem ouch tütscher Nation.“ Mit einem Holzschnitt, Iesum vorstellend, wie er mit seinen Iüngern das Paschamahl feyert. Am Ende: Getruckt zu Zürich durch Chr. Froschouer uff den XVIII Tag (März?) im Jar. 11 Bogen. 4. B. Gleichförmige Ausgabe mit anders gestaltetem Titelblatt, auf welchem das Datum steht: „vff XXIII Tag Mertzens im jar MDXXV.“ C. Eine in Orthographie und Druck verschiedene Ausgabe, die nur MDXXV als Datum hat. 10 Bogen. 4. (Usterius Append. p. 485 sq.)

## CHRISTIANISSIMO GALLIARUM REGI FRANCISCO, HUIUS NOMINIS PRIMO, [1] HULDR. ZUINGLIUS GRATIAM ET PACEM A DOMINO.

Scimus omnes, clarissime Rex, quam parum civile sit, si quisque ex grege audeat optimum quemque ex Christianorum numero adoriri, quales hac tempestate non paucos esse videmus, qui praetextu Christianae professionis non desinunt optimis maximisque hominibus obtrudere, quae vel ipsa impudentia sua produnt se nihil Christiani pectoris habere. Hoc enim non obturbat; tam abest ut procaciter aut scurriliter se ingerat. Scimus tamen iuxta haec quam immane sit, ac minime Principe dignum, usque adeo superciliosum esse fastuque turgidum, ut neminem ad congressum admittat praeter paucos istos, quos ex omni hominum genere delegit, ut sibi et a consiliis et ad omnem prorsus occasionem adsint. Hoc enim quid aliud sit quam Principi cancellos circundedisse, quos transiliisse nefas sit, imo ultra ipsos cogitavisse non vacet crimine? Quis talem Principem non dicat esse multo miserrimum! puta quod eorum ipsorum servus sit, qui specie tenus sui videntur esse servi. Non quod non sanctissima res sit Regem aut Principem audire bona consilia, venerari senes, colere prudentes, in pretio habere sapientes; sed quod frequenter, ut sunt humana, ii qui a Principibus supra modum propter veram etiam singularemque aliquam virtutem coluntur, protinus ut mentem Principis possedisse iam vident, confestim degenerent, ac eo quocunque velint abutantur: quomodo in multorum aulis evenire videmus. Verbo absit invidia! tam enim ignotae sunt nobis Gallicorum Regum sive leges sive consuetudines, ut quibus Celsitudo tua septa sit viris prorsus nesciam. Sunt enim haud parum multi Principum, quorum latera sic sunt cupidissimis hominibus stipata, ut si accessio detur, a sexcentis Regibus sis multo citius ablaturus quod cupis, quam per istorum turmam penetraturus. Qui quid aliud sunt, quam pervigil iste Draco, qui iuxta poetarum fabulas aureum vellus custodiebat? Quales hodie quidam purpurati pileatique sunt Episcopi, qui potentissimos ubique reges sic circumstant, ut mirum sit quomodo aut hi perpetuum eorum aspectum ferre possint, aut isti nunquam deserere, nisi quod vehementer cavent

---

1) Quum Franciscus I, ab anno 1515 ad 1547 regno functus, laudem patroni eruditionis ambiret eoque tempore non solum soror eius, *Margareta*, dux Alenconii, postea regina Navarrae, dum in vivis fuit, cultrix reformationis diligentissima, sed etiam mater regis, *Ludovica Sabaudiensis*, rei videretur favere: amici Zuinglii in Gallia hac de causa rogarunt, ut suum commentarium Regi itaque doctrinam Evangelicam eius gratiae commendaret. Eadem spe ductus Calvinus dedicationem ad hunc regem scripsit suarum Institutionum religionis Christianae, quas cum Zuinglianis contulisse operae pretium erit. Sed Francisco regi parum curae cordique erat religio, praeterquam si ancillaretur et subserviret politicis rebus quamdiu spirabat, atque per eius nomen cum suae ecclesiae cives tum Protestantes decipere solitus est. Iam 1517 illo Concordato, quod Leoni X. gratificatus erat, pragmaticam Sanctionem, hoc est ius et libertatem Gallicanae ecclesiae per secula vindicatae, peremerat, quoniam Pontificis ope suam gloriam dominandique cupiditatem expleri cogitabat, sed etiam ipse fallebatur.

ne quicquam ad reges permanet, quod illorum artes prodat. Verumtamen, cum Celsitudo tua sic ab omnibus praedicetur esse cum circumspecta ne ad hunc modum circumscribi, tum libera et benigna ut neminem deterrere possit, fretus sum hac tua humanitate, non mea audacia, et hunc qualemcunque Commentarium nomini tuo dicare statui. Hoc autem multis nominibus: Primum, quod Christianissimi titulo, qui Galliis imperatis, non immerito gloriamini. Cum vero et nos hunc Commentarium putemus, invitis omnibus Christi osoribus, esse christianissimum, nuncupari alii quam Christianissimo Regi non debuit. Deinde quod Galliarum populi ab antiquo praedicantur esse religiosi. Quibus ergo commodius potuisset de Vera et Falsa Religione Commentarius dedicari? Postremo, quod dum Germania, cui plurimum cum Galliis est commercii, ad veritatis lucem aperire oculos coepit, viciniae lege arbitratus sum eis hoc ipsum pharmacon deberi, quo lux reducitur. Fuimus enim, proh dolor, longo tempore sic praestigiosis avarissimorum hominum tenebris obsessi, ut omnia nobis non aliter fuerint toleranda, quam Israëlitico populo servitus Aegyptiaca. Sed conditor ille rerum omnium conscientiarum nostrarum adflictionem non minus respexit quam istorum aerumnas, lucemque verbi sui prodidit, qua contueri probe liceat quaenam qualiaque sint quae nobis hactenus tam periculose imposuerunt. Habet hoc peculiare coelestis providentia, ut mature admoneat: patris enim familias in morem nocte consurgit, et quae oportet nobis tempestive loquitur per servos suos prophetas. Attamen ubi monitorem non audimus, paulo diutius nonnunquam permittit eis calamitatibus fatigari, in quas inobedientia nostra cecidimus. Testes sunt tot ab Adam usque ad Christum saecula, post quae vix tandem salus adfulsit, quod amanter monentem, ne de interdicto cibo ederet, non audivisset; testes sunt tres illae captivitates, Aegyptiaca, Babylonica et Romana, quam tamen sic usque ad haec tempora deus produxit, ut omnem spem non immerito abiicerent Iudaei; testis et nostra ipsorum stultitia, quos Christus, apostoli, et quis non? tam anxie admonuerunt ne falsis prophetis fidem haberemus, qui nobis Christum, id est unctum ac salvatorem, ostensuri essent longe aliter atque ipse ac sui fecissent, sed omnia nequicquam. Recepimus enim deos alienos longe absurdiores quam ullae unquam gentes fecerint: quae enim gens cras imo iam nunc periturum hominem pro deo coluit, quomodo nos Romanum Pontificem coluimus? Neque est ut infitiari possimus: deum enim in terris appellavimus, cultu vero longe honorificentius venerati sumus hominem quam deum. Quando enim Imperatores et Reges in terram conciderunt, ut deum optimum, maximum, adorarent? ad genua demisisse sat erat. Quis Christo pedes praeter paucos quosdam est osculatus aut amplexus? Quis contra hic ad colloquium admittitur, ni prius huius dei soleas linxerit? Propter peccata igitur nostra tam abominabilem idololatriam non intelleximus, idque tam diu. Cum vero iam tandem visum est aeternae bonitati miseros a tanta calamitate liberare, verbo, ut diximus, reduce: quis non videt quam foede simus ad tam claram lucem hallucinati? imo vero, quis non miratur tam stolide hallucinari potuisse istos, qui et mente et sensibus praediti sunt? Sic inquam, benigna dei providentia mature

quidem cavet; at ubi male obtemperamus, aut eius vocem negligimus, ultor fit qui paulo ante pater fuerat, ac tam diuturna calamitate premit, donec culpam in terra hostili agnoscamus: quam ut primum confessi sumus, in priorem restituit decorem. Quocirca frequenter debent, qui modo sapiunt, vitam suam censere, quae si pessima est mutari debet; ac ni hoc fiat, mulctam pro foribus adesse non ambigere. Si vero ad normam Christi sese quotidie fingit, omnia sperare: tam enim abest ut deus quicquam eorum quae condidit negligat, quam alienum est ac inusitatum, ut parens eius obliviscatur quem in utero gestavit ac nutrivit. Quum ergo nusquam cesset, nusquam oscitetur: nusquam securis esse licet nobis aut stertentibus, ut quam primum ille vocem dederit, confestim exiliamus, cum Samuele dicentes: Loquere domine, quoniam audit servus tuus. Tollamus ergo, clarissime Rex, paulisper oculos, atque circumagamus ad videndum, ut mundus iste immundus habeat, an fortasse ipsa morbi magnitudine possimus deprehendere medicina opus fuisse! Nam si illa maxime opus fuit, maxime quoque videbimus divinam providentiam tempestive remedium attulisse: ipsa enim nunquam cunctatur, nunquam abest. Pontifices hic tacebo, quamvis, ut impudenter sibi primas in rebus omnibus semper sumpserunt, sic et primi futuri sint qui plectantur. Hanc ergo ob causam, quodque in Commentario nostro satis protrahuntur in lucem, ipsos transiliemus, et ad Reges ac Principes aciem dirigemus. Vides ergo Christianissime rex, ut omnes fere Principes haud aliter tumultuentur, stultitiaque sua peccent, quam vel Troiani vel Graeci fecerunt: quum illi amore perditum ac furentem sequuntur iuvenem, isti meretricem repetunt. An non stultorum populorum ac regum cernimus aestus? An non videmus miseram plebem plecti, quicquid reges peccant? Cupiditas an non omnia miscet? Quae ut quidquam venefico est aspectu intuita, iam nisi adipiscatur, fascinat tamen, ut ab eius vi nihil sit cuiquam tutum aut inviolatum. Ad alienam provinciam aut regnum oculum iniecit, omnia in dimicationem adducit neque receptui canit, donec aut ipsa funditus pereat, aut quod cupit, funditus perdat: nullae enim unquam occupationes rerum alienarum citra alterius perniciem praeterierunt. Quum vero istud ante omnia Principibus adesse debeat, ut ab iniuria custodiant, et bella sic temere coepta citra iniuriam transigi nequeant, ipsique bellorum plerunque autores sint: quis non videt necessarium esse, ut dominus verbi sui lucernam tandem in medium ponat, qua vulgo quoque cernere possint, quam rectum sit aut curvum, aequum aut iniquum, quod cupidissimi Principes gerunt? Nunc aciem ad plebem Christianam dirigemus. Vides ergo ut illa sit degravata? vides autem ut non praeter rationem? Priore loco mihi considera, quot et quantis exactionibus, tributis, vectigalibus opprimatur, ut per eorum corpora fortunasque omneis ad gloriam et divitias cupidi principes penetrent, adeo contemptim ut Hannibal ille dirus unum elephantum olim videatur maioris fecisse quam isti aliquot hominum manipulos. Nihili putatur, etiamsi multas myriades contriverint; modo quod cupiebant, adsequantur. Quid autem duplicem oppressionem commemorem? Non satis est omnia sua in regum esse potestate, nisi et hoc, quod reges fecerant illis reliquum, perditissimorum hominum versutiis esset obnoxium.

Adest lupus: nolo enim Pastorem aut Episcopum vocare, quem ne lupi quidem nomen digne potest exprimere. Adsunt Monachi, partim adeo dites ut omnium arrogantiam stultitiamque divitum superent, partim adeo ad emendicandum impudentes et prócaces, ut per iniustitiam extorqueant, quod misericordia negabat; quum tamen, quod ad cumulum adtinet, ditissimis istis sint paulo inferiores. Unde enim illis, ut tot myriades pro uno purpureo galero numerent? Adsunt et ad hunc modum Monachae, miseramque plebem Christi sic laniant, lacerant, conculcant, ut, quod ad corpus adtinet, praestare videatur sub impio rege vivere, quam sub Christiano qui tam impie permittit plebem sibi a domino creditam discerpi. Non possum, Christianissime rex, hic non libere quod sentio proloqui. Quae fuit amentia, pietas enim esse non potuit, ut Reges paterentur intra fines suos monasteria otiosorum hominum excitari? Si praedones aliquot arcem unam et alteram extruxissent, nonne totis exercitibus fuissent deturbati ac fusi? cum tamen non isti citra discrimen raperent: vindicem enim manum timere cogebantur. Nunc autem, quum tot praedonum impune grassantium monasteria ubique ceu deliciarum omnium paradisi et lustra tanto tempore viguerint, neque obscurum sit ut omnia omnium bona sibi vendicent (experiuntur enim et Principes et reguli, quomodo per eorum avaritiam sibi quoque nonnihil incipiat decedere): qui fit ut ad hunc modum adflictam plebem nemo consideret? Hinc sane, quod omnes avaritiae student, iuxta Prophetae verbum; et cum mala levare deberent aliqua saltem parte, dicunt: Pax pax! sed hoc consilio, ut sibi bene sit, non plebi Christianae. An ergo putamus coelestem patrem familias ad istas populi sui aerumnas supinum stertere? Videt et iudicat. Deinde considera, ut et plebs tam aspera non citra causam patiatur nonnunquam. Ut enim avaritia est in capite omnium, impudentius nemo circumscribit proximum suum, fallit, foenore opprimit, quam Christianus Christianum. Inverecundius nemo scortatur, moechatur et omnem libidinem aut fert aut perpetrat. Fastus autem tantus est ac vestitus luxuria, ut omnes qui olim propter haec vitia infames facti sunt vincantur. Crapula talis, ut omnes omnium aetatum historias superet. Adfligit ergo dominus tot malis plebem suam, ut ad viam reducat. Cum ergo, ut ad initia redeamus, nostro ipsorum iudicio fateri cogamur mundum universum sic esse corruptum, scelestum ac impudentem, ut corrigi prorsus oporteat, sciamusque coelestem patrem familias nusquam deesse, sed perpetuo aut monere aut percutere; ac simul videamus eum misisse verbum suum, ut sanet vomicam istam inveteratam, et eripiat ne pereamus: quis non levabit ad domini vocem caput? quis ignorare poterit adesse diem domini? non postremum istum, quo dominus universum simul mundum iudicabit, sed quo praesentem rerum statum emendet. Leo rugiet, inquit Propheta, quis non timeat? Dominus deus locutus est, quis non prophetet? Dedit inquam altissimus vocem, quis ergo non dicet: Audiam quid loquatur contra me dominus deus? Evangelium suum, quod nostro damno diu latuit, etiamsi litera non lateret, non aliter quam olim Iudaeis Deuteronomium, nunc velut postliminio reduxit, ut vitii squalidos repurget. Nusquam deest nobis, modo ipsi non desimus nobis ipsis. Mundum nunquam permisit impune esse pessimum, sed

simul nunquam non monuit ut tempestive mores verteremus, antequam ille ferulam paravisset. Qui ergo vitam mutaverunt, animas suas liberarunt; qui vero minus, misere exterminati sunt, quod Sodoma et Ninive probant. Quapropter et nobis unice spectandum est, ut ex pessima vita optimam faciamus. Aut tanta mala perpetiamur, ut cum Propheta queri cogamur: Quis dabit capiti nostro aquam, ut ad saturitatem possimus deflere calamitatem quae super nos cecidit? Verbum dei nunquam impune neglectum est. Quum ergo nunc et videamus et audiamus verum dei veri verbum herbescere, neutiquam impune negligemus. Dicat licet aliquis: Verbum dei non est, quod isti praedicant. Nam si dei verbum esset, libenter acciperem: nihil porro moveamur! ipsa enim totius mundi malitia exigit ut emendetur. Verbum ergo novum, quum simul audimus, alius esse non potest quam dei, qui quandocunque pergimus esse scelesti, monet; ac dum non audimus, castigat. Ex sceleribus ergo nostris colligere possumus, deum cogi ut verbum mittat ac virgam. Est et alia certa exploratio, qua manifeste videmus hoc dei verbum esse, quod hac tempestate prodiit. Mitto tamen interim dicere de quorundam abusu, qui verbi praetextu vel rei privatae vel gloriae student. Satis est ante dictum de mundi corruptione, quam nemo infitiatur. Quum ergo quisquam facile videat hoc verbum, quod hodie praedicamus, ex diametro cum iis vitiis pugnare, quibus scatemus, negari non potest quin sit verbum dei. Hanc ob causam quum, clarissime Rex, ipse quoque viderem iniquissimis bellis, pugnis atrocissimis exundare omnia, rapinis, contumeliis, furtis, latrociniis omnia conspurcari ac dubia reddi: admovi et ipse manum aratro, vocemque extuli sic, ut avarissima Roma et idolum, quod illic colitur, etiamsi caro sit crassissima, tamen exaudierit. Hinc Theologorum istorum, qui pro mercede prophetant, deumque suum ventrem unice colunt, damnationes, devotiones ac proscriptiones, quae et me et alios non paucos, nolentes etiam, compulit calamo quoque rem gerere. Cum ergo multi ex Italia viri, plures autem ex Galliis tuis, sic tum docti tum pii, ut quod apud me ambirent, ferme pudor negavisset: quid enim facias dicenti: Hi columnae sunt, et tu illis scribes tuam de religione sententiam? cum inquam, optimi undique viri, nominis nostri fama respersi, tantopere instarent, ut quid ipse de Religione sentirem, edito libello testarer, vicit eorum tum autoritas tum iniustitia pudorem, moremque pro virili gessi. Tua igitur clarissima celsitudo, o Christianissime rex, hoc quicquid est operis tibi dicatum benigno vultu accipiat. Scripsit aliquando sanctissimus doctissimusque vir Hilarius, e Galliis tuis natus, ad omnes Germaniae fratres et Episcopos. Utinam ergo fiat ut vices reddidisse aliquando gloriari possimus! quod equidem non ad nostrum istum incultum libellum refero, sed ad alia Germaniae doctorum piorumque hominum scripta. Veruntamen audi obsecro, humanissime Rex, habes in regno tuo istud Sorbonnicum Theologistarum genus, quod pro dignitate nemo depingere queat. Linguas ignorant; at non modo contemnunt, sed etiam persequuntur, quum ipsi linguas ad maledicendum acuere ut serpentes soleant. [1] Quae ex sacris literis deprompta sunt,

[1]) Sorbonna iam condemnaverat Lutherum; hoc ipso tempore insectabatur

impia pronunciant, haeretica et blasphema: quum ipse non videam ullum doctrinae genus esse in deum blasphemius quam quod ipsi sectantur. Philosophiae interdictum est a Christi scholis; at isti fecerunt eam coelestis verbi magistram, et eam tandem quam ex ultima lacunarum fece hauserunt: dispeream enim si vel unam, unam dico sententiam Aristotele dignam in manibus habeant. Adeo barbarum est quicquid isti agunt, adeo frigidum, ut somnium narrare citius crederes quam philosophari. Hoc inquam hominum genus per quicquid est divinum, quicquid est humanum, paulisper iube Harpocratem facere: ne dum impune sinas quicquid in buccam venerit contra Christum effutire, eius indignationem incurras. Deinde, quod ad me adtinet, moneas, ut haec nostra, si quidem legere et confutare volent, non citra scripturam vere sacram faciant. Id autem si fecerint, lucrabuntur fratrem: sin minus, flocci-faciemus quicquid tandem cornicentur. Habes et aliud doctorum genus, quod res coelestes callet non humanas, et quicquid ad has adtinet, puta linguarum peritiam, morum simplicitatem vitaeque sanctimoniam habet. Hoc tu genus sic cole, ut nihil aeque in pretio habeas atque istos; neque circum te solum habeas, praeter paucos quosdam qui et tecum de rebus divinis colloquantur, sed per universum regnum curricula illis distribue, in quibus nova Christi mandata, non columnis, sed cordibus infigant. Videbis ergo regnum tuum, non nihil diuturnis bellis adflictum, protinus denuo vernare, collabi fastum, pompam, luxuriam, libidinem, mollitiem, omnia simul vitia; pullulare iustitiam, fidem, misericordiam. Neque te unquam in eam sententiam trahi patiaris, in quam quidam clarissimam matrem tuam trahere conatus est, videlicet ut Evangelii doctrinae obstes, tanquam pacis turbatrici: in Germania enim omnia esse mixta, neminem audire Principum imperia, et turbata prorsus esse omnia: nam qui sic loquuntur, deo non serviunt, sed suo ventri. Sic enim habet Evangelii negotium: Coelo descendit, quo infecta re nequit aut vacuum redire; fieri ergo nequit, ut ubicunque praedicetur non a multis recipiatur. Cum ergo mundus ex bonis aequisque ac improbis et nebulonibus constet, evenit, ut quanto quique sunt ab hypocrisi alieniores, tanto facilius ad Evangelii partes concedant, sive sint e bonorum sive malorum numero: saepe enim numero publicani et peccatores anteverterunt quosdam egregie sanctulos in regno dei. Qui vero iam pessimi sunt, et vident quosdam suae sortis ad Christi partes transivisse, simulant et ipsi se non minus transivisse, hoc consilio, ut se otiose pascant: vehementer enim favent qui pii sunt egentibus fratribus; imo nisi faveant, pii non sunt. Ubi ergo Magistratus obstat quo minus libere currat coeleste verbum, ibi optimi quique animum a Magistratu avellere, et omnia spectare quae coelestem doctrinam retinere possint; et quanquam hoc difficulter faciant, tamen faciunt, quod nolint inventum animae thesaurum amittere. Hac ratione fortasse factum est, ut quibusdam Germaniae locis periculose dissideatur, dum Magistratus vetare conati sunt, ne libere praedicaretur verbum. Sed mihi crede, clarissime Rex, quod ubicunque Magistratus

---

celebrem Iac. Fabrum Stapulensem; et mox Erasmi plurimas theses haereticas iudicavit, hac in causa acerbior Pontifice ipso.

verbo non conatur habenas imponere, ibi optimi quique cum Magistratu sentiunt; quo deinde facile arcentur hypocritae isti et ventres, qui se diaboli ritu in angelos lucis transformant. Sic habet incrementi ratio. Emolumentum si quis spectare velit, perlecto libro inveniet quantum respirationis possit Regibus populisque, si ad Evangelii verbum mores reformare statuerimus, provenire. Iam Celsitudinem tuam iubeo cum omnibus, qui ei subditi sunt, esse incolumem. Domini est regnum. Ne ergo committas ut in eius regno verbum ipsius elimines. Aequi bonique consule istam tibi dicandi audaciam. Scripseramus maxime in usum Galliarum; nihil ergo aequius erat quam ipsarum Regi quod natum esset dedicare, ne fraudi quicquam verti posset. Ex Tiguro. Anno MDXXV.

## AD LECTOREM.

Promiseram candidissime Lector, ante annum ferme, multis trans Alpes doctis piisque hominibus, quorum nonnulli multa mecum de plerisque fidei rebus coram contulerant, [1] meam de Religione Christiana sententiam Latine scripturum. Obstiterunt aliquamdiu variae occupationes, quo minus promissa praestaremus. Attamen, ut Sponde noxa praestō est, coëgit me fides data, ut noctes et dies sic per menses tres et dimidium sudaverim, ut non minus potuissem ad Gellii exemplum Noctes vocare (id quod nimirum hostes libenter facturi sunt, sed alia ratione) quam Commentarium. Sed Commentarium hac ratione libuit adpellare, quod Commentarii fere sunt, si modo vocem recte intelligimus, qui haud aliter quam epistola cum amico commentantur, nisi quod commentarii fusiores sunt et liberiores. Cum ergo liberet de Religione Christiana cum doctissimis Galliarum viris commentari, nec tamen daretur, Commentarium mittere statutum est. Sic ubique festinatum ut saepe relegendi vix fuerit data facultas; tam abest, ut ulla castigandi aut ornandi adfuerit. Sed recte habet: Commentarius est, non oratio aut liber nonum depressus in annum. Quae te vero offendere videbuntur, optime Lector, ne tu velis incognita causa damnare, sed vide an quae dicimus sint fidei simplicitati conformia necne. Vale, et sicubi videas nos errare, Christum precare, ut et ipse idem aliquando videam; si vero sentiet prisci erroris nebulas et reliquias, iterum precare, ut omnem simul caliginem auferat is qui lux est, ut omnes simul possimus quod verum est intueri. Amen.

## INDEX LOCORUM, QUI HOC OPERE TRACTANTUR.

De vocabulo Religionis. De Homine.
Inter quos constet religio. De Religione.
De Deo. De religione Christiana.

---

[1]) Ex. c. Franciscus Lambertus Avenionensis, Anemundus Coctus, nobilis Viennensis, Aegidius a Porto, Comensis, Dubletus Lugdunensis et alii. Faber Zuinglium insimulavit gloriae et cupiditatis propter hanc dedicationem. Ut criminationem repulerit, vide responsum Zuinglii in Fabri Missivum non missum.

De Evangelio.
De Poenitentia.
De Lege.
De Peccato.
De peccato in Spiritum S.
De Clavibus.
De Ecclesia.
De Ecclesia contra Emser.
De Sacramentis.
De Matrimonio.
De Baptismo.
De Eucharistia.
De Confessione.
De reliquis Sacramentis.
De Matrimonio.
De Votis.
De Divorum Invocatione.
De Merito.
De Oratione.
De Purgatorio.
De Magistratu.
De Scandalo.
De Statuis et Imaginibus.

# DE VERA ET FALSA RELIGIONE

## HULDRICI ZUINGLII COMMENTARIUS.

Scripturo de vera falsaque religione Christianorum, in ipso limine, arrogantiae periculum occurrit: subito enim coorturos scio, qui nos humeros haud probe explorasse, nec onus libravisse dicant. Quibus utinam et mens esset adeo prudens, et fides adeo pura, ut satisfactionem nostram tam humaniter acciperent, quam nos aequanimiter praecipitatum eorum iudicium ferimus. Nam quid facilius quisque exponat, quam religionem, quam de deo et ad deum domi habet? An non semper fuerunt qui diversimode de religione senserint? quique diversimode religiosi fuerint? Fuerunt omnino, quibus operae pretium non videretur, ut deum in cognitione haberent. Romanenses primo fuerunt contra quibus videretur. Hinc de religione dissensio. Quibus enim nihil antiquius fuit, quam scire cognoscereque deum iuxta Prophetae verbum, Hierem. 9: 25, illis sese amplis flatibus coelestis spiritus sic ingessit, ut solum dominum agnoscerent, qui misericordiam, iudicium et iustitiam faciat. Qui vero contra suo iudicio sapientes erant, fortes, divites, de deo statuerunt quod eis visum esset; ac ne impii existimarentur, quibus visum est obsequiis demeruerunt, non quibus ille gaudet. Unde paulatim factum est, ut multi eam demum religionem amplexi simus, quam humanae sapientiae dolus fingere promulgareque fuit ausus: quae tam abest ut religio vocari iuste possit, ut hypocrisis rectius, impietas et superstitio nuncupari debeat. Facillimum igitur nobis est de vera falsaque Christianorum religione scribere, ac veluti rationem fidei nostrae reddere, quam non ex humanae sapientiae lacunis, sed ex divini spiritus imbre, qui verbum dei est, hausimus. Proinde censores istos nihil moramur: non enim nostra ostentamus, sed mercem domini exponimus, quam sine argento, sine pretio, iuxta Prophetae verbum, distrahere licet. Quod si quis eam despiciat, despiciat; si oppugnet, quantum Gigantes proficiet.

## DE VOCABULO RELIGIONIS.

Religionis vocabulum a relegendo Cicero de nat. Deorum lib. 2. derivatum esse putat, quod qui religiosi essent sollicite cuncta retractarent, ac velut relegerent, quae ad deorum cultum pertinerent: quae quidem vocabuli ratio nobis quoque accommoda erit. Nos enim Religionem hic accipimus pro ea ratione, quae pietatem totam Christianorum, puta fidem, vitam, leges, ritus, sacramenta complectitur. Dum autem additione veri et falsi religionem a superstitione distinguimus, in eum usum fit, ut cum religionem ex veris verbi dei fontibus propinaverimus, altero veluti poculo superstitionem quoque praebeamus; non ut quisquam de ipso bibat, sed ut effundat et confringat. Sic enim fere comparatum est, ut diversa et contrariâ invicem collata liquidius cognoscamus, quam si altero prolato et expolito alterum in obscuro serves: sunt enim quorundam mentes adeo vel tardae vel imbecilles, ut aut nihil adsequantur, quam quod porrexeris; aut metu tyrannorum, quod adsequutae sunt, non audeant proloqui. Aperte loquar. Multi sunt, qui dum Christi verbum: Vos autem non sic, scilicet dominabimini, audiunt iis quidem dici quos Ecclesiasticos vocamus, adhuc tamen adeo incogitantes sunt, ut cum diversum videant ab episcopis fieri, nunquam apud se dicant: Hoc nimirum contra dei praeceptum est; alii vero tam meticulosi sunt, ut quamvis videant, non tamen audeant prodere quod inique fit. Operae pretium igitur erit, ut cum de religione iusta et vera dixerimus, confestim de falsa quoque agamus, ne perpetuo de vera religione strenue quidem disputantes re simus irreligiosi, impii, infideles. Quod aperte videmus hac tempestate contingere, dum non modo Episcopos quosdam, sed et principes iam aliquot videmus huiusmodi leges dare: Volumus ut Evangelium praedicetur, sed ad verbum, ita ut nihil prorsus vel explices vel compares: istud nimirum quod diximus spectantes, multos videlicet esse, qui suopte ingenio nihil ponderent; at si occasionem dederis cogitandi, iam capere, iamque superstitionem a religione cernere. Quae res postmodum istis sit detrimento futura non vulgari; quo fit, ut multi audiant fidei verbum, nihil tamen sint quam superstitiosi. Quod quid aliud est quam infantibus nuces integras proposuisse? quarum putamen, dum ad nucleum penetrare nequeunt, lambunt, donec fastidio capti nucleum cum putamine abiiciant. Erit ergo iste in hoc opere ordo: De Vera religione priore loco, mox de Falsa dicemus, non peculiaribus aut distinctis libris, sed distinctis periodis.

## INTER QUOS CONSTET RELIGIO.

Quandoquidem autem religio fines duos complectitur, alterum in quem tendit religio, alterum qui religione tendit in alterum: proximum esse oportebit ut de utroque extremo dicamus. Hoc est: Cum deus sit in quem tendit religio, homo vero qui religione tendit in eum, fieri nequit ut rite de religione tractetur nisi ante omnia deum agnoveris, hominem vero cognoveris.

## DE DEO.

Quid sit deus fortasse supra humanum captum, verum, esse Deum haud supra est: multi enim sapientium huc penetraverunt ut deum

esse non ambigerent; etiamsi non defuerint qui hoc ipsum, deum esse, pluribus tribuerent, intelligentiae nimirum angustia, quae tantam potentiam et maiestatem, quantam divinam esse oportere videbant, uni ac soli tribuere non audebat. Fuerunt nihilominus qui horum de deo *μικρολογιαν* senserint, minusque constare posse deum esse, si id pluribus, quam uni ac soli tribuatur. Quo circa (sive hoc divinitus sive humanitus factum sit, nunc mittimus, paulo post reddituri) in hanc sententiam devenerunt, ut unum deum ac solum esse pronunciarent: quamvis, ut est humana mens deses et sui negligens, non magni aestimaverint, huic de deo agnitioni firmiter adhaerere, contenti haud dubie agnovisse, atque hinc sibi placentes, vivere ad illius nutum contempserunt. Id quod etiamnunc doctorum vulgus inter Christianos facere videmus, strenue quidem de verbo deque vero cultu dei digladiari, re tamen ipsa nihilo meliores fieri. Horum omnium fundamentum est, quod Paulus Romanis 1: 19. scripsit: Notitia dei, inquiens, inter ipsos manifesta est: nam deus illis manifestavit. Hic obiter reddemus quod paulo ante reservavimus. Videmus hic aperte quod dei est ea, quam nos naturae nescio cui ferimus acceptam, de deo notitia. Deus enim, inquit, manifestavit. Et natura quid aliud est, quam continens perpetuaque dei operatio, rerumque omnium dispositio? Et mens nostra undenam est, quam ab eo qui operatur omnia in omnibus? Accessit autem Paulus hoc loco nonnihil ad Gentilium, cum de deo loquuntur, usum: non quod ipse sic sentiat dei cognitionem ab humana ratione proficisci, sed quod Gentiles sic sentirent, inter quos et Iudaeos hic sequestrem agit. Unde caute adiungit: Deus manifestavit eis. Cuius nos exemplum secuti a quaestionibus istis, quod sit et quid sit, orsi sumus, quo facilius nos caperent ii, qui de deo scientiam ex homine potius quam deo hauserunt. Nunc redimus ad Pauli verba: Notitiam dei manifestam etiam Gentilibus fuisse, quia deus eam patefecerit: nam invisibilia eius, inquit, considerata ex his quae facta sunt a condito mundo, perspiciuntur, nempe eius tum potentia, tum divinitas. Ut iam sint inexcusabiles, eo quod deum quidem agnoverunt, sed ut deum non glorificaverunt, nec grati fuerunt; quin potius per cogitationes suas vani facti sunt, et contenebratum est imprudens cor eorum. Et cum suo iudicio sapientes essent, stulti facti sunt, et commutaverunt gloriam immortalis dei similitudine imaginis non modo mortalis hominis, verum etiam volatilium, quadrupedum et reptilium etc. Deum igitur esse, vulgo consensum est apud omnes Gentes, sed ratione longe diversissima: quidam enim ad unius dei agnitionem venerunt, sed ut oportebat non coluerunt, atque horum paucissimi fuerunt; alii vero vim ac potentiam humana augustiorem quum prorsus sensissent, deum agnoverunt eam esse: veruntamen unam ac solam non acceperunt, sed ad se conversi, qualisnam deus esset, imaginati sunt. Diviserunt ergo eum ante omnia in plures, quod infinitam eius potentiam nullo modo caperent, et mox quemlibet eorum propria inventione, alia atque alia figura, induerunt. Hinc idolorum daemonumque cultus, qui se callide eos faciebant, quos miseri mortales, misere sapientes, pro diis inauguraverant, figurisque variis distinxerant. Sic liquido patere arbitramur, omnibus ferme Gentibus in hoc esse

consensum, ut deus sit: quamvis ipsum, alii plures faciebant, alii pauciores, paucissimi unum. Quem tamen animi tarditate et propriae sapientiae confidentia negligebant, et de eo quod placuisset sentiebant, ac eodem modo quibus voluissent colebant. De qua re non solum nostri totis libris, sed etiam Philosophi plurima scripserunt.

Fideles autem (sic enim credulos vel pios, vel dei veri cultores adpellari vulgo receptum est) hoc uno fideles sunt, quod unum verum solum omnipotentem deum esse credunt, eoque solo fidunt. Porro, qui fiat, ut pii sic de deo sentiant, nec Gentium more quamlibet ignotam vim deum faciant, pio facile est dicere. Eius fit tum virtute tum gratia in quem creditur: nam quod ad ingenium et naturam hominis adtinet, nihil differt pius ab impio. Proinde in deorum errore cuivis posset contingere quod cuiquam, nisi esset augustior quaedam vis quae mentem humanam, natura nihil abhorrentem ab his qui maxime errant, ad se vocaret ac sibi alligaret. Atque hic se primae fidei ac pietatis venae aperiunt. Non enim, ut plerique arbitrati sunt, fideles ideo fideles fiunt, quod audiunt Mosen dicere: In principio creavit deus coelum et terram. Innumeri enim sunt qui hoc audiunt, sed non credunt mundum iuxta Moseos traditionem conditum. Sic etiam qui dominum ipsum loqui, miracula facere vident et audiunt, non continuo omnes pii sunt: fuerunt enim cum olim tum Christi tempestate, qui tam abest ut vel videndo vel audiendo ad deum conversi sint, ut contra nulli magis saevierint, non in pios modo, sed etiam in pietatem ipsam. Cum igitur clarum sit, quod quicunque audito hoc verbo: In principio creavit deus coelum et terram, iam credit mundum dei opus esse, istuc non fieri aut verbi aut mentis nostrae virtute: nam si verbum hoc posset, omnes redderentur pii; si vero mens nostra, nemo audiens esset impius: fit manifestum, quod fideles hinc credunt deum esse, et mundum opus eius esse, et reliqua, quod a deo hoc docti sunt: solius ergo dei est et ut credas deum esse, et eo fidas.

Porro, quid deus sit, tam ex nobis ipsis ignoramus, quam ignorat scarabeus quid sit homo. Imo divinum hoc infinitum et aeternum longe magis ab homine distat, quam homo a scarabeo, quod creaturarum quarumlibet inter se comparatio rectius constet, quam si quamlibet creatori conferas. Et caduca omnia sibi mutuo viciniora et agnitiora sunt, quam divino aeterno interminato, quantumvis in eis imagines divini illius et vestigia, ut vocant, invenias. Ad cognitionem ergo huius quid sit Deus, cum nostro Marte pertingere nulla ratione possimus: nam si iuxta Solomonis verbum Ecclesiastes 1: 6. cunctae res (loquitur autem de eis quae sub sole sunt rebus) adeo sunt difficiles, ut nequeat eas homo explicare: quae esset praesumptio tentare quid deus sit exponere? et Isaias 45: 15. sobrie commonens dicat: Vere tu es Deus absconditus: constat igitur a solo Deo discendum quid ipse sit. Cum enim, iuxta Pauli 1. Cor. 2: 11. sententiam, nemo sciat quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso homine: sic et quae Dei sunt, omnes ignorant, praeter ipsum Dei spiritum. Luciferi et Promethei audacia acto, si quis aliunde scire praesumat quid sit Deus, quam ab ipso Dei spiritu.

Fucus ergo est et falsa religio, quicquid a Theologis ex philosophia:

Quid sit Deus, allatum est. Quod si quidam de hoc quaedam vere dixerunt, ex ore Dei fuit, qui cognitionis suae semina quaedam etiam in Gentes sparsit, quamvis parcius et obscurius; alioqui verum non esset. Nobis autem, quibus deus ipse per filium suum perque spiritum sanctum locutus est, illa non ab eis, qui humana sapientia turgebant, atque eadem, quae recte acceperant, corruperunt, sed ex divinis oraculis petenda sunt. Haec enim ubi negligi coeperunt, descensum est in omnia carnis, hoc est Philosophiae figmenta; iis creditum est; iis freti de deo quae lubuisset, non modo ipsi senserunt, sed et alios eadem sentire coegerunt. Cum tamen nullus ex eis cuiquam permitteret de se sentire, quod ille alius, quicunque tandem, voluisset: atque haec est carnis audacia, quae se pro Theologia vendidit. Nos quid deus sit, ex eius ore volumus discere, ne in studiis nostris corrupti et abominabiles fiamus. Psalmo tredecimo.

Cum Moses a domino peteret Exod. 3: 13. ut ei nomen suum manifestaret, quo dexterius agere videretur cum filiis Israël, dixit dominus ad eum: Ego sum qui sum. Quo verbo se deus totum exhibuit: perinde enim est, ac si dixisset: Ego is sum, qui a meipso sum, qui meopte Marte sum, qui Esse ipsum sum, qui ipsemet sum. Quem sensum continuo exprimit addens: Sic dices filiis Israël; Qui est, misit me ad vos. Quo verbo indicavit se solum esse rerum omnium Esse: nam nisi ad hunc modum accipias: Qui est, ut is sit Esse rerum omnium et solus sit, non distinxisset se dominus ab aliis quae sunt, quamvis ex ipso sint, et per ipsum, adhuc tamen sunt; sicque fieret, ut elusisse interrogationem Moseos potius existimaretur deus, quam expedivisse. Finge enim nec Mosen, nec filios Israël id verbi: Qui est, aliter intellexisse, quam sicut de re quavis dicimus, quod sit: quid putas, cum a Mose, tum a filiis Israël aliud intellectum iri potuisse, quam: quidam misit me ad vos. Quod quid erat magnum aut singulare, aut fide dignum? Fit ergo manifestum ut Moses his verbis: Ego sum qui sum; et: Qui est misit me ad vos, intellexerit eum qui suapte natura est, atque sic est, ut Esse rerum omnium sit; utque filii Israel eadem verba eodem sensu intellexerint. Nunquam enim a quodam temere annunciato persuaderi potuissent, ut deserta Aegypto abirent, ac sequerentur quem ignorarent. Fit idem adhuc manifestius quum etymon summi nominis dei excusserimus, quod quidem a Iudaeis cum legitur *Adonai* profertur, veruntamen signa, hoc est literae, hanc vocem nullo pacto efficiunt: non quod Hebraei secundum literarum vim eam legere nequeant, sed quod propter nominis sanctitatem ineffabile putent. Nam ea vox ab essendo deducta est, aut fortasse istud verbum, quod *esse* illis significat, ab hoc nomine derivatum. הָיָה enim illis *fuit* significat. יְהוָה vero hoc summum dei nomen quadriliterum est, quod hactenus inedicibile manet apud Iudaeos. Quum ergo Moses dicta dei verba audiret, protinus intellexit, eum qui est, a quoque omnia sunt, ad se loqui. Quod et dominus ei clarius aperuit, cum insuper iubet, ut apud seniores Israël sic exordiatur: Dominus deus patrum vestrorum adparuit mihi etc. nunc palam se et a potentia et a maiestate dominus adpellans, qui se paulo ante ab essentia: Qui sum, et qui est, adpellaverat. Quibus omnibus

nihil aliud inducere volumus, quam hoc esse primum in cognitione dei, ut sciamus eum esse, qui natura est, qui ipse est, et a nullo accipit ut sit. Ex quo postea facile inducimur, ut liquido videamus omnia a deo, quaecunque tandem videmus, non a se ipsis esse posse, sed ab alio, ex illo essendi fonte et vena, deo videlicet esse et constare. Esto ergo solus deus qui ab se ipso est, quique omnibus esse tribuit atque ita tribuit, ut esse nulla ratione, nulloque momento possent, nisi deus esset qui omnibus tum Esse tum vita est, omnia sustinet, omnia regit. Quod et Isaias 40: 12. pulchre indicavit: Quis mensus est, inquiens, pugillo aquas? et coelos palmo ponderavit? Quis adpendit tribus digitis molem terrae? et libravit in pondere montes, et colles in statera etc.

Illud ergo Esse tam est bonum, quam est esse: sicut enim solum est, et ab se ipso est, ita et solum bonum, verum, rectum, iustum, sanctum est: nam ab se ipso bonum est, verum, rectum etc. Quod ipsius itidem verbo liquet, Gen. 1: 31. Viditque deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona. Si ergo tam numerosa creaturarum omnium soboles valde bona erat, ita ut singula et universa essent bona, iam authorem eorum clarum est, bonum esse oportere atque tale bonum, quod a nullo esset, sed se ipso constaret; essetque ut omnium quae sunt vis et essentia, sic omnium bonorum fons et scaturigo. Quod et Christus paulo apertius exprimit Luc. 18: 18. inquiens: Nemo bonus nisi solus deus. Si nunc omnia quae fecit, vehementer bona sunt etiam se iudice, et nihilominus nemo bonus est nisi solus deus, sequitur, quod omnia quae sunt, in ipso et per ipsum sunt. Cum enim omnia quae sunt, bona sint, et tamen solus deus bonus sit: fit, ut omnia quae sunt deus sint, hoc est, ideo sint, quod deus est et ipsorum essentia est. Quod Paulus sic extulit Rom. 11: 36. Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.

Hoc ergo bonum non otiosa quaedam res est aut iners, ut supina immotaque iaceat, nec se movens nec alia: paulo enim superius patuit essentiam et consistentiam esse rerum omnium; quod quid est aliud quam omnia per ipsum et in ipso moveri, contineri, vivere. Ipse enim et a philosophis *ἐντελέχεια καὶ ἐνέργεια*, hoc est perfecta, efficax, consummansque vis adpellatur, quae, quoniam perfecta est, nunquam desinet, nunquam cessabit, nunquam ambiget, sed continue sic omnia servabit, versabit, reget, ut in rebus factisque omnibus vitium nullum intervenire possit, quo aut eius vis impediri aut consilium falli queat. Quod iterum ipsius verbo manifestum fit: sic enim in creationis exordio habes: Dixitque deus: Fiat lux, et facta est lux. Ecce ut vocata lux non modo subito praesto fuit, sed, ut creatoris sui obtemperaret imperio, de nihilo constitit: tanta enim est eius vis, ut cum vocat quae non sunt, sic pareant quemadmodum ea quae sunt, etiam si nasci prius e nihilo oporteat. Et paulo post ait: Germinet terra herbam virentem et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Ecce ut hic rudis tellus ad primam creatoris sui iussionem laetam faciem induerit: cum enim aquae ad alveos suos abiissent, ipsaque apud se consedisset, nuda erat et aspectu tetro: noluit ergo nuditatem eius mortalium oculis expositam esse deus, ac iussit ut se confestim virenti herba vestiret,

proditisque arboribus ornaret, quo nascentibus continuo animantibus omnigenis hospitium singulis praebere iuxta cuiusque ingenium posset. Neque hoc solum, sed ne unquam ulla esset annonae caritas, tam herbis quam arboribus vim producendi seminis indidit, ut cum ad exigendam hiemem, quicquid haberent, nobis iam porrexissent: mox vertente anno rursum ad idem opus accingerentur: id autem perpetuis vicibus. Quae cum stabili tenore quotannis fieri videmus, nonne creatoris immensam vim, prudentiam, et erga opus suum curam et gratiam agnoscimus? Non solum enim dixit, et facta sunt; mandavit, et creata sunt, quae ille voluit; sed quae creavit etiam pavit: nam neque corvorum pullos oblitus est. Cum ergo omnia quae vel moventur aut vivunt ideo vivant et moveantur quod sunt: nisi enim essent, moveri nequirent aut vivere: quod autem sunt, in deo et per deum sunt: inde colligi clarissime potest, Deum, ut est Esse omnibus et Consistere, ita et vitam motumque esse omnium quae vivunt et moventur. Quod pulchre Paulus Act. 17: 28. ostendit, sic post latiorem sermonem colligens: In ipso enim vivimus et movemur et sumus. Sicut et quidam vestrorum poëtarum dixerunt: Ipsius enim et genus sumus. Videmus hic obiter usum Apostoli in citandis profanis scriptoribus, quod eis nequaquam utitur quasi authoribus; sed si quid coelestis spiritus per eos dictum voluit, ostendit hoc ubinam invenire liceat, ne margaritam unam et alteram sectando cuncta ipsorum stercora evolvere cogeremur. Redeo: Istis ergo patet, in deo et per deum, ut omnia esse et consistere, sic omnia in ipso et per ipsum vivere, moveri. Quod et ipse per os servi sui Moscos ostendit sic inquientis Deut. 30: 20. Ipse enim est vita tua et longitudo dierum tuorum.

Neque rursum sic est vita motusque rerum omnium, ut aut ipse temere inspiret aut moveat; aut quae spirant vel moventur, temere ex ipso petant quo vivant et moveantur. Quomodo ex ipso peterent, quae ne esse quidem possent, nisi ex ipso essent, aut quomodo peterent antequam essent? Constat ergo deum non modo tanquam materiam aliquam id esse, a quo omnia sunt, a quo omnia moventur et vivunt; sed simul esse sapientiam, scientiam, prudentiam talem, cui nihil sit absconditum, nihil ignotum, nihil nimis remotum, nihil inobediens. Quibus fit ut ne culex quidem lanceam adeo acutam et tubam adeo canoram habeat citra dei sapientiam, scientiam et prudentiam. Eius ergo sapientia cuncta agnoscuntur, etiam priusquam sint; eius scientia cuncta intelliguntur, eius prudentia cuncta disponuntur. Nam istud quod deus est, summum bonum non esset, ni simul summa sapientia et prudentia esset. Si enim quicquam esset quod deum latere posset, illic nimirum sapientia et scientia eius frigeret; si vero quicquam alia providentia quam ipsius disponeretur, iam divina torperet et hac parte manca esset, et perinde nec summa esset nec absolutissima: quacunque enim parte cessaret, ea et imperfecta esset. Quod tam abest a deo, ut nihil aeque cum ipsius ratione ingenioque pugnet, quam imperfectum esse. Nam quicquid imperfectum est, deus non est: et contra, hoc solum deus est quod perfectum est, id est absolutum et cui nihil desit, cuique omnia adsint quae summum bonum deceant: non enim de per-

fecto hic loquimur ut vulgo Theologi. Nihil ergo deum fugere, nihil eius consilium dispositionemque fallere potest aut declinare. Cumque nos ab eo tum factorum, tum consiliorum rationem audacius, quam fidelius exigimus, rogantes cur pulicem, tabanum, vespam et crabrones fecerit hominibus beluisque infesta animalia, nihil quam muliebrem curiositatem impotentem inutilemque prodimus. Quasi vero divinae sapientiae humana mens capax sit, et uno alterove cognito non multo plura emergant, quae ad sui cognitionem haud aliter quam priora invitent: quorum omnium nulla mens plane, quam ea quae infinita est et immensa, cognitionem capere potest; quae vero tam angusta est, ut est humana, nihil sibi quam vanum laborem curiosa huiusmodi percunctatione conciliat, quemadmodum Solomon in Ecclesiast. cap. 1. admonet. Erit ergo miseris mortalibus divinam cum sapientiam tum providentiam contemplantibus faciendum, quod omnes domi suae faciunt. Cum enim alius alia vasa instrumentaque ad artem suam accommoda habeat, vult quorundam usum omnibus esse expositum, quorundam omnibus ignotum, quanquam sibi ignotus non sit: suo enim tempore novit quomodo et ad quae sit ipsis usurus. Sic quae nobis deus exposita voluit, cum verecundia contemplemur; quae vero abstrusit, ne impudentius adtrectare velimus, ne cum indignatione eripiantur, et audaciae a nobis, quemadmodum de Prometheo fabulantur, poenae petantur. Ampla est enim domus dei, coelum ei sedes est, et terra scabellum pedum eius; supellex vero tam varia tam immensa, ut omnia cognoscere cupientem desperatio potius adobruat, quam spes subeat omnia capiendi. Unicum pampinum si solide et in universum explorare statueris, deficies. Ita habet stipitem per medium ad ultimam aciem excurrentem: a quo primum velut aortae et capitales venae derivatae in certos angulos sese extendunt: ex quibus tanquam mesae vel meseraicae, ut vocant, flagella in imam planitiem funduntur, succum rite dispensantes, haud aliter quam adparet, cum vel totum hominem vel mundum universum consideras. Atque hoc in tam brevi folio artificium prius deserere cogeris, quam ad plenum ediscere. Ecce ut omnis humana sapientia in re ut videtur nihili constiterit, inscitiam suam fateri coacta et ignorantiam; sed insciens non est, aut ignorans divina sapientia prudentiaque, a qua omnia rite et fiunt et disponuntur.

Tempus nunc est, ut omnium quae hactenus de sapientia providentiaque dei dicta sunt, testimonia verbi ipsius adducamus. Sapientiae encomium Solomon quidem Prov. 8: 22. magnifice descripsit, a vetustate ipsam primo commendans, quae ipsi domino adfuerit priusquam condere mundum coepisset, quodque postea per ipsam cardines totius orbis adpensi sint, et omnia per eam composita. Et Hier. 51: 15. sic inquit: Qui fecit terram in fortitudine sua, et praeparavit orbem in sapientia, et prudentia sua extendit coelos. Sed iucundius nemo quam David Psalm. 104. Sic enim utramque depingit, ut videre te putes artificem deum librare montes robusta manu, et quemque in locum suum ponere, valles interea diducere ac gelidos in vallibus amnes, extendere arva, tumultuosumque pelagus in abyssos suas retrudere, ne quidquam licentia sua

turbet; scribit deinde colonos cuique parti, et commeatum liberaliter adiicit. Nunc ad testimonia novi Testamenti properabimus, lepidioribus istis hactenus contenti, quod universa veteris Testamenti scriptura huc spectat ut omnia dei providentia fiant. Hinc enim tot adparitiones angelorum, tot ipsius dei oracula, et urgente necessitate miracula. Hinc privatorum hominum inter pessimos versantium dei tam diligens cura et custodia, quales Noe, Abraham, Lot, alii. Hinc prophetarum missiones, quae futura essent monentium, et atroces etiam disciplinae, si qui monitis eorum non adquievissent. Crebri per dominum triumphi si audientes, crebrae e diverso fugae et excidia si minus audientes fuissent.

Diserte admonet Christus Matth. 6: 25. ne de his etiam quae ad corpus adtinent solliciti simus, cum non ignorare possimus coelestem providentiam hanc pro nobis curam gerere, hinc quod et volucres coelo errantes tam liberaliter excipiat, et agri lilia tam pretiose vestiat, ut Solomonis trabeae, paludamenta, chlamydes, ac omnia simul ornamenta his comparata vilescant. Quanto magis nobis, qui longe maiore sumus apud eum existimatione, sit haec omnia daturus? Quin negat in nostra potestate situm esse cap. 5, ut vel unum pilum proprii capitis candidum, si sit ater, nec contra si candidus sit, atrum reddere possimus. Quod autem et cincinni nostri ei curae sint, res adeo nullius pensi, ut citra iacturam omnem adimi possit, itidem testatur Luc. 12: 7. Iam et capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Vide quam late pateat coelestis providentiae cura, quamque certa sit: Omnes, inquit, numerati sunt. Quid hic dicent liberi arbitrii adsertores? An causabuntur subesse tropum? At nos maxime τροπικως adserimus esse dictum. Expectanda ergo ab eis tropi explicatio? Minime! nam pueris obvium est tropum hunc aperire, nempe quod deus eorum quoque continentem curam gerat, quae nostro iudicio omni ferme humana cura indigna videntur. An hoc hyperbole est? ego dum volucres pasco et flores induo, vestri obliviscar? nonne vos multo pluris aestimamini a me? Sed de his plura quum aliquando ad liberi arbitrii mentionem ventum erit. Matth. 10: 29. sic inquit Christus: Nonne duo passeres asse veneunt, et unus ex illis non cadet in terram sine patre vestro? Hic nullus causari merito licet hyperbolas. Est enim manifestum a minore ad maius argumentum, in quo quod primum est, verissimum esse oportet: alioqui quod inde colligatur, stare nequit. Sic ergo sentit Christus: Quandoquidem unus passerum asse comparatorum ne fortuito quidem in terram cadit, nisi cum patre coelesti: quanto magis vos, qui tantae reputationis estis apud illum, nusquam excidetis illo non sic disponente? Ergo verissimum hoc erit, quod etiam temere, ut nobis videtur, contingentium author deus sit. Sororibus Lazari videbatur Christus ignorare quod earum frater aegrotaret; sed posteaquam nunciatum est illi, verbo manifestavit an vel aliquid ignorare possit deus, vel aliquid citra illius curam, consilium ordinationemque fieri: sic enim inquit: Infirmitas haec non est ad mortem, sed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eam. Vides unde profecta sit aegritudo? a deo nimirum: is enim ea usurus erat ad filii sui gloriam. Ad eundem modum respondit discipulis Ioan. 9: 2, quum percontarentur quorumnam culpa factum esset, ut qui illic erat, caecus

nasceretur: neque hic peccavit, inquiens, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera dei in illo. His contenti nunc erimus, alibi ut diximus, uberius hunc locum tractaturi. Tu, bone Lector, istorum interim memineris, ne bis crambe mors. Nam ex providentiae loco praedestinationis, liberi arbitrii meritique universum negotium pendet.

Iam frustra esset, infructuosum ac inutile mortalibus, si hoc summum bonum deus sibi soli, quod dicitur, saperet: sibi soli bonum, vita, motus, scientia, prudentia esset: sic enim nihil a mortalibus distaret, qui hoc suapte natura habent, ut sibi canant, suis studeant rebus, sibi melius malint quam aliis. Necesse est igitur, ut hoc summum bonum, quod deus est, benignum natura sua sit ac liberale: non ea liberalitate qua nos dedisse videri volumus, interim retributionem spectantes, interim gloriam; sed ea, qua iis quibus donavit prodesse vult, et hoc unum ac solum spectat, ut eorum sit quae a se facta sunt: gratis enim distrahi vult. Nam ut est fons rerum omnium, nemo enim priusquam esset meruit ut ex illo nasceretur: sic et perenniter liberalis est in eos, quos ad hoc unum genuit, ut liberalitate sua fruerentur. Breviter, hôc bonum illud ab aliis quae videntur bona distat, quod haec se ἀμισθωτὶ, id est gratuito non expendunt, utpote sordida et egena; illud contra nisi gratuito impendi nec velit nec possit. Rursus quae in speciem bona sunt, sibi parci volunt: paucissimis enim satisfacere possunt, angusta cum sint ac tenuia. Illud bonum sic exuberat ut omnibus omnium desideriis ad satietatem supersit: infinitum enim est, ac distrahi amat. Ipsum enim frui aliis nequit: nam inferiora ipso sunt; et nisi eo fruantur a quo sunt, consistere nullo pacto possunt. Sequuntur nunc praedictorum testimonia. Testatur hanc sententiam tota creaturarum omnium corona: nisi enim voluisset deus, ut opera sua se fruerentur, nunquam ea de nihilo vocasset: non enim fruitur eis deus. Cuius ergo causa creavit ipsa? ut creatore suo ipsa fruerentur. Geneseos 15: 1. sic loquitur ad Abraham dominus: Noli timere Abraham! ego protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Quid quaeso protectorem esse ac mercedem vel praemium, vel bonum quo fruaris, supra quam capere queas dives et exundans, aliud est quam deum esse? Porro, quod se sic ultro exponit, cui non est documento quod distrahi amet? Isaias 45: 1. satis probat omnia dei providentia liberalitateque fieri, quum eum ad Cyrum loquentem facit. Ignorabat Cyrus deum, sed non erat ignarus Cyri deus: sic enim liberaliter in eum victorias, opes, totaque regna effudit, ut Oriens cum Occidente merito videre debuerit, quod is, qui haec omnia tam largiter dabat, solus ac verus deus esset. Loquitur igitur ad hunc tandem modum post longam admonitionem v. 21 dominus, ne totum sermonem scribere sit opus: Annunciate et venite et conciliamini simul. Quis auditum fecit hoc ab initio? Ex tunc praedixi illud (Ecce providentiam quae impiorum etiam curam gerit). Nunquid non ego dominus, et non est ultra deus absque me? Deus iustus et salvans non est praeter me. Convertimini ad me, et salvi eritis omnes fines terrae, quia ego deus, et non est alius etc. Ecce liberalitatem qua ultro ad se invitat omnes fines terrae. Ecce simul et certitudinem, quod ipse solus est qui iuste omnia dispensat, solus salvat, nec est deus praeter eum. Eodem modo

benignitatis suae sinus expandit Iesa. 55: 1. quum omnes coelestis sapientiae opisque, sive cupidos, sive indigos sic vocat: Omnes qui sititis, venite ad aquas: et qui non habetis argentum, properate, emite et comedite. Ecce, ut etiam urgeat non ad properandum modo, sed etiam ad ampliter hauriendum. Iam ex instrumento vetere satis testimoniorum adductum est: quid enim isthic in universum agitur, quam quod ostenditur deum esse solum qui servet, qui curam nostri habeat, qui ex se peti omnia velit? Ego ego ipse sum, qui deleo iniquitates tuas propter me Iesaiae 43: 25. Misericordia domini plena est terra, Psal. 33: 5. et: Tu das illis escam in tempore opportuno; et: Aperiente te manum tuam, omnia replebuntur bonitate. Ibid. 104: 27. Et Ioël 2: 27. Scietis quia in medio Israël ego sum. Porro quid est in medio Israël esse, quam inter eos sic esse, ut ipsius auxilium opus non sit e longinquo petere; sed ab eo solo qui et familiariter et suaviter tanquam unus de ipsorum grege inter eos versatur: hoc est enim in medio esse, ne scilicet cuiquam sit formidandum supercilium. Novi Testamenti quae alia testimonia proferemus, quam eum ipsum, qui Testamentum est, Iesum Christum, dei virginisque filium? Cum enim natura essemus filii irae, Ephes. 2: 3 restituit nos in gratiam deus, ille misericordiae ditissimus fons, per Christum filium suum. Hunc etiam propitiatorem constituit, Rom. 3: 25. ut qui sanguine ipsius fidant, sancti et immaculati apud patrem censeantur. Ipse igitur propitiatio nostra est; ergo et pactum nostrum, testamentumque quod deus nobiscum pepigit. Ipse et propitiator est: per ipsum enim aditum habemus ad deum, 1. Ioan. 2: 1. Hebr. 10: 19. Ephes. 2: 18. Porro, quicquid nobis tandem Christus est, liberali dono dei est: nam ipsi meriti non sumus ut is filium suum pro vita nostra expenderet. Si enim fieri potuisset, ut meritis nostris vita redderetur, Christo nihil opus fuisset: si eo nihil opus fuisset, cur eum pater carne indueret? non est otiosum opus dei, non frustraneum, non supervacaneum, sed venit filius dei in hunc mundum ut vitam habeamus et abundantissime habeamus. Ille ipse Christus ut se totum nobis exponeret Matth. 11: 28. sic clamat: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego requiem vobis dabo. Quid bone deus, est liberalem ac largum esse si hoc non est? Scatemus omnes tum internis tum externis malis, sic ut sub eis non aliter quam sub gravi aliqua mole deprimamur. Videt eam calamitatem dei filius, ac omnes simul ad se vocat. Et ne quem sua mens sceleris sibi conscia deterreat, quo sibi minus ad eum concurrere licere putet, diserte loquitur: Omnes, et qui laboratis, et qui onerati estis: ipse enim venerat peccatores salvos reddere, atque adeo gratis. Quod divini vates ante multa saecula futurum praeeinuerant, praesertim Hieremias cap. 31: 33, 34. qui futurum dicit ut omnes simus dominum propter eius liberalitatem cognituri, qua nobis peccata sic indulgeat ut eorum mentionem prorsus nullam aut obprobrationem sit facturus. Qua munificentia quae potuit clarior aut celebrior nobis fieri? Ioan. 13: 13. adserit recte se vocari magistrum ac dominum, qui tamen se eo usque demisit, ut discipulorum pedes ablueret, linteoque abstergeret: quae quid aliud quam propensissima liberalitas sunt? Rom. 8: 32. perhibet Paulus deum filio suo non pepercisse, sed pro nobis omnibus exposuisse; confestimque

argumentatur ad hunc modum: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit? Hoc nimirum intendens: An potest quisquam maius aliquid pro amico aut fratre impendere quam filium unigenitum? Nunc autem deus filium suum pro nobis tradidit. An potuit liberalitatem misericordiae suae manifestius nobis probare? Num poterit nobis aliquod negare qui filium donavit? Qui fieri potest, ut cum filium dederit, non omnia simul cum illo daturus sit? omnia enim, quae in coelo et in terra sunt, filio inferiora sunt. In eum ergo usum filium pro nobis tradidit, ut quandoquidem videamus nostrum esse factum quod summum est tam in coelo quam in terra, iam certi simus nihil nobis negatum iri posse. Qui enim filium dedit, omnia sua dedit: nihil enim habet pater, quod non filius quoque habeat. Haec fortasse rudioribus satis erunt ad ostendendum, quod sicut deus fons est omnis boni, ita et liberalis est ac minime sordidus aut inexorabilis; sed sic largus ac sui prodigus in usum ipso fruentium, ut ab omnibus auferri, teneri, possideri gaudeat. Ac secundum ista sic semper ad opitulandum accinctus, ut ubique succurrat, nusquam cunctetur: unde et Graecorum quidam θεὸν deum ἀπὸ θέειν, id est a currendo dictum putant, quod ubique adcurrat, adsit opemque adferat.

Veruntamen cur pluribus ageremus de cognitione dei, quum ea ipsa, quae ex ore ipsius attulimus, apud eum qui impius sit, haud pluris aestimentur, quam ut dicitur ultronea merx? Ventum ergo paverit, si quis ante istos porcos has margaritas exponat. Contra vero, qui pii sunt, notiorem ac familiariorem domi habent deum, quam ut his nostris eis aliquid accedat cognitionis. Iis enim deus omnia est, Esse, vita, lux, robur, thesaurus, et sufficientia rerum omnium, ac prorsus θάσσος ἀγαθῶν. Quod sancti dei homines experti, abusque mundo condito deum variis nominibus adpellaverunt, ut videre licet passim per utrunque instrumentum, nunc dominum, nunc deum, vitam, consistentiam, patrem, fortem, lucem, omnipotentem, omnisufficientem vocantes; quae tamen omnia nomina illi ex interna fide imposuerunt: nempe, quum domi sic de deo sentirent, quod ipse robur eorum esset, vita, Esse, pater, et reliqua. Iam ex ea fide qua illi acceptum ferebant robur, vitam, reliqua: sic illi postmodum nomen dederunt Fortitudini, domino, vitae, robori. Constat igitur otiosa esse, quae hactenus de dei cognitione attulimus, nisi fides accedat. Unde nemo sic obiicere potest, quasi humanis persuasionibus nixi, cognitionem dei docuerimus: primum enim divinis solummodo fulti sumus oraculis; deinde palam ostendimus non humanarum virium esse, ut in dei cognitionem adorationemque deveniamus: non enim volentis aut currentis, sed miserentis dei est; qui tribuat, ut opera manuum eius ipsum solum, verum deum, dominum, salvatorem, auxiliatorem, robur, vitam, lucem, patrem, bonorum omnium cumulum expositum, largum, benignum, benevolum, gratis distrahi cupientem (Tale enim est, quod nos per hanc vocem *deus* intelligimus) agnoscant. Nam nisi ad hunc modum de eo sentiamus, nunquam solo ipso fidemus, nunquam ad solum recurremus, nunquam ex toto corde, cunctisque viribus deperibimus. Hactenus de cognitione dei.

## DE HOMINE.

Hominem cognoscere tam est laboriosum quam Sepiam capere: ut enim ista se in atrorem suum abdit, ne comprehendi possit, ita hic noster tam subitas tamque densas hypocriseos nebulas, quam primum se peti sentit, excitat, ut Lynceus nullus deprehendere, nullus possit Argus. Quod non modo Momus ille mordax questus est, sed divinus ille Evangelii praeco Paulus 1. Cor. 2: 11. sic agnoscit, ut tametsi exempli causa ad hunc modum dicat: Quis enim hominum novit ea quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso? re tamen vera pro explorato habeat humanum pectus tanto studio, tot artibus consilia sua abstrudere, ut conscius porro nemo fieri possit quam ipsum sibi: nisi enim sic opinaretur, non recte colligeret, quod illic probare nititur. Et Hieremias de hoc nostro lucifuga et tergiversatore sic inquit 17: 9. Pravum est cor hominis, et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Ego dominus scrutans cor, et probans renes. Quibus manifestum fit testimoniis, hominem ab homine cognosci non posse. Tanta est eius in infitiando audacia, tanta in simulando ac dissimulando promptitudo, ut quacunque te putes eum parte deprehendisse, iam dudum alia elapsus sit. Si dices: Propheta palam testatur humanum cor pravum esse, confestim sic evadit, pravum hic positum esse pro eo quod est propensum ad pravum, neque id de omnibus esse dictum. Huc interim spectans, ut si istud evincere queat, quosdam esse ab omni pravitate alienos, iam ipse quoque inter istos reputetur, vel hoc argumento quod adeo constanter honesti pectoris gloriam ac innocentiam tueatur. Quum igitur tam inaccessa res sit ad humani cordis latibula penetrare, nobis haud dubie desperandum erit de eius cognitione. Esto enim! se quisque cognoscat, ab alio tamen nullatenus cognoscitur: quamvis ipsius *φιλαυτίας* tam fortes sunt copiae, ut vel paucissimis vel omnino nullis contingat per eas ad sui ipsorum cognitionem perrumpere. Nullo igitur magistro alio aut duce unquam dabitur humani cordis arcana videre, quam solo hominis architecto deo. Is enim ut hominem condidit, ita omnes versutiarum eius scaturigines, ac unde illae ipsae exordium ceperint, novit. Quae omnia Hieremias his verbis indicavit: Quis cognoscet illud? Neminem nimirum putans prodituram, qui promittere audeat, se eius cognitionem habere, praeter eum qui ipsum finxit. Ideo mox iungit: Ego dominus scrutans cor, et explorans renes. A domino igitur deo hominis conditore hominis cognitio non minus petenda est, quam eius ipsius cognitio, quamvis diversis causis. Dei enim cognitio nostrae intelligentiae negatur propter eius imbecillitatem et illius splendorem et claritatem; hominis autem propter infitiandi fingendique tum audaciam, tum promptitudinem, ut dictum est.

Formavit coelestis architectus hominem ad similitudinem suam, formatumque in hortum omnigenis deliciis affluentem, non solum ut civem, sed ut patrem familias ac dominum posuit; veruntamen hac lege, ut quaecunque illic nascantur, vesci liceat, praeter arborem scientiae boni et mali: huius enim fructum sic nec tangi debere neque gustari, ut si contra fecerit, morte sit praesentissima sese perditurus, Gen. 2: 17. Invidit tam laetam felicitatem homini diabolus, Adamique

coniugi persuadet, deum regni metu ea interdixisse arbore, quae vel ipso nomine doceret, quod ut primum de fructu eius edissent, diis redderentur similes, bonum videlicet ac malum docti. Credidit infelix foemina ardua pollicenti, fructum decerpit, et ambesum fidelis futura marito porrigit. Is ut erat insidiarum foemineaeque temeritatis ignarus ac rudis (quid enim negaret uxori?): obtemperat, fecitque quod nullus maritus in gratiam uxoris facere detrectavisset; sed ecce, ut mala, ubi minimus eorum metus est, de improviso in nos irruunt. Ille parens noster quum bona et mala doctus in deum evadere speravisset, nihil aliud quam ignominiam suam didicit, perpetuamque mortem invenit. Sic enim loquutus est deus ad ipsum: In quocunque die comederis ex eo, morte morieris. Est autem facilius coelum et terram transire, quam ullum verbum dei. Moriturum ergo ut praedixerat, homo mortuus est, mox ut fatali pomo dentes illisit.

Necessarium vero est scrutari quanam morte mortuus sit Adam, posteaquam ligni vetiti cibum edit. Primum ergo constat fatali morte non extemplo concidisse, ubi hunc cibum comedit: multis enim postea saeculis vixit. Constat iuxta hoc, fatalem diem suo tempore non alia ex causa supervenisse, quam quod legem olim transgressus fuerat: Per peccatum enim mors, Rom. 5: 12. Nam perpetuo felix futurus erat, si ab infelici pomo gulam abstinuisset. Constat tertio loco, quod Adam aliqua porro morte occubuit, ut primum audacem manum fatali fructu oneratam ori admovit. Sic enim habet verbum dei: In quocunque die ederis, morte morieris. Mors ergo eodem momento quo edit sequuta est, at corporea confestim sequuta non est: animae ergo mors est, quae subito sequuta est. Corporis enim mors ex peccato, ut dictum est, nata fuit: unde et animae mortem sequuta est. Haec Rom. 5: 12. dilucide habentur: Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, ita et in omnes homines pertransiit, eo quod omnes peccaverunt. Mors ergo, qua sic repente concidit Adam, peccatum fuit: quae mors tanto est corporea perniciosior, quanto potior est causa, eo quod per illam fit: peccati enim mors corporeae mortis parens est.

Videndum nunc est, quid tandem sit mors peccati, aut quale sit eius ingenium. Coniectamus autem ingenia omnium quae videmus ab adpetitu, quo impelluntur ad sequendum parandumque quod cupiunt. Sic avarum pronuntiamus, qui opum gratia pavidus secat mare. Diligenter igitur et nobis spectandum est, quid maxime sequutus Adam ingenium prodiderit suum. Diis aequalis erat futurus: quod si processisset, iam suopte Marte cogniturus erat quid bonum aut malum esset. Haec est ergo esca quam adpetivit quaque captus est: deum esse, ipsummet scire quid bonum, quid malum. Veruntamen hic adpetitus unde originem habere potuit quam ex amore sui? omnes enim nobis malumus bene esse quam aliis: φιλαυτία ergo, id est amor sui, causa fuit cur malesuadae obtemperaret uxori Adam. Natura ergo est homo sui amans, non ea natura qua institutus fuerat praeditusque a deo, sed qua sorte, quam deus dederat, non contentus domi suae voluit boni malique peritus, imo deo aequalis fieri. Amoris ergo sui ipsius cum sit reus factus homo,

eiusque criminis damnatus, manifestum fit, quod peccati mors, quod ad ingenium adtinet, ea sit, qua se homo perpetuo amat, sibi placet, se fidit, sibi omnia fert accepta, videre putat quid rectum, quid curvum sit; ac quod ipsi probatur, omnibus probari debere opinatur, etiam creatori suo. In hoc enim *αὐτοφόρῳ*, id est ipso furto deprehensus est, quod deus boni malique sciens, clam creatore suo, fieri parabat: negari ergo malitia, negari ingenium, negari naturae vitium (quae quid aliud est quam mors?) non potest.

Sed praestat divini oris testimoniis rem probari quam argumentis: quamvis et illa fundamentum habeant in verbo dei. Nam iste Proteus noster, quo cum agimus, ni testibus convincatur, fugit, negat, infitiatur: impudens enim est atque audax, in omnem se figuram transmutat, omnia pollicetur, omnia minatur, duntaxat ne in lucem protrahas. Dicit ergo deus Gen. 6: 3. Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est. Abdicat hic deus hominem, ut degenerem, quod caro factus sit totus. Quod iam olim quoque testatus erat quum eum veluti nothum e nido detrusit, custodemque pro ianuis paradisi statuit, qui redire volentem arceret, Gen. 3: 24. Quod si homo totus caro est, quid quaeso cogitat, quam quae carnis sunt? si vero haec solummodo cogitat, quid aliud quam hostem dei agit? Spiritus enim concupiscit adversus carnem, caro autem adversus spiritum. Haec enim sibi mutuo adversantur. Ecce, ut manifestum fieri incipit ut homo, quatenus homo est, et quatenus iuxta ingenium suum vel cogitat vel agit, nihil nisi quod carnis est, ut inimicorum dei, quod adversariorum spiritus cogitet et agat. Eodem loci sic habetur: Videns autem deus, quod multa malitia hominum esset in terra, et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum quod hominem fecisset in terra etc. Habemus hic aperte universam simul humanam cogitationem non modo propensam ad malum, sed huc intentam et adfixam; neque hoc per intervalla (quemadmodum, qui furunt aut febriunt, certis spatiis remissius habent) sed omni tempore. Post 8: 21. Cogitatio vel consilium humani cordis malum est a pueritia sua. Sic enim habet Hebraica veritas, nec longe aliter Septuaginta: Quoniam imminet humana mens ad mala a iuventute. Nostra vero translatio habet: Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt. Quae alteratio sensus nimirum ex hominis ignoratione profecta est. Pauci enim mortalium ad hanc mensuram contemptus sui ipsorum veniunt, ut sibi boni nihil tribuant, ac cupiditatum interna consilia palam confiteantur. Unde fit, ut induci nolimus ad concedendum, totam mentem nostram malam esse. Quod ubi pertinaciter infitiamur, iam, ut est audacia, dei quoque verbum ad nostram sententiam immutare, vel potius depravare pergimus. Quemadmodum hic quoque factum est, ubi Hebraica veritas tam dilucide habet, *mala est*, ausus fuit aliquis dicere: Prona est ad malum: ne ipse quoque in suspicionem veniret, se malum natura esse. Quanquam satis incircumspicienter hoc factum est. Quid enim levabat causam humanae malitiae, hic temperavisse sententiam, quum paulo ante dictum sit quod caro simus, quodque universa cogitatio nostra omni tempore intenta sit ad malum? Neque enim aliter fieri potest, quum caro simus,

quam ut perpetuo quae carnis sunt sapiamus: at ista omnia malitia ipsa sunt, ex qua pessimi deinde rami prodeunt, quemadmodum Gal. 5: 19. docuit Paulus. Mala igitur mens, malusque est animus hominis ab ineunte aetate: quia caro est, quae sui amans est, gloriae, voluptatis, reique cupida, utcunque dissimulet, quaecunque praetexat. Omnes enim sumus hypocritae, Isaiae 9: 15. et nequam, et omnium ora stultitiam loquuntur. Et Ecclesiasta nequit satis exclamare, quam vani simus. Vanitas, inquiens Eccl. 1: 2. vanitatum, et omnia vanitas.

Nunc ad novi instrumenti testimonia convertimur. Ioan. 8: 34. sic inquit Christus: Omnis qui facit peccatum, servus est peccati. Adam peccavit. Ergo peccati mancipium factus est. Quod Paulus Romanis scribens, sic disserit, Rom. 6: 16. Nescitis quod cui vos ipsos in servos tradidistis ad obediendum, servi estis eius cui obedistis? Peccato tradidit se Adam: nisi enim tradidisset, nunquam vetitum cibum attrectavisset. Ergo servus, mancipiumque eius factus est. Nisi enim se prius per deliberationem deo similem, boni malique peritum fiendi, diaboli consilio tradidisset, a pomo sic abhorruisset, ut nec aspectu dignatus esset. Tradidit ergo volens, ut ne ultra civiliter quicquam praetexamus, ac lubens sese parens noster in servitutem peccati. Qui autem servus est, ex conditione alium audire nec potest nec debet, quam dominum suum, cui se addixit. Cogitat igitur homo istud, quod dominus suus peccatum iubet. Peccatum vero tunc est, quum neglecta creatoris lege se ipsum homo sequi maluit, quam signa ducis ac domini sui. Eius ergo servus est ad quem descivit; descivit autem ab amore dei per amorem sui ad se ipsum. Sui ergo ipsius servus est, se magis amat quam deum, quam etiam quenquam; atque hoc tandem est mortuum esse, haec est peccati mors, hoc ingenium vitiati lapsique hominis est. Ioan. 3: 6. Christus sic inquit: Quod natum ex carne, caro est. Sequitur ergo quod qui ex mortuo nati sunt, ipsi quoque mortui sunt. Nam Adam ut primum ad se conversus fuit, totus in carnem degeneravit. Ut igitur caro, sic et mortuus fuit: haec enim aequipollent, carnem esse, mortuum esse, quatenus hic de morte loquimur, ut in superioribus patuit. Nunc autem recipi nulla ratione potest, ut qui mortuus est vivum generare queat: nequit ergo mortuus Adam generare, qui a morte sit alienus. Nunquam enim immutari potest: quod natum est ex carne, caro est. Consimilem ad modum loquitur Paulus Rom. 7: 18. Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Loquitur autem illic non de ea carne, quam cum camelis habemus communem: alioqui quid praeclari dixisset in carne nostra cadaverosa nihil boni esse? quod caecis etiam patet; sed de toto homine, qui utut ex anima corporeque rebus natura diversis compactus est, caro tamen adpellatur, quod pro ingenio suo nihil quam carnale mortiferumque cogitet. Quod manifeste patet cum paulo ante dixerit: Scimus quod lex spiritualis est; ego autem carnalis sum, venumdatus sub peccatum. Hic inquam manifestum fit quod dicimus, videlicet Paulum loqui de peccati mortisque ingenio, cui traditi venumdatique simus primi parentis defectione, ut dictum est.

Haec fortasse paulo verbosius prosecuti sumus, sed nec ab re: est enim humani pectoris tanta vastitas, ut omnes latebras et recessus eius

percurrere tam sit obvium ac facile, quam Oceanum emetiri aut Augiae stabulum repurgare; unde et facile malitiam dissimulare potest, seseque in abyssos suas recipere. Sed eum, qui lux est, fallere nequit: qui, ut eum non latere quicquam potest, ita totum nobis hominem sic exponit, ut si saltem eius verbo credimus, liquido videamus hominem natura malum esse; utcunque se abstrudat, renitatur aut tergiversetur. Verus est ex cuius ore istud audivimus; aliter se habere nequit res. Est quidem versutus ac ad infitiandum audax homo: cui si fidem habeamus, nunquam sese plane confitebitur pessime ingeniatum esse; sed quum eum sic καρδιογνώστης deus in lucem protrahit, pudor est negare quod sibi conscius est. Neque hic quisquam dicat: Si huius se quisque confiteretur conscium, prôbe quidem disseruisses de miseria humanae malitiae; sed sunt, qui vel dei verbis non cedunt, ut se malos confiteantur, vel etiam si malitiam suam domi agnoscant, retinendae tamen opinionis, latendique vel spe vel cupiditate, aliis agnovisse videri nolint. Recte sane! hoc ipsum nunc ultro oboritur quod quaerebamus, nempe, ut homo sese agnoscat, paulo minus opus esse deo magistro, quam in eius ipsius cognitione: quod tot tamque altas specus habeat, ad quas se sic perfugere speret, ut nemo latentem invenire, imo ne inventum quidem protrahere possit. Deo igitur urinatore opus atque eo solo habemus, ut hominem pernoscamus. Et quod supra diximus, ipsam dei agnitionem ex eius verbis sperari non debere, nisi fides adsit (nam ea si desit, fabula videbitur quicquid de illo attuleris): idem in hominis consideratione verum est. Nisi enim fides adsit, qua homo credat omnem vocem a deo prolatam veram esse, tam longe aberit a sui cognitione, quantum inter spiritum carnemque interest. Per legem enim cognitio peccati. Est autem lex spiritualis, nos autem carnales: nisi ergo spiritus se nobis ingerat, perpetuo carnales erimus. Venumdati enim sumus sub peccatum. At quandiu carnales sumus, nos ipsos non agnoscimus: caro enim se ipsam nullo pacto abiicit, semper apud se magna est ac magnifica, imo deus quoque. Tantopere ergo necessaria est fides homini ad sui cognitionem quam ad dei.

Hoc autem quum ignorent insignes isti Theologi, ventrisque animalia hypocritae, ut ex eis aliquid interim adducamus quae ad falsam religionem adtinent, contenti sunt permisisse, quod pronus sit hominis animus ad malum, integrum ei simul tribuentes iudicium, quo ad quaevis libere possit exporrigere manum: quod nihil aliud est, quam ex arena funem velle texere, aut ex Belial angelum fingere. Ut enim arena propter ingenium ac formam necti nullo modo potest: sic Belial, sic homo effici non potest, ut ille lucis angelus fiat qui tenebrae est, mendacii, fraudis, peccatique author; hic autem ut manum ad bonum extendat, nisi istud fortasse cupiditas amorque sui bonum esse dictent spe delectationis: quemadmodum et generis author manum extendit ad pomum, sed spe deus fiendi ac omnia sciendi, quae nisi ex amore sui aliunde nasci non potuit. Cum ergo cuncta ad se referat homo, si eum deus suo permittat consilio, frustra tribuunt ei Theologistae salvum integrumque iudicium. Sed de hac quaestione in sequentibus plura, si dominus dabit. Erit fortasse hic non alienum ab instituto, si doctissimi eloquentissimique

hominis, Tullii dico, sententiam ex oratione pro Archia habita huc velut peregrinum emblema immisero, qua ille, cum omnia gloriae cupiditate hominem facere docet, sic huic divinae sententiae adstipulatur, ut dei potius virtute exorta videatur, quam Ciceroni gloriae animali voluntarie dicta. Quomodo enim se ipsum proderet, cum isthic adseveret gloriae studio omnia fieri a nobis: alias vero videri vult omnia virtutis reique publicae amore facere? Verba sic habent: Nulla enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae: qua quidem detracta, iudices, quid est, quod in hoc tam exiguo vitae curriculo, et tam brevi, tantis nos in laboribus exerceamus? Certe si nihil animus praesentiret in posterum, et si quibus regionibus vitae spatium circumscriptum est, iisdem omnes cogitatus terminaret suos: nec tantis se laboribus frangeret, neque tot curis vigiliisque angeretur, neque toties de ipsa vita dimicaret. Nunc insidet quaedam in optimo quoque virtus, quae noctes ac dies animum gloriae stimulis concitat atque admonet: non cum vitae tempore esse dimittendam commemorationem nominis nostri, sed cum omni posteritate adaequandam etc. Ut hic Cicero interiorem hominem prodidit? Insidere perhibet vim quandam in animis optimorum etiam, quae ipsos indesinenter ad comparandam gloriam extimulet, atque huc omnes cogitatus, consilia, labores vocet. Quod autem ille vim adpellat, hoc, qui fideles sumus, nihil aliud esse scimus, quam mortem atque peccatum, miseramque lapsi hominis conditionem, qua perpetuo sui amans ac studiosus est. Quod si inter fideles invenias qui negent gloriae compendiique privati studio omnia ab homine fieri, iam pro explorato habeas ipsos fideles non esse, sed carnales peccatique mancipia. Quamdiu enim nos ipsos defendimus, certum est lucem spiritus abesse, quae hominem sibi ostendit ac prodit. Ethnico ergo authore quoque docemur omnia consilia nostra in nos ipsos dirigi. Neque hic quenquam moveat, quod Cicero cupiditate gloriae omnium animos teneri adserit, cum contra tamen videamus quosdam gloriae nihil intentos esse, sed rei potius, ventri aut Veneri. Nam hoc quod Cicero dixit, ad optimos retulit, eorum esse putans, ut omnia recte facta, veluti gradus quosdam, ad gloriae ascensum destinent. Humiliores autem, aut potius viliores, ad ventrem Veneremque quum omnia referant, gloriae cupidis inferiores nimirum habentur. Loquimur autem de hoc gloriae studio, quod per honesta incedit: nam qui gloriantur in rebus pessimis, pessimis nonnunquam exploduntur. Qui vero ad rem adtenti sunt, partim consilia sua sic ordinant, ut hac ratione in altum evehi, partim ut ingluviei ac Veneri suppeditare possint quae postulant. Fixum tamen ac immotum stat, quod omnia hominis cuiusvis consilia peccatum sunt, quatenus ut homo consulit: omnia enim ad se ipsum refert, sibi uni studet, de se ipso honoratius sentit quam de alio. Et quanquam se videat multis in rebus a plerisque vinci, invenit tamen in quo sibi primas tribuat, ne sit inglorius. Videt Iulius se a Cicerone eloquentia, consulendi agendique peritia vinci; sed quanto est hac parte inferior, tanto se in artibus praestantioribus antefert, imperandi et belligerandi: iis enim factum esse, ut ad fastigium rerum conscenderit, quo Cicero toto eloquentiae suae flumine vehi nequeat. Sed in talibus forsan facile sit

dicere, ut quisque sibi primas det, qui omnium iudicio videntur praecipuum aliquid habere. Veruntamen Irum aliquem mihi accipe, deploratumque hominem qui ad gloriam aut excellentiam ullam nihil prorsus spei habere potest, doceque sui studiosum esse, qui sic nihil in hac vita adpetit, ut mori malit quam vivere. Tum sententiae tuae cedam. Audi ergo: Irum ipsum aut calamitosissimum quemque cum Croeso, Hercule, Ulysse, compara! Croeso dicet: Indocilis es pauperiem pati, ego malis exercitus sum; Herculi: Res plane prodigiosas geris, sed es libidinis impatiens, ego nihil aut parum uror; Ulyssi: *πολυμήτης* quidem es; porro inter tot consilia et astus fieri nequit, ut non dolus aliquis intercurrat; ego ut laeta simplicitate fruor, sic in eo statu non sum quo doli quicquam prodesse possint. Sic fiet, ut semper aliqua parte sibi blandiatur. Taceo nunc malignitatem, qua maxima pars hominum ea demum cogitant, quae omnibus obfutura essent, solummodo ne sibi quicquam desit. Ipsi, quicunque tandem vel priscis vel istis temporibus scribimus de rebus divinis, in ipso opere, quod alienissimum a gloriae cupiditate esse decet, ab ea non abhorremus. Quotus enim quisque est, qui orationem non sic instituat ut omnibus probetur, non sic ornet ut ab omnibus adpetatur? Hactenus nondum peccatum est; sequitur quod vitium parit, nisi probe attendamus. Sunt enim qui charitatis ardore sic omnibus bene cupiunt, ut quod pium rectumque esse sciunt, omnibus communicatum velint; sunt contra, qui hoc unum spectant, ut omnibus probent se tam eloquentes, tam sapientes, tam exercitos artifices, ut de rebus quibuscunque possint Gorgiae in morem optime dicere, optime omnia tractare. Neminem enim esse arbitror, qui gloriae stimulos non sentiat, etiam illic, quum gloriam maxime docet esse contemnendam. Quod apud Platonem frequenter est obvium: nam quotiescunque Socratem suum philosophantem inducit, tot ambagibus, tanta verborum pompa agit, ut plane illic videatur gloriae maxime studuisse, ubi Socratem summum gloriae contemptorem facit. Haec ex Gentilibus attulimus, ut si qua fieri queat, ii etiam qui philosophiae addicti sunt, oculos recipiant, quibus hominem cognoscere possint. Neque hic quisquam laesos putet pios homines quasi gentilium similes sint: nam non dubito fuisse, qui sincero scripserint consilio; sed hoc non erat hominis, sed Dei: hominem enim si sibi permittas, omnia ad se refert. Nos hucusque de homine diximus, qualisnam sit suopte ingenio. Unde et inter Theologos cum facile invenias qui verbum dei non aliter tractent, quam negotiationem aliquam (vides enim ut eâ victum sibi parent): negari non potest, quin gloriae quoque studiosi sint. Utinam falsum dicam. Satis fuit autem hactenus sufficienterque probatum, quod homo sui amore omnia faciat, qui nisi mutetur, semper sic facturus est. Hinc et hoc genus hominum, quod etiam divina propter se ipsum tractat, non intempestive inter eos adduximus, qui velint nolint, omnia vel compendii vel gloriae gratia faciunt. Cum ergo videant hac nota, quod ad gratiam loquuntur, bovemque in lingua gestant, haud obscurum esse quales intus sint: iam oro, nobiscum id est cum fidelibus confiteantur hominem esse undequaque pessimum, omnia sui amore consulere ac facere.

## DE RELIGIONE.

Redeundum nunc est ad religionem quam tantisper omisimus, donec de iis, inter quos constat religio, diceremus, quantum dominus dedit. De voce autem dictum est satis, iam ad rem ipsam accedimus. Creavit hominem deus ad imaginem ac similitudinem suam, opibusque vallavit, ac deliciis inenarrabilibus: sed stolidus vanis spebus ad extremam calamitatem se trahi passus est. Ad quam ut primum venit, coepit quiddam in se videre quod displiceret. Sic enim scriptum est Gen. 3: 7. Et aperti sunt oculi amborum. Quid bone deus, an prius caeci erant? Minime, sed erat mens cum oculis turpium ignara, quamdiu abstinentia ligni vitae ieiuniumque duraret. Nihil erat quod contristaret, nihil cuius puderet; sed posteaquam fatale pomum comederunt, aperti sunt oculi eorum: erat enim de ligno sciendi bonum et malum decerptum. At, quid primum viderunt, quod prius non vidissent? num arcana aliqua quae prius ignoraverant? nam eiusmodi quiddam polliceri videbatur daemon, ac miseri nimirum talium quid speraverant. Vident ergo se esse nudos. Fuerant autem et antea nudi, sed nuditas non existimabatur nuditas: peccatum non reputabatur priusquam veniret lex, Rom. 5: 13. Sic nuditas non cognoscebatur priusquam sentiretur vestitus penuria: ea vero tum adfuit, quum homo a creatore suo, omnis boni thesauro, abiit. Ut vel hinc discamus mentem nostram ad quamcunque tandem creaturarum, ad quaecunque consilia, ad quascunque spes sese convertat, nihil quam aerumnas, calamitates, ultimamque miseriam (nam haec est tandem nuditas ista, expositum esse malis omnibus, ac dei protectione destitui) invenire; consolationem autem et requiem nullibi esse quam apud deum repositas. Videmusque si paulo propius introspiciamus, hanc nobis cognatam esse stultitiam, ut res incertas et arduas temere ordiamur, finem parum cordate considerantes; is vero cum tandem advenerit, iam nostro malo videntes reddamur, sed sic ut nihil videamus quam mala, in quae nos nostra audacia praecipitavimus. Estque humana mens ad novandum semper inclinatior: quamvis Epimetheos plures inveniamus quam Prometheos, hoc est, post factum prudentes omnes simus.

Docemur iuxta haec quod Adami nuditas nihil aliud quam culpam peccatique mortem, de qua plura superius, significat. Nam quis crederet Adamum tam stupidum fuisse, ut colligere nequiverit: Quid quod nudus es? ipse te deus nudum creavit: nudum aspiciat! Sed fuit sceleris conscientia, propter quam in conspectum dei venire pudebat. Quod si Adam quicquam sibi superesse speravisset, quo gratiam eblandiri posset, non se in latibula recepisset; sed causam suam sic deiectam vidit, ut nec ad preces legatur esse conversus. Extrema igitur se passurum sua conscientia quum praesumeret, abdidit, nuditatemque aufugio cunctationique praetexuit. Quid ergo ex omnibus istis aliud colligemus, quam sic deploratam esse conclamatamque hominis causam, ut coram deo adparere sic non audeat, ut etiam ab eo fugiat, vocantem formidet, sub conspectum venire detrectet? Sed simul docemur dei benignitatem, qui proditorio animo ad aliena castra desciscentem, non supplicem, sed perniciter adhuc fugientem, vestemque mutantem in gratiam recipit,

vocat, increpat, quatenusque modo eius iustitia exigit conditionem optimam in aerumnosam convertit. Quid enim Adam aliud, quam internecionem excidiumque meruerat? sed consuluit quoad licuit audax eius facinus deus, ut iam inde ab exordio praeluderet, quid aliquando toti Adami posteritati praestiturus esset qui, fervente adhuc recens perpetrati facinoris iusta ira, benignius quam culpa mereretur iudicavit. Atque prius quam hinc recedamus, hoc Theologis quibusdam considerandum relinquere volumus. Oro, ut saltem per coniecturam, quibus fere utimini, iisque nonnunquam ab omni ratione alienis, ad hoc respondeatis: Num videatur Adam suopte aliquando motu ad petendum gratiam fuisse rediturus? Cogemini profecto confiteri, quod qui fugam ac latebras sic spectabat, ut protrahi vix posset, nulla coniectura videri rediturum esse, nisi fugitivum dominus assecutus esset. Cur igitur non vultis agnoscere, quod fides adquisita, de qua tot tantaque loquimini, commentum sit (nemo enim venit ad Christum, Ioan. 6: 45. nisi pater traxerit eum) et quod non est volentis neque currentis, sed miserentis dei? quum videatis communem parentem, cuius peccatum et mors in nos dimanavit, sic abhorruisse a deo, ut stultitiam, quae latere posse dictabat, sequutus sese abstruderet, ne desertionis crimen obprobrari cogeretur audire. Quid vero multis opus est? relinquat deus Adamum! nunquam redibit ad eum a quo aufugit; relinquat hominem! nunquam eum quaeret, a quo creatus est. Quisque enim sibi deus est, id quod ipso cultu manifestum fit. Quis enim est, qui se non colat, ac aliqua in re summas sibi tribuat? rationem autem omnium tum factorum tum consiliorum dei ab ipso non exigat? Quod quid est aliud, quam supra deum se extollere, deque illius operibus censuram agere? Longius profecti sumus, sed ea causa, ut manifestum fiat, quam longe homo a deo recedat, nisi is a quo fugimus cursum sistat; quamque longe absint Theologi isti a vero tramite, quum de fide adquisita et arbitrii libertate frigidius etiam quam Ethnici disserunt.

Hic ergo Religionem originem sumpsisse luce clarius videmus, ubi deus hominem fugitivum ad se revocavit, qui alioqui perpetuus desertor futurus erat: videbat enim nuditatem, hoc est culpam suam, talem ac tantam, ut reditionem in gratiam desperaret; sed clementior deus fugae obstinationem, attonitumque animum misertus, non aliter quam pius pater, qui filii sive stultitiam, sive audaciam odio quidem habet, sed odio filium habere nequit, perditum ac desperatum blande vocat, quoque in statu res sint interrogat: Adam ubi es? O miram inedicibilemque coelestis patris suavitatem. Rogat ubi sit, qui nisi omnia locaret ubi sunt, nusquam essent; sed propter infelicem hominem interrogat, quo ei culpam suam apertius obprobraret: is enim ignorabat ubinam esset. Videbat enim pavens conscientia actum esse de patria, tamque beatis laribus; videbat nimis vera esse domini sui verba: In quocunque die ederis, morte morieris. Sentiebat enim ut tremeret cor, ut variaret mens in multa consilia, sed omnia inauspicata ac proditoria, distracta, mortemque fatalem simul ad omne momentum adesse formidabat. Rogat ergo pater coelestis ubinam sit, ut perpetuo memor esset homo, quo in loco, in quo rei in statu se initis vocasset Deus. Hinc inquam religio vel

potius pietas (hanc enim inter parentes et liberos, interque Deum et hominem statuunt) incunabula coepit. Videbat infelix homo nihil quam iram se commeruisse: desperat igitur et a Deo fugit. Iam erga impium filium parentis pietatem vide! accurrit, contumacemque inter temeraria consilia opprimit: quod quid est aliud, quam pietas erga filium? Oritur ergo pietas a deo usque ad hodiernum diem, sed in nostrum usum: quid enim defuturum Deo fuisse putabimus, etiam si Adam subito fatali morte concidisset? Est autem tunc absoluta pietas, quum nos ad avocantem a nobis nostrisque consiliis convertimur: o enim infelicem parentem (humanum dico) qui constanti benignitate filium prosequitur, constantius renitentem ac resilientem: frustra enim pius est in filium. Sed ea calamitas in deum recidere nequit: quem enim ille vocat, velit nolit respondere cogitur. Probant hoc Adam praevaricator, David adulter et homicida, et Paulus persequutor. Pietas ergo, sive religio haec est: Exponit Deus hominem sibi, ut inobedientiam, proditionem ac miseriam suam non minus agnoscat, quam Adam: quo fit, ut de se penitus desperet, sed simul exponit liberalitatis suae sinus et amplitudinem, ut qui iam apud se desperaverat, videat sibi superesse gratiam apud creatorem parentemque suum tam certam ac paratam, ut ab eo, in cuius gratiam nititur, avelli nulla ratione possit. Ea igitur adhaesio, qua deo, utpote solo bono, quod solum aerumnas nostras sarcire, mala omnia avertere, aut in gloriam suam suorumque usum convertere scit et potest, inconcusse fidit, eoque parentis loco utitur, pietas est, religio est. Ut enim, qui sic animati sunt, deo tanquam parente utuntur: ita e diverso sollicite ac sine intermissione relegunt, tractant et considerant, quibus rationibus placeant, quibus demereantur. Pietas ergo illic certo esse cognoscitur, ubi studium est iuxta voluntatem dei vivendi: nam istud absoluta quoque pietas inter parentes ac liberos requirit, ut filius aeque studeat patri obsequi ac pater prodesse. Iterum, germana pietas istic solummodo nascitur, ubi homo non modo deesse sibi multa putat, sed adesse penitus nihil videt quo placere deo possit; contra vero creatori patrique suo sic omnia exulserare, ut nemo quicquam apud illum desiderare possit, liberalitatem vero ac erga hominum genus amorem tantum, ut nihil cuiquam negari possit. Quod sic testimoniis scripturae firmari potest, ut omnis doctrina tam vetus quam nova, omnes pii, aliud nihil canant, quam nobis nihil adesse, deo nihil deesse, ab illo nihil negari. Apud dominum enim misericordia, et illa vehementer copiosa. Apud eum fons vitae. Eius est terra, et quicquid illam implet. Eius est salus, eaque adeo parata, ut benedictionem, id est, liberalitatem benignitatemque suam ultro super populum suum ostendat.

Ex his facile colligi potest, quid porro vera religio requirat, ac e diverso facilius deprehendi, quid sit falsa religio. Vera religio, vel pietas, haec est, quae uni solique deo haeret. Qui ergo pii sunt, unum dominum suum audiunt, qui eos a carne sic avulsit ac sibi adiunxit, ut eius unius vocem audire cupiant, et cum flagrante amore anima Canticorum 2: clament: Sonat vox tua in auribus meis; et: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo, Psal. 119: 103. Requirit ergo vera pietas, ut ab ore domini pendeat, nullius, praeter

sponsi sui, verbum vel audiat vel recipiat. Quam fidem dominus, ut nobis probe ob oculos poneret, crebro in scripturis connubio fideli comparat, et tanquam sedulus maritus ab adulterio deterret ac scortatione: hoc unum prorsus intendens quod sicut in matrimonio fides prae omnibus exigitur (imo matrimonium nihil aliud est, quam data acceptaque fides), ita pietas non sit pietas, nisi toto pectore domino animae sponso fidas, in eum solum oculos figas, aureinque, praeter ipsum, penitus nulli accommodes. Ac propterea iubet, Num. 15: 38. per quatuor palliorum angulos fila hiacynthina inseri: quae cum viderint, inquiens, recordentur omnium mandatorum domini, ne sequantur cogitationes suas et oculos per res varias fornicantes etc. Sancte vero iactat se Paulus 2. ad Corinthios 11: 2. Corinthios veluti castam illibatamque virginem soli Christo adiunxisse: nimirum ut solum audirent, solum mirarentur, solum amarent, solum sequerentur. Et ad Ephesios 5: 32. mysterium connubii magnum esse adserit: Christi enim et ecclesiae coniunctionem portendere. Quibus omnibus nihil aliud quam probatum volumus, quod vera pietas talem in deum fidem et integritatem requirat, qualis in matrimonio requiritur: talem autem dico per comparationem non aequiparationem. At in matrimonio fida non est, quae alium audit, alium sequitur, alii obtemperat. Sic et vere pia non est anima, quae alium quam deum audit, alium quam ipsum sponsum suum sequitur. Constat igitur eos modo vere pios esse, qui ab unius dei pendent oraculis. Id autem quam necessarium sit ad veram pietatem, ipsius domini verbis patebit.

Deut. 4: 1. sic inquit deus: Nunc Israel audi praecepta et iudicia quae ego doceo te, ut faciens ea vivas et ingrediens possideas terram, quam dominus deus patrum vestrorum daturus est vobis. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. Custodite mandata domini dei vestri, quae ego praecipio vobis. Et Deut. 12: 32. sic: Quod praecipio tibi, hoc tantum facito domino, nec addas quicquam nec minuas. Requirit ergo sive fides sive pietas primum, ut a deo discamus quonam pacto ei placere possimus, quibus modis servire; deinde requirit, ut iis quae ab ipso didicimus, nihil addamus, nihil adimamus. Qui enim addunt, Deum insipientiae arguunt, seseque supra deum ponunt: quasi ista quae ipse parum considerate promulgaverit, sua prudentia restituere valeant, callidi scilicet. Qui vero adimunt, crudelem deum faciunt, quasi per impotentiam praeceperit, quae isti sua humanitate mansuetudineque lenire sciant. Gravis est hic locus: nam quicquid ad veram falsamque religionem adtinet, ex eo pendet; sed quantumcunque gravis est, satis superque simul roboris habet ad veram religionem adserendam, falsamque profligandam. Verbum enim domini manet in aeternum, Isaiae 40: 8. Unde facilius est coelum et terram perire aut transire, quam unum apicem de verbo domini, Luc. 16: 17. Tota moles mundi et creaturarum omnium infinita turba unum apicem e verbis domini tollere aut mutare nequit, id est rem prorsus nullam. Apicem enim facile quisque inverterit aut sustulerit; sed nihil, quod per apicem significatur, nihil quod verbis dominicis intelligimus, sic excidet, ut non fiat. Verbum ergo domini, qui fideles sunt, sic amplectuntur, ut naufragi tabulas: quid enim est, quo conscientia se

consolari queat, quam unico dei verbo? Vivit enim homo in omni verbo, quod de ore dei procedit, Deuter. 8: 3. Matth. 4: 4. Sed qui homo? Fidelis. Quid enim commercii incredulo cum verbo dei? cui stultitia est coelestis sapientia, qui te si deo fidas exibilat. Pius ergo solus est, quem verbum dei alit, reficit, confortat. E diverso vero sequitur, quod pius nullo alio verbo pasci potest quam divino: sicut enim deo solo fidit, ita eius solius verbo certus redditur; et sicut solo dei verbo certus redditur, ita nullius verbum quam dei recipit. Quibus iterum non modo ex scriptura, sed etiam ex ipsius fidei natura manifestum fit, quod nullius creaturae verbum pro verbo dei recipi potest: quia in creaturae verbo non redditur quieta pacataque conscientia. Nihil ergo de nostro addendum est dei verbo, nihil de illius verbo nostra temeritate adimendum. Quod autem hic aliquis obiicere posset: Tamen multi requiem invenerunt etiam in hominis verbo, imo etiamnunc inveniunt: nam hodie multorum conscientiae certo persuadent se sibi salutem adsequuturas esse, si Romanus pontifex absolvat, indulgeat, coelo adscribat; si Nonnae et Monachi pro eis preces numerent, missas, horas, aliaque pro eis faciant. Cui obiectioni sic respondemus: istos omnes esse aut stupidos, aut hypocritas: stultitia enim fieri oportet et ignoratione, ut aliquis se putet esse quod non est. Qui ergo se pium hinc metitur, quod Romani pontificis commentis fidem habeat, nihil quod dei est gustavit, nec primis labiis expertus est quam suavis sit dominus, neque quam beatus sit qui illo fidat. Quod si stultus aut ignarus non est, hypocriseos notam effugere nequit. Sunt enim haud parum multi, qui Romanum pontificem, et frigidas ceremonias hac gratia magni pendunt, quod videant aliqua parte sibi nonnihil decessurum, si eius regno aliquid detractum fuerit; sicque catuli, quod adhuc remotum est, mature cavent. Stat sententia: piam mentem in nullo verbo quam dei quiescere, nullius quam dei recipere posse. Quod sic est omnium piorum adstipulationibus unanimiter conclamatum, ut testimoniis nullis sit opus, praeter hoc unum, et breve, et clarum: Renuit consolationem accipere anima mea; memor fui dei, et delectatus sum. Psal. 77: 4. Nusquam invenerat spem Prophetae conscientia, nusquam requiem. Sed posteaquam dei memoriam repetebat, iam aderat quies et delectatio.

Sed iam ad novi Testamenti properabimus testimonia, quibus probemus religiosum esse verbis dei quicquam addere, aut quicquam adimere. Unde iterum manifestum fiet pietatem incontaminatam esse, quae unis ac solis verbis dei nititur. Matth. 15: 8. adducit Christus Isaiae 29: 13. testimonium; ut fere assolet, etiamsi nominatim rarius, quae ad Iudaeos effulminat, ex veteri Testamento petere: Frustra colunt me, docentes doctrinas et praecepta hominum. Si ergo is cultus, ea pietas, aut religio vana est, quae ex humana inventione aut lege proficiscitur, solida nimirum e diverso veraque est religio, quae secundum solius dei verbum dirigitur, quae unum hoc spectat et audit. Ioan. 8: 47. sic docet Christus: Qui ex deo est, verba dei audit: propterea vos non auditis, quia ex deo non estis. Constat ergo quod qui ex deo nati sunt, eius verbum audiunt; et contra: qui non audiunt, ex deo nati non sunt.

Qui vero ex deo nati sunt, non ex voluntate viri, Ioan. 1: 13. sic nati sunt, hoc est, non suo consilio aut electione eum sibi deum constituerunt, qui vere deus est; sed eius vi, quo iam fidunt, factum est, ut se dei filios esse agnoscant. Ait enim: Non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex deo nati sunt; qui ergo ex deo nati sunt, eius solius verbum audiunt, ex quo nati sunt. Hoc enim est discrimen inter filios dei et filios carnis, quod qui dei filii sunt, quae dei sunt sapiunt vel cogitant; qui carnis filii sunt, carnalia cogitant, Rom. 8: 5. Porro, quicquid ex ore dei non est profectum, a filiis dei non recipitur: inhabitans enim in eis spiritus omnia prodit dictatque, carnis ne sint quae audiunt, an spiritus. Unde postea fit, ut spiritualis omnia iudicet, omnia cognoscat, 1. Cor. 2: 15. ipse vero a nemine iudicetur: non enim caro aut sanguis est qui iudicat, sed spiritus. Loquimur enim de eis solummodo qui Christi sunt, qui et spiritum eius habent, Rom. 8: 9. Qui ergo Christi spiritum habent, suum, hoc est carnis et sanguinis ac viri, non habent. Qui vero Christi spiritum habent, nullius quam dei verbum recipiunt: nam Christus, ipse deus, nullius verbum recipere aut tolerare potest, quam suum: non enim potest homo deo esse in deum, sed homini deus: nisi sit deus, nihil est homo quam belua. Qui ergo hominis verbum accipit, carnis accipit beluaeque verbum. Horribile igitur est ei qui Christi est, ullum praeter dei verbum accipere. Eandem sententiam, sed lepida pastoris oviumque parabola amictam Ioan. 10: 4. dicit: Oves, inquiens, pastorem proprium sequuntur, quia noverunt vocem eius; alienum autem non sequuntur, sed aufugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum. Oves dei, veri aeternique pastoris et Episcopi sui, 1. Pet. 2: 25. vocem sequuntur. Sciunt enim quae qualisque sit vox eius; alienum autem non audiunt, nec sequuntur, quia non noverunt vocem alienorum. Dices autem: Quomodo vero aufugiunt ab alienis, si non noverunt vocem alienorum? nam si non norunt, facile alienum pro vero pastore sequentur. Respondemus: Non norunt, non dignantur, non amplectuntur vocem alienorum. Sic enim dominus alicubi perhibet se nescire quosdam, quem tamen nihil latere potest. Verum nescire dixit pro dedignari, aversari, contemnere. Sic et hoc loci piarum ovium est solam pastoris vocem cognoscere, id est amplecti, dignari, sequi, omnemque alienam fugere, detestari, abiicere. Idem docet Ioan. 15: 4. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Nihil igitur vel rectum vel deo dignum unquam ordiemur, nisi in vite, hoc est deo simus: hinc enim succum roburque nisi hauserimus, arescemus, et in ignem mittemur. At in deo non manet, qui ex se ipso succum trahit, ex quo fructum prodat. Quae enim ex nobis sunt, carnalia sunt: quae autem carnalia nostratiaque sunt, deo inimica sunt, Rom. 8: 7. In deo ergo solo manet vere pia mens, eius verbum unice audit, eo solo fidit. Accedit quod solus deus bonus est, ut supra in consideratione ipsius patuit. Ergo non aliunde bonum petendum, imo nec sperandum est, quam a solo deo. Nos enim tam alieni sumus ab omni bono, ut Christus, si ad vitam ingredi velimus, edicat, ut abnegemus nos ipsos. Hoc autem non uni et alteri dictum est, sed in universum singulatimque omnibus.

Nihil ergo recti bonique alicunde, quam a deo sperandum est. Solus ergo audiendus, a quo solo quicquid usquam est boni, proficiscitur. Exemplo eadem res patet. Adam enim, ut ad exordia nostra redeamus, quum primum ipse scire volebat, iam de illo repente actum est. Quod si animum ad ea sola, quae dominus praeceperat, advertisset, nec sua secutus esset consilia, non iam irata haberet omnia homo. Eius igitur exemplo sole clarius videmus, vere pium hominem sic abhorrere debere a suis consiliis, ut a certa praesentique pernicie. Solus ergo deus audiendus; illi soli gloria tribuenda a piis omnibus. Non enim debet sapiens etiam in sapientia sua gloriari, Hierem. 9 : 23. Sed si quid rectum deoque dignum nostra sapientia efficeretur, certe non immerito gloriari liceret; nunc autem, quum vetet deus gloriari qui iniquus non est, nihil profecto pendenda est omnis humana sapientia : solo ergo deo eiusque verbo nitendum.

Est igitur, ut ab initio huius quaestionis dictum est, obvium, falsam religionem a vera discernere. Falsa religio sive pietas est, ubi alio fiditur quam deo. Qui ergo quacunque tandem creatura fidunt, vere pii non sunt. Impii sunt, qui hominis verbum tanquam dei amplectuntur. Furor igitur est et extrema impietas, quorundam, sive hominum sive conciliorum, placita et decreta verbo dei aequare. Nam si eorum sententiae verbi dei sunt similes, verbum amplectendum est, non hominum authoritas; si dissimiles, abiiciendae sunt ac fugiendae, haud aliter, quam filiis Israël Moabitidum reliquarumque Gentilium foeminarum connubia. Quod autem de Ecclesia hic obiici posset, quod ea sit audienda, postea tractabimus.

## DE RELIGIONE CHRISTIANA.

Habet haec aetas ut eruditos multos, qui passim velut ex equo Troiano prosiliunt, ita multo plures, qui se omnium censores faciunt; ac dum per impietatem renascens verbum accipere nolunt, pietatem tamen simulantes, falsis confictisque suspicionibus piorum aures implent. Alii enim, dum strenue docemus, ut omnis fiducia in deum patrem nostrum sit habenda, procaci suspicione prosiliunt: cavendum esse a nobis: omnem enim doctrinam nostram ad hoc tendere, ut Christum exterminemus, et Iudaeorum more, ut unum deum credimus, sic unam solummodo personam omnes ad credendam inducamus. Alii vero, dum propensius omnia Christo tribuimus, vereri se dicunt, ne nimis temere nimium ei tribuamus. Utrique tamen sic pronunciant, ut ipso iudicio videas eos esse vel audacter ignaros, vel scienter impios. Aut enim sic sunt patris, et filii, et spiritus sancti ignari, ut quantum ad essentiam, substantiam, deitatem, potentiam adtinet, quod tu de uno dixeris ac de omnibus tribus intelligas, ipsi hoc ignorent, simulque accedat audacia ad inscitiam, ut quod vehementer ignorent, vehementius in suspicionem rapiant. Aut sic sunt volentes et scientes impii, ut quod recte pieque fieri vident, perversae mentis pravitate oppugnent, quumque aperto Marte se quicquam efficere desperent, cuniculis istis rem adgrediantur: vereri se interim ne in patrem, interim vero ne in filium simus propensiores. Quibus omnibus *κλαίειν* dicimus. Nos enim sic deum agnoscendum,

amplectendumque docemus, ut sive patrem eum nomines, sive filium, sive spiritum sanctum, perpetuo tamen eum intelligas qui solus bonus, iustus, sanctus, benignus, reliquaque omnia est. Contra, cum filio omnia tribuimus, ei tribuimus, qui id est quod pater, quod spiritus sanctus; cuius regnum est, cuius potentia eodem iure quo patris et spiritus sancti: ipse enim hoc ipsum est, quod pater, quod spiritus sanctus, servato nihilominus notionum, ut vocant, discrimine. Quod igitur aemuli hic dicturi sunt, nos hactenus de pietate sic disseruisse, ut salutis per Christum gratiaeque nihil meminerimus, frustra cornicabuntur: primum, quod omnia non simul neque eodem loco dici possunt; deinde, quod quicquid de animae deique connubio diximus, sic de Christo quoque dictum est, quomodo de deo (Christus enim deus et homo est); postremo, quod dei cognitio natura sua Christi cognitionem antecedit. Sicut gratia tum recte cognoscitur, quum culpa per legem est effecta, ut Paulus Romanorum 7: 25. loquitur, id est cum culpa per legem expensa, cognita est: sic et Christus, qui est gratiae pignus, imo qui est ipsa gratia, tunc recte et docetur et cognoscitur, cum culpa perspecta didicimus, ipsa intercedente, nobis viam in coelum ascendendi occlusam esse. Sicut enim medicum non suspicit, qui est integra valetudine, contra vero dei loco habet qui est desperata: sic Christus sanis satis gratus non est, aegris vero θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, id est insperata, sed divini us missa salus. Quod ipse testatus est: Non habent, inquiens, opus medico, qui recte, sed qui sinistre valent, Lucae 5: 31. Et: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad vitae pristinae immutationem. Ut ergo Christum recte agnoscamus, opus erit, ut nos ipsos recte cognoscamus: Christum enim non recipiunt, qui se iustos putant, ut iam ex eius verbis clare patuit; et medici operam non requirit, qui aegritudinem non sentit.

Est ergo Christus certitudo et pignus gratiae dei. Quod hac ratione patebit. Diximus antea in consideratione hominis, sic eius conditionem esse deploratam, ut mortuus sit, peccati mancipium, ac prorsus eius naturae, ut nullius tam sit studiosus quam sui. Hoc enim ei sic accidit, quum a bono se avertit, ad se autem conversus est: scimus enim quod in nobis bonum non est, Rom. 7: 18. Ex quibus deinde perpetua desperatio ad deum veniendi nata est: qui enim quotidianis malis sentiebat se morti corporali obnoxium, et conscientiae pavore a deo sic alienum, ut in eius conspectum venire causaretur, quomodo speraret se inter superos referri unquam posse? Sed melior deus, qui opus suum misertus consilium coepit, quo tam gravem casum revocaret. Cumque ipsius iustitiam, utpote sacrosanctam, non minus illibatam inconcussamque manere oporteat, quam misericordiam, essetque homo misericordiae quidem indigus, sed iustitiae dei totus obnoxius, invenit divina bonitas quo iustitiae quidem satisfieret, misericordiae vero sinus absque iustitiae detrimento liberaliter pandere liceret. Non quo sibi hac ratione ab adversario caveret, aut figulo non liceret e consperso luto facere vel refingere qualemcunque velit testam; sed quo per hoc iustitiae exemplum oscitantiam et torporem a nobis tolleret, ac se qualisnam esset, iustus, bonus, misericors, nobis exponeret; aut, ne nimium de eius consiliis

loqui praesumamus, quia sic illi placuit. Iustus enim est dominus, et rectum iudicium eius, Psal. 119: 137. Contra vero patiens et misericors, suavis universis, et miserationes eius excellunt omnia opera eius, Psal. 145: 9. Misericordiam enim et iudicium canit ei David, Psal. 101: 1. Ipse enim persequitur iniquitatem patrum in filiis usque in quartam generationem odientium se, et misericordiam facit in millia millium colentium se, Exod. 20: 5. Quum ergo deus iuxta sit iustus et misericors, tametsi ad misericordiam propendeat (excellunt enim eius miserationes reliqua opera omnia): iustitiae tamen eius omnino satisfieri, ut iratus placetur, oportet. Quod ergo iustitiae dei satisfieri oporteat, recte docuere Theologi, etiam neoterici: nam si vis ad vitam ingredi, serva mandata! Matth. 19: 17. Verum quo pacto satisfaciet iustitiae dei homo? Illa tam est pura, alta, et ab omni labe tam aliena; et contra hic noster tam nihil aliud quam peccatum et macula, ut nemo se ad eam venire mensuram sperare audeat, quae iustitiae divinae satisfacere possit. Quis enim ea puritate polleat, quam David ascendere in montem sanctum domini perhibet? Psal. 15: 1. sic quaerens: Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? et nunc sibi ipsi respondens: Qui ingreditur sine macula, et operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem in corde suo. Qui non egit dolum in lingua sua. Nec fecit proximo suo malum, et opprobrium non accepit adversus proximos suos. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem dominum glorificat. Qui iurat proximo suo, et non decipit. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit. Qui facit haec, non commovebitur in aeternum. Quis quaeso ea puritate niteat, ut sine macula incedat, et quod iustum est operetur, quum ipsi nihil quam peccatum, macula et caro simus? Aut quis mortalium tam simplex, ut eius neque cor, neque lingua dolum unquam egerit? Quis proximum malo nullo adfecit, aut ab aliis impune adfici non est passus? Cuinam mali semper despectui, et boni in pretio sunt habiti? Quem non contaminavit usura, periurium ac munus super innoxio acceptum? Quis haec audiens non contremiscat, non desperet, non fugam adornet? At deus tam est purus et acer ignis, ut si quis dictis morbis adfectus sit, in conspectu eius consistere nequeat. Quo Isaias etiam 33: 14. respexit: Quis de nobis, inquiens, poterit habitare cum igne devorante? aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Nunc, quemadmodum David, respondet: Qui ambulat in iustitiis, et loquitur veritatem. Qui proiicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere. Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos, ne videat malum. Iste in excelsis habitabit etc. Quum ergo tantam integritatem innocentiamque requirat hic ignis, ne quid scilicet humectum aut terreum adsit, quod crepitu et fragore eiaculatum oporteat; quis est, si saltem se quisquam ulla parte agnoscit, qui animum ad dei contubernium tollere audeat? Unde manifestum fit, ubicunque in scripturis in coelum via docetur, nos in desperationem detrudi. Quis enim vitam in hac tam polluta via sic transigat, ut tanti luminis tum cohabitatione tum fruitione, suo etiam iudicio, se dignum ducere possit? praesertim cum omnes declinaverimus, simul inutiles

redditi simus, sic ut ne unus quidem ex nobis bonum faciat; cum sit omnis homo mendax, cum simus omnes hypocritae, cum peccaverimus omnes, et gloria dei destituti simus?

Sed quandoquidem adeo potens malum est hypocrisis, ut se, non secus quam stulti quidam laborantes, qui morbum dissimulant, ab omni suspicione, tametsi frustra, liberare audeat ac negare: opus est, ut ad morem peritorum medicorum, qui per varias circumstantias et accidentia veritatem extorquent, nos quoque eisdem rationibus hominem sic percunctemur ac experiamur, donec celandi audaciam in confitendi ingenuum pudorem convertamus. Nam et callidi quidam aegrotantes, ut medici peritiam explorent, negant morbi genus, donec medicus eadem ipsos teneri aegritudine pronuntiet, quam ipsi domi sentiunt. Tunc enim securius se ei credunt, certo persuasi quod dum morbum probe norit, medelam non ignoret. Veruntamen ii, quos contumax hypocrisis detinet, persuaderi nunquam possunt quantumvis diserta oratione, ut quod intus vel gerunt vel sentiunt confiteantur: sed ii tamen, quanto procacius negant, tanto certius a spiritalibus medicis cognoscuntur: spiritalis enim omnia iudicat. Ad hoc enim, ut ea confiteantur, quae spiritualis medicinae regulis deprehenduntur, alio quam homine quantumvis experto opus est. Homo enim videt in facie, deus autem solus in corde. Qui nisi pudorem humanae menti incutiat, quo negare desinat, cuius sibi conscius est, sicque humiliet, ut gloriae studium agnoscat, nunquam se confitebitur talem esse qualis vere est. Nemo etenim in sese tentat descendere, nemo. Huc ergo iterum venitur, quod homo ad sui cognitionem sic deo eget, ut ad illius ipsius agnitionem. Nemo enim novit quid sit in homine, nisi spiritus hominis qui est in ipso, ut supra patuit. Sed iam ad experimenta vertimur, quibus homini extorqueatur, ut eadem in se agnoscat, quae nos in eo esse adserimus. Quaero ergo primum, o iuste! ex operibus tuis: Eleemosyna bonum opus est nec ne? Iustus: Est. Quacunque tandem ratione modoque detur? Iustus: Minime, sed cum homo facit quod in se est (sic enim loquuntur isti). Dic sodes quid intelligis per hoc, quod in se est? Iustus: Pro suis viribus. Respondeo: Nos hac ratione petituros esse principium: nam quantulumcunque detur, et quacunque gratia, semper facit homo, quod in se est, et semper facit pro virili. Ergo omnis eleemosyna erit bonum opus, quod nos iustificabit. Iustus: Erit. Num si dem, ut videar ab hominibus? Iustus: Non dico. Quid ergo? Iustus: Non contendam. Ecce tibi hoc, quod in se est. Tale figmentum hoc est, quod Christum otiosum prorsus reddit. Quilibet enim operibus hoc modo pro viribus suis factis iustificari posset: quilibet enim facere potest quod in se est, etiamsi perquam pusillum in multis sit recte factorum. Veruntamen ad rem ipsam redeo. Eleemosynae tot mala possunt accidere, quae ipsam vitient, quot vineis morbi, qui eas perdunt, accidunt. Primo, si non detur in nomine dei. Qui ergo in eum usum solummodo dant, ut se ab inferorum poenis redimant, in suo, non in Christi nomine dant. Deinde si tali pompa dant, ut gloriam apud homines sibi parent, mercedem iam receperunt, Matth. 6: 1. Postea si dant tristes, pigetque dare, ac nisi calumnias metuerent nihil darent, eleemosynam vitiant:

hilarem enim datorem diligit deus, 2. Cor. 9: 7. Si non dant ea mensura, qua sibi dum egerent dari vellent, non recte dant: omnia enim quae vultis ut faciant vobis homines, vos eadem facite illis, Matth. 7: 12. Si contemptim aut neglectim dant. Maledictus enim qui facit opus domini negligenter, Hierem. 48: 10. Si miseria et calamitate accipientis victi dant, non ex dei proximique dilectione. Qui enim habet substantiam huius mundi, et videt fratrem suum egere, — scimus quoniam charitas dei in eo non est, 1. Ioan. 3: 17. Breviter tot imminent vitia huic tam indubitato operi, ut neminem sperandum sit id ipsum digne posse efficere. Quis enim non sic dat, ut potiora sibi servet? quis non dat, ut aut videatur dedisse, aut non videatur non dedisse etc. Quo igitur pacto iustitiae dei satisfaciemus, si tam pium opus sic a nullis fit, ut mercede dignum aestimari possit ab aequo pioque iudice? Sic omnia quae facimus, percurre, et non minora, imo maiora videbis in quaedam incidere vitia. Oramus multi, ut videamur orare, sicut hypocritae faciunt, Matth. 6: 5. Oramus ut dominus divitias det, ut delicias, uxorem bene dotatam, ut honores, imperia, regna, imo ut sancti omnibus ac dii etiam habeamur; ac prorsus ignoramus quid oremus, Rom. 8: 26. Ieiunamus eodem modo, vel quod praedicetur parsimonia nostra, vel macies et pallor sanctimoniam portendant, vel ut ieiunantibus bellaria delicatique cibi comportentur, vel ut aqualiculum impudentius in publicum prodeuntem intra veterem diploidem revocemus; vel, ut sunt nonnulli Chremilis et Euclionibus sordidiores, ut penui parcatur; vel, ut ieiunium, quod in eum solummodo usum fieri debet, ut carni detrahentes spiritus vocem et imperium melius audiamus, pro opere bono aestimemus. Sic, inquam, omnia ad nos ipsos referimus, non ad eum, cuius toti sumus, et in quo sumus. Quibus ergo litationibus aut sacris iustificari poterimus, quum in ipsis operibus nostris sic iacemus, sic frigemus, sic distrahimur? atque hoc tam aperte ac vere, ut quotquot fideles sunt, haud aliter, quam diximus, fieri intra seipsos sentiant. Vident enim morbum hoc modo ab ipso mortis huius auctore Adam ad nos defluxisse: neque solum vident in verbo, sed domi vere sentiunt.

Hic inquam aberrarunt a recta Theologi, ut paulo ante coeperamus dicere. Quum enim iustitiam dei exacte, ut putabant, expenderent, coacti sunt intelligere satisfieri ei oportere, et in satisfactione non exacte aestimaverunt opera vulgi, quamvis sua magno vendiderint: non enim hominem undique recte noverunt, quomodo videlicet nihil quam impuritas quaedam est, contaminatio et conspurcatio, sic ut ea etiam quae purius discat impure exprimat. Nam etiam dum per spiritum coelestem huc venit, ut iis condelectetur quae lex iubet, tantopere tamen resilit caro, ut rectum nihil efficiamus, Rom. 7: 18. Unde quum iustitia dei tam illibata tamque sancta sit, ut ad eam demerendam nostra impuritas nihil possit, desperare noluerunt discere (desperare vero dico de nobis ipsis, non de misericordia dei). Quod itidem ab existimatione sui profectum est vitium: difficulter enim fit, ut homo sic se contemnat, sic a se ipso recedat, ut nihil de se ipso sentiat. Atque haec mira fuit ac impudens arrogantia. Quum nostris meritis parandos esse coelos pronuntiavissent,

ipsi se pro ministris ac operis exhibuerunt, qui aliis mercantur; pretioque accepto strenue meriti sunt, sed eis operibus quae ipsi effinxerant, de quibus inferius plura dicemus. In universum ergo neque iustitiam dei, neque hominis iniustitiam probe noverunt; Christum vero sic aut ignoraverunt aut contempserunt, ut ei paulo plus tribuerint quam Iudaei ipsi. Quanquam hoc mirum non est: si enim vulgo coeptum esset Christo niti, hoc est gratia dei, quae per Christum parta et firmata est, quis eis ultra salutis suae meritum tanti locavisset? Unde hodie quoque non immerito furunt: quum se ad merendam aliis salutem exposuerint, nemo tamen conducit ac sedent tota die otiosi. Sed iam satis de impotentia nostra dictum est, deque nostra ipsorum desperatione. Nunc ad laetiora transibimus, nempe ad Evangelium, quo misericors deus salutem non modo nunciavit, sed olim praenunciatam ac promissam misit. Quod mysterium summa cum verecundia, summo cum tremore et veneratione tractandum cum sit, procumbendum est ante fontem omnis gratiae, ut is sermonem nostrum sic dirigat, sic illustret, ut nihil eo indignum dicamus. Et quoniam humano sermone quantumvis opiparo in rebus fidei rudis mens persuaderi nequit, nisi dominus cor sic docuerit et traxerit, ut sequi iuvet: non minus erit nobis interpellandus is qui iustificat et vocat ea quae non sunt, tanquam ea quae sunt, pro iis etiam quibus Evangelium eius communicatum volumus, ut eorum mentes sic illuminet, ut Evangelii rationem capere, corda vero sic trahat ac molliat, ut sequi possint: nihil enim est quod anxiis precibus ille negat; et contra, nihil quod nos sine his audere, aut praesumere debeamus. Det dominus sermonem rectum in os nostrum!

Huic ergo tam desertae causae nostrae tandem volens succurrere creator noster misit, qui suae iustitiae sese pro nobis litando satisfaceret: non angelum, non hominem, sed filium suum, eumque carne indutum, ne aut maiestas a congressu deterreret, aut humilitas a spe deiiceret. Quod enim deus deique filius est is qui sequester ac mediator missus est, spem fulcit: quid enim non potest, aut habet qui deus est? Quod autem homo: familiaritatem, amicitiam, imo necessitudinem et communitatem promittit: quid enim negare potest, qui frater est, qui imbecillitatis consors? Porro res tam inaudita tamque inusitata, iam inde ab exordio humanae miseriae, proposita praeceptaque est. Ut enim deus per filium suum hominem creavit, ita per eundem in mortem prolapsum reparare statuit, quo eiusdem esset creatio et reparatio. Omnia enim per ipsum facta sunt, Ioan. 1: 3. et Colos. 1: 16. Omnia per ipsum et in ipsum creata sunt: et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis, hoc est Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit ipse in omnibus primas tenens: nam in ipso *εὐδόκησε*, placitum est omnem plenitudinem habitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacatis per sanguinem crucis eius per ipsum omnibus, sive in coelo sint sive in terra, Ephes. 2: 18. Per ipsum habemus accessum ambo (Iudaei nimirum et Gentes) in uno spiritu ad patrem. Est autem, ut ab origine repetamus, deus recens lapsi hominis misertus; quumque decretum iustitiae suae iudiciique promulgaret, excepit nonnihil a tam dura sententia, ne perpetuo miserrimus esset homo.

Quum enim serpenti mulctam indiceret, hoc in rem hominis excepit, quod mulieris aliquando semen futurum esse praedixit, quod veri serpentis diaboli contusurum sit caput; sic inquiens: Inimicitias ponam inter te et mulierem, et semen tuum et semen illius: ipsum conteret caput tuum, et tu insidiaberis calcaneo eius. Sic enim habet Hebraica veritas, ut facile duobus relativis deprehendi potest, in *Ipsum* scilicet et *Eius*, quae Hebraeis ambo masculina sunt, *semen*que, itidem ipsis masculinum, referunt. Unde et Septuaginta eandem sententiam sic reddiderunt: Odium sive inimicitiam ponam inter te et inter mulierem, et inter te et inter semen tuum et inter semen eius. Ipse tuum caput observabit, et tu observabis calcaneum eius. Hic plane videmus divinos homines in his verbis intellexisse mysterium subesse, et propterea genus dictionum noluisse mutare, tametsi iure potuissent. זֶרַע enim, id est semen, Hebraeis masculinum est; sic et הוּא, id est ipse, et ו, id est eius, masculina sunt. Non sic Graecis: nam his semen *σπέρμα* neutrum est, sicut et Latinis: *αὐτὸς* autem et *αὐτοῦ*, id est ipse et eius, masculina sunt. Unde sic potuissent dicere: Ipsum (semen scilicet referendo) observabit caput tuum, et tu observabis etc. Sed, ut diximus, cum viderent hic absconditum esse mysterium, noluerunt genus in pronominibus mutare, quod tamen in *σπέρμα* coacti sunt mutare. Latinus autem interpres sic ubique omnia audet, ut saepe mecum reputem, an doctior fuerit an audacior. Ad sensum redeo. Videmus in his dei verbis palam praedici, quod de foemina esset aliquando semen proditurum, quod serpentis, id est diaboli caput contunderet, ac contra diabolus esset eius calcaneo insidias facturus. Consideremus ergo breviter de utroque vaticinio. Servavit divina providentia verborum proprietatem. Quum enim primum dixisset: Ipsum semen conteret caput tuum, eodem verbo, seminis scilicet, perpetuo utitur. Nam ubi ad Abraham dicit: In semine tuo benedicentur omnes tribus terrae, Gen. 15: 5. veterem vocem usurpavit pro eo, qui secundum carnem ex Abraham nasciturus erat, et omne hominum genus in haeredes dei scripturus. Quod autem Hieremiae 23: 5. germen vocat, aequivalet. Paulus vero, de eodem promisso loquens, aperte dicit: Et semini tuo, quod est Christus, Galat. 3: 16. testatus, quod semen, de quo multa per vetus Testamentum dicuntur, Christus sit. Hoc ergo semen, Christus, diaboli caput confregit. Ipse autem diabolus sic insidiatus eius calcaneo, id est humanitati, quam dolebat non sic esse lapsui obnoxiam, ut nostram quae in peccatis concepta est, ut nusquam deesset occasioni: Cum aliquando ieiunium per quadraginta dies et noctes, etiam in eremo, portentose sustinuisset: postulavit ut lapides in panem converteret, sperans dentes eius ad hoc lenocinaturos et gulam. Tentavit deinde cupiditate regnandi et habendi, postremo gloriae. Cumque nihil profecisset, iam copias suas armat, et castra in eum movet. Nam Scribarum et Sacerdotum sic in eum odia excitat, ut prorsus essent iuxta Pauli verba Rom. 1: 31. *ἄστοργοι, ἄσπονδοι, ἀνελεήμονες*, hoc est, ab omni humanitate, amicitia, foedere, misericordia erga ipsum alieni. Neque contentus tanto degravasse odio, funditus perdere statuit: nam regno in diem magis ac magis metuebat, quum in docendo videret veritatis constantiam indo-

flexam, in morbis eliminandis potentiam infallibilem. Et incendio invidiae quotidie addidit, donec praedicta membra sua Scribas, Sacerdotes, et Pharisaeos eo impulisset, ut quocunque modo occidendi consilium caperent. Cuius Christus minime ignarus, saepe ipsis conceptam malitiam obprobravit. Et in ipso captivitatis tumultu serpentis insidias et Sacerdotum malignitatem odiumque prodidit, inquiens: Haec est hora vestra, et potestas tenebrarum. Insidiatus est etiam mortuo diabolus, cum per membra sua custodiri sepulchrum postulat.

Consideranda sunt postea omnia quae per utrunque Adam gesta sunt, hoc est per carnalem parentem, et Christum. Sic enim Paulus utrumque adpellat Rom. 5: 12. et 1. Corinth. 15: 22. Ut liquido pateat quomodo Christus contrariis remediis, iustitiae divinae satisfaciendo, hominem restituerit. E quibus nos quaedam comparabimus, quantum Dominus dederit. I. Positus est Adam in hortum voluptuosissimum, et praevaricatus detrusus est a beatis sedibus in terram incultam, quacum ligonibus, aratris, ferroque pugnaret; Christus sibi non plus aequo sumpsit, quum se patri aequalem faceret; sed coelo delapsus dignatus est formam nostram adsumere, et in ea istos, qui nihil quam contumax terra erant et caro, verbo tanquam virga ferrea, ut Psal. 2: 9. habetur, subigere, ut per ipsum eo rediremus, unde ipse venerat, qui per Adam exulabamus: ubi culpa tum eius tum nostra contrahebatur. II. Voluit Adam prior sciendo bonum et malum Deus fieri; dignatus est Adam posterior ignari hominis formam habitumque induere, ut in cognitionem et gratiam reduceret eius, qui solus bonus est, et solus novit quid bonum quid malum sit. III. Victus est Adam uxoris lenociniis, ut de cibo vetito ederet: renixa est nonnunquam in Christo humana imbecillitas, ferre nescia, sed semper victa abiit. Transeat a me poculum hoc! clamabat infirmitas, sed vicit deitas, quae invitam carnem patris voluntati subiecit. IV. Extendit Adam ad vetitam arborem manum, beatus et sapiens futurus, imo deus. Extendit Christus membra omnia in contumeliosam crucem, ut nos eius acrumnis beati, eius stultitia sapientes (sermo enim crucis pereuntibus stultitia est 1. Cor. 1: 18), eius egestate dii redderemur. V. Porrexit auctor mortis manum ad exitiale pomum; porrexit author vitae manus ad crucis salutare lignum. VI. Illius gustus dulcedo mortem; huius amaritudo vitam peperit. Ille sic se receperat, ut latiturum speraret; verebatur enim sub conspectum dei venire; VII. hic se toti mundo exposuit, et pessimorum iudicio manibusque subiecit, ut ius amissae hereditatis recuperaret: omnium oculis malefactorem videri se passus est, ut nos patri per ipsum iusti adpareremus. VIII. Per lignum servituti sumus addicti, quod Adam abstinere noluit: per lignum libertati sumus donati, quod Christus omnia citius quam nostram calamitatem ferre voluit. Ait enim quidam veterum: Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret, Deum docens iam in ipsa mortis origine huc respexisse, ut ligni morbo ligno mederetur. IX. Adami transgressionem risit deus, eumque cum uxore beluarum exuviis vestivit: Christi obedientia ex beluis nos dei filios reddidit, beataque immortalitate amicivit; tamque abest, ut despecti simus in oculis dei, ut etiam haeredes eius, cohaeredes autem Christi facti simus.

x. Breviter, obstruxit primi parentis audacia paradisum, reseravit Christi humilitas coelum. Taceo quae divus Paulus Rom. 5: 15 sqq. inter ipsos confert, quae omnia huc faciunt, ut videamus quomodo contrariis medicamentis morbi nostri curati sint, divinaque iustitia unius Christi iustitia pro nobis placata. Eius enim innocentia, nobis donata, sic nostra facta est, ut et vita quam ex ipso hausimus. In ipso enim vita erat, Ioan. 1: 4. Est enim via, veritas, et vita, Ioan. 14: 6. et in ipso movemur, vivimus, et sumus, Act. 17: 28. Ut inquam vita ex ipso nobis est data, sic et iustitia, quae ex ipso et per ipsum nostra facta est: ex ipso enim sumus quicquid sumus. Carnem enim induit, ut noster fieret: ipse ea nihil egebat, sed nos ipso maxime egebamus. Ut ergo noster fieret, quantuscunque est deus, iustus, sanctus, misericors, creator etc. homo factus est, ut nos eius consortio in deos ditaremur.

Sunt et alia innumera in veteri Testamento vaticinia, quae ipsius adventum, conversationem, mortem, ac omnem prorsus et actionem et vitam sic explicant, ut nemo negare possit, sic eum scripturis adumbratum esse, cum tota eius actio ac doctrina respondeant. At ea quandoquidem omnibus obvia sunt, ut Iesa. 11: 1, 2. Hierem. 23: 5, 6. etc. nos huc adducere parcemus, figuras nonnullas adduxisse contenti. Abiit Iacob in Mesopotamiam, invenit illic uxores duas, quarum maior hebetibus erat oculis, iunior autem laeto pulchroque aspectu: peperit maior liberos multos, minore consenescente sterili. Tandem, mutata infelicitate sterilitatis, iunior quoque coepit mater fieri. Quid hoc aliud porro portendere poterat, quam quod in Christo et Ecclesia videmus impletum esse? Fuit Iudaeorum synagoga longo tempore fecunda, priusquam Christus carne indueretur; postea vero quam tempus per deum praestitutum iam impletum esset, coepit synagoga sterilescere, et iuvencula ex Gentibus ecclesia, fecunda fieri. Rediit Iacob ex Mesopotamia, multam secum substantiam advehens, uxores duas, liberos multos. Descenderat Christus in hunc mundum, deus homo factus, ut interfluvialem Mesopotamiam, id est duas naturas, in eo agnoscas, iuxta quas omnia et operatus et passus, salvis utriusque semper limitibus, opus patris sui fideliter fecit, ac mortis tandem victor ad coelos reduxit omne hominum genus. Quid Iosephum in Aegyptum venditum memorem? qui inter manifestissimos typos sic lucet, ut penicillo nullo egeat. Et eius proavum Abraham? cuius fides sic a deo praedicatur, ut omnibus Pelidis et Alexandris facile videatur esse beatior: quis enim unquam deum praeconem habuit? Quid inquam commemorem eum, iam centenarium ex libera filium tollentem, quum eum typum Paulus Galatis scribens 3. et 4. sic coloribus ac umbris illustret, ut attrectare possis. Phares et Zara ex Thamar gentili idem indicabant. Longum esset omnes omnium figurationes prosequi, quum Paulus perhibeat omnia illis in figura contigisse, 1. Cor. 10: 6.

Is ergo, per quem omnes creati sumus, et per quem deo placuit mundum recreari ac regenerari, cum tempestivum ei visum est, in illibatae virginis utero, extra omnem virilem operam, spiritu sancto fecundante (ipse enim qui hinc nasciturus erat, spirituales ex carnalibus facere mittebatur) conceptus coepit humanescere. Legantur Luc. 1. et 2. caput, ne in tam manifestis occupemur, et Matth. cap. 1. et Ioan. 1.

Oportuit autem Christum duplici nomine ex virgine nasci: primo quod ipsius divinitas nullam peccati labem sibi iungi ferre potuit, quemadmodum superius dictum est. Deus enim tanta lux est, puritas, innocentia, bonitas, ut secum tolerare nequeat, quicquid aliqua parte tenebricosum, impurum, contaminatum aut malum est: mundissimam ergo ab omni labe nativitatem eius esse oportuit, quod is qui nascebatur deus quoque esset. Secundo, propter hostiae naturam: eam enim alienam esse oportebat ab omni macula, ut Moseos lex habet, quae tamen ad carnis emundationem solummodo valebat, Heb. 9: 9. Quanto magis eam, quae pro peccatis omnium, tam qui fuerant quam qui venturi erant, perlitavit, illibatissimam esse oportuit? quod nisi ex virgine natus esset, eaque intemerata, evenire non potuisset. Nam si ex viri semine virgo concepisset, nonne iam conspurcata esset nativitas? Si vero aliqua eum concepisset, etiam ex spiritu sancto, quae prius fuisset experta virum, quis unquam credidisset ex spiritu sancto esse, quod nasceretur? nescit enim natura partum, qui non sit labe respersus. Psal. 51: 7. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea. Virginem ergo esse oportuit, ac perpetuo etiam virginem, quae eum pareret, qui labis nullam ne suspicionem quidem, tam abest ut vere, habere possit. Nunc horum testimonia iungimus. Quod hostia est omnem labem ac morbum expians, figurat agnus פסח, id est transitionis aut potius praeteritionis, ne scilicet per transitionem exitum quisquam propter vocabuli amphibolon intelligat. פסח enim, Hebraica vox, saltum aut praeteritionem significat: domini enim angelus impune transiliit, ubi sanguine videt postes esse oblitos. Ea quoque figura, quum et per se ipsam, et per omnium, qui de ea dixerunt, monumenta dilucida sit, nihil de ea dicturi sumus aliud. Ioannes autem ille Baptista filii dei, quum Christum aliquando ad se venientem mature conspicatus esset, eum suis his verbis ostendit: Ecce agnus dei! Ecce qui tollit peccatum mundi, Ioan. 1: 29! Mundi ergo tollit peccata (peccatum enim pro offensa et morbo hominis hic capitur) non originalem solummodo morbum ut falsa religio docet, neque horum solummodo crimina expiat, qui ante eum fuerunt, sed mundi; neque ea modo quae Pontifices vulgo sacerdotum suorum remittenda praescribunt, sed mundi; neque ea tantum, quae pecunia redemeris, sed citra omnem pactionem mundi tollit peccata. Peccatum in spiritum sanctum propriam considerationem habet; de illo hic nihil. Quod vero ex virgine natus sit, ut docuimus, testes sunt Matthaeus, Lucas. Sed vetera ne quis desideret, habemus Isaiam 7: 14. Ezechielem 44: 2. Quum autem non desint, qui dum Romani Pontificis decreta constantius tuentur, dicant, non omnia quae credimus esse sacris literis prodita: nam perpetuam virginitatem *Θεοτόκε* superque benedictae virginis Mariae sacris literis adseri nequire; operae-pretium est eis veritatis inviolabile scutum obiicere, cuius splendore ipsorum oculi sic perstringantur, ut discant non blasphemare: perhibet Isaias virginem esse concepturam et parituram. Quid hoc quaeso miraculi est, si virgo concipiat? num aliqua, etiam praeter hanc nostram, unquam concepit, quae non fuerit aliquando virgo? sed hoc inusitatum est, virginem permanere quae concipit et parit. Virgo ergo nostra,

virgo permanet: et cum permanet virgo, perpetuo virgo est: alioqui non permaneret virgo. Quod Ezechiel probe indicat, sic dicens: Porta haec clausa erit, et non aperietur; et vir non transiet per eam, quoniam dominus deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi. Quae vero hic de sensu per circunstantias obiici possent, tam facile possunt dilui, ut brevitati studentibus immorari non liceat: nam omnia in figura illis contingebant etc. Incaute ergo hic pugnat falsa religio, quum perpetuam virginitatem gannit non constare, nisi Pontificum decretis sanciatur esse perpetua. Decretis enim suis, ut non possunt conspurcatam facere ne sit conspurcata: sic suspiciosis istis dictis suis non possent mederi contumeliae virginis, quod ipsi decernerent esse perpetuo virginem: nam nisi suopte ingenio virgo esset, decretis suis virginem facere non possent. Re constat eius virginitas, non hominum decretis.

Genuit ergo perpetua virgo Christum, Dei suumque filium, in Bethlehem peregrina, iuxta vaticinia prophetarum, Michae. 5: 2. Matth. 2: 2. Luc. 2: 7. genitumque posuit in praesepe; non enim locum habebat in diversorio prae hominum affluentia, qui tum ad censum illic convenerant. Divina sic disponente providentia, ut sicut Adam peccando se nudavit necessitatibusque exposuit: sic Christus quo divina iustitia placaretur, egestatem, frigus, ac mala omnia, quae homini pro peccato inflicta sunt, experiretur. Haec enim erat iustitia, ut is per quem creati sumus omnes, in quo peccatum non est, a quo recesseramus, innocens ea ferret, quae nos peccando commeruimus, sed pro nobis ferret. Ipse enim peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ipsius. Quod autem tulit, pro nobis tulit: nam ipse nullius egebat, sed pro nobis factus est egenus, ut nos ipsius divitiis frui possemus. Similiter is, qui futurus erat animorum cibus, illic positus est, ubi iumenta cibantur, ut iam inter initia videremus eum nostrum, qui citra cognitionem dei nihil sumus quam beluae, cibum esse futurum, quo spirituales redderemur. Hyemis improbitati exponitur, qui flores agri preciosius, quam ullus Solomon possit, vestit; qui corvos pascit, et iumentis alimentum dat. Nascitur autem illic, ubi hominum multitudo convenerat: omnium enim futurus erat; et nascitur in praesepi, nobis in plumis stertentibus: ipse enim verus pastor est, qui semper vigilat super gregem suum. Circumciditur octavo die, in quem circuncisio nisi spectavisset, nihil profuisset. Et nomen indipiscitur, quod supra omne nomen est, quodque id ipsum quod Christus est ampliter significat. Salvator enim est, ideo et Iesus adpellatur, quod nihil aliud est quam salvator: ipse enim salvum facit populum a peccatis suis. Promovet aetate rerumque peritia, ut veram humanitatem agnoscamus. Accipitur a Simeone et Anna, et praedicatur esse salutare omnium gentium ac lumen, ut simul divinitas eius non ignoretur. Duodecim annos natus ad eundem usum inter doctissimos sedet, confert, vincit, confutat. Et confestim, ne de vera humanitate dubitemus, descendit cum parente nutritioque Nazareth, et obtemperat eis. Ac nimirum sic obtemperat, ut nutritii sui artificium sequutus tandem in eo tam celebre sibi nomen paraverit, ut vulgo diceretur: *οὐχ' ὁτός ἐστιν ὁ τέκτων*, nonne hic est

faber ille? Quum vero sic maturuisset, ut de terra iam decerpendus esset, sic modis omnibus dei se filium testatus est, cum docendo tum inaudita miracula faciendo, ut non modo homines, sed etiam daemones inviti cogerentur confiteri filium dei esse. Esurientes turbas nunc cibat paucis panibus, nunc potat aqua in vinum versa, lepram abstergit, morbos abigit, febrem restinguit, caecos luce ditat, claudos incessu, aridos motu, curvos erigit, mortuos voce vitae restituit, et nulla sunt omnino sive corporum sive animorum tam inolita incommoda, quae ille non tollat. Sed quum hypocritarum dolos consiliaque audacius protrahit, renititurque, ut est ingenium, malitia, quae noctuae instar in lucem venire non sustinet: viam invenit, qua animae iactura existimationi succurrat. Statuunt ergo Christum occidere, innocentem dei virginisque filium, nihili pendentes quantam conscientiae iacturam facerent, modo simplicibus probavissent se iustos esse, iniquum autem Christum qui iustis iniuste contumeliam fecisset. Cumque tribunal ipsis ereptum esset, viam inveniunt qua ipsum apud magistratum adcusent. Verum ne quid intercederet quo vel non caperetur, vel captus elaberetur, operam dant, ut eum ipsi capiant: certius ei putantes exitium imminere, si praesentem adferant, potius quam absentem deferant. Captum ergo Praesidi offerunt laesaeque maiestatis criminis reum faciunt, vetuisse adserentes, ne tributum Caesari detur. Et ut vulgi quoque invidiam in eum concitent, subornatis testibus falsis, dixisse perhibent, templi demoliendi et in tribus diebus iterum excitandi potestatem se habere; atque hac ratione sperant, etiamsi iudicem nacti forent paulo constantiorem, ignobilis tamen vulgi fremitu conclamationeque caedem confici posse. Quod et factum est. Nam iudex, ut crebrius ipse confessus est, nullam damnationis causam in eo expertus, cum multa tentavisset, absolvere tamen non ausus, addixit eum accusatorum dementiae. Ducunt ergo, innocentiam scelera, iustitiam iniquitas, deum membra diaboli, authorem pacis perduelliones, benefactorem ingrati, vitam homicidae, patrem patriae parricidae, sic consputum, illusum, colaphis caesum, spinis flagrisque a planta pedis ad verticem usque proscissum, ac funditus perditum, ut ad eius calamitatem puellarum mulierumque miseratio lacrimis imperare nequiverit. Quibus tamen ille malis nihil fractus, nihil irritatus, simul praemonuit malorum, quae sibi parricidae tam atroci iniuria arcesserent. Abiectissimo igitur supplicio adficiunt, cruci cum homicidis adfigentes, per quem vivebant; ac nisi per ipsum spiravissent, nihil in eum potuissent. Ille nusquam sui oblitus, cum sic misere esset elementis, sideribus, ac hominum ludibrio expositus, orat pro hostibus suis, ne scilicet pater coelestis hunc furorem eis imputet. Nam inter ipsa cruciamenta sitientem aceto felle temperato potabant: tanta erat immanitas. Cumque iam videret perfecta esse, quae pater demandaverat, signum dat: consummatum esse, inquiens, opus videlicet suum, quo diaboli et mortis ius a nobis innocentia sua propulisset; reque feliciter gesta, spiritum iamiam redditurus, sic patri commendat: In manus tuas commendo spiritum meum, nec diutius vixit quam locutus est. Hic subito omnia tumultuari propter conditoris sui iniuriam incipiunt. Abscondit sol splendorem suum, quo res, velut in seditione nocturna, crudelibus parricidis, quam

atrox esset, adpareret. Rumpitur dolore velum propter immensam dei contumeliam. Petrae per impatientiam dissiliunt, ut Iudaeorum contumaciam intelligamus lapidum duritiam superare. Tellus tam immanes beluas ferre indignata sese concutit, ruinam comminans. Prorepunt a monumentis mortui ad hanc turbationem. Sed nihil moventur impiorum hypocritarum mentes. Iudicem adeunt, orant stationem ad extincti corporis custodiam disponat, impetrant. Cumque iam tertia lux adpeteret, invitis militibus per gloriam patris revixit. Illi cum vidissent quod factum erat, nunciarunt sacerdotibus. Ii vero mendacium ab eis magno redemerunt, pactique sunt, ut passim dicerent, se stertentibus discipulis clam abstulisse corpus. Sic agit insanus furor, et caeca semper invidia veritati non cedit, putatque se pulchre latere; imo quum in altum usque venerit, nihil iam pudet, sive palam videatur, sive minus. Quod pulchre Solomon docuit Proverbiorum 18: 3. Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit. Christus autem, posteaquam de inferis triumphavit, suis se confestim ostendit, ac per quadraginta dies cum eis versatus, proprio motu, videntibus discipulis, ad patrem ascendit. Quae omnia eo libentius perstrinximus, ut cuivis intuenti iustitia Christi, qua vulneri Adami remedium attulit, apertior fiat. Stamus enim adhuc in hoc argumento, quod Christus sit iustitia nostra, innocentia nostra, et redemptionis precium. Ad hoc enim mortuus est pro nobis et resurrexit, ut declaret liberationis mysterium spesque firmet, quae dum eum vident mortuum esse ac mox suopte Marte revixisse, de aeterna vita, post istam, non possunt non reddi certae. Quod enim mortuus est, propter peccatum mortuus est. Rom. 6: 10. At non propter suum peccatum, a quo alienissimus est, sed propter nostrum. Quod autem resurrexit, ideo factum est, ut nos per eum vivificatos sciamus.

## EVANGELIUM.

Christus haec omnia perpessus est pro nobis. Quod si nostris operibus, aut nostra innocentia mereri salutem potuissemus, frustra fuisset mortuus, Galat. 2: 21. Potest idcirco Evangelii ratio nunc breviter sic capi. Quod ad nomen adtinet, ut id praemittamus, omnibus notum iam est, nihil quam bonum nuncium significare. Veruntamen, quod sit istud nuncium, ex eius verbis discendum est, qui nunciatur. Hic isto mandato, misit discipulos suos Marci 16: 15. Profecti in universum orbem praedicate Evangelium omni creaturae! Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, damnabitur. Audimus hic primum Evangelium eam rem esse, quae credentem salvum reddat. Habemus ergo quid efficiat, sed nondum habemus quid sit. Consulendus ergo est et alius Evangelista, qui modus ad intelligendum sacras literas est omnium expeditissimus. Lucas ergo 24: 45. his verbis eandem sententiam, eiusdemque diei, quo videlicet Christus resurrexerat, rem gestam describens, sic inquit: Tunc aperuit illis mentem, ut intelligerent scripturas, quod sic aut sic scriptum esset, et quod sic aut sic oportuisset Christum pati, et tertia die resurgere ex mortuis, et in nomine eius praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes Gentes,

Hic aperte habemus quid sit, quaque ratione praedicari oporteat Evangelium. Est enim Evangelium, quod in nomine Christi remittuntur peccata; quo nuncio laetiorem nunquam intellexit ulla mens. Sed praestat ut eius rationem paulo latius explicemus: hac enim cognita, propius rem ipsam cernemus. In nomine suo docuit Christus praedicandas esse in omnes Gentes poenitentiam et remissionem peccatorum. Primum satis constare puto: Nomen hoc loco accipi pro vi, potentia, virtute, maiestate, sicut Marci 16: 17. In nomine meo, id est in mea virtute vel potentia, daemonia eiicient. Et in Actis 3: 6. ait Petrus: In nomine, hoc est per vim vel potentiam Iesu Christi Nazareni surge et ambula. Et paulo post: Et in fide nominis eius, hunc, quem videtis ac novistis, firmavit nomen eius etc. In fide nominis, quid aliud significare potest, quam dum fiditur illius potestate ac vi? Firmavit nomen, id est potentia et maiestas? Per Christum ergo confit, ut vitae pristinae nos poeniteat: nam satis declaravimus in consideratione hominis, quod is se citra dei gratiam tam non cognoscit, quam illum sine illa non agnoscit. Virtute dei fieri oportet, ut homo se cognoscat. Ut ergo quemquam erratorum poeniteat, opus est, ut errata sua errata cognoscat esse: quod profecto carnis non est, hoc est hominis. Ea enim sic in suis rebus caecutit, ut se nulla in re damnet. Quod si fit, ut se damnet, non propria virtute fit, sed aliena. At haec aliena virtus non alienae carnis est: nam omnis carnis idem est ingenium. Aliena igitur vis, quae hominem in cognitionem sui ducit, spiritualis sit oportet. Quod hac perpetuo ratione inculcamus, ut nihil reliqui homini faciamus, cui quidam contra tantum tribuunt. Solius divini spiritus est, ut homo sese cognoscat. At nisi cognitio antecedat, abiectio sui nulla sequitur: quis enim se abiiciat, nisi videat in se quod offendat? Docet ergo primum Christus quomodo in eius nomine constare ac praedicari oporteat poenitentiam; hoc est quod eius virtute fiat, ut homo sese cognoscat, eumque sui ipsius cogniti taedeat. Deinde, ut ad declarationem verborum Lucae redeamus, nisi nos nostri poeniteat, taedeat, pudeat, Christus nobis, qui iam scimus quid lex, quid peccatum sit, non fit salutaris, neque pretiosus. Unde quonam pacto poenitentia sit ordienda secundo loco dicendum est.

Quum ergo consilium cepisset hominis redimendi divina maiestas, non sic ceperat, ut mundus in malitia sua perstaret ac consenesceret. Nam si hoc fuisset consilium, satius erat nunquam misisse redemptorem, quam sic misisse, ut posteaquam redemisset, nos de priore instituto ac morbo nihil mutaremus: ridiculum enim fuisset, si is, cui omnia quae unquam futura sunt praesentia perspiciuntur, tanto precio constituisset hominem liberare, quem mox ac liberatus esset, passurus fuisset pristinis in vitiis sordescere. Annunciat ergo cum primis vitam et mores immutandos esse: Christianum enim esse nihil est aliud, quam novum hominem novamque creaturam esse. Quocirca quum praecursorem suum misisset, ab hac voce coepit: Poenitentiam agite, inquiens: sic enim exasperata est coelestis iustitia, ut nisi mores mutaveritis, acerbam sitis poenam, imo ultimum excidium internecionemque laturi. Rem praedico non longinquam, ne videlicet contemnere possitis, quemadmodum Ezechieli aliquando factum est, sed quae iam nunc pro foribus adest:

nunc enim securis radici admota est, ut nisi vitam vertatis, funditus eradicemini. Iam sic eveniebat, ut qui innocentissimi hominis praedicatione moverentur, clare viderent vitae rationem prorsus esse vertendam, itaque ad eum per turmas veniebant et abluebantur ab eo in Iordane fluvio, quo ille symbolo eos consignabat, qui vitam pristinam quum percensuissent, nihil inveniebant quod non esset extremo supplicio dignum, eoque intellecto animum ad poenitentiam convertebant. Initiatio ista fuit, qua omnes poenitentes initiabat, non purificatio. Quod et Petrus 1. cap. 3. docet, simili forma perhibens nos per baptismum ablui, quomodo prisci olim homines diluvio expiabantur. Ac ne baptismum aquae hic intelligamus, sed veteris hominis internam per poenitentiam immutationem, addit, hoc non inde fieri, quod sordes corporis abluantur (hoc enim solummodo posse aquam) sed quum conscientia se ipsam percunctata, ut ut erga deum habeat, probe sibi respondet. Unde manifestum fit, Ioannis illam celebrem, Christi quoque in aquam tinctionem, nihil quam initiationem esse, non sordium animi abstersionem: ea enim solius sanguinis Christi est. Ut enim carnem nihil pudet, ubi abest ab arbitris (nam quovis vento huc illuc iactatur): facile factum fuisset, ut aliquis praedicatione Ioannis sese vehementer compunctum esse adsimulasset, re tamen ipsa inverecunde ac impie viveret; occursum est huic malo baptismi symbolo. Nam ut quisque istud in se recepisset, pudor erat palam ad poenitentiam initiatum esse, et palam prioribus flagitiis inquinari. Haec breviter de Baptismi symbolo, de quo alias multa propter eos qui eum putant vel peccata detergere vel detersorum signum ac certificationem esse: quorum utrique loquuntur quod lubet, non quod verbum domini docuit. Ad poenitentiam redeo. Quum ergo Ioannes vitam hominis doceret ob oculos revocare ac mutare, quas quaeso spes proponebat? Num unquam docuit: Sic aut sic facientes salvi eritis? Minime. Sed quum optime nosset, aliter non fieri, quam quum homo se totum expenderit, imo quanto se crebrius expenderit, tanto crebrius certiusque fieri, ut de se plane desperet deque iustitia sua (unde primum sui taedium nasci certum est) mox eum, per quem salus constaret, indicabat, sermonem dirigens in eum qui venturus erat, Actorum 19: 27, 29, 30. et Ioan. 1: 4. salutem in eo sitam esse adfirmans, qui se tempore quidem sequeretur, sed divina nativitate ac dignitate longissime anteiret. Sic enim ait Matth: 3: 11. Equidem aqua baptizo vos ad poenitentiam (aquae igitur baptismo initiabantur in poenitentiam); is autem qui post me veniet, fortior me est, cuius ego non sum ad calceamenta portandum dignus. Ille ipse baptizabit vos in spiritu sancto et igni. Quid vero spiritu sancto baptizare aliud est, quam conscientiam ipsius adventu tranquillam laetamque reddere? Verum quomodo potest reddi tranquilla, nisi spes firmas habeat de aliquo, quem certo sciat fallere nescire? Baptizare igitur spiritu sancto aliud nihil est, quam quod Christus nobis spiritum suum dat, qui corda nostra sic illuminat ac trahit, ut eo fidamus, eo nitamur qui filius dei est, qui nobis missus est, cuius nos fratres, eius misericordia, non nostris meritis, freti simus. Ostendit ergo Ioannes vitam nostram talem esse, ut emendatione opus habeat: quamvis ubi

emendaverimus, apud nos haud inveniamus quo salvos fore sperare possimus. Remittit igitur ad Christum Ioannes, eum esse dicens, in quo salutem gratuito etiam inveniamus. Quod divus Evangelista Prophetae cognominis sic descripsit, Ioan. 1: 26. Ego, Ioannes videlicet qui baptizabat, baptizo in aqua; medius autem inter vos adest, quem vos ignoratis. Ipse est qui post me veniet, qui ante me fuit, cuius ego non sum dignus calceamenti corrigiam solvere. Intelligimus hic probe, Ioannem ad eum mittere, qui medius inter ipsos staret, aut in medio eorum natus esset. Paulo post vero sic ait: Videt Ioannes Iesum venientem ad se, et dicit: Ecce agnus dei qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo vobis dicebam (vide ut prius dicta referat): post me venit vir qui ante me fuit, quia potior me erat. Et ego non noveram eum, sed ut manifestetur Israëli, propterea veni ego in aqua baptizans. Demonstrat his verbis divinus Baptista, Christum esse agnum, qui peccati morbum universum expiet; se vero poenitentiae baptismum ante eum praedicare, ut Israëli ipse manifestaretur. Cum enim per poenitentiam homo in cognitionem sui venerit, nihil nisi desperationem ultimam invenit. Unde iam cogitur, se omni parte diffisus, ad misericordiam dei confugere: quod ubi coeperit, terret iustitia. Iam Christus ostenditur, qui iustitiae divinae pro nostris admissis satisfecit. Ei ergo quum tunc fiditur, salus invenitur: ipse enim est misericordiae dei infallibile pignus. Qui enim filium pro nobis expendit, quomodo non omnia nobis cum illo donabit? Rom. 8: 32. Terrent igitur iustitia dei et mens sibi malorum omnium conscia. Quid enim non omnes cogitamus et consultamus? quas non versamus spes voluptatum, rerum, gloriaeque cupiditatis? Unde quum sic terreant iustitia eius ad quem properamus, conscientia nostra quae properantes in desperationem adigit, succurrit huic angustiae Christus dei filius: hoc enim redemptore, hoc advocante, hoc pro nobis omnia impendente, licet omnia apud patrem sperare. O ineffabilem sapientiam dei, o liberalitatem immensam, o et super haec omnia misericordiam, omnium spem superantem. Illuminat deus, ut nos ipsos cognoscamus; quod ubi factum est, in desperationem adigimur. Confugimus ad misericordiam eius, sed terret iustitia. Hic invenit aeterna sapientia, quo simul iustitiae suae satisfaciat, id quod nobis ex omni parte negatum est; et misericordiae ipsius freti ipso frui possimus. Filium mittit, qui eius iustitiae pro nobis satisfaciat, indubitatumque pignus salutis fiat. Verum hac lege, ut nova creatura simus, ut Christum induti ambulemus. Est ergo tota Christiani hominis vita poenitentia: quando enim est ut non peccemus? Unde et discipulos primo ad praedicandum mittens Christus idem praedicare iussit quod Ioannes, quod ipse praedicaverat Matth. 4: 17. et 10: 7. Marci 6: 12. Lucae 9: 2. Nam et illi monebant, ut vitam pessimam mutarent, adserebantque regnum dei adpropinquare.

Attamen ut poenitentia dilucidior fiat, simulque obiectioni respondeamus ei, qua dicitur: Si hoc pacto Christum volumus intelligere, hostiam quae semel oblata pro omnium peccatis satisfecerit, omnes erimus ad libidinandum propensiores, quippe quod impune haec omnia fieri possint: Christus enim pignus est, quo peccata omnia dissolvuntur:

sic accipe: Ante omnia scripturis sacris aperiemus quomodo Christus solus sit per quem ad patrem acceditur, quodque solus omnia peccata deleat. Tunc enim locum habebit argumentum, quo isti utuntur. Christum ergo solum esse, per quem ad patrem acceditur, vel hoc argumento patebit, quod si ulla alia via potuisset ad deum iri, nihil fuisset opus ut Christus moreretur. Praestat tamen ut ipsius verba in medium adducamus. E quibus illa primo loco ponemus, quibus aperte testatur se salutis omnium gratia missum esse; deinde illa, quibus testatur solum esse, per quem salus donatur: prius est enim esse, quam solum esse. Ioan. 3: 16. sic ait: Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, quo omnis qui fidit eo non pereat, sed habeat vitam aeternam. His verbis explicatur tota causa et vis Evangelii: Causa, quod deus propterea, quod mundum tantopere dilexit, filium suum dedit; vis, quod quicunque illo fidit, aeternam vitam adsequitur. Paulo post sic loquitur divus Baptista: Pater diligit filium, et omnia dedit in manum eius. Qui fidit in filium, habet vitam aeternam. Qui vero diffidit filio, vitam non videbit, sed ira dei manet super ipsum. Facit hic locus ad utramque rationem, hoc est, tam ad illam quod Christus salutaris sit omnibus, quam ad istam quod solus sit omnibus salutaris. Io. capite 6. in universum nihil aliud agit Christus, quam ut se doceat talem cibum esse, ut quicunque eum edat, vivat, id est se talem esse thesaurum animorum, ut quicunque cor suum et spem in eum fixerit, vitam sit habiturus aeternam: se enim e coelo descendisse, ut mundus per eum vivificetur. Ibidem etiam sic ait: Amen amen dico vobis! Qui credit in me, habet vitam aeternam. Omnibus ergo in se sperantibus est salutaris. Ioan. 8: 12. sic dicit: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lucem vitae. Quicunque ergo eum sequitur, illi lux est, omnibus igitur salutaris est fidentibus. Ioan. 10: 9. sic: Ego sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur. Aliis atque aliis metaphoris eandem rem docens, nempe quod ipse sit lux nostra, salus, dux, pastor, pater, omnia. Ioan. 12: 31. ad hunc modum loquitur: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Et ego quum exaltatus fuero ex terra, omnes traham ad me ipsum. Eiecit regno diabolum, et sese in signum populorum omnium, iuxta Prophetae vaticinium Isa. 11: 12. erigi passus est, ut omnes ad eum gentes veniant: nam ideo in quatuor crucis oras extenditur, ut ab Aquilone et Austro, ab Oriente et Occidente, quemadmodum idem Propheta praedixit cap. 43: 5. veniant et recumbant cum deo Abraham, Isaac et Iacob, Matth. 8: 11. Plura sunt huius sententiae testimonia, quam ut huc possint omnia componi. Ipsa Evangelii commendatio nihil aliud habet, quam: Quotquot crediderint praedicato Evangelio, salvos fieri; qui non crediderint, damnari. Evangelium autem, ut ex praecedentibus iam sole clarius patet, nihil aliud est, quam certa salus per Christum, quo nihil nobis gratius, salubrius aut pretiosius nuntiari potest. Conscientiis enim nostris in desperationis angustiis praeruptisque laborantibus, quid iucundius nunciari potest, quam adesse redemptorem, qui nos in latitudinem educat? Psal. 17: 18. atque talem liberatorem ac ducem, qui ad omnia sufficiat: deus enim est. Unde et Paulus Rom. 1: 16. sic definivit,

Evangelium, inquit, vis aut potentia dei est ad salutem omni credenti, hoc est: Evangelium nihil aliud est, quam vis dei, qua ille proprium filium pro nobis dedit. Quicunque ergo in eum fidit sive Iudaeus sit sive Gentilis, salvus erit. Summa igitur iam huius particulae est, quod Christus sit omnibus omnium nationum generumque hominibus salutaris. Ipse enim vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, 1. Tim. 2: 4. Nec solummodo tam bonus est, ut velit, sed etiam tam dives ut possit. Nam de plenitudine ipsius omnes accepimus, Ioan. 1: 16. Dives enim est in omnes qui illum invocant, Rom. 10: 12.

Nunc istud ostendemus, quod solus Christus sit salutaris. Ioan. 6: 53. sic loquitur ipse, qui et solus nostra salus est: Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Dicam ante omnia, huius 6. capitis quodnam sit argumentum. Cibaverat Christus paucis admodum panibus multa hominum millia, qui postmodum avidius eum sequebantur, ut alvum otiose pascerent. Pauci enim erant, qui ut per eius doctrinam meliores redderentur, ad eum venirent. Id ubi vidit cordium cognitor Christus, eorum simul et hypocrisim et voracitatem ingluviosam taxat, monetque, ut verum vitalemque animae cibum sectentur: hoc esse gratissimum opus deo. Atque utut isti, prioris convivii memores, per cibum aut panem nihil quam cibarium istum, quo vescendo vires sustinemus, intelligebant, Christus tamen perpetuo de eo cibo loquebatur, qui famelicam mentem reficit: ad hoc enim venerat, ut ieiunas rerum coelestium mentes reficeret. Dicit ergo se panem esse vivificum, qui de coelo descendit, quique vitam mundo impertiat. Quid hic aliud cogitarent, qui ventris gratia aderant, quam quonam pacto Christus edi posset? sicque ab illo abhorrebant. Ille autem ut clare aperiret quonam modo cibus aut panis esset, inquit: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Hoc porro intendens: Vos multa de isto cibo versatis in mentibus vestris, quem polliceor: alius miratur modum, alius stupet ad crudelitatem. Cur sic perpetuo humi iacetis? non videtis me parabolis pigras mentes vestras exstimulare? cur igitur non aliquando ad sublimiora erigimini? Rursus non videtis me de industria, quamvis nonnunquam violentius id facere videar iis, qui carni adhuc sunt nimis dediti: non videtis, inquam, me ab exterioribus et crassis istis ad interna spiritaliaque transcendere? Ego, ut non in eum usum veni ut corpora pascam, sed ut mentes humanas ad deum reducam: ita quum vos memoria versatis panem corporalem, ego verso, quanam ratione cibum in os animae vestrae indam, qui spiritualis est. Ac dum vos de corporeo pane cogitatis, ego doceo cibum esse, qui mentem recreare possit, quod minime potest panis ex frumento confectus. Is autem cibus est: Ego ipse: nam panis quem ego me daturum polliceor, est caro mea, quae expendetur pro mundi vita. Hoc laetam salutisque securam reddit mentem, si inconcusse credat me per gloriam gratiamque patris pro mundi vita expensum. Hic est cibus, in cuius fortitudine ambulabitis usque ad montem dei. Iudaei vero quanto magis docebantur, tanto magis ignorabant horrebantque a carne et sanguine Christi, quae se putabant ad laniandum hauriendumque induci, immane ac Scythicum arbitrati ut ad ista vocarentur. Quorum stoliditatem ex incredulitate

proficisci sentiens Christus, adhuc gravius eos percutit, et iuxta Esaiae vaticinium 6. cor eorum excaecat, aures gravat, et oculos claudit, dicens: Vere vere dico vobis: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: quasi adiungeret, utcunque tandem intra vos tumultuemini, certe me edi, me bibi oportet. Et post multa palam dicit, carnem, de qua ipsi cogitent, nihil penitus prodesse, comesam scilicet corporaliter quomodo illi abhorrebant; spiritualem esse manducationem, de qua ipse loquatur, eam vivificare; verbis istis, quae locutus erat, vitalia fieri humana corda et robusta. Panem si edatis, inquam, roboratur corpus: me si edatis, id est si me fidatis, corda vestra erunt deo fortia. Haec de huius capitis argumento fortasse fusius, quam brevitas ferat: et brevius, quam necessitas requirat. Sed propter eos factum est, qui allegoriam hic esse non vident, atque hinc errorum multorum occasiones hauserunt, quum tamen Christus nihil istic docere voluerit, quam Evangelii rationem: nempe se esse missum e coelo, ut pro miseris mortalibus extrema patiatur: ea res tam esse salutiferam futuram miseris, ut qui ei nitatur, longe magis roboretur, securiorque illi reddatur animus, quam corpus panis usu. Sed iam ad verba, quae adduximus, revertimur: Nisi ergo manducaveritis, hoc est, nisi firmiter exque animo credideritis Christum pro vobis occisum, ut vos redimeret, et sanguinem eius pro vobis effusum, ut redemptos ablueret (nam hac ratione solemus liberales ac benigni esse in captivos: primum, ut dato pretio liberemus; deinde, ut liberatos squalore adobrutos abluamus): non habebitis vitam in vobis. Solus ergo Christus pro humano genere mactatus cum sit, solus est per quem itur ad patrem.

Ioan. 10: 1. eandem rem aliis verbis docet: Amen amen dico vobis, inquiens, qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, is fur est et latro. Et paulo post: Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur. Quum ergo alia via quam per ostium ingredi furum sit et latronum, et Christus ostium est, fures sunt et latrones, qui alia via quam per Christum, salutem aut quaerunt, aut quaerere caeteros docent. Solus igitur Christus est per quem solum salvi reddimur. Neque hic quisquam obiiciat hunc locum ad solos pastores pertinere, non etiam ad communem rationem salutis: nam sic fecundus est, ut non minus doceat qua quisque ad deum venire possit, quam quo modo Christi oves pascere debeant quibus ea demandata est provincia: tam enim sancte loquitur ac anxie de ovibus, quam de pastoribus, ut perpendenti facile adparet. Ioan. 8: 36. hoc modo alloquitur Iudaeos: Si filius vos liberaverit, vere liberi estis. At filius dei unus tantum ac solus est: solus ergo Christus est, per quem peccati iugo liberi ac filii dei reddimur. Idem potest similitudo vitis et palmitum, quae Ioan. 15: 6. scripta est. Postquam sic colligit Christus: Sicut palmes non potest ferre fructum a semet ipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Et paulo post: Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes et arescet etc. Solus ergo Christus est, cui insitos oportet, qui salutem assequi volunt. Iam quod Thomae Ioan. 14: 6. respondet, omnium est disertissimum: Ego sum, inquit,

via, veritas et vita. Nemo venit ad patrem nisi per me: quandoquidem via est, per ipsum ac solum ingredi necesse est. Et rursus: Ad patrem nemo nisi per ipsum venit. Solus ergo est, per quem, et in quo salutem invenimus. Petrus autem Actorum 4: 14. sic disserit: Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Nullum nomen, nulla vis aut potestas est, quae nos beatos reddere possit quam Christi. Solus ergo Christus est quo beamur. Adstipulatur Paulus 1. Timoth. 2: 5. Unus deus, unus etiam mediator dei et hominum, homo Christus Iesus, qui se dedit redemptionis pretium pro omnibus. Certum est autem hic: Unum pro Solo accipi, ut isto loco Matth. 19: 17. Unus, id est solus bonus est deus. Nam Lucas 18: 18. his verbis eandem sententiam extulit: Nemo bonus, nisi solus deus. Iam et hoc satis liquere arbitror, quod per solum Christum salus, beatitudo, gratia, venia, et quicquid meritum oportet apud iustum deum, nobis detur.

His ergo praemissis, videlicet quod Christus expiatio pro omnium peccatis ac via salutis est, et quod solus haec via ac expiatio est, atque ei tandem est soli qui ipso fidit, consequi putant ii, qui Evangelio vel parum fidei habent, vel ipsum impurius hauserunt, ut omnes qui ipso nitantur, licentia deteriores fiant: fieri enim aliter non posse, quam quum humana mens audiat sic liberaliter omnia condonari per Christum, proclivior, ut est ingenium, ad libidinem reddatur. Unde quidam ex eis stolide prudentes cavere voluerunt ne quid eiusmodi fieret; ac prodiderunt, partim quod Christus pro originali modo culpa perlitaverit, partim, quod pro eis solummodo flagitiis quae ante eum commissa perpetrataque sint. Qui errores hinc venerunt, quod rationem Christianismi quum se maxime putarent nosse, maxime ignorarent: fide enim constat, non sapientia, scientia aut prudentia; fidem ergo quum non haberent, vani facti sunt in cogitationibus suis. Fides enim Christiana res est quae in animo credentium sentitur, sicut valetudo in corpore. Hanc quisque facile sentit, iniqua sit an aequa. Sic qui Christianus est, sentit, ut mens propter peccatorum onus male habeat; et contra sentit quam bene habeat, quum remedii in Christo certa est. Evenit etiam plerumque ut dexteram valetudinem non tanti faciant, qui perpetuo valent, quanti faciunt ii, qui aut diuturnis aut gravibus morbis premuntur. Sic Christus iis, qui mentis aegritudinem nullam sentiunt, non est tam pretiosus, quantum eis, qui et sentiunt et dolent. Hinc factum est, quum nos ipsos haud recte, hoc est intus et in cute noverimus (nam et morbum et eius magnitudinem ignoravimus), ut Christus nunquam sic fuerit nobis vel salutaris vel pretiosus, ut est. Quod si ex morbo unquam vere indoluissemus, hoc est, si de integro nos ipsos cognovissemus, quam abiectum videlicet ac morbosum pecus sumus, attamen magni, praeclari, iusti, sancti, omnibus videri volumus, quam turpibus cupidinibus quantum addicti, ut nihil non ex adfectibus agamus: si, inquam, morbum unquam sensissemus, tantus fuisset dolor, ut posteaquam eum medicus levavisset, nunquam dicturi fuerimus: Iterum dolebo, hoc est iterum peccabo. Qui crus fregit et medicum nactus est felicem, qui deluxatum membrum recte restituit, non sic cogitat: Beatus es quod

talem invenisti medicum, crebro crus franges. Nam medicus iste omnia potest; sed per omnem vitam, quocunque incedit, quocunque vertitur, circunspicit ac cavet ne crus iterum frangat. Sensit enim quantus sit dolor fractum redintegrari, quantum fastidium toto mense supinum iacere, aut altero tantum in latere. Sic qui ad hunc modum exultant, quum Christum audiunt pro omnium commissis solvisse: Peccabimus: nam gratis omnia condonantur per Christum, nunquam senserunt peccati dolorem. Nam si sensissent unquam, omni studio caverent, ne qua fieret, ut reciderent. Haec ad istum usum praemisimus, ut quemadmodum promisimus de poenitentia clarius dicamus.

## DE POENITENTIA.

Poenitentiam hactenus putavimus coactum istum simulatumque dolorem de admissis peccatis esse, ac pretii, quanti peccatum aestimatum erat a iudice, id est confessore, dissolutionem. Tum enim poenitebat nos malorum, quum Pontifex iussisset, quum adpeteret paschatis celebritas, aut quum valetudo imperaret. Quod quid erat, quam hypocrisis? aut aliunde prodiit quam ex ignoratione sui? Nam qui sese ipse cognovit, talem ac tantam malorum lernam vidit, ut non modo cogatur dolere, sed horrere, desperare, emori. Quae enim libido tam spurca est, quae cupiditas tam audax, quae existimatio tam alta, ut eam quisque domi natam non videat nunc consilia capere, nunc agere, nunc celare? Quod dum nemo negare potest, quomodo factum est, ut dolorem qui hinc nascitur non senserimus? Hinc factum est, quod, ut supra dictum est, nemo in sese tentat descendere, nemo. Quum ergo descendimus, iam verus dolor continuo sequitur ac pudor. Id quod prius in poenitentia Pontificum minime fiebat: quomodo enim quenquam sui taederet, quum se nemo cognosceret, sed iustum potius, sive per sua, sive per conducta opera, existimaret? Est ergo Evangelii pars altera poenitentia, non ea quae aliquanto tempore fiebat, sed qua homo sibi ipsi cognitus erubescit, pudetque eum veteris vitae duplici nomine, tum quod sibi ipsi tantopere displiceat ac doleat, tum quod videat alienissimum esse a Christiano homine oportere, ut iis in vitiis contabescat, ex quibus se ereptum credat et gaudeat. Quum ergo sive Christus, sive Ioannes, sive Apostoli sic praedicaverunt: Poenitentiam agite, prorsus non loquuti sunt de ista ficta simulataque, de qua primo hic loco diximus; sed nec de ista, quae semel fiat, ac continuo licentiam esse factam ad peccandum putat: nam ista, ut satis est declaratum, non minus fictitia est, quam quae Pontificum iussu acta est. Verum de ista loquuti sunt, qua se homo in se recipit, ac omnia diligenter explorat, qua quaeque ratione faciat, qua celet, simulet, dissimulet; quod ubi citra fraudem fecerit, huc adigitur, ut prae morbi magnitudine de iustitia saluteque sua desperet, non aliter quam quum quis letali vulnere accepto atram sempiternamque noctem assidue expectat. Quem si Machaon aliquis iubeat bona spe esse, consui vulnus posse, ac omnia ex integro restitui, non arbitror gratius ei quicquam, aut iucundius posse accidere. Sic etiam hic noster, quum sic attrectato vulnere saluti desperaverit, sese ad misericordiam implorandam convertit, ac mox viso Christo omnia

speranda esse intelligit: si enim deus pro nobis, quis contra nos: iam resurgit, qui prostratus erat; vivit, qui mortuum se aegerrime et didicerat et senserat. Sed neque Christus, Ioannes, Apostoli de hac poenitentiae parte sic tantum locuti sunt, ut aliquousque durare debeat, post vero poni possit; sed ut perpetuo duret, quam diu frivolam istam corporis molem circumferimus. Nam ea sic est rebus vanissimis addicta, ut nunquam desinat mala scaturire, quae perpetuo ut nascuntur, premenda, amputanda, suffocandaque sunt, ut quae Christianum hominem maxime dedeceant. Qui labor, quod certamen, quae custodia, quid est si poenitentia non est? Quocirca quum Christus, Ioannes, Apostoli sic praedicant: Poenitentiam agite, nihil aliud quam ad novam vitam vocant, priori dissimillimam. Ad quam inchoandam, qui sese dedidissent, sacramento notabantur initiali, baptismo videlicet, quo palam testarentur se novam vitam ingressuros. Nunc ad verbi testimonia veniemus, ne cuiquam nostra potius adtulisse videamur, quam coelestia. Christus vocabat quendam ad Evangelii munus, Lucae 9: 59. Ille vero dicebat: Domine, permitte mihi primum ut abeam, ac sepeliam parentem meum. Dixit ei Iesus: Sine, ut mortui sepeliant suos ipsorum mortuos! tu vero abi, et praedica regnum dei. Dixit autem alius: Sequar te domine, veruntamen permitte mihi primum constituere domui meae! Dixit ad eum Iesus: Nullus qui manum suam ad aratrum misit, et retro spectat, aptus est ad regnum dei. Haec Christi verba per se ipsa dilucida sunt: exigunt enim aperte, ut omnibus posthabitis continuo deum sequamur, nec retro respiciamus. Et quamvis videri possint ad eos modo pertinere, quibus verbi ministerium committitur, ad omnes tamen pertinent: ut et illa apud eundem 14. cap. quibus humeros docet explorandos esse his qui eum sequi statuerint, parabolis duabus, altera turrim aedificare volentis, altera vero regis cum hoste conflicturi, quorum uterque priusquam rem adgrediatur secum sumptus ac vires computet, ne in medio cursu sistere omnia cogatur; postremo sic inferens: Ad hunc modum quilibet vestrum, qui non abdicat omnia quae habet, non potest meus esse discipulus. At quanti est abdicasse divitias, nisi malis istis renunciaveris, propter quae divitiae docentur contemni debere? Idem docet parabola Matth. 22: 11. de eo, qui liberaliter quidem fuerat invitatus ad nuptias, sed quum vestem nuptiis accommodam non induisset, eiectus est in exteriores tenebras. Sic qui ad nuptias coelestis sponsi vocati sunt, hoc solum spectare debent, ut sic se ornent ac incedant, ne ipsorum turpitudo in contumeliam sponsi vergat. Iterum ait Ioan. 8: 31. Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Igitur discipuli sunt, qui in sermone ipsius manent. Simili modo loquitur Ioan. 15: 4. Paulus autem Rom. 6: 4. clarissime docet eos, qui Christo se initiarunt, novam vitam ordiri oportere. An ignoratis, inquiens, quod quicunque in Christum Iesum baptizati sumus, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti enim cum ipso sumus per baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus resurrexit ex mortuis per gloriam patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus. Quid hic Paulus porro docet aliud, quam quod quicunque baptismo imbuti sumus, morti Christi initiati simus: id quod etiam baptizandi actio testetur, quae nos mergit primum,

quod Christi mortem et sepulturam refert; deinde rursus extrahit, quod aliud non portendit, quàm sicut ex mortuis resurrexit Christus, ultra nunquam moriturus, sic et nos dum in baptismo sepeliamur, mundo simus priorique vitae mortui; quum vero extracti sumus, novam, id est, Christo dignam vitam ordiamur. Quod Apostolus ipse in sequentibus exponit, cum dicit: Si enim similitudini mortis eius complantati sumus, haud dubie (similes) resurrectionis erimus. Qua similitudine hoc discimus, quod vetus noster homo simul crucifixus est, ut corpus peccati evacuetur, ne ultra serviamus peccato. Nam qui mortuus est, iustificatus est a peccato. Quod si cum Christo mortui sumus, fidimus quod et victuri sumus cum eo. Quibus istud videmus quod Christus, qui resurrexit ex mortuis, ultra non moritur, mors ei non dominatur ultra: nam quod mortuus est, peccato mortuus est, atque hoc semel; quod autem vivit, deo vivit. Sic et vos putate vos ipsos quidem esse mortuos peccato, viventes vero deo in Christo Iesu domino nostro. In his Pauli verbis sole clarioribus nihil est, quod non quisque facile possit capere, praeter hoc unum peccato mortuum esse: nam hoc verbum Paulus variat. Quum enim Christum docet peccato esse mortuum, vult, quod Christus sit propter peccatum mortuus, ut peccatum occideretur; quum vero nos dicit peccato mortuos, vult nos esse a peccato liberatos, perindeque iam alienos. Galat. 6: 15. sic habet: In Christo Iesu neque circuncisio quicquam potest, neque praeputium, sed nova creatura. Non satis est igitur baptizatum esse, sed ad hoc baptizati sumus, ut nova creatura simus. Non satis est dicere, Domine domine, sed iuxta patris voluntatem vivere necesse est. Hanc novam vitam Rom. 13: 11. veterisque depositionem sic docet: Hoc cum sciamus: tempus videlicet, quod iam hora est, ut de somno surgamus: nam salus nostra propinquior est, quam cum putabamus. Nox abiit, dies vero adest. Amoliamur ergo tenebrarum opera, et induamur lucis armis, ac honeste ambulemus tamquam in die, non in comissationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non per contentionem et aemulationem, sed induimini dominum Iesum Christum. Idem docet Petrus 1. cap. 4. Qui vult hinc petat. Plenae sunt omnes Apostolorum scripturae ista sententia, videlicet, quod Christiana religio nihil aliud est, quam firma spes in deum per Christum Iesum, et innocens vita, ad exemplum Christi, quoad ipse donat, expressa. Patet ergo poenitentiam esse non modo cognitionem sui et abnegationem, sed abnegati custodiam quoque, ut sit perpetuo quod speres dum in spe ambulas, nec desit quod metuas, nempe lapsum peccati. Istud quoque patet, quod poenitentia peccata non abluit, sed spes in Christum; quodque poenitentia custodia est, ne in ea recidas quae damnavisti.

Sed videntur hic multa obstare, quo minus liceat innocentiam servari posse sperare. Primum: Omnis homo mendax; at ubi mendacium viget, illic omnia sunt improba. Deinde, quod in multis offendimus omnes, Iac. 3: 2; quotquot autem offendunt peccant, Matth. 18: 7. Ergo cum omnes offendamus in multis, omnes peccamus multis modis. Post quod divus Ioannes adserit 1. epist. 1: 8. Quod si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos seducere, nec veritatem in nobis esse. Quo ergo

pacto, etiam exhibito Christo, salvi fieri possumus, quum is novam vitam aliosque mores requirat, nos autem continue videamus nos ad ingenium redire? Hic labor est sapientibus ac doctis satisfacere: nam quum clarissima scripturae testimonia pro utraque parte habeant, videlicet, quod Christi redemptio cuncta possit et efficiat quae ad salutem adtinent, et contra tam constanter innocentia requiratur, videntur illis duo incommoda sequi: unum, quod qui fidem in Christum intrepide continueque inculcant, videantur innocentiae studium prodere; alterum, quod dum innocentiam tantopere vident exigi, in dubium veniunt quidnam Christus prosit. Eis ergo difficillimum est satisfacere: nam quod hic in piis fides in Christum facit, huius ipsi expertes cum sint, non capiunt quod spiritualiter dicitur. Res enim est ac experimentum pietas, non sermo vel scientia. Ut enim Abrahae vox ista dei, quae iubeat filium, per quem sancta illa posteritas promissa erat, occidere, nota erat, quod esset vox eiusdem qui promiserat, etiam si humana ratio aliud non immerito dictare potuisset: nempe, vox est seductoris diaboli. Qui enim fieri posset, ut te illum iubeat mactare quem paulo ante dedit ad posteritatem propagandam? Sed nihil est infirmatus in fide, accingitur, ignem lignaque componit, amata teneraque membra, inexpertus sive lictor sive sacerdos, colligat, gladium educit paulo minore haud dubie dolore quam si per suum ipsius cor traheret, imminet, o! quanta perturbatione animi, innocenti cerviculae ac toties deosculatae. Quae omnia solius dei, quo mirabilis esset in oculis nostris, fuerunt opera. Nisi enim se intellectui ipsius Abrahae sic ingessisset, ut is non ambigeret hanc vocem dei esse, frustra fuisset imperatum. Ut inquam vox ista dei soli Abrahae notissima erat, ceteris vero omnibus impostoris esse visa fuisset: sic quae de fide in Christum, deque innocentia Christiana dicturi sumus, non capient, qui fidem potius docti sunt quam experti. Nam et hic confestim video eos insultare ac dicere: Ego fidem habeo, ipsa tibi deest. Quid me iudicas? In medium ergo producemus eos, qui sancte audent de se iactare ac dicere: An experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christi? 2. Corinth. 13: 3. de quorum fide dubitare impium fuerit; atque ut isti de hac controversia pronuncient, audiemus. Quum Paulus gratiam tantopere amplificaret, non defuerunt qui oggannirent, quod et hodie quidam faciunt: Si gratiae dei bonitas ac liberalitas in meo peccato manifestatur, quid vetat quo minus impensissime peccem, ut dei liberalitas omnibus nota fiat? Rom. 3: 7. Et iterum: Manebimus in peccato, ut gratia exundet? Quibus respondit ad eum modum, quem paulo ante ex cap. 6. adduximus. Contra vero, quum videret quosdam sibi fidere coepisse, propterea quod innocentiam tantopere exigit lex, dicit Christum nobis inutilem esse, si iustitia ex operibus nostris veniat, Galat. 2: 16. et gratiam per Christum nihil esse, si operibus debeatur salus, Rom. 4 et 11. Hoc ergo in bivio constitutus cum esset, se ipsum tandem prodit, ac exemplum facit, quo discamus, quid vero eis eveniat qui Christo fidunt, quomodo videlicet per fidem salutis securi sint, per infirmitatem autem carnis nunquam non peccent, quanquam ea quae peccant vi fidei non imputentur.

## DE LEGE.

Satis superque ab aliis dictum est, quid Lex, quid Peccatum sit, quapropter nos eos locos brevibus absolvemus. Lex nihil aliud est, quam aeterna dei voluntas. Nam de legibus civilibus aut caeremonialibus hic nihil dicturi sumus, quod eae ad exteriorem hominem adtinent, nos autem de interiore nunc loquimur. Adde quod hae leges pro temporum ratione variantur, ut in civilibus videmus saepe fieri; et caeremoniales per Christum in universum sublatae sunt: positae enim fuerant, ut aliquando corrigerentur, quod et suo tempore factum est, Heb. 9: 10. Divinae vero leges, quae ad internum hominem pertinent, aeternae sunt: nunquam enim abolebitur, ut proximum non debeas amare sicut te ipsum; ut furtum, periurium, homicidium, reliqua inter flagitia non reputentur. Legem autem aeternam vel perpetuam dei esse voluntatem, ista probant quae Rom. 2: 14. de exlegibus scripta sunt, quod ii videlicet ostendunt legem in mentibus suis esse promulgatam, quum ea faciunt quae lex iubet: tametsi tabulae legis ipsis non sint praefixae. At in corda nemo scribit nisi solus deus. Item per legem cognitio peccati, Rom. 7: 7. Et: Ubi non lex, illic nec transgressio fit, Rom. 4: 15. Legem ergo a deo cogimur profectam esse confiteri: nam ipsi ignorabamus quid peccatum esset, nisi verbo suo deus manifestasset quid factum, quid omissum oporteat. Lex ergo nihil aliud est quam doctrina de voluntate dei, per quam scilicet intelligimus quid ille velit, quid nolit, quid exigat, quid vetet. Quod autem sit perpetua voluntas dei, ita ut de illa lege, quae ad interiorem hominem adtinet, nunquam sit quicquam mutaturus, ipsius legislatoris verbis patet. Matth. 7: 12. sic inquit Christus: Omnia ergo, quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Haec est enim lex et prophetae. Si omnia facta nostra ad hanc regulam sunt comparanda, aeternam esse oportet: nam nisi aeterna sit, non omnia sunt ad ipsam formanda. Deinde Rom. 13: 9. docet Paulus, quod omnes leges in hac una colligantur et contineantur: Diligito proximum sicut te ipsum. Omnem igitur actionem, omne consilium, et quicquid ad proximum spectat, sub hac lege contineri necesse est. His breviter absolutis, difficillimam quaestionem, in qua sibi quidam queruntur a nemine satis factum esse, facile intelliges. Ea est: Qui fiat, ut ex eadem lege quaedam servemus, quaedam vero amputemus. Quae enim ad hanc regulam perpetuae voluntatis dei: Dilige proximum sicut te ipsum, adhibita exploratoque, sub ea contineri cernuntur, nunquam aboleri possunt; quae vero minus, iam per Christum antiquata sunt: finis enim legis Christus, Rom. 10: 4. et finis legis charitas, 1. Tim. 1: 5. Christum ergo et charitatem eandem rem esse oportet. Deus charitas est, 1. Ioan. 4: 7. Qui ergo iam sub Christo merent, ad ea adstringuntur quae charitas iubet; quod illa non iubet, aut quae ex ea non profiscuntur, aut praecepta non sunt, aut inutilia sunt. 1. Cor. 13: 3.

## DE PECCATO.

Peccatum autem bifariam in Evangelica doctrina accipitur. Primum pro morbo isto, quem ex generis authore contrahimus, quo amori nostri

addicti sumus: de quo in hominis consideratione pro virili dictum est. Eum morbum intelligit Paulus Rom. 7: 20. quum dicit: Iam non ego operor illud, sed inhabitans in me peccatum. Peccatum ergo hoc, id est vitium, morbus est cognatus nobis, quo fugimus aspera et gravia, sectamur iucunda et voluptuosa. Secundo loco accipitur peccatum pro eo quod contra legem fit, ut per legem cognitio peccati, Rom. 7: 7. Actio ergo, quaecunque tandem, quae contra legem fit, peccatum adpellatur. Videamus ergo, ut inter se mutuo habeant, peccatum morbus, et peccatum legis transgressio. Morbus ignorat se ipsum, quod morbus sit, opinaturque licere quicquid libet. Non sic sentit deus, sed cum morbus omnia ad se trahit, sibi omnia servire cupiditatique suae omnia subdi debere putat, coercet legis falce hanc luxuriam. Lex enim propter transgressionem posita est, Galat. 3: 19. Non enim ignorat cordium cognitor, omnium idem esse ingenium; nec Thersitem minus esse sui amantem, quam Agamemnonem. Quod si nunc omnibus ex aequo laxentur habenae, nihil aliud sequi, quam ut quisque viribus polleat, ita sibi omnia per vim subdere; hinc praedas, raptus, homicidia, parricidia, et id genus humanae coniunctionis pestes emersuras. Certis ergo finibus tam late expatiantem cupiditatem concludit iubetque, ut quod tibi fieri nolis, alii ne facias: et contra, quod tibi factum velis, alii facias. Atque ut facilius facias, deique sapientiam agnoscas, hanc legem quam naturae vocant, amore velut condimento quodam edulcat, sic dicens: Diligito proximum ut te ipsum. Dulcis res est amor, sed amara quaeque iucundissime fert: nam amanti nihil videtur arduum. Magna ergo res et aspera quum videatur esse, proximo facere quae tibi factum velis, iucunda fit ac levissima si ames. Sed hic reclamat vetus homo, morbus, caro, Adam, peccatum: nam his fere nominibus vitium hoc φιλαυτίας doctrina Apostolorum adpellat. Reclamat, inquam, caro aut priscus Adam, omnium quam sui ipsius contemptor: mavult enim libidini suae omnia cum exitio ipsorum servire, quam avaritiae, gloriae voluptatumque cupiditati modum ponere. Hinc irae in legem ac legislatorem, odium, insidiae. Odium, quod neque legem neque legislatorem declinare potest vel aufugere: si enim in coelum ascenderit, illic est; si ad inferos descenderit, illic non abest. Insidiae, quum viribus omnibus contendit, ut eum fallat, qui falli tamen nequit: cogitat, invenit, concursat, ac post multa sic statuit: Tyrannus est qui ista exigit. Qui enim fieri possit, ut aliquis alium non minus quam se ipsum diligat? Veruntamen, cum sic severe exigit, cavenda est vindicta. Facies igitur quod versuta mancipia bonis et ἀδόλοις heris solent, fallaciam aliquam excogitabis, qua caecatus consilium tuum non videat. Hinc foenerator munus aut sacerdotium adornabat: scortator virgini ieiunum plane ieiunium; proditor preculas trepidas ac desperabiles. His lenociniis plusquam stolidis incautum scilicet adobruturos esse sperantes, aut os obliturus, ut impune possint adulterium, foenus, proditionem exercere. Iam non audiebatur lex, non componebantur mores ad eius sententiam, non rescindebantur quae dehonestabant, sed omnino fiebat homo sibi ipsi deus: nam tametsi lex occideret, nihilominus tamen vivificabat ipse se suis artibus ac spebus. Hinc impietas paulatim sic augescebat, ut domi

diceret: Non est deus; quamvis palam vultus simulatione testaretur se pietatem ipsam esse. Haec paulo fusius, ut videamus quo pacto: Peccatum transgressio nascatur ex peccato morbo. Iam proximum est ut ostendamus quo pacto simus a lege liberati et peccato.

A lege non sic sumus liberati, ut quae lex vult, facere non debeamus: nam lex dei voluntas est incommutabilis. Nullus enim omnino apex de lege excidet, Lucae 16: 17. Quomodo ergo legi sumus mortui per Christum, ut iam simus alterius quam legis, quemadmodum Rom. 7: 4. per similitudinem uxoris docuit Paulus? Sic sumus liberati: Qui amat, libere omnia facit, etiam gravissima. Immisit ergo deus ignem in corda nostra, quo amorem sui pro amore nostri accenderet; et hunc ignem vult ardere, Luc. 12: 49. Promiseratque hunc ignem et Baptista et Christus ipse in coelum abiens, Actorum 1: 5. qui ignis charitas est, et deus charitas est. Quae si in nobis ardeat, nihil iam coacte faciemus, sed libere iucundeque omnia: absolutio enim legis est charitas. Lex enim cum taedio ac simulate fiebat, cum non arderet charitas. At ea ubi accensa est, non spectatur lex, tam abest ut metuatur; sed vehit in omnibus et ad omnia charitas. Et sicut de his qui adfectibus vincti sunt, dicimus quod ferantur: sic qui amore divino incensi sunt, eo spiritu feruntur qui in ipsis ardet. Habemus ergo unum genus liberationis a lege, quo per charitatem facimus quod deo placitum fore scimus. Hoc enim docet Rom. 12: 2. Paulus, deo gratum esse. Alterum genus libertatis a lege est, quod lex ultra damnare nequit, quae tamen prius iram, indignationem iustamque dei vindictam operabatur, Rom. 4: 15. et Galat. 3: 10. Deut. 27: 26. ubi severe intonat divina iustitia: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Christus ergo redemit nos de hac legis maledictione, quum ipse pro nobis maledictum factus, id est, quum pro nobis cruci adfixus est, Galat. 3: 13. et Rom. 6: 10. Iam non sumus sub lege, sed sub gratia. Quod si sub gratia, non potest ergo damnare lex: nam si lex adhuc damnandi imperium obtinet, non sumus sub gratia. Christus ergo est qui legis iram fregit, hoc est, qui iustitiam dei, qua merito in nos saeviisset, lenivit, ac crucis asperitate pro nobis perlata sic demulsit, ut non modo liberos ex servis, sed etiam in filios cooptaverit. Quod si filii sumus, ut certe sumus, Rom. 8: 14. Gal. 3: 26. iam supra legem sumus. Nam si filius nos liberavit, vere liberi et ingenui sumus, Ioan. 8: 36. Liberati ergo sumus a lege, cum legis timori charitas surrogata est. Quum enim deus sic nos dilexerit, ut filium suum pro nobis tradiderit, nonne ad redamandum prae omnibus accendit? nam pro iusto et amico fortasse aliquis mortem subeat; deus autem quum inimici essemus, filium misit, qui liberaret et cohaeredes suos faceret. Liberati sumus iterum a vindicta legis: nam Christus eam mulctam, quae pro peccatis nostris debebamus, sua calamitate solvit; a peccato vero quatenus morbus est sic liberati sumus, ut nocere amplius nequeat, si Christo fidimus. Nihil enim damnationis his qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Quatenus autem transgressio est, eodem modo sumus liberati ab eius noxa, quo a legis ira, Rom. 8: 2. Lex enim spiritus vitae, quae est in Christo Iesu, liberavit me a lege

peccati et mortis. Nam cum dicimus: Lex damnat, nihil aliud dicimus, quam: peccatum quod contra legis voluntatem fit damnat. Unde diximus: eadem ratione de liberatione peccati statuendum est, qua de liberatione damnationis legis statutum est. Quum autem post haec omnia in nobis ipsis experiamur morbum adhuc tantopere vigere, ut nunquam non peccemus, dixerimusque salutis spem penitus nullam esse iis, qui novi homines facti non sint, in veterem nimirum desperationem cogimur. Quocirca praeparatis iis, quae ad hanc difficultatem eruendam adtinent, nunc docebimus, quo pacto novi homines simus, etiam quum veterem adhuc sentimus; hoc est, ut plane dicamus: Qui fiat ut ii qui in Christo sunt, etiam si peccent, non tamen damnentur. Ac ut hoc tum expeditius tum opportunius faciamus, Pauli verba Rom. 7: 7 sq. tractabimus.

Coactus fuit Paulus eandem quaestionem ventilare, cum controversiam iustorum ex fide et iustorum ex operibus componeret. Quorum isti sic obiiciebant, Rom. 6: 1. Manebimus igitur in peccato, ut gratia abundet? Cui obiectioni sic occurrit, ut octavo tandem capite, quod colligi vult, pronunciet. Quo diligentem lectorem mittimus. Nos ab istis ordiemur, quae potissima ad hanc quaestionem expediendam videntur. Sic ergo quaerit Rom. 7: 7. Paulus: Quid ergo dicemus? Num lex peccatum est? Nequaquam, sed peccatum non novi, nisi per legem. Concupiscentiam enim ignoravissem peccatum esse (paraphrasticos enim interim loquar) nisi lex dixisset: Ne concupiscas! Sed peccatum occasione capta per praeceptum, ceu per gnomonem aut perpendiculum (est enim prosopopoeia) dimensum est in me omnem concupiscentiam. Hoc est, quum peccato lex in manum venit, iam voluit omnia metiri et expendere, tandemque effecit, ut didicerim omnem humanam concupiscentiam esse peccatum: ex morbo enim omnes scaturiunt. Atque ut iste sensus sit, ostendunt quae continue sequuntur: Sine lege namque peccatum mortuum est. Me vobis exemplum facio: Ego vivebam aliquando sine lege, quum per aetatem legis nomen etiam ignorarem. Ubi vero praeceptum venit, iam revixit peccatum. Erat quidem morbus *φιλαυτίας* et concupiscentiae in me, sed ego ignorabam haec esse peccatum, putans licere quod amor sui suasisset. Sed cum promulgaretur lex: Ne concupiscas, iam revixit peccatum; non quod nova aliqua in me incesserit mutatio; sed, quod prius ignoraveram iniquum, per legem sensi iniquum esse. Ego vero mox ut vidi, concidi. Nam quicquid in me aspiciebam, concupiscentia carnis erat, oculorum, manuum, ventris, et immensus quidam vitae fastus. Unde nihil nisi vitae mihi desperatio nasci potuit. Veruntamen hoc interim non tacendum est, ne quis ex hoc meo casu legem ceu veneficii infamet, quasi illa me occiderit. Lex se mihi exposuit, ut ostenderet me prius mortuum esse, sed perniciose non intelligere, quid mors, quid vita sit, voluitque me vitae et innocentiae restituere. Verum hoc cessit mihi in mortem, non legis, sed meo vitio. Nam peccatum, ut est curiosum sed stolidum (en prosopopoeiam) malum, legem, veluti regulam nactum, omnia emetiri coepit. Et Lex me decepit: nam maxima parte saltem, me ipsum iustum existimabam, sed vehementer fefellit opinio. Sic enim omnia scatebant flagitiis, sic omnia contaminata erant et impura, ut sicut dixi, protinus concciderem.

Nam, ut ingenue dicam, nulla huius mei casus culpa legi debet imputari. Haec enim sancta est, similiter et praeceptum sanctum, iustum ac bonum. Quod si nunc me putes ista dicere, ut hoc quod bonum est traducam, quasi ipsum mihi mortis causa sit, erras: nam lex non occidit me, sed ego me ipsum inveni lege monstrante mortuum. Peccatum enim (ecce iam tertio prosopopoeiam) ut adpareret quid esset, per bonam legem reddidit me mortuum, ut peccatum (ecce quarto) per legem se ipsum maximum peccatorum constitueret. Hoc est, peccatum, legis admiratione captum, voluit omnia per ipsam explorare; veruntamen nihil effecit, quam se supra modum esse peccatricem. Atque ista prima pars est, qua discimus nos nihil quam luem esse aliquam. Secunda pugnam carnis et spiritus continet. Sequitur ergo:

Scimus enim, quod Lex spiritualis est. Ego vero, ut ad me redeam, quem pro exemplo proponere coëperam, carnalis sum, venumdatus sub peccatum, non aliter quam *Κὰγ ὅλος* aliquis, hoc est vile mancipium, quod tanquam illiberi Cappadoces nihil novit esse quam mancipium. Nam ut iugum meum intelligatis, quum iam ad Christum conversus sum, adhuc morbi tantum esse reliquum video, ut quum quid operari incipio, statim sic undique vitia ingruant, ut contra quam per fidem cupiam, opus egrediatur. Et sic fit, ut quod facio, nec agnoscam, nec probem. Non enim hoc facio, quod statueram iuxta fidei consilium, sed contra potius hoc facio, quod odio habeo. Nunc attendite an uspiam legem accusem. Quum, ut dictum est, hoc facio quod nolo, tacite consentio legi, testimoniumque ei perhibeo, quod bona sit: nam ipse quod Lex iubet, ea gratia statueram facere, quod bonum videretur. Quum igitur aliud iuxta rationem fidei statuo, aliud autem longe diversum facio, ego nimirum hoc non facio, sed peccatum quod in me habitat, id est morbus, cui omnes obnoxii sumus. Novi enim quod in me, hoc est in carne mea, bonum non habitat. Neque carnem hic putetis me adpellare, quae nobis cum bubus communis est: quis enim ignorat in ista nihil boni esse? aut quid magni dixisset qui negavisset isti quicquam boni adesse? levius hoc esset quam apostolicam gravitatem deceat; sed de toto homine loquor, qui nihil quam caro est, si sibi permittatur, ut Genes. 6: 3. Deus ipse locutus est, nihilque cogitat aut statuit, quod malum non sit. Attamen, si spiritus dei accedat, qui illuminet, ut se homo deumque agnoscat, iam trahit homo ad partes suas, nihil quam voluptates pollicens: spiritus vero contra ad se trahit, promittit aerumnas, et delicias tandem aeternas. Hic certamen nascitur: nam dum spiritui aurem praebeo, ad pie vivendum animum induco; rursus cum carni ausculto, torpet ista, renuitque sequi. Sic fit, ut voluntas mihi adsit quidem, sed cum rem effectam dare debeo, sic omnia desident, ut nihil faciam: non enim bonum quod volo, sed quod nolo malum hoc facio. Quum ergo quod ipse, quatenus spiritui obtempero, nolo, tamen facio, iam non ego istud facio, sed vehemens iste peccati morbus, qui in me habitat. Invenio itaque legem, quum quod bonum est facere statuo, quod mihi malum simul tenacissime adhaeret: sentio enim haud parum delectationis in interiore, hoc est spiritui aurem praebente, homine, quum legem dei audio, meque ad illam componere incipio; sed simul

video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meae iam spiritui obtemperantis, quae membrorum, sive lex, sive vis, me captivum trahit sub legem peccati, quae in membris meis est. Loquor vobiscum altis quidem sententiis ac gravibus, sed simplici sermone: quamvis eum pro viribus condiam, ut feliciter illabatur. Hoc diserte volo, quod dum consentio per interiorem et a deo doctum hominem legi dei, et me iam ad eam formare ordior, subito prosilit veteris hominis vis, ac alio me rapit, huc videlicet, ut quod statueram deseram, et ad carnis castra deficiam. Sic distrahor, sic ambigo, sic nec corvus sum neque columba, ut me mei supra modum pigeat. Quum enim mens deo iam addicta illi unice haerere, et quae ei placita sunt, facere satagit, protinus rapit me carnis impetus ceu turbo vehemens, et in peccati nervos captivum coniicit. Illic tum incessanter his vel consimilibus ingemisco: o me infelicem hominem, qui per dei gratiam quod verum rectumque est, cognosco, sed quum sequi tento, per hanc pollutam carnis vim, aut potius impotentiam ac mortem alio distrahor. Quis deus dabit ut liberer ab hoc corpore, quod mors rectius quam corpus deberet adpellari?

Hactenus, o charissimi fratres, dissidium, quod inter legem et veterem hominem intercessit, declaravimus. Hinc ascendimus a lege et vetere homine ad veterem hominem et novum, fecique ex uno homine duos: internum qui spiritui obtemperat, et veterem qui a lege sua nusquam discedit, hoc est ab amore ac existimatione sui. Inter istos nunquam non bella invenis: caro enim concupiscit adversus spiritum, et spir tus adversus carnem. Hinc perpetuae pugnae, vincit nonnunquam caro; et quamvis non omnes copias spiritus fundat, hoc tamen efficit, ut non quod volumus, faciamus. Quo fit, ut Christiani hominis vita, ut ab his quae extra nos sunt nihil accidat, continua tamen pugna sit. Quae et me toties contristat, turbat, et pia vota confundit, ut quemadmodum iamiam dixi per impatientiam desperationisque propinquitatem crebro exclamem: Infelix ego, quis liberabit me de hac miseria? Nunc vero tertio loco, ne quicquam vobis desit, ostendam quid me in eiusmodi angustiis conclusum soletur. Scitote igitur, quod quum ad hunc modum diu multumque intra me pugnavi ac sudavi, nullum iucundius remedium adspiret, quam quum Christi mentio incidit. Hoc comprehenso laetus enato, qui naufragio proximus fueram: sic enim reputo: Deus ille, qui filium suum pro te expendit, nihil negare potest, et imbecillitatem tuam non ignorat; cumque te aliquando longe latius absentem ab eo, nempe hostem, in gratiam receperit, multo magis nunc quum ille ipse filius eius revixit, salvum faciet. Rom. 5: 21. Hic iam remittere incipiunt aestus illi et pavores, hic animus quiescere ac omnino respirare. Quod ubi factum est, iam ad gratiarum actionem accingor, quam et deo patrique meo ago per Christum Iesum dominum nostrum. Adsunt autem iterum aliae pugnae, quod ea gratia dico, ne securi et oscitantes post unam alteramque pugnam imprudentes in discrimen incidatis; atque post illas item aliae, ut non aliter videatur mihi habere Christiani hominis vita, quam immani tempestate navis huc illuc iactata, quam nautae nunc gubernaculis paululum dirigunt, nunc ventorum impetui dare coguntur.

Quod ego ipse, si quisquam, in me expertus sum: nam quantus quantus sum, sentio tamen interim me deo, interim vero carni servire. Perstat mens in meditatione earum actionum, quas lex dei iubet, deum amat, eius misericordia fidit, ei placere in omnibus studet. Perstat et caro, quae ingenium haud magis mutat quam vulpes ac lupi. Ea demum efficit, ut nolens peccem, mente constanter per immotam spem deo adfixa. Non dubito autem, ut cuivis potest contingere quod cuiquam, vobis idem evenire quod mihi: ut enim nemo est a morbo isto liber, ita nimirum neque a pugna. Erit ergo istud in hac re tamquam sacra ancora tenendum, ut a spe tamen et gloria filiorum ac heredum dei nullatenus excidamus.

Quod si firmiter tenuerimus, ut postremam manum huic difficultati imponam, nulla nos attinget damnatio; sed ea lege, ut secundum spiritum ambulemus, non secundum carnem. Veruntamen, ut intelligatis quid sit secundum spiritum ambulare, quatenusque istud nobis, dum in mundo agimus, concedatur, advertite: Vitalis ille spiritus Christi, quem si propter oppositionem placet vocare Legem spiritus, vocetur, quo me per ipsum in cordis penetralibus sentio liberum esse a iusta dei vindicta, et in coheredem suum cooptatum: is, inquam, spiritus liberavit me a lege, hoc est vi atque necessitate, peccati et mortis. Cum enim hactenus per legis opera salvi fieri non potuimus propter carnis imbecillitatem, ideo misit deus filium suum carne indutum, nostrae morbosae ex omni parte, praeter morbum ipsum, simili, et ille damnavit morbum, quod tantum scelerum quotidie in nobis excitaverit; damnavit autem sua carne, hoc est, quum ipse iuxta humanam imbecillitatem mortem pro nobis pertulit, ut ius legis, quod nemo servare poterat, eius opera in nobis impleatur: quod enim ipse unquam vel fecit vel tulit, nobis tulit. Unde et eius iustitia nostra iustitia est: si modo non secundum carnem ambulaverimus, sed secundum spiritum. Qui enim carnales sunt, carnalia consultant, cogitant, sectantur; contra, qui spirituales sunt, quae spiritus sunt cogitant ac sectantur: tametsi crebro vitia incidant, ut vita nostra non sic exeat, quemadmodum eam apud interiorem hominem finxeramus. Arx firmiter tenenda est, ne scilicet nos totos carnis sensui dedamus. Etiamsi intelligamus ea crebro contra voluntatem spiritus nos ad peccandum trahi, negandum tamen semper est illi imperium, semperque oculi redaperiendi, etiamsi septies in die propter carnis nebulas caecutiverimus; at semper de novo lex, hoc est dei voluntas spectanda, innocentiaque denuo molienda. Acriter ergo cavendum, ne spreto spiritus sensu carnem sectemur: sensus enim aut consilium carnis mortem praesentem adfert: contra vero, consilium spiritus vitam ac pacem parit. Sensus cogitatioque carnis inimicitia est contra deum: legi enim dei nullo pacto obtemperat, nec cogi potest ut obtemperet. Unde facile videre potestis quid sit carnaliter, quid vero spiritualiter vivere. Carnaliter vivere, est totum carnis imperio addictum ac alienum a spiritu esse; spiritualiter autem, spiritui obtemperare, a fide nusquam discedere, etiamsi caro interim a contagione peccati non est aliena. Qui ergo in carne sunt, deo placere non possunt. Vos autem non estis in carne,

sed in spiritu, si modo spiritus dei habitat in vobis. Tunc autem habitat in vobis, si fidatis filio dei, quamvis temporaria sitis carne circundati. Qui autem hunc Christi spiritum non habet, hic non est eius. Quum vero Christus in vobis est, ut apertissime loquar, corpus nihilo secius mortuum est propter morbum peccati; spiritus autem vivus est propter iustitiam non tuam, sed eius qui tua factus est iustitia. Talis res est Christianus homo, ut corpore nunquam non sit mortuus; ac contra, quum mens eius deo haeret, spiritu simul nunquam non vivat.

His Apostoli verbis expeditam esse arbitramur difficillimam quaestionem, qua haeremus, qui fiat ut innocentia exigatur, quam praestare nulla via possimus, et tamen Christus pro omnium delictis efficax pignus sit: nam simul constare nequeunt innocentia salutem parari oportere, et Christi iustitiae omnia condonari, ea maxime causa, quod salutem nostro Marte adsequi nequeamus. Et quamvis ei obiectioni, quam supra diximus, satis factum sit, tamen ne rudiusculis quibusdam quicquam desit, denuo respondebimus. Obiectum erat, hac amplificatione gratiae per Christum leves reddi ac dissolutos, qui Christiani vocantur. Sic ergo respondemus: Qui Christo fidunt, novi homines facti sunt. Quomodo? an posito pristino corpore novum induere corpus? Minime, sed manet pristinum corpus. Manet ergo hereditarius simul morbus? Manet. Quid ergo est quod in ea instauratur? Mens. Quo pacto? Isto, quod prius erat dei ignara: ubi autem dei ignoratio est, illic nihil quam caro, peccatum, existimatio sui est. Postea vero quam deus agnoscitur, iam perspicit homo se intus et in cute, cognitumque abiicit: quo fit, ut simul omnia opera sua, ea etiam quae hactenus bona solebat aestimare, videat nullius esse pensi. Quum igitur per illuminationem coelestis gratiae mens deum agnoscit, iam novus homo factus est. Qui enim prius confidebat in sapientia sua, in operibus, opibus aut viribus, iam in solum deum sperat. Qui prius omne consilium advertebat, ut sibi bene esset, nulla honesti aut dei habita ratione, iam ad hoc unum intentus est, ut nihil pristinae consuetudinis servet, sic vero se ad dei voluntatem formet, ut nusquam offendat. Dum autem corpus perpetuo mortua quaedam opera parturit, deplorat hic noster perpetuo quoque eam calamitatem ac miseriam. Eheu bone deus! quid sum, quam inexhausta malorum sentina? iterum atque iterum pecco, neque finem facio. Quando tandem liberabis infelicem de hoc luto in quo haereo? Vide obiter, an Christiana vita sit perpetua poenitentia necne? Haec autem deiectio, quid aliud est quam mors? Attamen quum hic mens per dei spiritum a spe non excidit, nonne reviviscit iam conscientia quae paulo ante conciderat? Haec est ergo Christiana vita, quum spes in deum per Christum nunquam labascit, etiamsi homo per infirmitatem carnis absque peccato non sit; sed tamen hac una ratione superet, quod se ei non dedit, sed quotiescunque tandem cadat, semper resurgit, certus eum qui Petro dixit septuagies septies ignoscendum esse, ipsum non minus quam docuit ignoscere. Videmus, ut exempli causa dicamus, quiddam non dissimile huic sententiae in arborum insitione fieri. Effodit Agricola silvestrem pirum, transplantat in terram cicurem ac pinguem: ubi iam hospes arbor in aliena terra radices iecit, caput ei putatur ac mitium arborum surculi inseruntur,

qui deinde simul cum trunco adolescunt. Sed vide quam dissimilem foetum edant! gemmant generosi calami, ac piris onusta brachia, quum tempestivum est, colono praebent. Contra vero armat se truncus spinis asperisque stolonibus: quos nisi pampines, audent et ipsi moliri fetum suum. Quantó vero ipsos magis augescere pateris, tanto magis vero mitique surculo detrahitur. Silvestres piri homines sumus (nolo enim ad morem Pauli Rom. 11: 17 sqq. de olea loqui, Germanis ac fere Gallis ignota arbore) qui dum coelesti doctrina imbuimur, in novam terram serimur. Abnegari enim opus est eum, qui Christum sequi vult, et audire solummodo quae ille iubet aut monet: quod quid est aliud quam e silva in hortum pinguemque terram transponi? e terra in coelum transplantari? Sed vide quanta sint et quam difficilia, quae simul nisi fiant, frustra hanc sationem tentemus. Caput rescindi oportet, hoc est sensum nostrum, sapientiam, cogitationem, consilium, et in eius locum coelestes surculos inseri, hoc est cognitionem et spem rerum divinarum. Inserimur ergo superne; et sicut truncus simul cum calamis augescit, sic et corpus ingenium suum servat, etiamsi mens per coelestem spiritum immutata sit. Iam spiritualis mens fructus edit, quos Paulus Galat. 5: 22. describit. Profert et caro abortus suos, non aliter quam truncus stolones et spinas. Attamen, ut ista sine intermissione resecantur, sic et vitia quae ex trunco carnis prodeunt, continue studioseque amputata oportet, ne in tantam amplitudinem silvescant, quo aut fructus cicures adobruere, aut succum detrahendo imminuere possint. Feruntur autem et spinae nonnunquam in caudice florescentes, ut eis infestus arceatur caper, donec sic emineant, ut nocivum dentem evitare possint. Sic et in nobis, quum mens pia est, quae oriuntur scelera in usum aliquem prosunt: scimus enim, quod deum diligentibus omnia cooperantur in bonum, Rom. 8: 28. Sed non sic prosunt, ut perpetuo tolerari debeant, verum usque ad eum usum quem dominus per ipsa effectum vult. Peccaverat David sic, ut nunquam quicquam apud Iudaeos factum sit impudentius; sed dominus hac eius audacia sic abusus est, ut eum per omnem vitam ab elatione tueretur. Sic et pii homines, qui mente domino adhaerent, crebro spinarum ortu, id est peccatorum scaturigine, nihil quam imbecillitatem suam discunt agnoscere, seseque deiicere, ne innocentia sua, ut putant, elati, cadant in laqueum diaboli. Texit hanc sententiam pulcherrime Christus allegorico sermone, Ioan. 13: 10, quum Petrum sic docet: Qui lotus est, non habet opus, quam ut pedes lavet, sed est mundus totus. Quid, sapientissime magister, quomodo mundus est aut lotus, qui tam impuros pedes habet, ut ablutione opus habeant? An pedes non sunt corporis pars? Quomodo ergo totus est mundus, cuius pedes adhuc immundi sunt? Addit ergo Christus: Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim, inquit Evangelista, quisnam esset qui eum traderet. Mundi erant omnes praeter unum, quia in fide hactenus perstiterant. Cuius rei testimonium Christus eis praebet Lucae 22: 28. Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Sed immundus erat Iudas: iam enim de proditione cum Iudaeis convenerat. Adhuc deerat reliquis apostolis quiddam; sed quod deerat, nocere non potuit, quam diu arx fidei teneretur. Quum ergo apostoli mundi pronunciantur,

quod a fide non descivissent, etiam si per hanc pollutam viam incedendo quicquam pulveris adhaesorat: constat plane, quod si fides in deum salva sit, ac eius integrae copiae, quod reliqua quae accidunt perdere nequeant. Abluuntur autem perpetua ista, quam diximus, poenitentia, et in Christum fide. Tractat eandem sententiam Paulus Rom. 8: 10. Posteaquam enim dixisset corpus quidem mortuum esse propter peccatum, spiritum autem vivum propter iustitiam in Christo inventam, probationis loco iungit: Si enim spiritus eius, qui excitavit Iesum ex mortuis, habitat in vobis, nimirum qui Christum excitavit, vivificabit et mortalia corpora vestra propter spiritum eius inhabitantem in vobis. Sed non aliter vivificabit, quam ut corpus perpetuo sit mortuum. Sic enim postea loquitur: Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed per eum qui subiecit eam spei, quod ipsa liberetur a corruptionis servitute, restituaturque in libertatem gloriae filiorum dei. Experti enim sumus quod omnis creatura, hoc est omnes homines (sic enim et Christus omnes homines adpellat, Marci 16: 15. Praedicate Evangelium omni creaturae) ex aequo gemunt et dolent quam diu nunc, hoc est in hoc tempore vivunt. Adeo etiam, ut nemo nos, qui primarii sumus apostoli (propterea quod primi spiritum sanctum accepimus) ab hoc gemitu ac dolore debeat excipere: aeque enim atque ceteri propter carnis inobedientiam gemimus, cupientes dissolvi, et cum Christo esse. Et paulo post eum gemitum et angorem clarius explicat: Similiter et spiritus auxiliatur imbecillitatibus nostris. Spiritum autem hic intelligit spiritualem hominem, qui per dei spiritum sic erectus est in deum, ut illum solum suspiciat. Is ergo spiritus noster, qui nihil aliud est quam fides in et per deum, incessanter dolet de imbecillitatibus nostris. Nam nos non videmus quid oremus: saepe enim fit ut egestatem, morbum, humilitatem deprecemur; hic iam spiritus, hoc est fidelis mens, intercedit pro nobis gemitibus inedicibilibus. Quantus enim putatis generatur dolor menti deo addictae, quum carnem, id est hominem carni tantopere obnoxium, hoc est amori sui, perpetuo videt ea solummodo precari quae ipsa cupit, nunc vindictam, nunc gratiam hominum aut rem? Gemitus ergo menti ex ista constanti carnis stultitia nascuntur, quos nemo novit, quam is qui his angustiis constringitur. Quod autem iste sit germanus huius Paulini loci sensus, probant quae sequuntur: Is enim qui corda scrutatur, novit quodnam sit consilium aut cogitatio spiritus. Spiritus ille sanctus, quo omnes et spiramus et deo fidimus, cor non habet. Loquitur ergo Paulus de spiritu qui cor habet, hoc est de hominis spiritu, id est pia mente. Et est sensus: Audet homo, ut est sui studiosus, nonnunquam a deo petere quae aequum non est ipsum dare, aut hominem accipere. Hic protinus pia mens sudat, propter audaciam carnalis hominis (nam hic quemvis omnino hominem duos facit Paulus) et ad deum clamat flebilibus quibusdam ac nobis inexplicabilibus gemitibus, dolens de pertinaci stultitia, veniamque precatur. Quod si hoc tum fit quum orando erratur, quanto magis quum peccando delinquitur? Confugit spiritus ad deum, queritur male paruisse carnem, pudet etiam atque etiam venisse hinc taedium vitae et carnis. Sed deus qui corda novit plane videt quid fides aut pia mens consultet: nempe

quod sollicita sit pro salute hominis et nunquam non clamet ad deum pro sanctis, id est fidelibus, se ipsis scilicet. Dat autem benignus deus, ut ea, pro quibus pia mens anxia est, in bonum cooperentur. Mortuus ergo perpetuo est homo, id quod ex operibus eius declaratur; vivit simul perpetuo, quod ex mentis angustiis sentitur. Iam vide, an doctrinam istam capiant, qui fide arrecta in deum non sunt!

## DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

Quum ex supradictis facillime colligi possit quidnam sit peccatum in spiritum sanctum, opportunum duximus hoc loco de ipso disserere. Quum ergo Christus Matth. 12: 31. ait: Omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus; spiritus autem blasphemia non remittetur hominibus. Et qui dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei; qui vero dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in isto saeculo neque in futuro: clarum est ergo ex superioribus Christi verbis, Ioan. 13: 10. Qui lotus est, non opus habet quam ut pedes lavet, si fidem habeas, nullum omnino peccatum esse quod non deleatur. Nam ubi fides est, tametsi nunquam non sis peccator, nunquam tamen desinis infelicitatem propensionis ad peccandum deplorare, semper te denuo formare coeptas. Contra vero, ubi fides non est, illic nec peccati ratio habetur, nec timoris dei. Simulet interim quisque quicquid velit, murmuret, ieiunet, esurientes pascat, si fidem in deum non habeat, fucus sunt omnia ista, gloriaeque pretium. Summa igitur in deum blasphemia est ei non fidere. Ex qua deinde manifestae contumeliae procedunt. Dicit enim impius in corde suo: Non est deus; quumque hoc dixerit, iam et opus dei blasphemat, quemadmodum dicto loco Matth. 12: 31. hypocritae faciebant. Adparebant simplici popello ardentissimi esse dei cultores, quum essent atrocissimi hostes: hinc opus dei blasphemabant. Quum enim Christus vi divina daemonem hospitio humano pepulisset, daemonum principis vi factum esse calumniabantur: quae calumnia non aliunde quam ex perfidia proficisci potuit. Quod enim Christum non credebant dei filium esse, in causa fuit, ut opus illius calumniarentur. Quod autem prorsus ἄθεοι, hoc est animines essent, causa fuit cur Christo non crederent. Si enim deo fisi fuissent, fieri non potuisset ut deum non agnoscerent. Sola ergo perfidia, quam et infidelitatem et incredulitatem voeamus, est quae nunquam remittitur: nunquam enim tenet aut colit deum, nunquam metuit eum, nunquam se ad eius voluntatem componit, nunquam peccata vitat ne eum offendat. Contra vero facit pietas: ad deum perpetuo est adfixa, utpote ad unicum thesaurum, unico adhaeret, unicum colit, ab illius vultu pendet, cavet ab iis quae eum offendunt; quum vero ista per imbecillitatem admisit, anxio fletu errorem deplorat. Hic nulla est peccandi securitas, sed vigilans ac fida statio ne aliqua parte peccatum obrepat. Nullus ergo tam diligens custos est, qui caveat ne pecces, quam fides. Quod autem Ioannes 1. capit. 5. de peccato ad mortem dicit, nihil aliud intelligit quam incredulitatem, quod propius intuenti facile patet. Si, inquit, quis videat fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, obsecrabit et impetrabit, vel dabit ei vitam, ac nimirum omnibus non peccantibus

ad mortem. Est enim peccatum aliud ad mortem, pro illo non iubeo ut quis oret; aliud autem non ad mortem, pro isto ergo debetis orare. Ut quum quis iniuria quem adficit, gravis res est; sed quanto gravior est, tanto nos qui membra inter nos mutuo sumus, debemus orare deum, ut noxam tam immanem remittat. Sed ut peccatum in spiritum sanctum, fideique custodia clarius intelligatur, adiungit: Scimus, quod omnis qui ex deo natus est, non peccat. Quomodo, amantissime Christo discipule, non peccat qui ex deo natus est, quum ipse neges quemquam esse mundum? an ex deo nemo natus est? Omnes enim peccamus et offendimus in multis omnes: ex deo ergo nati sumus? Et vos qui primitias spiritus accepistis, gemitis. An peccatum gemitis? quomodo ergo ex deo nati estis? Vide ergo ut respondeat, ac se ipsum exponat divinus homo. Verum inquit, qui ex deo natus est, custodit se ipsum, et malus daemon non attingit eum. Ecce custodiam ac diligentiam, ne videlicet pecces, et ubi peccasti sollicitudinem ut lachrymis abluas, et denuo non pecces. Quam anxietatem non habent qui increduli sunt. Desiderent multi multa de peccato in spiritum sanctum, eo quod veteres tot ambagibus in ea materia totque sinibus peragratis difficulter viderint quidnam sit; nos istis contenti sumus. Neque enim Angelus de coelo aliter docendo efficere posset, ut fidelis mens crederet aliquod esse peccatum quod per Christum non expietur: haec enim est solida fides in Christum. Relinquitur ergo solam esse incredulitatem, cui venia denegetur.

Iam impostoribus istis qui ne taceant (quum ferre nequeunt omnia peccata per gratiam Christi ablui: mallent enim ipsi accepto pretio, etsi non expiare possint, videri tamen) qui inquam ne taceant, dicunt Christum pro originali modo culpa perlitasse, aut pro eorum tantummodo peccatis, qui ante ipsum fuerunt. Quorum errorem vel unicum istud Baptistae praeconium: Ecce agnus dei qui tollit peccatum mundi, simul profligare quum posset: non enim originale peccatum tantum est in mundo, tollit autem Christus omnia mundi peccata: volumus nihilominus clarissimum 1. Ioan. 2: 1. testimonium non omittere, ne qua quid possint obtendere. Filioli, inquit iste, haec scribo vobis, ut non peccetis; et si quis peccaverit, advocatum habemus apud vel erga patrem Iesum Christum iustum, et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; et non pro nostris tantum sed pro totius mundi. His ergo testimoniis contenti hic erimus, quum superius abunde probatum sit Christum omnibus esse salutarem. Vera ergo Christi religio haec est, qua miser homo de se ipso desperat, et omnem cogitationem fiduciamque in deum iactat, certus, quod is nihil negare possit, qui filium suum pro nobis impendit; et quod filius, qui aeque deus ac pater est, nihil negare potest, quum noster sit. Falsa vero religio inane Christi nomen circumfert, quum spes suas alibi habeat: alius enim peccata sua ut abluat, ebrios cantores, alius monachos ad ieiune psallendum conducit, alius ambitiosas aedes excitando, alius pretiosam vestem concinnando divorum alicui mercari se putat felicitatem, alius proprüis, alius alienis nititur operibus. Breviter quotquot civitates sunt, tot et dii sunt: quaelibet enim habet peculiarem aliquem divum, cui tutelam suam acceptam ferat. Quemadmodum et Hieremias queritur 2: 28. Secundum numerum

quippe civitatum tuarum erant dii tui Iuda. Det deus optimus maximus, ut caecitatem nostram omnes agnoscamus, et qui hactenus creaturis haesimus, iam creatori adfigamur, ut is nobis unicus thesaurus fiat, apud quem cor nostrum versetur. Hactenus de colophone et capite Christianae religionis: satis enim arbitramur istis qualibuscunque fieri iis, qui pii sunt, ad videndum, quo spes suas destinare, et unde avellere debeant.

## DE CLAVIBUS.

Clavium materia quum non modo cognata sit Evangelio, sed nihil penitus aliud sit, quam ipsum Evangelium, non alio loco commodius tractari quam isto potest. Rem diximus absurdam iudicio quorundam in Conclusionibus nostris, Germanice scriptis, qui nihil rectum putant, quam quod ipsi faciunt. Sed non poenitet eius sententiae: non enim apud nos nata est, sed coelo delata. Nos enim de clavibus nihil quod non ipse dei filius, os veritatis, scientia incommutabilis prodiderit, attulimus. Saeviant nunc Pontificii, commententur gloriae animalia quicquid libet! nos ei sententiae sic indivulsi adhaerebimus, ut eadem opera possimus a Deo qua ab ea distrahi.

Non constat sibi falsa religio in explicatione clavium, neque quid sint, neque ubi datae sint. Quidam enim claves esse putant authoritatem sacerdoti donatam, qua ipse possit solvere ac ligare pro suo arbitrio; et ideo in absolvendi formula, ut vocant, diserte sic praeeunt: Dominus Iesus Christus te absolvat, et ego authoritate ipsius qua fungor absolvo te etc. Alii vero vim omnem dei verbo tribuunt, ad ministerium vero sacerdoti, haud tamen minus quam instrumento vel organo. Quibus cum bene actum est, ut hanc opinionem suam effuderint, priusquam Romani Pontificis regnum tantopere dilatatum esset. Hodie enim haud impune dicerent ista: quamvis non recte senserint, ut clare patebit. Ubi vero datae sint, sic inter se non consentiunt, ut mirum sit cur Rom. Pontifex (quandoquidem solus scripturam iudicare debet, ut isti somniant) non lege aliqua pronunciaverit ubinam datae sint, ne in re tanti momenti, aut potius emolumenti, tantum dissidium esset. Facile autem potuisset: nam etiam decrevit, quod animae non emoriantur quum corpus extinguitur. Sed absint risus, ubi impudentem impietatem tam procaciter loquentem audit pietas. Sic ergo olim de clavibus diximus: Clavium vocabulum hac ratione a clave reseratoria ad animi libertatem transsumptum est, quod quae abstrusa sunt et vincta, clavi patefiunt ac reteguntur: nam conscientiae eodem modo clausae ignotaeque sunt omnibus quam sibi ipsis. Sicut ergo, quae obserata sunt, sine propria clavi prodi nequeunt: sic et conscientiae solvi liberaeque reddi nequeunt, nisi germana clavi id fiat. Liqueret igitur, vel hinc, quod solus deus mentem absolvere potest, si rationibus res esset ac similitudinibus gerenda. Sed audiamus quid os domini dei nostri loquatur. Quum, ut Matth. 16: 15. legimus, Christus discipulos percontaretur, quemnam se esse putarent, respondit omnium nomine Petrus, ut et omnes interrogati erant: Tu es Christus filius dei vivi. Cui iterum Christus: Beatus es Simon Bar Ionae, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater

meus, qui in coelis est. Et ego tibi dico: Quod tu es Petrus, et in hac petra aedificabo ecclesiam meam, et portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Et dabo tibi claves regni coelorum, et quodcunque liga veris super terram, erit ligatum in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum in coelis. Hic primum istud excutiendum est, quo se velut Herculis clava tuentur, qui claves commentitias et adulterinas miris artibus elaboratas prodiderunt. Id ipsum autem est: Videmus, inquiunt, hic luce clarius, solum Petrum Christo responsum dedisse, Christumque soli Petro loquutum esse. Quo fit, ut claves nullius esse possint, quam Petri, et cui ipse communicaverit. Considerandum est igitur, quod sicut Christus discipulos omnes interrogaverat, sic et Petrus omnium nomine respondit: tametsi hic Evangelista de nullo alio mentionem ullam faciat. Facit autem omnium duodecim mentionem Ioannes 6: 67. quum eandem responsionem describit, ad hunc modum: Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid et vos vultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quem ibimus (ecce ibimus dixit omnium nomine, non ibo)? Verba vitae aeternae habes, et nos credimus et cognovimus, quod tu es Christus filius dei. Quod si ista responsio: Tu es Christus filius dei, meruit ut claves promitterentur, ut certe meruit, omnibus ergo promissae sunt claves: nam omnes praedicaverunt Christum esse filium dei, ut hic Ioan. 6: 69. iam auditum est. Est autem hoc Evangelistis peculiare, ut nonnunquam in commune discipulis omnibus sermonem tribuant, ut Luc. 22: 35. Num quid vobis defuit? At illi dixerunt: Nihil. Nonnunquam vero uni, ut hic Matth. 16: 16. et Ioan. 6: 68. ubi uterque Petrum tantum respondentem facit, sed alter manifeste omnium nomine. Iterum hoc apud eos invenias, quod aliquis eorum alicui uni certo tribuit, quod alius in genere discipulis. Ut Luc. 9: 13. Ait autem, Christus videlicet, ad illos: Vos date illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plures quam quinque panes, et duo pisces. Videmus hic ab omnibus dictum esse: Non sunt nobis etc. Quum tamen Ioannes 6: 9. diserte hunc sermonem tribuat Andreae Simonis fratri. Invenias et tertio loco, aliquid Christum uni aut duobus nominatim promisisse, quod tamen omnibus porro tribuit. Ut Matth. 4: 19. quum Petrum et Andream vocat, sic ait: Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum. Et paulo post de Ioanne et Iacobo sic loquitur Evangelista: Et vocavit eos. Similiter Matth. 9: 9. Sequere me, non addens quicquam de munere piscatorio, quum tamen omnes sint piscatores animorum facti. Sic et hoc loco nemo ambigere potest, quod Petro dictum est, omnibus dictum esse: praesertim quum eandem opinionem de Christo omnes habuerint, uti ex Ioanne probavimus. Habent et Marcus 8: 30. et Lucas 9: 18, quod ad hanc rem nonnihil facit: quorum iste ait: Increpatis illis, praecepit eis ne cui dicerent hoc; ille vero sic: Et comminatus est eis, ne cui dicerent. Reticere omnibus praecepit, nimirum quod omnes confessi erant. Quibus omnibus constat, Christum non soli Petro claves promisisse, sed omnibus qui interrogati se filium dei esse agnoscebant. Est enim hoc praecipuum in praedicatoribus, ut quod aliis praedicant, ipsi credant. Quum ergo ad praedicandum missurus esset, exploratum habere voluit, non quo

ipse rogando disceret quod alioqui ignoravisset, quum corda scrutetur et renes, sed quo nobis exemplum daret, ne cito manum imponamus cuique; exploratum inquam habere voluit, an illi de se recte sentirent: hoc enim est maxime proficuum ad verbi, id est clavium profectum, si non sit hypocrita qui verbum administrat. Omnino factum est in clavium promissione, quod quisque domi suae facit. Finge te habere duodecim filios, a quibus requiras, ut in rempublicam sint animati; isti vero respondendi provincia natu maximo sive demandata, sive ex consuetudine permissa, pollicentem se omnia propter eam esse subituros, facile fiet, ut Catoni (tale enim nomen primogenito esse permitte), propter cordatam natisque tuis dignam responsionem spondeas, te uxorem bene moratam, formosam, nobilem, ditem quaesiturum, qua posteritatem sperare possit non degenerem. Quid? an aliis non idem praestiturus es? nimirum omnibus uxores dotemque procurabis; nec primogenitum etiam dominum constituisti caeterorum. Sic neque Petrus hac promissione clavium caeteris praefectus est. Ius enim primogenitorum: Esto dominus fratrum tuorum, in Christo desiit: is enim, ut solus dominus est et natura filius, omnem dominatum nobis ademit, iussitque, ut qui natu maior, sit sicut minor: et qui praecessor, sicut minister fiat. Iam satis firmum putamus, quod claves neque solius Petri, neque tanquam domini earum, sint. Et si quid cui deest, expectet donec ad eum locum: Quid claves, et ubi datae sint, venerimus: tum enim facile omnibus patebit eas ex aequo datas esse.

Petri nomen, non hic primum Simoni impositum est, sed primo isto congressu quo eum frater suus Andreas ad Christum manuduxerat, Ioan. 1: 42. Tum enim dixit Christus ad eum: Tu es Simon, filius Ioanna, tu vocaberis Cephas: id est, quum interpretaris, Petrus. Unde et verisimile est, eum postea crebro isto nomine vocatum esse, quemadmodum et evangeliorum historia et ordo habet. Praecipue vero Mar. 3: 16. videre licet dudum Simoni Petro nomen fuisse, priusquam hoc gestum sit quod Matth. 16: 15. describitur. Est igitur hic sermo: Tu es Petrus, causae expositio, cur ei iam olim id nominis dederit. Quasi diceret Christus: Recte nomen tibi Petro dedi: nam tu es Petrus. Solide enim, clare ac constanter confiteris hoc quod omnibus est salutare. Ego quoque super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, non super te: nam tu petra non es. Solus deus petra est, super quam omne aedificium poni debet. Sunt et alii duo filii tonitrui appellati, non quod ipsi praedicari debeant, aut verbum suum tonare, sed constanter dei verbum ebuccinare; sic tu Petre, non es petra. Quo enim concidisset Ecclesia, quum ipse tremulus ad imbecillam ostiariae vocem negare inciperet? sed solidus esse, ac firmus debes in praedicanda vera petra, ut omnes in eam nidulentur, quotquot omnium tempestatum ac procellarum vim superare cupiunt. Hactenus Christi verbum intellexisse divinum Apostolum, ipse testis est 1. Pet. 2: 4. Ad quem, Christum videlicet, accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a deo autem electum et honoratum, ipsi quoque superaedificamini lapides vivi, ut domus spiritualis efficiamini. Ecce ut Petra Christus est? Dicis, et nos petras esse. Sed vide qua ratione Christus petra sit, qua nos.

Christus est super quo aedificium exurgit, nos lapides gregarii sumus in aedificio, quod in Christo fundamentum habet. Solus ergo Christus, non Petrus, nec ulla creatura petra est, super quam ecclesia aedificata perstat contra omnem improbitatem procellarum omnium. De Ecclesia hic esset dicendi locus; sed ne confundamus locos, post claves inventas, ecclesiam quaeremus. Hoc ferme exciderat. Pugnavit hactenus audax Roma de primatu Petri adeo imprudenter, ut quicquid ullam speciem prae se ferret, quae huic argumento serviret, huc detorserit. Quum tamen, si unum Petri sermonem 1. cap. 5. diligenter et ex fide perspexissent, intelligere potuissent, quam temere veritatem contemnant ac contaminent. Presbyteros, inquit, qui inter vos sunt hortor, ego qui compresbyter sum (collega presbyterorum est, non dominus aut caput: ubi ergo sunt qui rempublicam Christianam collabi oportere putant, nisi unus aliquis omnibus praeficiatur?) et testis passionum Christi, particepsque gloriae, quae futura est ut reveletur. Hortor, inquam: Pascite Christi gregem vobis commissum, attendentes vel vigilantes, non coacte, sed voluntarie ac spontanee: non ex turpis lucri studio, sed animi cum benignitate ac propensione: nec ut sortes, dei nimirum, dominatu prematis, sed forma et exemplar sitis gregi. En tibi pompam Christiani pastoris! Gregem pascit sollicite vigilans, non cogit, nisi quantum verbum ipsum cogit; non spectat compendium, sed animi cum propensione, hoc est fide amoreque dei omnia agit, dominatum nullum sibi vindicat, sed unum istud agit, ut exemplum sit gregis inculpatum.

Proximum esset, ut de inferorum portis diceremus, de quibus nonnulli multa: quae nos non improbamus, sed nos hoc contenti dixisse ad alia properabimus. Hoc inquam, quod inferorum portae, inferorum vim potentiamque significant. Sic enim fere in urbibus comparatum est, ut turres, fossae, valla et munitiones simul omnes circum portas sint robustissimae. Hinc istam dicendi formam traxit Christus, docere volens, quod omnis inferorum vis, munitio et securitas Christi adventu excindatur, et quod eadem inferorum vis iis, qui in Christo Iesu sunt, nocere non possit: actus enim est diabolus in Christi triumpho captivus, et chirographum ereptum. Inferorum ergo portae, id est vis ac potentia, nihil poterunt adversus eos qui Christo petra fidunt, multo minus adversus Christum. Veniebat enim aliquando princeps huius mundi, Ioan. 14: 30. et nihil habebat in Christo: frustra enim eo perdito victoriam sperabat.

Sequitur ergo: Et tibi dabo claves regni coelorum. Hic quidam contendunt claves esse praebitas, quo nihil stultius dici potest: dabo enim, inquit, non do, aut en accipe, ut nonnulli Pontifices, verbum adulterantes, in numismata exsculpi curarunt. Promittuntur ergo hic claves, non praestantur. Quod tametsi quidam e scholasticis doctoribus palam prodiderint, fraudi tamen eis non fuit; nunc autem haereticus pronunciatur, qui hoc adserit quod verba tam constanter prae se ferunt. Sed, inquiunt, Christus dixit; fieri ergo oportuit quod dixit. Deo gratia quod huc venerunt, ut tantum Christo tribuant: sed vereor ne figmentum sit, quod ei tribuere videri volunt, neque ex animo fiat, sed ex contentione: quae quicquid potest, in telum vertit, etiam si laedat. Nam quum sic dicunt: Christus dixit, fieri ergo oportuit; protinus nectunt:

At nusquam legimus claves esse redditas; hic ergo datae sunt. Recte ergo iaciunt, cum dicunt: Christus dixit, ergo factum est, sed iam in ipsos telum retorquetur. Nam non sequitur: Non legimus esse datas, ergo non sunt datae, nisi hoc loco. Facile enim fieri potest, ut qui negotio aut contractui interfuerit, deinde quum transitio fiat, absit. Numquid propterea sequitur: Is non vidit res transivisse, nec pecuniam numerari, ergo numerata non est, aut tunc numerata est, quum pacta? Sic et isti nesciunt quid sint claves, ideo ignorant ubi datae sint: nam etiamsi interfuissent cum darentur, prorsus tamen non intellexissent quid datum esset. Debent igitur sic colligere: Christus dixit: Dabo, ergo datae sunt. Nobis igitur videndum est, ubinam datae sint, et non sic colligendum: Nescimus alicubi esse datas, ergo datae sunt ubi promittebantur. Quid enim si tam caeci essemus ut et Christum, nedum claves ignoraremus? Hic ergo variant, qui sic futuri temporis verbo urgentur; quidam enim eorum dicunt, Petro tum esse claves datas, cum Christus dixit Lucae 22: 32. Ego pro te oravi, ne deficiat fides tua, et tu aliquando conversus firma fratres tuos. Quomodo quaeso cum hoc hominum genere agendum est? Christus hic nihil praeter hoc unum egit, ut Petrum animo suo confidentem doceat sic humana habere, ut nisi dominus firmet, collapsura sint omnia quae ipsi praecipimus. Ideo ait: Ego pro te oravi, ne deficiat fides tua; nisi ergo oravisset, excidisset a fide. Quod non modo Petro factum esset, sed quotidie fieret, nisi dominus manu teneret imbecillitatem nostram, ut ne momento quidem in fide consisteremus. At hoc perinde valet, atque: Accipe claves promissas? Firmat nutantem Petri fidem Christus, non prodit claves: nec enim commode tradi tunc poterant, extrema imminente dimicatione. Verum dicunt: Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos, clare ostendit eum aliis esse praefectum. Sic agit contentio. Nos diligenter quaerimus ubinam claves sint datae. Et vos novam ubi non oportet de praefectura mentionem implicatis, sed vide quam non in loco. Vix sonare desierunt verba quibus Christus omnem principatus ambitionem penitus comminuit, et vos audetis ea repetere, quae iam vetuerat? Petrus erat inverecundius quam ullus alius Christum negaturus. Quod ne illi fraudi esset, quasi nunquam posset in pristinum locum restitui (erat enim in iis rebus magnum supercilium) praedixit futurum, ut is caeteros fulciret: non quasi is solus in fide praestiterit, sed quod is fortasse solus propter inconsideratam pollicendi promptitudinem opus haberet ut Christus medelam ostenderet priusquam morbus venisset, qui tamen abesse non potuit. Nam divi Evangelistae Ioannis fides, me iudice, hoc est quantum ex Evangelica scriptura possumus augurari, longe lateque fidem Petri antecessit: is enim introibat, et Petro ingrediendi copiam faciebat. Nec enim sententiam nostram infirmare potest, quod esset notus Pontifici: nam notum esse, quum desciveris ad eum qui hostis est, potius obest quam ut prosit. Et videtur plane Ioannes civiliter hoc praetexuisse, ne de se maiorem animi fortitudinem videretur quam de Petro praedicasse. Sed non semper prosiliebat Ioannes fidem ostentando, quemadmodum Petrus, qui ob id domini munitione magis quam ille egebat. Nam et mater Ioanni credita est, nimirum integerrimo

discipulo charissima mater. Et quum ad sepulchrum ambo simul festinarent, prior etsi non ingrederetur, prior tamen vacua Christo sepulchrum et lintea vidit, nihil veritus custodes abiissent necne. Verum quo ferme praeter casam abii? An hoc: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos, perinde valet, atque accipe claves promissas? Alii vero non satis fidentes huic loco, omnibus posthabitis, ad 21. caput Ioannis convolant, an uspiam possint invenire quod claves Petro soli sint traditae: tunc enim vicisse Papatum putant, regnumque occupavisse. Illic cum Christus tertio et agnos et oves committat pascendos, prodeunt: Ecce hic est locus, ubi Sole clarius videmus claves esse Petro praestitas, iuxta promissionem Matth. 16: 19. factam. Ubi ego (ut inconstantiam taceam, qua paulo ante contendebant Matth. 16: 19. datas, nunc huc inclinant) aequitatem quoque in eis desidero. Nonne enim ii, quibus cum agimus, incessanter clamant, Patres Patres? Qui ergo fit, ut ipsi Patres hoc loco non audiant, quum omnes veteres hanc trinam Christi percontationem dicant esse factam, quo tertiatae negationis ignominia tolleretur? Augustini verba subiecimus, sic dicentis: Redditur negationi trinae trina confessio, ne minus amori lingua serviat quam timori; et plus vocis elicuisse videatur mors imminens, quam vita praesens. Sed fortasse teste uno vinci nolunt, audiant ergo et alterum. Sic habet Cyrillus in Ioan. lib. 12. cap. 64. Nam quoniam cum aliis apostolatus nomine Petrus ab ipso Christo decoratus, ter in tempore passionis negavit, iure nunc ab eo terna dilectionis confessio petitur, ut terna negatio aequali confessionis numero compensetur. Ita quod verbis commissum fuit, verbis curatur etc. Haec isti. Sed dicent fortasse adversarii: Istorum testimonia nihil vetant, quo minus claves sint commissae hoc uno loco: nam amorem requirebat ea gratia Christus, ut claves digno loco locare posset. Ut ergo perspicuum faciamus quam ubique tenebriones isti omnem lucem turbent, et claritatem obscurent, quaeremus primo loco (ut donemus interim claves istic esse praestitas) quum Christus dicat: Pasce oves meas, quid putetis claves esse? Hic nimirum haud minus ambigent, quam cum Christus Iudaeos ex adverso interrogaret: Baptismus Ioannis an ex deo est, an ex hominibus? Nam si nostri isti dixerint: Claves sunt pascere, quippe quum dicat: Pasce oves meas; quod enim de regno adferunt, superius per ipsius Petri verba contusum est ex 1. Petri 5: 1 sqq. Si ergo claves sunt pascere, ut certe sunt, quemadmodum postea patebit, ubi manent dominatus et primatus? quum et aliis apostolis aeque sit verbo pascendi munus commissum ac Petro, quemadmodum Ioan. 20: 21—23. liquet. Ergo claves non sunt hoc loco datae, sed superius. Si vero negaveritis hic pascere pro verbo reficere accipi, iterum incidetis in pristinum errorem, quo verbis significationem nativam adimitis, et vi obtruditis novam, quam ferre nulla ratione possunt. Quod re ipsa et Petri exemplo patet. Re, quod animi non pascuntur, nisi verbo dei, ut ex superioribus dudum patuit; et quod homo vivit in omni verbo quod procedit ex ore dei. Exemplo, quod Petrus per Pascere verbum reficere intellexit, quum tam constanter verbo institit, ut cum reliquis apostolis censeret, non aequum esse propter mensae ministerium omittere verbi provinciam, Act. 6: 2.

Et quod nusquam legimus Petrum quenquam inaugurasse sua potestate vel autoritate, sed potius ab aliis apostolis esse missum, Act. 8: 14. ubi cum Ioanne mittitur Samariam in auxilium Philippi. Deinde non intellexit Petrus per Pascere leges condere: nam Actorum 15: 10. ea sententia non vicit, quam Petrus dixerat. Sed quid cum gryllis istis tam diu agimus, cum videamus eos quicquid producunt non alia causa producere, quam ne videantur esse tacendo inferiores. Quem morbum gentilis quidam depinxit, dicens: Eum hoc agere ut dicat, non curare quid dicat. Solitus est Christus cum discipulis agere sicut fideles praeceptores: unde ipsum et magistrum et dominum vocabant, Ioan. 13: 13. Illi quum omnes cupiant recte formare, qui fidei suae commissi sunt, alium tamen atque alium, alio atque alio tempore vel loco protrahunt, periclitantur aut explorant; nonnunquam unum aliquem docent cunctis audientibus, ut simul omnes discant. Sic Christus volens duo quaedam omnino discipulos docere, Petrum accepit. Unum, ne Petro fraudi esset quod se ter negaverat, apud condiscipulos interrogavit, an se amaret; quod ubi facere audirent discipuli, ut intelligerent Petrum cum Christo in gratiam rediisse, ac loco suo restitutum, ut iam iam patuit: Alterum, ut omnes Petri exemplo discerent (nam omnes ad pascendum mittebantur) hoc unum in pastore deum requirere, ut se amet, non se ipsum: certus, quod qui deum amet, eius negotium fideliter agat. Ex quibus manifestum fit, neque hic claves, neque soli Petro esse exhibitas.

Sunt autem tunc exhibitae quum Christus animorum vita, morte superata, resurrexit, ut habetur Ioan. 20: 23. Capiemus hic uno, ut dicitur, saltu lepores duos: primum enim docebimus quid claves sint; quod ubi factum erit, simul adparebit ubi datae sunt. Claves ergo metaphorice adpellavit Christus animorum liberationem et consolationem: quae tunc fit, quum spiritu sancto illustrante mysterium Christi intelligimus, eoque fidimus. Solvere ergo nihil est aliud, quam desperantem saluti mentem ad certam spem erigere. Ligare vero, est obstinatam mentem deserere. Quae in posterioribus per singula exponentur. Habent igitur claves notam quandam, qua facile, dum eas per scripturam Evangelicam quaesieris, deprehendes. Eam autem praedixit Christus Matth. 16: 19. nempe quod eis solvimur et ligamur. Occurrit igitur primum Matth. 18: 18. simile quid, quum Christus iubet eum qui impudentius peccet, abiici debere, non aliter quam impium aliquem et publicanum; mox subdit: Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo: et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo. Visae sunt nobis aliquando hic datae esse claves, ut in Archetele docuimus. Verum quum hic tantum de iis agatur, qui impudentius peccant, abiectique, ubi vitam emendaverint, recipiuntur, coacti sumus ulterius progredi, ac quaerere, si uspiam inveniamus tales dari claves, quae omnibus ex aequo medeantur. Sed antequam hinc solvamus (ne quis pertinacius obstrepat hic datas esse claves, quemadmodum nos aliquando sensisse iam confessi sumus) scire debemus quod fide ipsa praeceptore discimus claves hic non esse datas: nam de malorum abiectione ac eorundem receptione solummodo agitur; quum tamen claves rem talem esse oporteat, quae omnes conscientias liberet ac

soletur; non tantum eas, quae perfricta fronte palam ausae sunt peccare. Quod si quaeras: Cur igitur Christus ipse hanc legem profert, qua veluti nota claves agnoscuntur? Respondemus, Christum ea hic veluti Maxima quadam uti, ac descensum, ut Logici vocant, facere. Cum enim verbo dei conscientiae solvantur et ligentur, quae se non impudenter prostituerunt: multo magis ea quae se prostituerunt, ligandae, id est vitandae sunt; et rursus quum videmus poenitentiae dolore mutatas esse, in pristinum consortium recipiendae. Probatur ergo ista impudentium abiectio, abstentio, vel excommunicatio, Christo authore, iuste posse inter Christianos fieri, vi ac tenore legis clavium, quarum sit incredulos vitari posse; nihil minus ergo, qui se ore Christianos esse confitentur, et factis negant. Similiter cum clavium sit impium ab impietate solvere, et in fratrum numerum admittere; nihil minus manifeste delinquentem, si mores mutet, recipi posse.

Ab isto loco omnia quacunque versum circunspicientibus nusquam adparet haec nota, qua claves agnosci docuit Christus, donec ad Ioannis 20: 21. veniatur. Ibi quum Christus a morte surrexisset, discipulos his verbis salutat: Pax vobis, quam vocem angeli quoque dederunt nascente eo: Et in terra pax; ut ubique pateat esse pacem ac refrigerium animae. Quod vel hinc intelligimus, quod discipuli mox, ut videre virum, gavisi sunt. Iterat ergo vocem hanc, quo tenacius haereat: Pax vobis, inquiens, sicut misit me pater, et ego mitto vos. Ecce quod Marcus dixit: Ite in orbem universum et praedicate Evangelium omni creaturae, hoc Ioannes sic extulit: Sicut misit me pater. Miserat autem eum, ut esset omnium gentium salus usque ad angulos terrae. Sic ergo nunc discipulos mittit, ut eam salutem ubique adesse praedicent. Nam, ut hoc interim admoneamus, eandem historiam eiusdemque diei scribunt, Ioan. hic. 20: 21. Mar. 16: 15. Luc. 24: 47. quod nonnulli tamen hactenus non viderunt, sed quandoquidem aliis atque aliis temporibus in templis leguntur dicti loci, eis temporibus gestam arbitrantur quibus leguntur, praesertim quod ex Marco attulimus. Facile autem istos tres conferenti manifestum fiet, quod dicimus: quamquam alius peculiaria quaedam habeat, quae apud alium non invenias: multa enim, imo infinita fecit Christus, quae non sunt scripta in libro hoc. Et Ioanni praecipuum fuit studium in cardinibus rei Evangelicae nihil omittere, et deinde, quae alii praeterivissent, diligenti spicilegio addere. Tamen ne tardioribus quicquam desit, pauca nos conferemus. Quae apud Lucam habetur historia per se ipsam dilucida fit, quod ipso die resurrectionis gesta sit. De duobus enim qui Emauntem ibant dicit, quod ipsa die qua mulieres scilicet venerant, et nunciaverant se adparitiones angelorum vidisse, profecti sint. Ac deinde quum Hierosolyma repetunt, dicit eadem hora Emante abiisse, qua Christum secum ambulasse, et in fractione panis cognovissent. Cumque venissent in urbem undecim invenisse, qui nunciarent eis Christum resurrexisse, et Simoni adparuisse; vicissim quoque istos duos narravisse, quomodo sibi adparuisset. Quae omnia clarissime videntur ipso resurrectionis die facta esse. Sequitur apud Lucam: Dum autem haec loquuntur. Ecce quam probe nectat verba cum temporis significatione. Dum haec loquuntur, inquit, stetit

Iesus in medio eorum, et dixit eis: Pax vobis. Ioannes historiae duum Emauntem proficiscentium non meminit, sed historiam ipso die resurrectionis factam clare indicat. Cum ergo, inquiens, vespera esset die illo, quo scilicet ipse Magdalenae adparuerat, ac illa discipulis nunciaverat. Quum adhuc non solvissent qui postmodum Emauntem abibant: nam Christo cum illis confabulante dicebant, mulierum nunciis se territos esse, quae dixissent se angelorum adparitiones vidisse: quae mulieres aliae esse non poterant, quam Magdalene et eius sociae, quarum historiam Marcus luculenter describit, simulque meminit eorum qui Emaum proficiscebantur; et quomodo, reversis ac narrantibus ut sibi Christus adparuisset, quidam non crediderint. *Postea* inquit, quod nos habemus *novissime*, quasi illa postrema fuerit Christi adparitio, quum Graecis sit ὕστερον, quod novissime nulla ratione significare potest, sed postea. Inquit ergo: Postea quum, scilicet ex Emaunte redeuntes, narravissent quae secum essent acta. Cum recubuissent undecim ipso resurrectionis die. Lucas enim ait: Dum haec loquuntur. Ioannes: Cum sero esset. Et plane altum iam esse oportebat crepusculum: qui enim Emauntem ibant declinavisse iam diem videbant. Deinde et hoc conferemus, quod Ioannes dicit: Gavisi sunt discipuli viso domino. Lucas vero: Conturbati vero et conterriti existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? Ioannes enim hoc descripsit, quod secutum est Lucae descriptionem: nam Lucas tacendum non putavit, ut se gesserint discipuli, quum primum essent intuiti dominum. Turbatos ergo primum dicit, coepisseque cogitare an fortasse praestigium esset spiritus alicuius quod videbant. Id quum Christus non ignoraret, increpavit eos. Ecce simul Marci verba: Increpavit incredulitatem ipsorum, et duritiam cordis, quod his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderant. Et dixit (redeo enim ad Lucam): Quid turbati estis? et cogitationibus absurdis occupari corda patimini? Nunc addit Lucas: Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum. Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio dixit etc. Hic tandem incipit Ioannes: Et cum haec dixit, ostendit eis manus et latus. Lucas dixerat: Manus et pedes. Ioannes addidit, latus quoque: nam omnia nimirum vulnera, quae in cruce acceperat, ostendit, eo quod Lucas de latere tacuisset. Prosequitur Ioannes: Gavisi sunt ergo discipuli viso domino; quod Lucas obscurius dixerat: Mirantibus prae gaudio; clare explicans, quod tametsi ab initio turbati fuissent, augescente tamen agnitione per vulnerum ostensionem stupor sit in gaudium conversus. His iam notis contenti erimus, quibus, velut ossibus, constat omnes tres istos Evangelistas eandem eiusdem diei historiam scribere. Quod ergo Ioannes dicit: Sicut misit me pater, sic ego mitto vos. Marcus his verbis protulit: Ite in orbem universum, et praedicate Evangelium omni creaturae. Lucas vero sic: Oportuit praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes. Hoc enim tandem est Evangelium, ut supra fuse dictum est. Sequitur apud Ioannem: Hoc quum dixisset, flavit in eos, et dixit: Accipite spiritum sanctum.

Hoc Lucas latius explicuit: Tunc ergo, inquiens, aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, et dixit eis: Sic et sic (δεικτικῶς haec intelligenda sunt) scriptum est. Et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis, et praedicari etc. Quum ergo, ut assolet Ioannes, videret Lucam abunde prodidisse, qua ratione et quae per spiritum sanctum docuisset Christus discipulos, contentus fuit dicere: *Inflavit* et dixit: Accipite spiritum sanctum. Quid autem mentem vel sensum aperire aliud est, quam spiritu sancto adspirare? Deinde qui Christum per universum orbem dilataturi erant, accipiunt et spiritum Christi. Sicut enim is missus erat, sic isti mittuntur: eundem ergo spiritum habere oportuit, qui eandem rem agebant.

Nunc proxima est nota qua claves deprehendemus. Cum enim iam in apostolatum inaugurasset, spiritumque suum dedisset, quo in aeternum sciremus eos, qui Evangelium suscipiunt praedicandum, frustra laborem insumpturos, si dei spiritu non flagrent: mox aperit quid hominibus adferendo eos liberos reddere possint, et apud Marcum inquit: Praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Qui vero non crediderit, damnabitur. Iam hoc admonitione non eget, quod credere hoc loco et multis aliis pro fidere positum est. Hae igitur claves sunt, quas Christus apostolis commisit, quibus coeli ostia reserarunt, Evangelium praedicarunt: Qui praedicato Evangelio crediderunt, conscientiarum liberationem et solamen senserunt. Evangelium enim, ut satis dictum arbitror, non modo gratiam amplecti docet, sed et novam vitam. Porro novam vitam non orditur, nisi quem prioris taedet. Hinc Lucas dicit Christum apostolis mentem aperuisse, ut ex scripturis intelligerent, quod in eius nomine, id est iussu ac potestate praedicari oporteret poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes Gentes. Remissionem ergo peccatorum vi clavium fieri, cum etiam Pontificum doctrina concedatur, certum est claves esse, quae captivas conscientias liberant. Sed quid claves sint, hic vero longius distamus, quam coelum a terra. Pontificii enim dicunt authoritatem esse homini a deo collatam. Christus autem dicit: Fidem esse qua creditur Evangelio, id est ut fidamus filii dei iustitia et merito, nobis prorsus abiectis ac abnegatis. Christi enim doctrina constat in nomine eius oportere et poenitentiam, et remissionem admissorum praedicari. Hae ergo claves sunt, quae hominem sibi notum faciunt, ut se cognito, saluti desperet; et posteaquam hoc factum est, omnem salutem sibi videat in Christo esse repositam: quam vero sic suam ac certam esse sciat, ut nihil addubitet, quin vere filius dei per eum sit factus. An hic conscientiae non subito prae gaudio exultabunt? an non se liberatas, exhilaratas, ac fotas sentient? Verbum ergo dei, quo nos ipsos cognoscere discimus, quoque deo fidere docemur, claves sunt, quibus ministri verbi liberant: nam qui eo docti omnem fiduciam in deum collocant, iam vere liberi sunt. Hoc ergo quod Marcus dixit: Praedicate Evangelium omni creaturae: Qui crediderit etc. hoc Ioannes, ut ostenderet quid claves olim promissae essent (nam nullus Evangelistarum eam notam expresserat ante ipsum) his verbis expressit: Accipite spiritum sanctum! Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et contra: Quorum

retinueritis, retenta sunt. Tantum de remissione hucusque diximus. Quo vero pacto peccata tenuerint Apostoli, hoc vero mirum est, quum Petrus doceatur septuagies septies veniam dare delinquenti. Non invenimus nisi duos modos, quibus Apostoli tenuerint aut ligaverint peccata. Unum 1. Cor. 5: 4 sq. sed is ad excommunicationem pertinet, quae vi verbi fit, de qua paulo ante. Alterum vero, quem Christus Matth. 10: 14. tradidit: Quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras, de homine vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Adparet hic ligare nihil aliud esse quam errori relinquere. Hoc modo Paulus ligavit Act. 18: 6. quum in Iudaeos verbum aversantes pulverem excutit, et ad Gentes transit. Similiter Act. 13: 46. Ligare igitur verbo, aliud non est, quam ubi non capitur, iuxta Christi praeceptum, deserere, nihilque cum contemptoribus commune habere. Nam Sodomis sociisque civitatibus mitior erit divina vindicta, quam eis qui prolata luce, magis diligunt tenebras quam lucem. Obstrepunt adhuc Pontificum sectatores: Claves omnino esse apostolis traditas, non ergo verbum esse posse claves: nam verbum non esse Apostolorum, sed dei; et quod verbum faciat aut per spiritum suum deus, hoc non posse homini tribui: nunc autem quum claves sint Apostolis traditae, adparet non esse verbum quod traditum est: nam verbum non est Apostolorum sed dei. Respondemus: infinita esse per scripturam fere sacram, quae nobis tribuit deus, quae tam abest ut nostra sint, nisi quum per gratiam suam communicat, ut in hominis potestate nullo pacto esse possint. Ut cum Matthaei 10: 8. dicit: Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, daemones eiicite. Quod tamen sic abest ab apostolorum vi, ut ab rege Israel aberat Naaman liberare a lepra. 4. Regum 5. Et paulo post, quum dicit: Qui non audierit sermones vestros etc. Attamen gravius delinquere non potuissent, quam si sermonem *suum* attulissent hominibus; et beatus est qui non audit hominis verbum: Frustra enim colunt me, inquit Matth. 15: 8. docentes mandata et doctrinas hominum. His inquam, aliisque locis innumeris manifeste videmus, benignissimum patrem nostra facere, quae ne alius quidem esse possunt quam sua; sed mirum non est haec eum tribuere, qui filium nobis dedit, ut noster esset. Quomodo enim non omnia nobis cum illo donabit? Iam satis arbitramur veras claves a rubigine humanarum traditionum esse vendicatas, ut quisque videat eas aliud non esse, quam Evangelii administrationem, et eiusdem ubi durat perfidia subtractionem. Ogganniant quidem licet: An tu cornicum oculos configes? aut qui columnae videntur docebis? manum non verterimus: nam cuius verbo nitimur, priscis est antiquior et nostris doctior. Et fide qua soli deo adhaeremus, experimur humanam conscientiam licet, humana tamen liberatione aut absolutione, tranquillam reddi non posse, ut quidam prodiderunt. Sed verbo docemur quidem homine administro, quamvis verbo non reddamur certi, nisi domini spiritus corda nostra liquefaciat, quo verbum inseri ac in deum spes plantari queat. Fide ergo constat, non absolutione, ut vocant concepta Pontificiae authoritatis verba, neque alio quocunque sacramento interiorem hominem reddi posse certiorem.

Sola enim fides novit quantum fiduciae habeat per Christum in deum. Unde facessant ac ocius facessant impostrices Pontificum claviculae ex fidelium Ecclesia. Eis enim nihil quaesitum est quam conscientiarum imperium. Quod ubi partum est, viam adperuit avaritiae ad omnium thesauros: quos ubi patefecit, abstulit quantum voluit, ut haberet quo libidini ministraret. Hinc grassatum est in omni scelere tam licenter et ampliter, ut nullae linguae, nulli calami explicare queant, quantum malorum omnis generis istis clavibus depromptum sit. Adulterium commiseras, patiebaris his clavibus arcam aut marsupium penetrari, nihil erat adulterium. Foenore oppresseras inopem, clavibus aliquid dabas, sanctius erat quam patrimonium maternum. Quod paulo ante foenus erat, usura et talis remora, ut salvus fieri nullo pacto posses, venefieium, proditionem, latrocinium, periurium designaveras, omnia abstergebat clavium vis; sed aegre, nisi aeris aliquantum impendisses. Quin hoc mirum erat, quod quanto plus abluebant, tanto potentiores ad abluendum fiebant, si modo aes impendio effunderetur. Quis per deum immortalem, tam caecus est, ut non videat hanc stultitiam sine ira dei ingruere nequivisse? Deo autem gratia, qui verbi sui pessulum nulla vi, nulla arte fragilem, ostio obdidit, ut quacunque claves vertant, neque ad conscientias, neque in arcam penetrare possint eorum qui deo fidunt. Quamvis ergo et clavium considerationi cognata sit confessio, tamen priore loco de Ecclesia dicemus, post de Sacramentis eius.

## DE ECCLESIA.

Detorsit Ecclesiae tam nomen quam rem humana audacia ad quosdam paucos, perinde, ac si tu universitatem, totam concionem, totum populum aut coetum, paucos quosdam significare diceres. Ecclesia enim coetus est, concio, populus universus, collecta simul universa multitudo. Ecclesiam ergo qui dicit paucos quosdam significare, sic errat, ut qui dicit populum regem significare aut esse, vel qui dicit comitia, concionem, coetum, senatum esse aut significare. Scripsimus igitur saepe de Ecclesia, ista spe, ut docti alioqui homines ab errore, quo Pontificibus tribuunt quod Ecclesia sint, abstraherentur. Sed hi partim infideles sunt, partim superciliosi. Qui increduli sunt, sic a verbo abhorrent, ut frustra manibus versent: mente enim alienati sunt ab eo. Qui vero superstitiosi, sic nihil recipiunt quod ipsi non tradiderint, ut plane videas eos hoc morbo laborare, quod omnia se tradidisse, et recte etiam tradidisse videri volunt. Hinc quorundam scripta adeo impura sunt quod ad veritatem adtinet, quamvis quod ad fucum nitidissima sint, ut nescias, an satius fuisset stilum nunquam levavisse, quam veritatem adeo invere-cundis blanditiis involuisse. Qui tamen usque adeo sibi placent, ut nisi ipsorum vestigiis incedas, ac contra Christiani pectoris ingenium sis vel procaciter blandus, vel ambitiose elegans, cum veritatis etiam iactura, a tuis abstineant, ut canis a balneo. Tumultuosa sunt illis, quae vera sunt: morbum enim graviorem esse aiunt, quam qui fortibus remediis possit restitui. Belli homines! An unquam viderunt gravem morbum levibus curari? lenti morbi levibus curantur. Pontificum ergo morbus, si nunc primum lente crudescere inciperet, conveniret plane his remediis

uti. Verum omnia ubi membra sunt a morbo absorpta, an non iam efficax istud remedium, quod unum ac solum pristinae sanitati restituere potest, propinandum est? lenta fortasse lentam redderent mortem, sed nativa vitam ac valetudinem restituent. Non quod nobis isti magnopere probentur, qui nihil quam tumultuantur pro rebus nihili, quique sic a caritate sunt alieni, ut neque ferre quicquam nec facere possint propter deum, hoc unum sanctissimum nomen Christi in ore habentes, et animi amaritudine, contentionibus, clamore, factionibus, susurris, concursationibus Invidiam, Furias et Cerberum ipsum superantes. Nos ut interim sancte iactemus, teste deo et conscientia nostra, ad multorum hallucinationes connivimus, etiam quum adperte a vero declinarent; quamvis ea lege, ut speraremus in viam redituros. Cumque segnius resipiscerent, aut omnino resipiscere nollent, omissis illorum nominibus prodidi, quod in sacris literis videbam pro mea parvitate. Tam mihi infensae sunt contentiones illae, quae citra fratrum offensionem vulgari nequeunt, praesertim de iis rebus, quae rem Christianam non produnt, ut nullum videam nocentius venenum subdi posse adolescenti Christiano, quam contentionem. Quid enim, an non charitas et contentio ex diametro pugnant? vita vero Christiana quid in universum est quam charitas? Contentionem ergo ubi severis, una opera charitatem profligaveris: tam enim unius eiusdemque glebae hospites esse nolunt, quam Christus Beliali sociari. Attamen ista praefari de Ecclesia dicturientem oportuit, quod quidam non desinunt Ecclesiam adpellare impudentissimos quosdam homines, qui nervis omnibus contendunt ecclesiam Christi extinguere. Blandiantur, ac adulando aeris quam plurimum emungant, sed his artibus Christum ne misceant, quum sole clarius (ut est oratio cordis index) adpareat eos non dei honorem sed auri montes quaerere, aut mox evaniturum gloriae fumum. Ficus ergo ficus adpellent, et Ecclesiam sinant concionem significare; et ecclesiam Christi nihil aliud dicant esse quam populum, concionem ac coetum Christi: maxime quod per omnem scripturam sacram nusquam inveniunt ecclesiam Christi aut dei, pro paucis quibusdam susurronibus potius quam episcopis accipi. Toleranda sunt multa, ut ipsi quoque non solum perhibemus, sed etiam quotidie experimur; attamen sic toleranda sunt, ut aliquando lapsum dent. Qui Caesaris gloriae favent, praedicant de illo, quod dum videret omnino cadendum esse, sic vestem colligeret ac membra, ut honeste caderet. Christus potuit uno verbo inimicos suos omnes subruere, sed pacis exemplum praebiturus pessimum genus hominum sic tulit, ut aequalem tolerantiam non legas, quo videlicet Synagogam commode aboleret. Sic et isti tum civiles erunt, quum docent omnino cadendum esse: componenda igitur esse omnia ut sine fragore ac honeste cadant. Imitari medicos hac in re non debent, qui spes promittunt bonas, etiam ubi nihil spei est reliquum, sed pacis conciliatores qui utrique parti errores strenue opprobrant, quo levius frangatur pertinacia. Ad Ecclesiae vocabulum redeo. Et quoniam superiore anno mense Augusto de eadem re contra Hieronymum Emserum, impium plane ac impurum hominem, scripsimus et tantae occupationum procellae sic nos undique adobruunt, ut quicquid tempusculi subtrahere non admodum necessariis

rebus possumus, huc adsarcinemus. Iussimus ad verbum huc aptari, quae isthic de Ecclesia sunt dicta: quamvis paucula quaedam hic simus aduituri, quae paulo ante etiam audivimus, sed ad alium usum ac non sine fructu.

Hoc loco, quae supra Zuinglius adversus Hier. Emserum pag. 125 usque ad pag. 135 scripserat, quum ad verbum repetantur, iterare noluimus. Ibi relegat, cuicunque lubet.

## DE SACRAMENTIS.

Promisimus post Ecclesiae considerationem de Sacramentis dicturos. Vocem istam *Sacramentum* magnopere cupiam Germanis nunquam fuisse receptam, nisi Germane esset accepta. Cum enim hanc vocem, Sacramentum, audiunt, iam aliquid magnum sanctumque intelligunt, quod vi sua conscientiam a peccato liberet. Rursum alii, quum istorum errorem viderunt, dixerunt sacrae rei signum esse. Quod equidem non improbarem admodum; nisi hoc quoque statuerent: cum externe Sacramentum peragas, tum certo intus peragi mundationem. Tertii prodiderunt Sacramentum signum esse, quod tandem detur, ubi mentis expiatio facta sit; sed in eum usum detur, ut is qui accipit, certus reddatur quod iam transactum sit istud, quod per Sacramentum significatur. Non libenter dissentimus a magnis viris,[1] praesertim hac tempestate sic florentibus ac feliciter scribentibus, ut mundum videantur alia specie induisse, ac e rudi expolitissimum fecisse. Hoc tamen oro, ut quae hic adducturi sumus, ea lege considerent, qua nos ipsorum semper scripta expendimus. Illud unum observamus in legendis aliorum scriptis, quo animo videatur scripsisse author: nam omnia in ipsa oratione patefiunt consilia. Quod sicubi videmus ex amore dei et proximi scriptum esse, connivemus ad multa; ut et ad nostra multi nimirum vehementer connivent. Attamen ubi datur occasio, sarcimus pro virili quod hiat, advertimus quod aversum est, liberamus vincta, ligamus temere vagantia, nullius tamen perstricto incivilius nomine, quo pax, cuius turbandae quidam adeo studiosi sunt, custodiatur. Duos excipio, Emserum et Eggium: pestes enim sunt doctrinae Christi. In quos paulo acerbius ac nominatim scribere coegit sua ipsorum procacitas. Alter enim nihil admonitum adeo fastuose adorsus est imprudentem, ut Christi doctrinae futurus desertor fuissem (cuius negotium, non meum ago), si epinicium canenti, priusquam sub conspectum venisset, cessissem: nam sic contra me scripsit, ac librum edidit, ut menses senos operientem, an aliquid ad nos missurus esset, frustraverit.[2] Alter vero perniciem nobis per insidias struxit, ac simul ad Helvetiorum comitia insulsissimas ac mendacissimas calumnias mittens occupare voluit, ut si consilium processisset, iure caesus viderer, quo se magno Romanis Germaniaeque tyrannis venderet. Eius ubi crimen detego, negari enim non potuit: Dii boni, ut ille furit.[3] Sic et

---

1) Lutherus eiusque partes. 2) Vid. Antibolon adversus Hier. Emserum. 3) Scripta inter Eccium et Zuinglium commutata.

omnes oro, quotquot hos Commentarios nostros lecturi sunt, ut libere, non ex adfectibus iudicent, et quod videant a Christi purissima doctrina esse alienius, loco moveant; non decretis aut damnationibus ex sese petitis, sed verbi caelestis cuspide ex literis utriusque Testamenti prolata. Bona igitur venia, ut praefari desinam, dicam quid nos de nomine ac vi huius vocis compertum habeamus.

Sacramentum Varroni pignus est, quod litigantes nescio ad quam aram deponebant; et qui vicisset, pignus aut pecuniam suam repetebat. Rursus Sacramentum iusiurandum est, qui usus vocabuli etiamnunc apud vulgum Galliarum et Italiae durat. Postremo dicitur et Sacramentum militare, quo milites duci adstringuntur ad imperium eius, iuxta belli ius aut leges. Habent enim et bella leges, sed suas quasdam: iustae enim leges inter arma silent. Nam pro re sacra et arcana apud veteres accipi, non constat. Unde huic acceptioni locum non dedimus; neque ei, ubi antiqua novi Testamenti translatio pro mysterio sacramentum habet. Nam haec vox istam non exprimit, neque scio ut Latina ulla vox *μυστήριον* probe exprimat; propterea quod arcanum ad plura extenditur, quam *μυστήριον*, et *sacrum* paulo angustius est. Unde adducimur, ut Sacramentum nihil aliud esse videamus, quam initiationem aut oppignorationem. Sicut enim qui litigaturi erant, certum pecuniae pondus deponebant, quod auferri non licebat, nisi vincenti: sic qui Sacramentis initiantur, sese adstringunt, oppignorant, ac velut arrhabonem accipiunt, ut referre pedem non liceat. Non dicam hic quam foede ignoraverit quidam quid etiam haec vox initiatio significet, qui ad epistolam meam, qua dixeram Baptismum initiationem esse, sic respondit: „Et si est initiatio, tamen non est perfectio vel iustificatio“; ignorans, quod initiatio hic non pro principio aut exordio solum accipitur, sed etiam pro celebri seriaque ad ordinem aliquem, sodalitatem aut functionem *τελετῇ*, hoc est mysterio, aut arcana consignatione, quae verbis conceptis fit. Quibus peractis, initiatus iam functioni, ordini institutoque, cui se addixit, praestare debet, quod institutum aut functio requirit. Sacramentum ergo, quum aliud porro nequeat esse quam initiatio aut publica consignatio, vim nullam habere potest ad conscientiam liberandam. Eam enim solus deus liberare potest: soli enim nota est, qui solus ad eam penetrat; id quod satis probatum est in consideratione hominis et Evangelii. Qui ergo fieret, ut aqua, ignis, oleum, lac, sal et crassae istae res ad mentem usque pervenirent; quod dum non possunt, quo pacto mundare poterunt? Aut quid tandem est mentis mundatio? an aliqua mundae rei contrectatio? sed quid tangere potest mens, aut quid mentem? Quum ergo creatura nulla possit hominem intus et in cute nosse, sed deus solus: relinquitur, quod conscientiam purgare nemo potest, nisi solus deus. Testes sunt Solomon 2. Paral. 6: 30. Tu enim solus nosti corda filiorum hominum. Et Pharisaei Lucae 5: 21. Quis potest dimittere peccata, nisi solus deus? Ac ne quis miretur de hoc posteriore testimonio, validiora sunt testimonia, quae ab adversariis petuntur. Toto igitur coelo errant, qui Sacramenta vim habere mundandi putant. Quod cum secundi vidissent, tradiderunt Sacramenta esse signa quaedam, quae dum fiant, certum reddant hominem de eo, quod interius fiat.

Quamvis et hoc frustra invenerint, quasi vero dum aqua tingitur homo, iam aliquid in eo fiat, quod ipse nescire nullatenus potuisset, nisi aqua simul perfusus esset. Ignorarunt isti, verbo absit invidia, quid fides esset aut quomodo in homine nasceretur. Diximus dudum, fidem rem esse, non scientiam, opinionem sive imaginationem. Sentit ergo homo intus in corde fidem: tunc enim nascitur, quum homo sibi desperare incipit, ac soli deo fidendum esse videre. Absoluta vero est, quum se homo totum abiecit, et ante solam dei misericordiam proiecit, sed hoc pacto, ut de ipsa propter Christum pro nobis impensum nihil diffidat. Hoc autem quis ignorare potest, qui fidelis est? Tunc enim primum liber es a peccato, quum se mens inconcusse credit morti Christi, quum in ea quiescit. Et si interea Iordane toto fuisses obrutus, et sexcenties concurrissent sacra verba, mens tamen nihil sensisset se melius habere, nisi quantum frivola ista et mox abitura opinio, quae Sacramenta perhibet purificare, tam constanter inculcata, falso persuasisse videretur. Stupent enim, qui fidem non habent ad quaeque sibi admota, quae vim aliquam habere dicuntur, ac se invenisse salutem, imo etiam sensisse putant, quum tamen nihil penitus senserint. Quod ipsa vita quae sequitur adparet. Nam si novi homines fiunt, videlicet deum amantes ac proximum, a vitiis abhorrent, Christum autem induunt ac indies magis ac magis in virum perfectum adolescunt, spiritu sancto agente mutati. Sed quis hanc mutationem non sentiat? Si vero aliquamdiu sibi propter adeptam innocentiam placeant, et mox, ut stupor ille fatuus evanuit, ad veterem vitam, ceu canis ad vomitum redeant: iam constat eos mentis mutationem non sensisse, sed aquae horrorem tantum. Baptizantur ergo multi, qui dum baptizantur, nihil praeter horrorem aquae sentiunt, non etiam peccatorum remissionem, id est mentis liberationem. Quales fere fuerunt, qui ab Ioanne baptizati sunt, et qui post Christi ascensionem, Apostolis et discipulis praedicantibus, Baptismum acceperunt, priusquam salutis per Christum certi essent, aut ad plenum eam docti, ut Actorum 19. et 10. Cornelius enim et sui spiritum sanctum acceperant, priusquam aqua tingerentur: certi ergo gratiae dei fuerant ante Baptismum. Friget ergo ista opinio secunda, quae putat Sacramentalia esse signa, ut cum exerceantur in homine, simul intus fiat, quod Sacramentis significetur: nam hac ratione libertas divini spiritus alligata esset, qui dividit singulis ut vult, id est quibus, quando, ubi vult: nam si tunc cogeretur intus operari, quum nos extra signis notamus, signis prorsus alligatus esset, cuius tamen contrarium factum esse videmus, ut supra testimoniis patuit. Tertio ergo loco prodierunt, qui quum aperte viderent Sacramenta purificare non posse, nec divini spiritus operationem sic esse Sacramentis mancipatam, ut cum ista fierent, ille simul cogeretur intus operari (constat enim spiritum sanctum interim ante Baptismum esse traditum, interim vero post, ut Actorum 10. et 19): tradiderunt ergo, sacramenta signa esse, quae hominem certum faciant rei intus iam peractae. Unde, ut exempli causa dicamus: Baptismum omnibus negant, qui non prius fidem sic diserte tum docti tum confessi sint, ut ad omnes eius articulos respondere possint. Quorum opinio aeque ut proxima a vero declinat. Nam qui sic fidem et docti et confessi sunt, iamdudum

certi fuerunt salutis, ut paulo ante in confutatione erroris secundorum patuit. Si enim mens iam fidit, ignorare non potest fiduciam suam. Quid ergo baptismo eget, qui iamdudum per fidem in deum certus fuit abolitorum criminum? Sunt ergo Sacramenta signa vel ceremoniae, pace tamen omnium dicam, sive neotericorum sive veterum, quibus se homo Ecclesiae probat aut candidatum aut militem esse Christi redduntque Ecclesiam totam potius certiorem de tua fide quam te. Si enim fides tua non aliter fuerit absoluta, quam ut signo ceremoniali ad confirmationem egeat, fides non est: fides enim est, qua nitimur misericordiae dei inconcusse, firmiter et indistracte, ut multis locis Paulus habet. Tantum de nomine.

Sacramenta vero duo omnino reliquit nobis Christus, Baptismum et Coenam dominicam. Quibus sic initiamur, ut altero nomen demus, altero victoriae Christi memores nos eius Ecclesiae membra esse probemus. Accipimus in Baptismo symbolum, quod vitam simus ad regulam Christi formaturi; Coena dominica damus experimentum, quod morte Christi fidamus, quum gratulantes et laeti adsumus in eo coetu, qui domino gratias agit pro beneficio redemptionis, quod moriendo pro nobis liberaliter dedit. Reliqua sacramenta ceremoniae potius sunt: nihil enim initiant in Ecclesia dei. Unde non immerito loco moventur: non enim a deo institutae sunt, ut aliquid eis in Ecclesia initiemus. Haec omnia in sequentibus clariora fient.

## DE MATRIMONIO.

De Matrimonio hic nihil dicturi sumus, quam ne cui videatur eius dignitatem esse levatam, quum inter Sacramenta non connumeramus, quum tamen Paulus Sacramentum adpellet. Ephes. 5: 32. Hoc ergo dicturi sumus, dupliciter isto loco peccatum esse: primo ab interprete, qui quoties arcanum pro mysterio traducere debuisset, Sacramentum transtulit, quum tamen ista vox illi non respondeat; deinde a nobis, qui sensum huius loci minus diligenter expendimus, quo Paulus nihil aliud voluit, quam comparatione sponsi Christi et sponsae Ecclesiae, viri et uxoris, ostendere, quod quemadmodum Christus pro suis mortuus et ipsorum factus est, sic et matrimonio coniuncti debeant pro sese mutuo omnia ferre ac facere: vir tamen, quandoquidem imago dei est, cum primis uxorem diligere, tueri, pro ea se expendere; contra, uxor marito cum fide et amore unice inhaerere. Quibus fiat, ut coniuges deo sint quam simillimi, quum ex adverso deus non dedignetur se et Ecclesiam suam mariti et uxoris nomine adpellari. Sanctam ergo rem esse connubium, cui se adsimilari non dedignetur neque Christus nec eius sponsa Ecclesia, vel quaevis fidelis anima. Quod si sacramentum esse contendas Matrimonium ea causa, quod Christum et ecclesiam figuret, nihil morabimur. At non est initiatio, sed foedus vitae fortunarumque omnium coniunctio, et communis alea. Cum ergo Christi et Ecclesiae coniunctio Matrimonii comparatione discitur, quid opus est inter Sacramenta numerare? Quid si ista vox Sacramentum nunquam esset Christianis auribus audita? An non Matrimonium erat matrimonium, et Baptismus suo nomine contentus erat, similiter Coena dominica? Quanquam ubi receptum est

nomen: ipsi nihil tumultuari velimus, sed hoc agere, ut intra fines suos sese contineat. Matrimonium sanctissima res est, nec sacramenti nomenclatura sanctior fit aut clarior, sed obscurior et confusior: nemo enim ignorat quid sit connubium, sed omnes ferme ignoramus quid sit Sacramentum. Sic nemo ignorat quid sit Baptismus, sed pauci sciunt quid Sacramentum sit. Matrimonium ergo foedus sacratissimum esse agnoscamus, etiamsi inter sacramenta nunquam connumeremus. An inter Graecos non est Connubium, Baptismus, Coena dominica? sed abest ab eis haec vox Sacramentum; et Germani peregrinae voci non habent quod respondeat, unde et ignorantes eam receperunt. Sacramenta ergo initiationes quum sint et nihil aliud; Matrimonium vero quum foedus sit quod inter duos modo constat, hac voce obscurari non patiamur.

## DE BAPTISMO.

Ioannes, qui baptizando Baptistae nomen invenit, propriis verbis aperuit quid Baptismus sit: nempe initiatio, qua se signabant, qui vitam erant emendaturi: loquimur autem nunc de elementali Baptismo, quo tinguntur, qui vitam novam ingressuri sunt; non de Baptismo, qui totam causam tam praedicationis quam tinctionis complectitur. Quod dum hi, qui tam acriter hodie contra infantium Baptismum digladiantur, non vident, videlicet Baptismum interim pro tota causa doctrinae et Sacramenti accipi, interim vero pro Sacramento, id est signo tantum: Andabatarum nonnunquam more pugnant. Sic ergo Matth. 3: 11. loquitur divinus Baptista: Equidem baptizo vos in aqua in poenitentiam. Quid porro hoc aliud est, quam: Ego tingo vos aqua, ut poenitentiam pristinae vitae agatis, hoc est, ut superioris vitae vos sic pudeat, ut ea prorsus abiecta novam ordiamini? Signo isto nihil aliud facio, quam ut rudes rerum coelestium doceam vos posthac, si modo salvi esse cupitis, aliam omnino vitam induere oportere. Ut quemadmodum qui abluuntur, tanquam novi prodeunt: sic vos primum actione visibili in abstersionem anteactae vitae inducam. Marcus enim 1. capite hunc eundem ordinem verborum servat: Fuit in deserto Ioannes baptizans et praedicans Baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum. Non quod sic sentiam, Ioannem tingere coepisse antequam docere, sed quod facile tingeret quosque, qui ad se veniebant, de quibus illi non constaret quam probe recepissent verbum, neque id exegisse. Quum enim vidisset multos Pharisaeorum et Sadducaeorum ad Baptismum suum venisse, et cognovisset per spiritum sanctum, quod cor eorum non esset rectum aut integrum cum domino, acriter eos obiurgavit: Progenies viperarum etc. Hoc intendens: Venistis quidem ad Baptismum, non ut vitam sitis pristinam posituri, sed ut hominibus videamini ex eorum esse numero, qui signo Baptismi, velut iureiurando aut arrhabone, se adstringunt ad vitae immutationem; intus autem nihilo meliores estis, nec quicquam de vita pessima mutatis. Sed quandoquidem omnino poenitentium coetui connumerari vultis, fructus poenitentiae ostendite! facite quod poenitentes decet! Quibus omnibus patet Baptismum initiale sacramentum esse, quo se signabant, et inter poenitentes accensebant qui vitam ac mores erant mutaturi. Atque haec erat praeparatio ad

venturum Christum, quemadmodum Lucas 4: 17. ex Isaia probat. Quum enim quisque omni vita sua percensa, non modo nihil inveniret quo niti ad salutem posset, sed simul etiam videret vires deesse, quibus se a priore vita adsereret et novam constanter propagaret, opus habebat, qui rebus sic deploratis manum praeberet. Hunc ergo simul ostendit divinus non modo Baptista, sed etiam Evangelista, id quod summe necessarium fuit. Quum enim poenitentiam sciret desperationem parere, iuxta ostendit eum venisse, qui spes lapsas rursum erigeret. Sic inquiens Ioan. 1: 26. Ego baptizo aqua, sed in medio vestrum iam constat, et natus est, imo hic inter vos quoque adstat, quem tamen vos non novistis; ipse est qui post me veniet, qui tamen ante me fuit: cuius ego calciamenti corrigiam solvere non sum dignus. Ille baptizabit vos in spiritu sancto et igni. Matth. 3: 11. Act. 1: 5. Simul ergo docuit Ioannes poenitentiam, et eum, qui peccata deleret, praesto adesse dixit.

Sed antequam ultra progrediamur, dicendum est de spiritus sancti Baptismo, de quo quum quidam non recte sunt docti, minus deinde recte de Baptismo disserunt. Est ergo et spiritus sancti Baptismus duplex. Alter, quo omnes irrigantur interne, qui Christo fidunt: ad eum enim nemo venit, nisi quem pater traxerit. Ioan. 6: 45. Eruntque omnes a deo docti, Isa. 54: 13. Alter spiritus sancti Baptismus exterior est, aeque atque baptismus aquae. Quo compluti aliquando pii linguis coeperunt protinus loqui peregrinis. Quae res signum fuit aliis potius quam iis qui loquebantur. Qui loquebantur, intra se sentiebant fidem ac mentis illuminationem, sed alii hoc de eis ignorabant. Flexit ergo ipsorum linguas in peregrinas voces, quo alii cognoscerent spiritu divino fieri, quod agebatur. Atque iste posterior spiritus sancti Baptismus non est necessarius, sed superior sic est necessarius, ut nisi detur, nemo salvus fiat: nemo enim nisi fide salvus redditur; at fides non nascitur, nisi spiritu sancto docente. Utrumque autem Baptismum venturum esse dixit Ioannes, quum ait: Ille baptizabit vos in spiritu sancto et igni. Non sumus autem omnes linguarum signo perfusi; sed omnes qui pii sumus, spiritu sancto illuminante et trahente, fideles facti sumus. Praecessit ergo Baptismus Ioannis utrumque baptismum spiritus sancti, quantum ad Christum adtinet: alioqui enim neque poenitentiam incipi citra spiritum sanctum posse constat. Imo baptismus Ioannis etiam antecessit poenitentiam, ut iam de Sadducaeis et Pharisaeis patuit, et Luc. 3: 7. Primum sic patet: nam Ioannes mittebat eos, quos terruisset, ad Christum, quem adhuc ignorabant, sed fore promittebat ut in eo salutem invenirent. Sic enim habetur Ioan. 1: 28. Haec in Bethabara facta sunt, ubi Ioannes baptizabat. Sequenti die videt Ioannes Iesum ad se venientem, et dicit: Ecce agnus dei, qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo vobis dicebam: Post me veniet vir, qui ante me fuit, quia primus meus erat, et ego non sciebam eum; sed ut manifestetur Israeli, propterea veni ego aqua baptizans. Ecce ut Ioannes aqua tinxit, quos ad Christum mittit! et ideo tinxit, ut ad Christum mitteret. Secundum autem, nempe, quod Pharisaei quoque et Sadducaei baptizati sint a Ioanne, sic manifestum fit. Lucae 3: 7. sic legitur: Dicebat ergo ad turbas, quae exibant ut baptizarentur ab eo: Progenies

viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Quod autem Lucas hic dicit de turbis, quod exirent ut baptizarentur ab Ioanne, hoc idem Matthaei 3: 5. sic extulit: Tunc exibat ad eum Hierosolyma et omnis Iudaea, et omnis regio circa Iordanem, et baptizabantur ab eo in Iordane. Consequens ergo est, ut et istum sermonem: Videns autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum venientes ad Baptismum suum, dixit etc. sic intelligamus, ut et Pharisaei et Sadducaei baptizati sint. Sicut enim Lucas perhibet exivisse, ut baptizarentur, quos aperte Matthaeus scribit baptizatos esse: sic et Matthaeus dixit, venisse ad Baptismum pro baptizatos esse. Quae quidem sententia manifestior fiet, si quis hoc quod sequitur: Progenies viperarum, propius expenderit. Quod vero Lucae 7: 29 sq. scriptum est, alia vice factum est cumque aliis actum, ut Matth. 11: 7—19. dilucide patet.

Quid vero distent Ioannis Baptismus et Christi, multa tum olim tum nunc est quaestio; sed inutilis plane, nam discrimen omnino nullum est, quod ad causam ac finem attinet: quamvis quod ad usum sive formam adtinet non nihil discriminis sit. Quod tamen discrimen proprie non est: varie enim eadem re citra fidei iacturam uti possumus. Nihil efficiebat Ioannis tinctio; loquimur autem hic de aquae Baptismo, non de irrigatione interna, quae per spiritum sanctum fit. Nihil efficit Christi tinctio: nam Christus Baptismo Ioannis contentus fuit, tam in se quam in discipulis. Quod si Baptismus eius quiddam uberius ac plenius habuisset, secundario nimirum tinxisset discipulos, ac se ipsum non iuxta Ioannis ritum baptizari passus esset. Quod autem Christus non alio Baptismo quam Ioannis baptizatus sit quod ad tinctionem adtinet (nam id perpetuo inculcamus, ne sentire videamur Christum per spiritum suum nihil amplius impertitum esse quam Ioannem), facile apud Matthaeum, Marcum, Lucam patet: ubi videmus Iesum more reliquorum ad baptismum venire, tametsi poenitentia non egeret. Unde et manifestum fit Ioannem nihil diserte exegisse, ut quidam contendunt. Sed omnium est clarissimum, quod Ioannes 1: 31—34. scripsit, ubi Baptistam sic loquentem facit: Vidi spiritum veluti columbam descendere de coelo, et mansit super eum: atque ego non noveram eum, sed qui me miserat aqua baptizare, is mihi dixit: In quem videas spiritum descendere et manere super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi ac testimonium perhibui, quod hic est filius dei. Quum ergo non novisset eum Ioannes, nisi posteaquam vidisset spiritum coelitus in eum descendere, haud aliter eum baptizavit, quam alios quoscunque. Quamvis obstare videatur, quod paulo ante scriptum est, ubi Ioannes Iesum ad se venientem adpellavit agnum, qui mundi peccatum expiet. Sed hic considerandum est, Evangelistam non tantum spectare ordinem, quantum rei summam. Describit enim quod priore loco factum est posterius. Cum enim digito monstrasset agnum, mundi peccata delentem, ne cui videretur audacius quam verius esse loquutus, probat quod mundus per ipsum ablui possit, hac potissimum ratione, quod filius dei sit; inquit enim: Et ego vidi, et testimonium perhibui, quod hic est filius dei. Porro, quod filius dei sit, hinc probat, quod coelestis spiritus in eum columbae specie descenderit, atque in eum sederit. Unde quod prius factum erat,

posterius recitat Evangelista. Signum enim visibile Ioanni datum erat, ut eo Christum agnosceret; quem ubi agnovit, aliis quoque evangelizat agnum esse, mundi peccata delentem. Sequitur enim paulo post, quod eum postera die iterum ostendit duobus discipulis suis, qui et eo deserto Iesum secuti sunt. Quae omnia manifestum faciunt, quod Ioannes in Iesum Christum ducebat, et quam primum fieri poterat, ad illum suos remittebat. His ad hunc modum se habentibus, occurrit aliud, videlicet, quod Ioannes non baptizaverit ignotum: aperte habetur enim Matth. 3: 14. quod Iesu ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo, veniente, Ioannes dixit: Ego abs te baptizari debeo, et tu venis ad me. Qui sermo non potest ad ignotum dici videri. Unde colligi posse videtur, cognitum fuisse Ioanni Iesum, etiam antequam vidisset spiritum in eum descendere. Hic quoniam longum esset hunc nodum expedire, ad August. librum 2. de consensu Evangelistarum, caput autem 15. remittimus. Nos hoc solum spectamus ut manifestum reddamus: Unum omnino esse Baptismum, sive Ioannis eum adpellemus, sive Christi. Una fides enim et unus Baptismus, Ephes. 4: 5. Quod hinc etiam Matth. 3: 14. colligi potest, quod Ioannes causabatur, se potius debere a Christo baptizari, hoc nimirum intendens: Ego eos quos initio aqua ad te mitto, quod ipse quoque sum ad te mittendus, tu vero ad me venis? Christus ergo nodum eius sic secuit: Mitte ista! nam nos quicquid iustum est, hoc est factum oportet, implebimus. Sicque baptizatus est Iesus, non alio modo, quam caeteri hominum: nihil enim de immutatione habetur, quae obmissa non esset, si facta fuisset: neque enim magnum fuisset Christum baptizari, si alio quam vulgari ritu tinctus esset. Nunc autem quum dei filius a Ioanne tinctus est, a quo peccatores tingebantur, mirum est immaculatum dei filium istud accepisse signum, quod mutandis dabatur, quum ipse sit immutabilis deus. Postremo, quod est omnium validissimum, baptizabantur adhuc baptismo Ioannis, qui iam Christum audierant, et iustificaverant, Lucae septimo. Quod si contendas *βαπτισθέντες* istic loci clare significare, quod iam olim baptizati essent, nihil morabimur: eodem enim modo colligitur quod volumus, videlicet Baptismum Ioannis et Christi eandem rem esse: nam nisi unus atque idem Baptismus esset, rebaptizasset eos Iesus per suos. Quum ergo etiam hic contentus fuit Ioannis Baptismo, constat eundem fuisse cum Christi Baptismo: quamvis prior sensus magis arrideat, videlicet quod audito Christo tincti sint Baptismo Ioannis. Aut, quod vero multo propius est, accipitur hoc loco, *baptizati* pro imbuti: ut sit sensus, quod ii hactenus fuerint ab Ioanne docti, audito vero Christo, de quo multa apud Ioannem audiverant, ipsum iustificaverint, hoc est magnifice ac tanquam de iusto solemus de ipso senserint.

Quod autem discipuli Christi Ioannis Baptismo tantum abluti sint, hinc patet: Ioan. 1: 37. sic habetur, quod duo discipuli Ioannis Baptistae audierant hoc praeconium, quod praeceptor suus de Christo pronunciabat: Ecce agnus dei etc. quorum alter Andreas erat Simonis frater. Qui si discipulus Ioannis fuit, haud dubie baptizatus fuit: baptizabantur enim ab eo etiam, qui discipuli eius esse nolebant, multo magis qui eum ducem sequebantur. Iterum habetur Ioan. 3: 26. quod Ioannis

discipuli nunciabant ei: Rabbi, is qui tecum erat trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce, inquam, hic baptizat, et omnes veniunt ad eum. Quibus adparet, Christum per ministros suos non alia ratione aut forma baptizavisse, quam qua Ioannes baptizabat: nam si secus baptizavisset, non potuissent hoc omittere Ioannis discipuli. Tertio habetur Ioannis 4: 2. Quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius. Quum ergo nusquam videre sit discipulos a Christo esse baptizatos (non enim baptizabat) et simul videamus discipulos eius baptizavisse, verisimile non est quod alios baptizaverint, et ipsi nunquam baptizati sint. Quum ergo baptizati sunt, non alibi baptizati sunt quam in Ioannis Baptismo: nam Christus non baptizabat. Quum ergo Christus baptismum Ioannis acceperit, ac nihil tam in sua quam in Apostolorum tinctione mutaverit, constat plane Baptismum sub Ioanne sumpsisse initium, neque discrimen ullum fuisse inter Ioannis Christique Baptismum, quod ad essentiam, effectum aut finem adtinet. Constat enim Christum propter nos esse baptizatum, ut nobis Baptismum commendaret. Quem ergo Baptismum commendare voluit? alium aliquem quam Ioannis? Cur ergo non ipse primus illo alio baptizatus est? Quum ergo Ioannis Baptismo nobis Baptismum commendare voluit, nec quicquam de illo immutavit, adparet Ioannis Baptismum et Christi eundem esse Baptismum.

Sed videntur huic sententiae resistere, quae Actorum 19: 1 sqq. et Matth. 28: 19. scripta sunt. Nam prior locus in Actis aperte contestatur duodecim quosdam in nomine Iesu iterum baptizatos esse, qui tamen prius in Ioannis Baptismo tincti erant. Quod si Ioannis et Christi Baptismus idem sunt, nihil erat opus in Christi Baptismo tingi. Considerandum ergo est utriusque Baptismi ingenium. Baptizabat ergo Ioannes ad initiandum poenitentiae, ut dictum est, et salutem adesse promittebat in eo, qui post se venturus erat: eum enim agnum esse, qui peccatum solus tolleret, quo etiam fidere docebat: in eum enim qui venturus erat dicebat, Act. 19: 4. hoc est in Christum. Baptismus igitur Ioannis novam vitam requirebat, et spem in Christo ostendebat. Atque is fuit doctrinae Baptismus: nam aqua utrobique fuit eadem, Christi Baptismus nihil aliud exigebat: ipse enim non aliter quam Ioannes praedicare incipiebat: Poenitentiam agite, Matth. 4: 17. Quod autem Christus ipse spes erat, Ioannes autem non erat spes (non enim erat ipse lux, Ioan. 1: 8. sed ad Christum mittebat) hoc nullum discrimen in Baptismo generabat: nam uterque tendebat in Christum, hoc est novam vitam requirebat, quae ad exemplum Christi formaretur. Quin et hoc nihil arguit differentiae, quod Christi Baptismus authorem salutis iam praesentem haberet, Ioannis autem futurum promitteret: nam eadem sors erat eorum qui in Ioannis et qui in Christi Baptismo essent tincti, si, antequam Christus coelos ascenderet, mortui fuissent. Nemo enim ascendit in coelum, nisi filius hominis, qui est in coelo, Ioan. 3: 13. Quicunque ergo ante Christi in coelum profectionem mortui sunt, coelos non potuerunt penetrare, tametsi vitam commutarent et spem omnem in Christum tenderent: ipse enim est resurgentium primitiae. Multo minus, quod aqua essent abluti, efficere potuit ut coeli paterent. Christum enim primas in omnibus habere oportet, Col. 1: 18. Cum ergo

Ioannes vitam docuerit esse mutandam ac formandam ad exemplum Christi, ad quem mittebat, Christumque ipsum spem nostram esse pronunciarit, neque Christus aliter docuerit (quid enim exigit omnis Christi doctrina quam novam vitam quae secundum dei voluntatem formetur, et Christo inconcusse fidat?): sequitur ut si doctrinae baptismus fuit idem, idem sit et aquae. Doctrinae ingenium est idem. Quid enim interest, quod Ioannes protinus adfuturum dixit, et Christus se ipsum exhibuit? Annon et Ioannes eum ostendit, cum diceret: Ecce agnus dei etc. Nec enim Apostoli aliter de Christi priore missione dicere potuerunt, quam Ioannes dicebat; imo in universum nemo potuit Christum exhibere, quam ipse se ipsum. Ut ergo Apostoli ad Christum trahebant, sic et Ioannes. Unde non immerito ipsum Lucas dixit evangelizare 3. cap. Multa quidem, inquiens, et alia exhortans evangelizabat populo. Quid enim aliud docebat Ioannes quam Apostoli? Adde quod gravissimus eius sermo, cuius summam Ioannes Evangelista 3. cap. complexus est, Evangelii rationem apertissime exprimit, cum sic ait: Pater diligit filium, et omnia dedit in manum eius. Qui credit in filium, habet vitam aeternam; qui vero diffidit filio, non videbit vitam, sed ira dei manet super eum. Quid hoc, obsecro, aliud est, quam: Qui crediderit praedicato Evangelio salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur? Quum ergo doctrinae Baptismus omnino idem sit: qui fit, ut in aquae tinctione discrimen fingamus? quum uterque in eum usum abluerit, ut novi homines prodiremus, vitamque iuxta eam doctrinam, quam uterque praedicabat, formaremus. Redeundum ergo nunc est ad 19. cap. Actorum, ubi visum est quiddam obstare huic sententiae, quod unus sit Baptismus, sive Christi adpelles, sive Ioannis, sive aliorum quoque Apostolorum. Quum Paulus Ephesum venisset, ac discipulos quosdam invenisset, dixit ad eos: Annon spiritum sanctum accepistis, cum crederetis? Quid hic quaerit Paulus? an hoc quaerit, num linguis locuti sint? Et videtur hoc quaerere, nam postea manibus impositis loquebantur linguis. Quae ergo ista nova percontatio est? Num hoc ad fidem requirebatur? Minime, quum videamus linguarum miraculum rarius esse factum. Non ergo de linguarum dono interrogabat, tametsi hoc postea sequeretur, sed de interno fidei robore. Constabat enim illi, quod per Apollôn essent baptizati, hoc est docti, qui tamen primum, ubi Epheso Corinthum venisset, ab Aquila et Priscilla ex amussi viam dei doctus erat. Unde quum Paulus merito vereretur, ne fors quiddam eis deesset, interrogavit an per spiritum sanctum intus docti essent, ut saluti per Christum nihil diffiderent. Quum ergo istud nondum adsecuti essent, negant se spiritus sancti mentionem unquam audivisse. Miratur ad hanc vocem Paulus, rogatque in quidnam baptizati essent. Respondent: In Baptismum Ioannis. Ecce, ut hic Baptismum pro doctrina accipit, quemadmodum et Christus Matth. 21: 25. quum Iudaeos interrogat: Ioannis Baptismus, ex hominibus erat, an ex deo? Ubi manifestum est, Christum non de aquae Baptismo loqui: nam is prorsus de terra erat, sed doctrina coelo descenderat. Et Ioan. 3: 26. dicunt Ioannis discipuli: Ecce hic baptizat, et omnes veniunt ad eum; quum tamen ipse non baptizaret, ut quarto postea capitulo habetur. Sed baptizabat

Christus doctrina; quum non aliter doceret, quam etiam Ioannes, quod ad argumentum adtinet: nam alias nemo sic docebat tanquam potestatem habens. Eodem 3. cap. Ioannes paulo ante iam adductum locum sic ait: Post haec venit Iesus et discipuli eius in terram Iudaeam, et illic demorabatur cum eis et baptizabat. Hic quum doctrinae mentionem prorsus nullam faciat, fit manifestum, quod baptizare pro docere usurpaverit Evangelista. Hic moneo, ut diligenter attendant, qui hunc locum minus germane intelligunt. Quod nunc sequitur, non dixit Paulus in eum usum, ut Ioannis baptismi existimationem levet aut dignitatem, quemadmodum vulgo credidimus, sed ut ingenium eius clare explicet: quo exposito isti cognoscere possent, an sic in poenitentiam et Christum concessissent, quemadmodum Ioannes praedicaverat. Sic ergo ait: Ioannes quidem baptizavit baptismum poenitentiae. Quid hoc aliud est, quam praedicavit poenitentiam? populo dicens, ut in eum crederent, qui veniebat, hoc est in Christum Iesum. His auditis baptizati sunt in nomen domini Iesu. Si ergo isti hanc baptismi formam tenebant, quam hic Paulus recitat, quid quaeso eis deerat? Si enim poenitebat eos vitae prioris et spem omnem in Christum habebant, iam renati erant. Fit igitur manifestum, quod in Ioannis doctrina non sufficienter instituti erant, quantumcunque putarent se in ea promovisse. Quis enim Apostolorum clarius Evangelium Christi praedicavit, quam Ioannes ut paulo ante visum est? Defuerat autem et ipsi Apollo non nihil, ut Actorum 18: 26. habetur, unde ne verisimile quidem est, ut teneri adhuc discipuli expeditiores essent, quam magister, tam cantatus in legis prophetarumque eruditione. Quum ergo hactenus credidissent se Ioannis doctrinam recte tenere, Paulo summam recitante, invenerunt se adhuc longe abesse ab absoluta doctrina. Baptizantur ergo, id est ducuntur per Paulum in Christum. Nam neque hoc tacendum est, utcunque Latini interpretes verterint, Graecos tamen istic loci constanter habere: In quid baptizati estis, non in quo; et iterum, in Ioannis baptismum, non baptismo; et paulo post, Baptizavit baptismum poenitentiae, non baptismo; et postremo, Baptizati sunt in nomen domini Iesu, non in nomine. Tametsi non ignorem eiusmodi schematismos nonnunquam ad hunc modum verti, sed hoc loco monet sermonis constantia, ne temere dictum putemus. Quin, ut criticos istos nihil moremur, multo vividius est, quod Graeci Matth. 28: 19. habent, Baptizantes eos in nomen Patris et Filii et Spiritus sancti, quam in nomine, quemadmodum Latini habent. Nam in nomen baptizari est in fidem in deum inseri. Nomen autem potentiam, maiestatem, gratiam, hoc loco significare non est novum: ipse Christus enim dicit Marc. 16: 17. In nomine meo daemonia eiicient, id est in mea virtute: nihil enim habebant Apostoli sive dictorum, sive factorum, quod merito sibi tribuere possent, ut inquit Paulus Rom. 15: 15; et Actorum quarto negat Petrus ullum esse nomen sub sole, quam Christi, in quo salvi possimus fieri, hoc est per solam Christi gratiam. Quamvis interim, quod ad exteriorem aquae baptismum adtinet, non vetem, dum tingimus aut initiamus baptismo, sacris his verbis uti: tametsi baptizare in nomen patris et filii etc. revera nihil aliud sit, quam eos qui prius carnis erant et mundi, iam Patri, Filio spirituique sancto initiare,

dedere, consecrare. Ex his secundae quoque obiectioni facile respondetur, ubi dicebatur Christi baptismi aliam esse formam, quam Ioannis: nam ea verba, quae Matth. 28: 19. scripta sunt: Baptizantes eos in nomen patris etc. non ad hunc usum solummodo dicta sunt, quo Theologi alligaverunt. Germanus enim horum verborum sensus est, ut qui Christum sint induturi, Patri; Filio Spirituique sancto initientur, hoc est iungantur, adstringantur. Externa vero res est, quum tinguntur concurrentibus sacris verbis: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac verae rei signum et ceremonia. Ut cum aliquid per manus traditur, ipsa manuum copulatio non est rei traditio, sed visibile signum, quo testamur contractum esse ex utraque parte perfectum. Sic sunt ceremoniae exteriora signa, quae accipientem aliis probant ipsum ad novam vitam sese obligavisse, aut Christum confessurum esse usque ad mortem. Hactenus de Baptismo.

Quod autem ad infantium baptismum adtinet, quem quidam eis hodie sic negant, ut si tam constanter abhorrerent a contentione, factionibus, rixis, maledicentia, elatione animi et impatientia, satis laudare nemo posset. Nunc quum rogas, an infantes tincti baptismo damnentur necne, ipsique respondeant non damnari; et contra si roges an damnentur si non tingantur, respondeant non damnari, tuque inferas, non ergo contineri infantes hac lege: Qui crediderit (praedicato scilicet auditoque Evangelio) et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, damnabitur: nam hoc adultis dici, non eis qui audire nequeunt; non ergo posse infantes a communi salute reiici, eos praesertim qui a fidelibus prognati sunt: nam alioqui conditionem eorum deteriorem futuram, quam carnalis Israëlis; si ergo Christianorum liberi haud minus dei sint quam Israëlitarum: qui eos vetet baptizari iuxta Petri verbum? Actorum 10: 47 — nihil de pertinacia mutant. Peculiari igitur libro, absolutis his Commentariis, infantium baptismum deo volente tractabimus.

## DE EUCHARISTIA.

Scripsimus ante annos duos inter articulos sexagintaseptem,[1] decimo octavo de Eucharistia, ubi tempori multa potius scripsimus quam rei. Nequit enim et Christus satis laudare fidelem verbi sui dispensatorem, qui tempestive cibum adponat famulitio domini, sic per admirationem inquiens, Matth. 24: 45. Quis, id est, quantus iste fidelis dispensator et prudens, cui dominus familiam suam credidit, quo cibum ei tempestive praebeat? Statuimus ergo perpetuo tenore sic dispensare verbum, ut fructum plurimum domino nostro reportemus. Quis enim non abiiciat servum, qui saeviente bruma tellurem aratro proscindere, eique semina credere pergat? Verno tempore ista sunt agenda. Sic nos multa dedimus ea tempestate horum teneritudini, quibus scripsimus, sed omnia ut aedificaremus. Christi exemplo vel deprompsimus vel recondimus. Qui posteaquam Eucharistiam instituisset, dixit se adhuc multa habere, quae discipulis dicta oporteat, sed tum eos ipsa capere non posse; reservanda

[1]) In Conclusionibus Vol. I. p. 232 sqq. Confer. de Canone Missae, annotatio secunda, et Zuingl. ad Wyttenb. 15 Iun. 1523. Vol. VII. p. 299.

ergo censet usque ad spiritus sancti adventum. Quum ergo hic, bone Lector, quaedam offendas, quae in superioribus scriptis nostris non vidisti, aut quaedam clarius hic dici quam alibi, quaedam vero aliter, noli admiratione capi: noluimus cibum dare, quum intempestivum esset, neque margaritas porcis proponere; sed neque, si citra omne periculum etiam potuissemus, tunc proponere voluimus, quum nemo caperet. Retractamus igitur hic, quae illic diximus, tali lege, ut quae hic damus, anno aetatis nostrae quadragesimo secundo, [1]) propendeant eis, quae quadragesimo dederamus; quando, ut diximus, tempori potius scripsimus, quam rei, sic iubente domino, ut tali ratione aedificemus, ne inter initia canes et porci nos rumpant. Veremur enim, quod si uspiam perniciose erretur in veri uniusque dei tum adoratione tum cultu, hic fiat in Eucharistiae abusu; quae si germanum, iuxta institutionem Christi, usum servavisset, non irrepsissent tam atrocia scelera in populum dei, Ecclesiam. Nunc quum omnes ad hoc intenti fuimus, ut sancta potius attrectaremus, aut circum nos haberemus, quin palam dicam, sancta faceremus, nostra virtute scilicet, quae fortasse sancta non erant (nemo enim ignorat quantum sit in ossa piorum, ut adorarentur etiam insumptum) quam ut ipsi sancti fieremus: factum est, ut lignum, lapides, terram, pulverem, soleas, vestes, annulos, galeas, gladios, cingula, ossa, dentes, pilos, lac, panem, quadras, tabulas, vinum, cultros, amphoras, et quicquid unquam attrectarunt pii homines, adoraverimus amplectendo, osculando; et quod stultissimum erat, nos plane beatos existimantes, si quid talium solummodo aspexissemus, promittebamus nobis ipsis abolita esse peccata, propitiam fortunam ac mundum totum. Veram autem pietatem, quae nihil aliud est, quam ex amore timoreque dei servata innocentia, sic deseruimus, ut communem iustitiam, hoc est humanam, ne apud infideles quidem sic frigere videamus, ut apud Christianos. Putavimus nos operae pretium facere, si de sanctissimis rebus subliniter sentiremus, quibus tamen sanctitas a nobis tributa erat, si quam civilissime de eis dissereremus, et nos interea omni spurcitia non aliter scateremus, quam sepulchra dealbata. Deo fidentem esse ac sanctum, hoc erat Christianum esse. Nemo ergo, quum de Eucharistia nos audit disserere, sic de nobis iudicet, ut quandoquidem Zuinglius dixerit, putet sequendum esse; si qui forte tam sunt in hominis verba iurati, quamvis paucos aut nullos esse putem. Contra vero nec abiiciat, quae ex fontibus arcanorum dei prolata videt, propterea quod qui protulit, humilis author est: nam in utramque partem peccari video. Suspendendum ergo erit omne iudicium, donec perorata causa liquido videamus quid pronunciandum sit.

*Εὐχαριστίας* nomen dederunt Graeci Coenae dominicae, pientiores semper ac doctiores, verbo absit invidia, Latinis homines, ut ipsorum monimenta sole clarius testantur. Dederunt autem indubie hac causa id nominis, quod tam ex fide quam verborum Christi Apostolique vi intelligerent, Christum hac coena voluisse iucundam sui commemorationem fieri, gratiasque publice haberi pro beneficio, quod in nos

[1]) Zuinglius natus est Calendis Jan. 1484.

liberaliter expendit: est enim Eucharistia gratiarum actio. Qui ergo in hac publica gratiarum actione interesset, toti se Ecclesiae probaret ex eorum esse numero, qui Christo pro nobis exposito fiderent: e quo se numero eximere, subducere aut alienare, sive desertione, sive impuritate vitae, summa esset perfidia. Unde et Communio vel Communicatio apud Paulum 1. Corinth. 10: 16. vocatur. Hinc etiam Excommunicatio, quum scilicet alicui negabatur ad hanc fidelium communicationem accessus, propter vitae spurcitiam. Tenemus ergo nunc ipso nomine, quid Eucharistia, id est coena Dominica sit, nempe gratiarum actio, et communionis gratulatio eorum, qui mortem Christi annunciant, hoc est ebuccinant, laudant, confitentur ac unice exaltant. Quum autem gravissimus Christi sermo, quem Ioannes sexto capite complexus est, a multo plurimis germane non intelligatur, licet ab eisdem alio audacter distrahatur, statuimus ante omnia nativum eius loci sensum adserere, ne hinc possint ad tuendum errorem suum arma petere, qui omnem scripturam cogunt, velit nolit, suae opinioni servire.

Christus, cum videret eos, qui ad se ventitabant, ventri deditos esse, et eius causa ad se venire, pro suo more accepit occasionem docendi a re nata. Paulo igitur ante saturatos sic adoritur: Vos hac causa venitis ad me, ut saturemini cibo. Ego vero non veni in hunc mundum, ut corporalis cibi promum geram, sed ut mentem pascam. Vos operamini et sudatis sequendo propter ventris cibum. Ignavi, operamini cibum qui minime periturus est: is enim quem hactenus quaeritis, cum ventre perit; ille autem cibus, quem ego daturus sum vobis, spiritalis est, unde et perire nequit, sed manet in aeternum. Me enim pater meus deus signavit, hoc est firmavit, ut indubitata salus sim et pignus vitae. Quum ergo Iudaei non intelligerent quid Christus voluisset, quum iuberet cibum operari, hoc est quaerere, qui perire nesciret, dicunt: Quid faciemus ut operemur opera dei? putantes eum de opere aliquo externo loqui, quod ab eis exigeret. Respondit ergo Iesus, et dixit eis: Hoc est opus dei, ut fidatis eo, quem ille misit. Ecce quodnam sit opus quod deus a nobis requirit: nullum prorsus hic Christus adfert, quam fidere filio dei, se scilicet. Ecce autem iterum quis sit cibus quem parare paulo ante iusserat, cum diceret: Operamini cibum qui non perit; et alium non inveniemus esse quam ut Christo fidamus. Cibus ergo iste, de quo Christus hic loquitur, fides est. Ponitur ergo hic prima nota, qua deprehendimus eos penitus errare, qui Christum toto isto capite putant quicquam de sacramentali cibo loqui. 1. Quaerere enim iubet cibum qui non pereat; et hoc nihil aliud est quam operari opus dei. Porro opus dei hoc est quo fiditur filio, quem pater misit. Est ergo cibus quem quaerere iubet, fidere filio. Fides igitur cibus est, de quo tam graviter per totum hoc caput disserit. Dicunt ergo Iudaei: Quid signi facis, quo sciamus, videlicet tibi fidendum esse, et credamus? Quid operaris, quo te a Deo esse agnoscamus, cui uni haerere Lex praecipit? Non enim te latet, ut patres nostri coelitus deplutum panem in eremo ederint: nam in Psalmis ea res cantata est: Panem de coelo dedit eis. Respondit Iesus: Vere vere dico vobis,

Moyses non dedit vobis panem de coelo: nam et si superne deciderit, non tamen caelestis erat, sed pater meus dat vobis panem de coelo verum: panis enim dei est qui de coelo descendit, et dat vitam mundo. Panis Moseos vitam sustinebat corporalem, sed panis quem pater dat, animum reficit; tamque abundans et efficax est, ut mundo universo vitam det. Quum ergo Iudaei non caperent Christi sermonem, qui nihil aliud erat quam Evangelii explicatio: (per panem enim edere, verbo Evangelii credere intelligit) dicunt ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit ergo eis Iesus: Ego sum panis vitae: qui ad me venit, nullatenus esuriet; et qui me fidit, non sitiet unquam. Cum audissent ergo Iudaei Christum dicere quod panis, qui de coelo descenderet, vitam daret mundo, optabant sibi semper hunc panem dari. Iesus autem intelligens quod sensum Evangelii non caperent, exponit quisnam sit iste panis tam vivificus, ut mundum totum possit vitalem facere; et dicit: Ego sum panis vitae. Qui ergo ad me venit, hoc est qui mihi inseritur, qui me recipit, nullatenus esuriet. Quod autem hic *venit* pro recipit accipiatur, sequentia verba indicant: Qui me fidit non sitiet. Fides ergo est, quae famem ac sitim omnem sedat: sed quam famem, aut quam sitim? animorum nimirum. Fides ergo in Christum sola est quae mentem satiat ac potat, ut nihil amplius desit. Prosequitur Christus: Sed dixi vobis, quod me vidistis et non fiditis. Quid hoc porro aliud est, quam: Vos miramini quidem, quod dixi eum qui ad me veniat neque esuriturum neque sititurum, cum tamen vos iam nunc praesto apud me adsitis fami ac siti obnoxii. Hoc inde provenit, quod me quidem carnis oculis vidistis dudum et etiamnum videtis: sed ego de hoc visu vel accessu non loquor, sed de fidei luce, quam si quis habeat, nihil desiderabit: non quaeret per noctem quem diligat, cui aestus suos queratur; non vagus omnia pererrabit: certus est enim, eum quem tenet verum animae sponsum esse unicumque thesaurum, nec alium sitiet. Hanc vos fidei lucem non habetis. Non enim fiditis me: hinc non intelligitis quo pacto ego sim animae cibus, hoc est spes. Causa vero huius vestrae caecitatis est, ut nihil durius dicam, quod pater non traxit vos in mei cognitionem: alioqui reciperetis me. Nam omne quod mihi pater dat, ad me veniet. Quod vero ad me adtinet: Ego nullum qui ad me venit, foras eiicio. Non enim descendi de coelo, ut meam voluntatem, quam vos mihi haud aliter tribuitis quam aliis hominibus (sum equidem verus homo, atque secundum eam naturam peculiarem etiam voluntatem habeo, sed longe obtemperantiorem quam vos habeatis: vestra enim voluntas dei voluntati frequenter obluctatur, mea nunquam non obtemperat); descendi ergo ipse de coelo, ut voluntatem faciam eius, qui me misit. Ut autem sciatis, quidnam velit is qui me misit: Est haec voluntas patris mei, qui me misit, ut omne quod mihi dedit, ne perdam ex eo, sed ipsum resuscitem ultimo die. Sed ne hoc etiam ignoretis, quid per hoc verbi: Dat mihi pater, et dedit mihi pater, intelligere debeatis, apertius loquar: Haec est voluntas eius, qui me misit, ut omnis qui cernit, id est cognoscit filium, et fidem in eum habuerit, vitam habeat aeternam. Et ego resuscitabo eum ultimo die. En cibum de quo loquitur: Misit deus filium suum in hunc mundum, ut vivamus per eum. Qui ergo

vitam sunt per eum habituri? qui eius gratia nituntur. At quomodo nitentur, nisi agnoscant? Dixit igitur: Omnis qui cernit filium, hoc est qui intelligit cur in mundum sit missus filius, et eo fidit, habebit vitam aeternam. Hic videbatur carni, quod Christus sibi nimium sumeret, quum dicebat: Ego sum panis vitae. Nam paulo ante dixerat: Panis enim dei est, qui de coelo descendit, et dat vitam mundo: ex quibus sequebatur, quod ipse esset is panis, qui de coelo descendisset. Remurmurat ergo caro, hoc est Iudaei; et dicit: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos patrem novimus et matrem? Quomodo ergo dicit iste: De coelo descendi? Respondit ergo eis Iesus et dixit: Ne murmuretis inter vos mutuo. Non audistis, quod iam iam dixi: Omne quod mihi pater dat, ad me veniet? Cogit me vestra incredulitas, ex qua sequitur intelligendi tarditas, eandem rem iterum atque iterum dicere. Sic habet res: Nemo potest ad me venire, hoc est, nemo accedit mihi tanquam unico salutis pignori, nisi pater qui me misit, ipsum trahat; quem autem is ad me traxerit, hoc est mihi per fiduciam junxerit, hunc ego resuscitabo ultimo die. Mirum est, quod verba mea perpetuo putatis esse paradoxa quaedam, quum tamen nihil, aut parum dicam, quod non in vestris ipsorum vel prophetis, vel lege scriptum sit. Est autem et hoc in prophetis scriptum, Isa. 54: 13. et Hieremiae 31: 34. Et erunt omnes docti a domino. Cur igitur miramini, quod vobis, propter incredulitatem, mei cognitionem a patre negari perhibeo, quum etiam prophetae vestri tradant hanc rem a patre doceri oportere? Quid autem nudius aut apertius dici potest, quam quod nunc dicam? dicam tamen ne quid iustae querimoniae possit vobis esse reliquum. Quod prius his verbis extuli: Quod dat mihi pater ad me venit; aut istis: Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit illum; nunc aliis sed liquidioribus sic accipite: Quicunque audivit a patre ac ab eo didicit, is venit ad me tanquam ad unicam salutis ancoram. Non quod patrem quisquam viderit, ne forte et has voces, audire et discere, ad sensus potius quam ad mentem, hoc est internam illustrationem, referatis. Nemo unquam vidit patrem, quamvis ille intus operetur, ut quae ille vult audiamus et discamus, nisi is, qui est a deo: hic vidit patrem. Dico ergo vobis, tam vere vere, quam plane plane, quod: Qui fidit me, habet vitam aeternam. Nunc habetis summam huius meae doctrinae, imo summam totius mihi demandatae legationis, videlicet, quod: Qui fidit me, habet vitam aeternam. Ego sum ille panis vitae, cuius naturam ab initio huius sermonis exposui. Nemo negat maiores nostros in eremo manna edisse; at illi mortui sunt. Qui vero hunc panem manducat, me scilicet, hoc est qui me fidit, habet vitam aeternam. Panis iste est, qui de coelo descendit, ut qui ex eo edat, non moriatur. II. Videndum est hic obiter, quod Christus nobis ea parte salutaris est, qua de coelo descendit, non qua ex illibatissima quidem virgine natus est, tametsi secundum eam pati ac mori oportuerit; sed nisi deus simul fuisset, qui moriebatur, non potuisset toti mundo salutaris esse. Est ergo haec secunda nota, quod Christus hoc capite per *panem* et *edere* nihil aliud, quam Evangelium et credere intelligit, quod, qui credit eum pro nobis immolatum eoque nititur, habeat vitam aeternam; et quod prorsus non loquitur de

Sacramentali esu. Nam ut hanc sententiam magis ac magis declaret, iterum ait: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis edat ex isto pane, vivet in aeternum. Sed ne diutius vos suspendam, brevibus exponam, quid causae faciat, quod ego toti mundo sim salutaris, aut qua via hoc fiat, audite: Panis, de quo multa loquor, quem et vobis daturus sum, caro mea est, quam ego pro mundi vita expendam. III. Est ergo haec tertia indubitata nota, quod Christus hic non loquitur de sacramentali esu, nam hactenus tantum est nobis salutaris, quatenus pro nobis mactatus est; at secundum carnem mactari tantum potuit, et secundum divinitatem tantum salutaris esse. Sic ergo Christus est animae cibus, quod ea dum videt deum filio suo unigenito non pepercisse, sed in contumeliosam mortem tradidisse, ut nos vitae restitueret, certa fit gratiae dei salutisque. Neque hic quisquam velit argutus esse, quod carnem suam dixit pro mundi vita expendi, ut hinc colligere audeat Christum secundum humanam naturam tantum esse omnibus salutarem: dicere enim ipsum carnem suam impendi pro mundi vita: carnem ergo vivificare. Nam, ut deus et homo unus est Christus, ita fit, ut cum iuxta carnem caesus sit (quis enim deum posset occidere?), ac mors eius nobis vita facta sit, ut propter naturarum unitionem et communicationem alteri nonnunquam tribuatur naturae, quod totius Christi est. Post istum ergo sermonem: Panis quem ego dabo, est caro mea, quam pro vita mundi expendam, nihilo facti sunt Iudaei doctiores propter incredulitatem et contumax odium. Non enim capiebant mentem verborum Christi, quod non esus, sed caesus nobis esset salutaris: sic enim mentem humanam reddi certam misericordiae dei, quum videt eum filio suo non pepercisse etc. Murmurant ergo, quanto erant imperitiores, tanto audacius et impotentius, per indignationem dicentes: Quomodo potest iste nobis dare carnem suam ad edendum? haerebant enim adhuc in carne, quae ante oculos adstabat. Unde non immerito horrebant, quamvis Theologi nostri nihil horreant. Christus ergo, cum videret se nequicquam omnia tentare, ut in cognitionem sui traheret, sic cum eis egit, quomodo Isaias aliquando 6. cap. iussus est agere. Ubi sic loquitur dominus: Vade et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere; et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaeca cor populi huius, et aures eius aggrava, et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde suo intelligat, et convertatur, et sanem eum. Cum, inquam, videret Christus se nihil proficere, ignorationem eorum amplius degravat, quemadmodum Matth. 13: 13 sqq. suis etiam verbis docet. Inquit ergo, quum tam odiose de se loquerentur: Amen amen dico vobis, quod nisi edatis carnem filii hominis et bibatis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis ipsis. Qui edit meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam et ego resuscitabo eum in ultimo die. Nam caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Caro inquam Christi, quatenus in mortem tradita est, pro liberatione nostra; et sanguis, eo quod fusus est pro ablutione nostra; ut in superioribus manifeste liquet. Cum enim nollent mysticum sermonem capere, quem tamen sic expediverat, ut nihil desiderare debuissent, potentius eos ferit ac caeciores facit: sic enim isti

merebantur, et sunt haec iudicia dei. IV. Unde et supra haec omnia addit: Qui edit carnem meam, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Haec incredulis ad obstinationem dicuntur, piis autem ad informationem. Et est quarta nota, qua perspicitur Christum hic de sacramentali esu non loqui (sunt enim proh dolor, innumeri, qui sacramentaliter edunt et bibunt corpus et sanguinem Christi, neque tamen in deo sunt, neque deus in ipsis, nisi qua ratione in elephanto est et pulice); sed de esu fidei: qui enim credit se traditione Christi liberatum, et sanguinis eius effusione ablutum, is haud dubie in deo manet. Nam omnem fiduciam tuto in filium dei iactat, nec alio spes suas dirigit: non enim aliud bonum sitire potest, qui summo iam fruitur (dico autem quatenus viatoribus frui congruit, non quatenus de usu et fruitione Theologi loquuntur: fruuntur enim pii deo, dum hic sunt: quamvis istud sit omnibus ignotum, quorum mentes amore dei non flagrant). Et contra, deus in eo manet: non enim (ut ipsis Christi verbis patuit) quisquam Christo accedit, nisi quem pater trahit; qui ergo a patre intus docente discit, in eo nimirum deus est: ac simul, qui in Christo manet, in eo manet et Christus. Nam in Christo manere, est per amorem, quo se pro nobis exposuit, deo firmiter adhaerere; sed amor deus ipse est, 1. Ioan. 4: 7. Qui ergo in amore dei manet, deus in eo est, et ipse in deo. Sed amor fidem sequitur intellectus ordine. Fides ergo, qua Christi gratia nitimur, est, per quam in deo manemus, et ipse in nobis. Hunc esse sensum probant Christi verba quae sequuntur: Quemadmodum misit me vivens pater, et ego propter patrem vivo: sic et is qui edit me, vivet propter me. Misit me pater, inquit, unde et eius voluntati in omnibus pareo: sum enim patris filius. Sic nimirum et hi qui me edunt, hoc est qui me fidunt, se ad exemplum meum formabunt. Frustra edetis, hoc est frustra vos credere simulabitis, nisi et vitam immutetis. Mundum veni non modo redimere, sed etiam mutare: qui ergo me fidunt, ad meum exemplum se transformabunt. Hic est panis qui de coelo descendit, quod ipso effectu declaratur: qui enim hunc panem manducat, vivet in aeternum; qui corporeum edit, non itidem. Quod hinc vobis liquet, quod patres vestri manna desuper veniens ederunt, sed mortui sunt: non potest ergo ullus corporeus cibus efficere, ut quis in aeternum duret. Offendit hic sermo non eos modo qui Christum odio habebant, sed suorum etiam quosdam discipulorum. Qui ut nihil incivilius committerent, dicebant: Durus est hic sermo; quis potest eum audire? in carne visibili non minus adhuc haerentes quam adversarii eius. Iesus ergo cognito quod de hoc murmurarent etiam discipuli quidam, dixit eis: An hoc vos scandalizat? Quid ergo (intellige dicetis vel sentietis, aut aliquid simile) si videatis filium hominis ascendere eo ubi prius erat? Non capitis meum sermonem, quia non creditis me filium dei esse. Quid autem dicetis, quum me videbitis meis ipsius viribus in coelum ascendere: nonne tunc filium dei esse confiteri coget res ipsa? Propterea non fiditis me, quia non creditis me filium dei esse. Quod autem non creditis, in causa est, ut quicquid dicam, non intelligatis. Ego vos ad superna per similitudines et lepidas allegorias allevo, vos autem incredulitatis pondere ad ima semper subsiditis. Spiritalis res est de qua loquor, non

geritur rebus corporeis, sed spiritus spiritum docet. Spiritus inquam dei miserum hominis spiritum dignatur ad se trahere, sibi iungere, alligare ac prorsus in se transformare. Ea res mentem pascit, laetificat, certamque salutis reddit: quod quid aliud est quam animae cibus? aut qua similitudine commodius exprimi potest quam cibi? Ut enim ieiunus stomachus defluente cibo gestit, quo deinde absumpti spiritus, absumpti calores et vires instaurantur: sic ieiuna mens, cum se deus ei aperit, prae gaudio gestit, et in diem magis ac magis augescit, roboratur, inque formam dei transformatur, donec in virum perfectum adolescat. Spiritualis ergo cibus est, de quo loquor: solus enim spiritus eum dat, quum solus mentem ad se trahat et reficiat. Imprudenter nimis cogitatis, quum putatis me de ista carne loqui, quae venis et nervis alitur et constat. Ea non prodest quicquam. Quam diu sine intellectu estis? Clare dico vobis: tam abest, ut de corporea carne aut essentiali corpore loquar, ut palam tester meam carnem nihil penitus prodesse. v. Atque haec est quinta et disertissima nota qua deprehendimus Christum hic nullo pacto de Eucharistiae Sacramento loqui; neque hoc solum, sed his verbis tanquam lege caveri, ne unquam de corporea carne quicquam somniemus. Quum enim Christus dicat, non quicquam prodesse, non debet humana temeritas unquam de ea edenda disputare. Quod si occurras, alium aliquem sensum esse oportere (nam caro Christi non nihil prodesse, cum ea simus a morte redempti): respondemus: Caro Christi omni modo plurimum imo immensum prodest, sed ut diximus caesa, non ambesa. Caesa nos servavit a caede, sed comesa penitus nihil prodest. Veritas dixit; aliter se habere nequit res. Nam Iudaei de edenda non immolanda carne disputabant, quo et Christi sermonem tendere necesse est. Quantumcunque ergo Theologi de essentiali Christi corpore, aut corporea carne disputent, nihil unquam obtinebunt, quam quod se ipsos produnt stupidiores, sed audaciores esse Iudaeis, contra omnem diligentiam ac benignitatem salvatoris. Iudaei enim, cum semper haererent ad visibilem carnem, Christum potius deserebant quam ut benigne docentem vellent intelligere: quamvis ipse, quod amantem magistrum decet, errorem aperte ostendit, ne in eo pereant; dicitque carnem, quam ipsi spectabant, prorsus nihil prodesse. Theologi autem nostri perinde faciunt, ac si dicerent: O Iesu, non est opus hac declaratione, nos recte capimus sententiam: intelligimus enim, quod de carne visibili manibusque tractabili loqueris; eam nos oportet edere, si modo salvi esse cupimus. Tu qui corda et cogitationes hominum nosti, frustra fuisti prudens, quum dixisti carnem nihil prorsus esse utilem: nam nos, qui sumus in nostro regno potentiores quam tu, facile vincemus, ut omnes cogantur disertis etiam verbis confiteri, se carnem tuam edere; ac simul quum edunt, etiam sensu percipere se carnem edere, et sanguinem bibere. Unde isthoc verbi: Caro non prodest quicquam, tantisper preme, donec videas nos obtinuisse supra Iudaeorum stuporem (qui ab eo qui corda omnium novit, abibant potius quam adulando simulabant se intelligere quod ignorabant), ut vulgo confiteantur se intelligere, credere aut sentire, quod nunquam intellexerunt, crediderunt aut senserunt. Et

ecce tibi hunc Berengarium,[1] quem coëgimus, ut de Consecrat. dist. 2. cap. Ego Berengarius, habetur, confiteri, corpus et sanguinem Christi post consecrationem, verum, hoc est, corporeum et essentiale adesse; et sensualiter non solum Sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi et fidelium dentibus atteri etc. Sic et omnes qui mutire contra audebunt, huc adigemus. Quod si tu omnino dictum velis: Caro non prodest quicquam, a te avertemur: praestat enim, ut a te recedamus, quam ut compendio quaestuique nostro decedat. Noli offendi, bone Lector, salsa ista ironia nostra! videbis paulo post, cur sic sit cum tam stupido hominum genere agendum, qui etiam sensus coëgerunt aliud fateri quam experirentur. Cum ergo Christus aperte docuisset spiritus esse comestionem non oris, de qua loquebatur: carnem enim penitus nihil prodesse, addit: Verba quae ego loquor vobis, spiritus sunt et vita sunt. Verbum pro toto negotio totaque historia et causa Hebraeis accipi, ubique patet in sacris literis. Lucae 1: 65. Per omnia montana Iudaeae vulgabantur omnia verba haec. Unde et Christus hoc loci sic intelligendus est dixisse: Haec causa, quam vobis exposui, coelestis spiritus est, ac vitam parit eis, qui se ei credunt. Quod autem pauci ex vobis eam vel intelligunt vel accipiunt, hinc est, quod magna pars non credunt. VI. Hic est veluti colophon totius sermonis: Ego Evangelium vobis annuncio, sed vos ei non creditis. Est autem Evangelion nihil aliud, quam ego ipse, quamvis me ab initio verecunde et obscure exposuerim, ne arrogantiae exemplum ullum aut temeritatis praeberem; sed dicta oportet quae pater vult. Dixi ergo me esse quem patribus pater pollicitus est, verum animorum cibum, salutem certam, et infallibile spei pignus. Qui ergo me fidit, iam salvus est: nam intra se sensit, quum primum fiduciam omnem iaceret in me, ut laeta redderetur conscientia, ut animus a desperatione erigeretur in certam salutis possessionem.

Extendimus paulo fusius, quam supra, huius 6. capitis, quantum ad Eucharistiam adtinet, argumentum, sed ut speramus non infructuose. Liquere enim hinc posse arbitramur, quod quaecunque hactenus Theologi et iuris Pontificii periti ex hoc loco ad Eucharistiae abusum detorserunt, vel audacter vel ignoranter fecisse, unde et illorum authoritas parum debet valere, ubi veritate nixa non est. Quod si omnino eam perpetuo tanquam inviolabile scutum obiicias, aliud non dicam quam, fidem ipsam hunc huius loci sensum dictare: nisi ego in fide maxime aberrem, dum inconcusse credo unam ac solam esse in coelum viam, dum dei filium firmiter credo salutis nostrae infallibile pignus esse, eoque sic fido, ut nullis huius mundi elementis, hoc est rebus sensibilibus, quicquam ad salutem indipiscendam tribuam. Si vero quis me nunc procacius roget: In quem usum tam anxie hanc Ioannis pericopam exposuerim: respondeo: Ut veritas in lucem prodiret. Cui si aliqua parte pepercimus, testibus scripturis hoc manifestum fieri oportet, non cuiusvis accusatione. In promptu erat Christum falsis confictisque

[1]) Confer. Luculenta Institutio de S. Coena, annot. 6, et libellus adv. Straussium, annot. 4.

calumniis apud iudicem adcusare. At cum iste iterrogaret: Quidnam mali fecit, nulli producuntur testes, sed minis et clamoribus res agitur. Nisi ergo impiis Christi hostibus similes fieri volumus, non debemus propter Pontificum authoritatem in innoxiam veritatem, quae Christus ipse est, desaevire. Si ergo hic germanus est huius loci sensus: non debet ullius authoritas propendere, non debet omnis caro committere ut cuiusquam authoritatem veritati anteponat, non debet humana sapientia plus valere quam divina veritas. Quicquid ergo ex isto capite decerptum, sive in legibus Pontificiis, sive apud Theologos legitur, sive in templis aut compitis canitur, alio quam hoc nativo sensu, quem dominus per nos explicuit, alio detortum est, sic nihil polleat, ut sanctius omnes futurum fuisse adseramus, si hi qui hoc admiserunt, nunquam adtrectavissent puram veritatem, quam quod audacia sua sic contaminarunt. Quid ergo eorum valebit authoritas, quantumvis magni et excellentes sint? nam excellentior est veritas. Aliis autem qui sic prorumpunt: Videris mihi sentire, quod corporalis caro Christi et sanguis quoque non sint ibi in Eucharistia, sic respondemus: An hoc de te ipso dicis, an alii tibi dixerunt? Si fidelis es, non ignoras qua ratione salus constet; ac deinde tantum potest apud te dei verbum, ut de corporea carne nihil perconteris. Si vero alii tibi dixerunt nos hoc sentire, dico eis me in hac re sentire, quod sentit Ecclesia Christi. Illa ne admittet quidem hanc quaestionem: An corpus Christi realiter, corporaliter aut essentialiter sit in Sacramento Eucharistiae. Quum enim tu haec Elementa Mundi adferes, obiiciet hunc umbonem: Caro non prodest quicquam; quid ergo de carne disputas? Et si nunc o coelum o terra clames, quin etiam stellas, et maria, aliud non dicam, nisi: Caro non prodest quicquam; cur ergo de ipsa curiosus rectius quam sollicitus es? Hic ergo murus aheneus esto: Caro non prodest quicquam. I nunc et machinas omnes admove, catapultas, arietes, vineas, et omne telorum genus, tam aberit ut convellas, ut ne concutere quidem possis. Aliter ergo de carne et sanguine huius Sacramenti sentiendum est, quam Theologi hactenus statuerint, quorum opinioni omnis sensus, ratio, intellectus, et fides ipsa reclamarunt. Non enim eos audiendos esse arbitror, qui dicere audent: Ego semper firmiter credidi me essentiale corpus, aut corpoream ac sensibilem carnem Christi in hoc sacramento edere. Quasi vero, dum sic dicunt, persuadere possint ut quisquam credat se sentire quod non sensit. Cum ergo dicunt, fide constare omnia, ideo negari non posse: nam firmiter credendum esse, quod sensibiliter percipiamus corpoream carnem: respondemus: Scimus quid sit fides, scimus etiam quid sit sensus. Tu vero quum hoc ignores, aut nos ignorare putes, claritati nostrae tenebras inferre niteris. Fides constat per spiritum dei in cordibus, quam sentimus: non enim obscura res est, mentis esse immutationem, sed sensibus non percipimus. Iam vero veniunt isti, et quandoquidem fidem putant violentam animi nostri ad quamvis rem etiam disparatissimam conversionem liberam; ideo fide inconcussa hic credi corpoream sensibilemque carnem adesse perhibent. Ubi tamen bis falluntur: Primo, quod fidem putant ab hominis iudicio et electione proficisci. Falluntur ergo hic: nam tametsi fides sit spes et fiducia in res quasdam a sensu remotissimas,

non tamen constat nostro iudicio aut electione; sed hae res, quibus adferimus spes nostras, ipsae faciunt ut in ipsas spes omnes referamus: nam si nostra electione aut consilio fideles redderemur, possent omnes homines propriis viribus fideles fieri etiam impii. Cum ergo fides nec a sensu aut ratione proficiscatur nec in res sensibiles tendat, facile deprehenditur quomodo secundo loco errent. Secundo ergo sic errant, quod fidem ad res sensibiles trahunt, et per istas certitudinem adferre perhibent, cum nihil sit opus: quae enim sensu percipiuntur, iam fidei nihil debent: quod enim videt quis, quid sperat? Sensibilia enim sunt quae sensibus adposita sentiuntur. Videamus nunc quam probe ista sibi mutuo conveniant: Fide credimus corpoream sensibilemque carnem Christi hic adesse. Fide creduntur res a sensu remotissimae; corporea vero omnia sic sunt sensibilia, ut nisi sentiantur, corporea non sint. Disparata igitur sunt credere et sentire. Attende igitur quale monstrum orationis hoc sit: Ego credo me sensibilem et corpoream carnem edere. Nam si corporea est, fide opus non habet: sentitur enim. Quae autem sentiuntur, fide non egent: sensu enim certissima esse sentiuntur. Contra vero, si credis te edere, iam non potest esse sensibile aut corporale quod credis. Nihil ergo aliud quam portentum dicis. Adde quod hoc loci perhibebant Theologi, quod sensus etiam ignorabant, puta, panem carnem esse: nam hoc si fuisset, sensu iudice constitisset, non fide: fides enim non est de rebus, neque in res sensui expositas. Nec eos audiendos esse putamus, qui dum dictam opinionem non solum rusticam, sed etiam impiam et frivolam esse vident, sic decernunt: Edimus quidem veram corporeamque Christi carnem, sed spiritaliter. Nondum enim vident simul stare non posse, Corpus esse et Spiritaliter edi: sic enim diversa sunt Corpus et Spiritus, ut utrumcunque accipias, non possit alterum esse. Si spiritus est, quod in quaestionem venit, iam certa relatione contrariorum sequitur, corpus non esse: si corpus, iam certus est qui audit, spiritum non esse. Unde corpoream carnem spiritualiter edere nihil est aliud, quam quod corpus sit, spiritum esse adserere. Haec ex Philosophorum fontibus contra istos adduximus, qui Philosophiam, quam tamen Paulus cavendam esse monet Coloss. 2: 8. verbi dei magistram ac praeceptricem fecerunt, ut liquido videant quam probe nonnunquam placita decretaque sua expendant. Breviter: Fides non cogit sensum sentire fateri quod non sentit, sed trahit ad invisibilia et spes omnes in ista confert. Non enim versatur inter sensibilia et corporea, neque aliquid cum his commune habet. Age nunc, quid felicitatis hinc nascatur intellige, si credas te corpoream sensibilemque Christi carnem edere, aut ut alii dicunt corpoream carnem spiritualiter edere! fateberis indubie nihil aliud quam perplexitatem, stuporem, et ut libere dicam, suspicionem de aliis quoque certissimis sanctissimisque fidei rebus hinc provenire. Cum tamen bellissimi homines interim dicerent hanc portentosam sensibilis corporeaeque carnis comestionem fulcimentum esse fidei, et nonnunquam pro miraculo adferebant, quod tamen nemo sentiebat. Quis quaeso similia ludibria unquam commentus est, atque hoc in oculis eorum, qui mente summo ac vero deo adhaerebant? qui, quam primum fidem suam relegebant, videbant huiusmodi paradoxis

nihil opus esse: nam quid promisit unquam deus iis, qui crederent corpoream carnem hic edi? An non qui vere fideles erant, salutem hic sitam certo sciebant, si misericordia dei niterentur, cuius indubitatum vel signum vel pignus habemus Iesum Christum unigenitum filium dei? Quid ergo putas hoc commentum argutum scilicet, quod solis verbis constat (nam nulla mens capere potest, sed neque fides ipsum docet, ut visum est) apud pios valuisse? Nihil hercle. Unde et indubie factum est, ut qui vere pii essent, aut hic nihil tale crederent, aut quum ad credendum urgerentur, mente fugam capesserent, etiamsi ore confiterentur, sic habere se credere, ut impii adserebant. Quis enim cum ad tam portentosa induceretur, non sic fugam dedit: Tu rem istam non expendas, credas patribus. Et quoties veritatis stimuli dicerent: Mira res est; quomodo fieri potest, ut hoc credere cogaris, quod sic habere posse non vides? quodque Iudaei cum non caperent, Christus spiritualiter docuit intelligi debere, nunc vero isti corporaliter et sensibiliter fieri perhibent, quod tu tamen nec sentis nec experiris: nonne quisque dicebat ad semet ipsum: Tibi non licet de his rebus anxie cogitare? Veruntamen isti sic docuerant fugiendum esse, quo minus veritas illucesceret ac intelligeretur. Qui autem impii fuerunt, ne Christo quidem fisi sunt. Tam abest ut illi gratias agerent pro redemptione nobis impensa. Quid ergo aliud, quam tyrannide sua nobis obtruserunt, quod etiam impossibile est eos credidisse? etiamsi sexcenties dicerent. Fides enim donum dei est; cum ergo deus hoc nunquam tradiderit, nimirum ad credendum non traxit. Quod autem non tradiderit, manifestum est, quia caro penitus nihil prodest. Adde quod est multo tum firmissimum tum clarissimum, quod omnes, ut dictum est, in consideratione huius spiritualis - corporalis (sic enim inviti loqui cogimur) manducationis mentem avocavimus, ista maxime causa, quod semper veritas vinceret; attamen frigida sive meticulosa mens nollet obniti, quod a Papa videret diversum praecipi. Qua hoc ergo causa factum est, cum animum nihil sic oblectet atque verbi dei commanducatio? quemadmodum David Psalmo 119: 103. testatur: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel sunt ori meo. Et iterum: Praeceptum domini lucidum illuminans oculos. Et: Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. Quum, inquam, velamen, quod iubar Mosaicae faciei temperabat, ademptum sit, quid causae fuit, cur omnes in consideratione huius manducationis fugimus? Si enim verbi dei authoritate nixa erat, habebat hanc nimirum cum reliquis dei verbis communem naturam, ut quanto magis tractaretur, tanto clarior ac gratior fieret. Deprehenditur ergo, quandoquidem fides dulcissima iucundissimaque res est animae, et haec tamen corporalis sensibilisque manducatio mentem aut gravabat, aut contristabat, quod ex audacium hominum opinione citius profecta est, quam ex dei verbo. Quamvis, ut in neminem simus iniquiores, possint quidam ignorationem culpae suae praetexere propter Christi verba quae consecrationis dicimus: ea enim palam dicunt panem demonstrantes: Hoc est corpus meum, de quibus nunc dicturi sumus.

Confutavimus iam, ut speramus insulsam istam de corporali carne opinionem, ubi tamen hoc solum obtinere volumus, quod corporalem ac

sensibilem Christi carnem edi, dum gratias deo agimus, tradere, non modo impium sit, sed etiam stultum et immane, nisi apud ἀνθρωποφάγους fortasse degas; liberum interim cuique relinquentes, de spirituali manducatione utcunque velit sentire, modo Christi, non suis nitatur placitis, donec ea quae nos allaturi sumus de verbis Christi expenderit. Tum per nos licebit eligere, quod dominus dabit: nulli enim legem praescribimus.

Testor ergo per deum unum solum omnipotentem, Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, qui omnium corda novit, quod quae mox prolaturi sumus, non alia causa, quam indagandae veritatis, proferemus. Scimus veteris Adami inexplebilem gloriae sitim, qua si unquam immodice laboravissemus, fuisset exsaturandi occasio a maximis Christiani orbis principibus iam olim oblata, quam tamen sic pertinaciter reticebimus, ut ne deprecando quidem nonnullorum more narremus. Scimus iuxta hoc, quam difficile sit contra omnibus inolitam opinionem prodire: sic enim fere Christi cultores sumus, ut nos operae pretium fecisse videri velimus, si acriter externa ista signa defenderimus, quae Sacramenta vocavimus, etiamsi nunquam aut perraro vitam relegamus, et quod ruinosum est, fulciamus. Quamvis ista cum primis erat habenda cura, ut quam proxime accederemus ad archetypum, cuius nomen habemus, Christi. Periculosa ergo res est in tale discrimen te committere, ubi tot sis hostes atque eos atrocissimos habiturus: hic enim quisque maxime saeviendo videri vult maxime pius esse. Quid ergo facias? Iubet lex ut inimici etiam bovem errantem domino suo remittas; et mundum totum si videas errare, non admonebis, praesertim quum hac nostra tempestate videas tot Hercules incunctanter prodire, et quicquid perniciose doctum est, prodere? Credidit coelestis rex multis multa talenta, e quibus quidam diligenter negotiantur, quidam vero desident. Tradidit et nobis assem, cuius cura nunquam non urit, continue monens, ne rubigine absumi patiamur. Unde cum alii per immensum scripturarum pelagus intrepide navigent, quod omnia sint illis firma, malus, artemon, rudentes, conti, remi, prora, latera, puppis, adferunt immensas merces undique petitas. Nostra vero cymba, cum sit male sarta, littus caute legere cogit, ac mercem tenuem cautius vehere. Dabimus ergo operam, ut quicquid in hac re protulerimus, sic firmum sit ac solidum, ne facile queat convelli. Oramus autem simul omnes, qui Christo nomen dederunt, ut ne iudicent, donec causam totam audiverint; tum aequanimiter feremus, quemcunque calculum tulerint. Nam si nobiscum sentient, haud dubium est gratos nos futuros esse; si contra, explodent, damnabunt, devovebunt: hoc facient, si modo sapiant, scripturarum vi. Unde gratiam illis non parvam debebimus: nam nos ab errore in viam reducent. Sic enim prorsus animati sumus, ut recte monenti, sed coelesti doctrina, libentissime velimus parere. Quod si qui clamoribus rem gerent, tam frustra vociferabuntur, quam Hercules Hylam: obsurduimus ad has voces: Haereticum est, erroneum, piarum aurium offensivum: toties enim hae voces percelluerunt has aures, ut callum fecerint. Nemo ergo sic dicat: Quis feret haec? totus orbis aliter sentit; sed sic potius secum reputet, saepenumero factum ut universa aliqua gens

erraret praeter paucos, quemadmodum Noë tempestate factum est. Et Helias se etiam solum putabat; Micheas vero contra universam audacium prophetarum turmam verus Propheta stabat. Verissima quaeque semper fuerunt paucissimis cognita. Sic fortasse ii, qui de Eucharistiae pane aliter quam vulgo fit sentiunt, non temere hoc faciunt. Videbo iuxta Moseos consilium quid sibi hic ignis velit. Confiteor autem ingenue coram deo meo, et domino Iesu Christo, et omni creatura, quod ad hunc sensum verborum Christi, quem proferemus, propensior sum, quam ad alium istum quem hactenus tenuimus, quamvis nihil temere adseram; sed si quis clariora ac fidei conformiora protulerit, cum multa gratiarum actione amplexurum me polliceor.

Diximus ergo, tam durae sententiae de corporali sensibilique Christi carne occasionem dedisse ignorationem verborum Christi: Hoc est corpus meum etc. quorum si sensum ex sacris literis expendissemus, potius quam ex avarissimorum hominum decretis, nunquam tam imprudenter in multas absurdas quaestiones incidissemus. Debebant autem ista verba: Hoc est corpus meum, non sic illotis manibus tractari, ut non prius omnibus scripturae angulis perspectis videremus quem sensum ferre possent, quem recusarent. Ut exempli causa in aliis quoque fieri videmus. Dum quidam hodie tribuunt operibus, quod solius gratiae dei est, non faciunt hoc citra scripturae authoritatem: inveniuntur enim haud pauciora scripturae testimonia, quae operibus tribuunt quod dei gratiae est, quam quae soli dei gratiae. Quae ergo sententia nunc merito vincere debet? ea quam fides dictat. Ista vero sic dictat: Dei opus sumus, ex ipso spiramus, in ipso movemur et sumus, in ipsum tendimus; omnia ergo eius sunt, nos servi inutiles sumus, qui non sufficimus ad quicquam, sed omnis nostra sufficientia ex deo est. Qui hanc sententiam tenent, iam facile, quum in operum mentionem apud scripturas incidunt, se expediunt. Vident enim dei gratiae et amicitiae esse, ut nostris operibus adscribat, quod ipse tamen operatur; imo ipsum opus eius, non nostrum esse, ac iam per omnem scripturam tuto navigant. Sic et hic loci faciendum fuit. Posteaquam Christus dixerat Iudaeis: Caro nihil penitus prodest (tantum enim pollet Graecus sermo, ἐκ ὠφελεῖ ἐδὲν): non debuit os ullum de corporea carne ultra loqui audere. Praesertim cum dilucide videatur Iudaeos ad eandem corpoream carnem offendisse, et Christum his verbis eorum offensioni occurrisse, ut nemo quicquam diversitatis in hac quaestione esse, ne somniare quidem iuste possit. Nihil enim aliud Iudaeos offendebat, quam quod corpoream visibilemque carnem edi oportere arbitrarentur; at errori eorum occurrit Christus, et dicit carnem penitus nihil prodesse, spiritum esse qui mentem vivificet: verba se salutaria dixisse, nempe, quod qui ipso fidat, qui corpus suum et sanguinem sit pro nobis dependsurus, is habiturus sit vitam aeternam; haec verba esse brevia, sed vitam ex ipsis et spiritum coelestem respirare. Cur ergo tam incauti in tam duram sententiam incidimus, quum tam efficax amuletum haberemus, quod omnes praestigias humani veneficii tam facile potuit prodere? An hoc verbum Christi non repagulum est, quod transilire nec vult nec potest pia mens? An non est regula ad quam omnia alioqui aspera et dura complanat, qui integra

in deum fide est? Quis enim qui rei caput teneat, nempe, quod qui Christo fidunt illis iam potestas facta sit filios dei fiendi, imo agnoscant se iam per unum eundemque spiritum et filios esse et haeredes dei — quis horum, inquam, ad haec verba: Hoc est corpus meum, stupebit Iudaeorum instar, quum tam aperte Christum audiat dicere: Caro non prodest quicquam? Sic o clementissime ac iustissime deus, ubi tibi fidere cessamus, in tenebras incidere permittis, ut etiam in medio sole caecutiamus et palpitemus, haud aliter quam solent qui oculis capti sunt. Nam si fides integra fuisset, has tenebras haud secus propulisset, atque sol iste visibilis noctem dissipat. O impervestigabilia iudicia tua! ut enim decuit iustitiam tuam perfidos nos hac caecitate percutere, ita et clementiam decuit oculos nostros rursum aperire et ad claram lucem, ut aquilas pullis suis facere perhibent, surrigere, ut quum lucem nos ferre posse experti simus, iam et hoc beneficium agnoscamus, quod ad lucem nostris viribus nunquam aperire oculos potuissemus, nisi tu, qui vocas etiam ista quae nondum sunt, nos in admirabile lumen tuum adduxisses.

Cogunt ergo dicta Christi verba: Caro non prodest quicquam, omnem intellectum in obsequium dei, ut iam ista, Hoc est corpus meum, nulla ratione vel possis vel debeas de corporea carne aut sensibili corpore intelligere, ut patuit. Videndum ergo iam erit, quemnam sensum habere oporteat: nam ne hoc praetereamus, nihil potest inepta ista obiectio: Cur non potius ista verba, Caro non prodest quicquam, cogimus ad praescriptum horum: Hoc est corpus meum, ut illa potius dicamus ad horum normam esse aequanda, quam haec ad illorum vim adaptemus? Primum enim clarissima sunt, quae Christus illic agit, ut allegoricum sensum tam ex antecedentibus quam sequentibus, aut symbolicum penitus nullum adserere quisquam possit. Deinde quod fides eum sensum germanum esse videt, quem verba prae se ferunt: quis enim credet Christum suos in istas tenebras detrusisse, in quibus Iudaeos non est passus permanere? Lux est Christus, lux est Evangelium. Quis nunc credat, nos ad ista cogi, a quibus Iudaei ne abhorrerent, abducti sunt? Postremo, quod sensus hic non sic obstrepunt et tumultuantur, atque dum fides audet se dicere credere, quod corporea caro edatur. Persuaderi enim nequeunt sensus, ut se sentire dicant, quod nullo pacto sentiunt: nam alioqui aegre permittunt fidei ista credere, quae ipsi non experiuntur, etiamsi eis nihil imponatur supra leges suas et naturam. Nunc autem quum haec ficta fides, quae sic de sensibili carne statuit, sensibus etiam invitis obtrudat, ut praeter omnem ipsorum legem eogantur confiteri, sentire quod non sentiunt, perpetuo non obtemperant; et si tyrannide premas ac vi, ut inviti cogantur confiteri, quod non sentiunt, perpetuo tamen reclamant. Sed nunc redimus. Videndum, inquam, quis sit nativus horum Christi verborum sensus: nam corporeum istum, et crassum habere nequeunt. Prodierunt hac nostra tempestate, qui dicerent symbolicum sensum in ista voce (Hoc) deprehendi oportere: [1] quorum ego fidem commendo, si modo ficta non est. Deus enim intuetur cor, nos ex facie iudicamus miseri. Commendo ergo magnopere illorum

[1]) Carolostadius.

fidem, non qua nimis imprudenter haec verba tractare audent, sed qua viderunt consistere nequire, ut hic corpoream carnem intelligamus. Veruntamen cuius Charybdis metus eos ad hanc Scyllam offendere coëgerit, nunc non dicam: nihil enim ad hanc rem. Cum ergo sic legunt, cum apud Evangelistas tres, tum apud apostolum Paulum: Accepit Iesus panem, et cum egisset gratias, fregit et dixit: Accipite, edite! Hoc Est corpus meum; contendunt hic demonstrationem variari, sic ut istud pronomen *Hoc* non demonstret panem quem acceperat, fregerat et porrexerat, sed ipsum sensibile Christi corpus. Estque eorum haud dubie sententia (nam nos praeter unum libellum atque eum tenuem nihil eorum legimus), quod Christus voluerit discipulis ostendere hoc suum corpus istud esse, de quo Prophetae multa praedixerunt, quibus videlicet modis tractandum esset. Quorum sententiam vel maxime iuvaret, quod Ioan. 6: 51. sic praedixerat Christus: Panis quem ego dabo, caro mea est, quae pro mundi vita expendetur. Posset enim hic dici: Ecce hoc ipsum corpus, quod admodum nuper praedixi pro vita mundi mactari oportere! iamiam rapietur ad aram; sed absit metus et cunctatio! adsum, me ipsum exhibeo. Ac ne in errorem ullum possitis incidere, puta quod dei filius sim, credere me non istud corpus mactationi impensurum esse, sed aliud quoddam subito conflaturum, quod angelos fecisse saepenumero visum est — ne inquam, ut est humanae inventionis audacia, putetis me aliud pro isto corpore daturum, aperte ac dilucide vobis dico, me hoc, quod coram videtis, corpus esse traditurum pro mundi redemptione.

Bona ergo istorum venia dicam quod sentio, quodque rem ipsam esse clarissime videbimus. Si ad hunc modum vocem istam: Hoc, in Christum retorquebimus, frigebit omnis actio; quae tamen usque adeo anxie ab omnibus praescripta est, ut impium sit eam frustra putare tam diligenter expressam esse. Accepit Iesus panem, benedixit, gratias egit, fregit, deditque discipulis, dicens: Accipite et comedite: Hoc meum corpus tradetur pro vobis. Quid enim opus fuit tanto adparatu, quem Evangelistae sic prosequuti sunt, ut usque in hodiernum diem, quoties haec verba audimus, iam Christum ipsum videre putemus agere ac loqui omnia? Quid, inquam, Christus tanto adparatu opus habuit, si nihil aliud volebat dicere, quam corpus hoc suum iam inter, ut dicitur, sacrum ac saxum stare? An iubet, ut edant more hospitalium hominum, cum iam coenati essent, ut sit sensus: Este bono animo, ac laeti edite! Quorsum ergo adtinet: Benedixit, gratias egit, fregit, dedit? An non edebant, nisi ipsis Christus divisisset, dedisset? Cogimur hic omnem et actionem et sermonem amittere, quod impiissimum esto, aut plane confiteri, hoc ipsum quod Christus tanta diligentia maiestateque dabat corpus suum symbolicum esse. Nec obstat quod Panis tam Graecis quam Latinis masculini generis est, Corpus autem neutrius. Nam huiusmodi locutiones innumeras audies in omni fere lingua, quibus ab artificio ad materiam transitur, ut: Accipe hunc craterem, hoc enim purissimum aurum est inter omnia regia vasa. Ecce, ut hic crater masculinum, artificium significat, aurum vero materiam: arte enim confit crater, aurum materia est ex qua fit. Reditur ergo ab artificio ad materiam,

ut utriusque rei pretium cognoscatur. Unde isto argumento veteri opinioni potius arma praebeventur, quam extorquerentur, si in hanc aegritudinem verborum pugnae inciderimus. Dicent enim isti Carnivori: Ecce hic transitur ab artificio, pane videlicet, ad materiam nempe corpus; ut sit sensus: Iste panis quod ad materiam adtinet est ipsum corpus Christi. Quamvis hic impostura fieret, quod ideo dicimus, ne quis fortasse rem ad eum quem diximus modum tentet. Nam in communibus locutionibus ab artificio reditur ad materiam, quam artificum manus adprehenderat, ut in ea operaretur. Unde hic a pane redire oporteret ad farinam ac dicere: Hic panis farina est. Quae tamen ut sunt argutula, et perinde minime solida, non in eum usum diximus, ut quicquam roboris in eis locemus, sed solummodo ut ostendamus huiusmodi locutiones in omni plane lingua inveniri. Quo deinde adparet infirmum esse argumentum, quod a mutatione generis captum fuit. Tertio loco, cum subdit Christus: Hoc facite in meam commemorationem, quid hic quaeso in eius commemorationem facere iubentur? Si dicas, Edere: obiiciemus nos: Quorsum ergo abiiciemus ista verba: Hoc est corpus meum, quae interposita sunt? An non videtur vehementer esse violentum, quum omnis tum actio tum sermo, quae haec verba antecedunt, similiter quae mox sequuntur, hoc clare agunt, ut quod praebeatur ad edendum corpus Christi sit, quamvis symbolicum; et quod fieri iubetur in commemorationem, causam omnem comestionis exprimat? — nonne, inquam, violentum esse videtur haec verba, quae in medio sita sunt, alio torqueri? Videtur omnino: non enim sic vis est facienda verbis, etiam ubi fides alium esse sensum non ambigit.

Difficultas ergo universa non in isto pronomine *Hoc* sita est, sed in voce nihilo, quod ad elementorum numerum adtinet, maiore, puta in verbo *Est*. Nam ea in sacris literis non uno loco pro significat ponitur. Audio, ut hoc primo loco dicam Viclevum [1] olim et Valdenses [2] etiam hodie in hac esse sententia, ut *Est* hic sit positum pro significat, quorum tamen ipse fundamenta scripturae non vidi: fieri enim potest, ut recte quidem sentiant, sed quod recte sentiunt, non recte muniant. Quae fortasse causa fecit, ut eorum sententia pro impia sit damnata. Nos enim, ut per gratiam dei multis pugnis cum multis de scripturarum sensu manus conseruimus, experti saepe sumus quosdam, etiam dum recte quidem sentirent, causam tamen deserere, ac aliis tradere coactos esse, quod quae recte sentirent, non probe firmarent. Unde has voces nihil veriti: Viclevianus est, Valdensis est, haereticus

---

1) „Eucharistiam in altari post consecrationem non esse verum corpus Christi, sed eius *figuram*.“ Hotting. Hist. Eccl. III, 895. 2) In ratione, quam legati eorum Oecolampadio Theologisque Basiliensibus 1530. reddiderunt, ita loquuntur: „Credimus etiam, Sacramenta sacrae rei tantummodo esse *signa*, aut invisibilis gratiae visibilem formam; bonumque esse, huiusmodi signis et formâ nonnunquam, si possit fieri, fideles uti; hos tamen citra huiusmodi signa et formam posse fieri salvos tenentes. — Sacramentorum signa plebeculae nostrae non nos (Ministri), sed Antichristi membra administrant. Veruntamen nos eis, quid significent sacramenta spiritualiter, quantum in nobis est, reseramus.“ *Gerdes*. Historia Ref. II, 405. 406.

est, eos scripturae locos adducemus, in quibus negari non potest hanc vocem Est, omnino pro significat esse positam. Post evidenter probabimus etiam hoc loco Est, pro significat oportere accipi. Illud his testimoniis patebit. Gen. 41: 26. dicit Ioseph somnii Pharaonis interpres: Septem boves pulchrae, et septem spicae plenae, septem ubertatis anni sunt, eandemque vim somnii comprehendunt. Quid quaeso? an ne septem crassae boves septem anni sunt? Minime, sed quas ille viderat, septem annos fertiles portendebant: quae verborum vis negari a nemine nisi stupido potest. *Sunt* ergo hic citra controversiam pro significant positum est. Paulo post sic sequitur: Septem quoque boves tenues atque macilentae, quae ascenderunt post eas, et septem spicae tenues, et vento urente percussae, septem anni venturae sunt famis etc. Ecce iterum Sunt pro significant esse positum. Iam ad novum Instrumentum venimus, Lucae 8: 11. quum Christus per parabolam seminis in terram cadentis varietatem verbum dei recipientium significasset, ac discipuli hoc minus intelligerent, percontarenturque quidnam hac parabola vellet, sic tandem disseruit: Semen, de quo videlicet iam multa audierant, Semen, inquit, est verbum dei. At nullum semen est verbum dei, sed hac voce significabatur verbum dei. Hic ergo iterum Est, ponitur pro significat. Paulo post: Quod autem in spinas cecidit, hi sunt etc. id est, quod autem dixi in spinas cadere, hos significat etc. Et paulo post: Quod autem in terram bonam, hi sunt etc. id est, hoc autem semen quod in terram bonam cadere dixi, hos significat. Sic Matth. 13: 19 sqq. in eadem parabola Est, pro significat ponitur, quamvis sermo sit paulo alienior. Eodem loco, quum parabolam superseminati lolii explicat; sic ait: Ager est mundus. Porro ager non est mundus, sed mundum in hac parabola significabat. Ibidem: Bonum vero semen, sunt filii regni; hoc est bonum semen significat, portenditque filios regni. Ibidem: Zizania vero sunt filii mali, hoc est symbolum sunt impiorum aut malorum. Ibidem: Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus, hoc est significat cacodaemona. Ibidem: Messis vero consummatio saeculi est; messores autem angeli sunt. Ubi utrobique tam est quam sunt pro significat et significant sunt posita. Satis testimoniorum productum esse arbitror, quibus probemus Est et affinia eius pro significat esse posita. Sed quoniam audimus quosdam indignius prorumpere: Si sic verbum quodlibet cogemus quaelibet significare, nihil erit integrum in sacris literis: dabitur enim licentia impiis quaeque in quaevis detorquendi: operae pretium est, ut illis paulo suavius respondeamus, quam ipsi obiiciunt. Quis ergo ignorat nullam penitus esse vocem, quae nativo solo non aliquando eximatur et peregrino inseratur, ubi longe maiore in pretio habetur, quam si in domestica terra, hoc est in proprio usu permiseris? Qui mos Hebraeis prae caeteris peculiaris est, ut per omnem Christi sermonem, etiam in peregrina lingua descriptum, apertissime patet. Accipe quamlibet contemptum vocabulum, Stercus. Quum nunc Christus Lucae 13: 8. colonum pro deside arbore intercedentem facit, qui se stercora circum positurum recipit, quomodo lepidius potuit clementem verbi ministrum significare? cuius indubie est languidos quosdam omni arte fovere, dominoque adsiduis precibus commendare,

ne pro eorum meritis iudicet. Aliam accipe: *Lapis*. An non honoratiore loco stat haec vox, quum Christum lapidem significat, quam quum saxum iners in agro surgens, aut etiam in aedificio constitutum? Sic et verba. An non Paulus hoc verbo Currere magnifice est usus, cum Galatis dicit: Currebatis bene, pro: recte incedebatis ac sedulo? Salvator vero noster, quum dicit: Ego sum ostium, num ostium erat? sed iuxta horum impatientiam, qui verborum vocumque tractum nolunt admittere, ostium esse oportet. Num ergo ligneum, saxeum, eburneum aut corneum, ut est apud Plinium et Homerum? Ego sum via, Ego sum vitis, Ego sum lux etc. nobis invitis obtinent, ut aliam ipsis significationem permittere cogamur. Num enim vitis est? sed in morem se vitis habet. Non igitur tam inepte quiritandum est: Prospicite cives, vestra res agitur, amittetis vestrum sermonem; quum ne quotidiano quidem sermone citra metaphoras et metalepses uti commode possimus. Fide igitur magistra, videbimus in qua quaeque significatione debeamus accipere: nam alioqui indignam rem prorsus tum Christo, tum nobis faceremus, quum eum apud Ioannem agnum aut arietem, apud Lucam vero saginatum vitulum intelligeremus. Quum ergo dicit: Ego sum vitis, nihil aliud dicit, quam ego me erga meos vitis in morem habeo. Quis vero hic tumultuabitur? quis indignam rem fieri queretur? Sic et hoc loco fides consulenda est, quae si dictat in isto sermone: Hoc Est corpus meum; hoc verbum *Est* in nativa significatione mittendum esse, omnino fidei parendum est, ac nihil penitus ab his metuendum, quos videmus per impietatem audere omnia: piis enim, utcunque saeviant, e manibus veritatem extorquere nequeunt. Sin autem fides hunc sensum tolerare nequit, quemadmodum superius rationibus etiam multis patuit, et hoc verbo, Caro non prodest quicquam, unice ac firmiter patet: erit omnino huius verbi hoc loco alia significatio, quicquid tandem aut indocti aut impii clament. Ponitur ergo nostro iudicio hoc verbum *Est* hic pro significat. Quamvis hoc iudicium non nostrum, sed aeterni dei sit: de nulla enim re gloriari possumus, quam non fecerit in nobis Christus, Rom. 15: 18, superiusque satis sit probatum, quod quandoquidem fides ab invisibili deo sit, ea quoque ad invisibilem deum tendat, ac prorsus res sit ab omni sensu alienissima. Nam quicquid corpus est, quicquid sensibile, fidei obiectum esse nulla via potest. Unde quum dicimus, nostro iudicio sic capi hoc verbum isto loco, propter infirmos quosdam sic loquimur, non quod haec sententia possit ullis scripturae locis veraciter convelli. Aut enim reiici oportet: Caro non prodest quicquam, quod tamen impium esset dicere: (facilius est enim coelum et terram transire, quam de verbo dei unum apicem) aut hunc unum solum ac simplicem sensum esse.

Videndum ergo nunc est ante omnia, ut omnia quadrent, si ad hunc modum Est, pro significat ponamus. Et quum probe quadrabunt, simul probatum erit, quod etiam hoc loco Est, pro significat accipi oporteat, quod secundo nos probaturos receperamus. Sic ergo habet Lucas, quo ex Evangelistis contenti erimus: Et accepto pane gratias egit, fregit, et dedit eis, dicens: Hoc significat corpus meum, quod

pro vobis datur: Hoc facite in meam commemorationem. Vide, o fidelis, sed absurdis vincta opinionibus anima, ut hic omnia quadrent, ut nihil aut violenter auferatur, nihil addatur, sed omnia sic quadrent, ut mireris te non semper hanc vidisse sententiam; ac multo magis mireris, hoc belle concinnatum huius sermonis corpus tam audacter a quibusdam discerptum esse. Accepit panem, gratias egit, fregit, et dedit eis, dicens. Ecce ut hic iam nihil hiat! Hoc quod scilicet ad edendum praebeo, symbolum est corporis mei pro vobis traditi: atque hoc, quod nunc facio, in meam commemorationem posthac facietis. An non iste sermo: Facite hoc in meam commemorationem, palam indicat hunc panem edi debere in eius commemorationem? Coena igitur dominica, ut eam Paulus adpellat, mortis Christi commemoratio est, non peccatorum remissio: nam ea solius mortis Christi est. Ait enim: Hoc quod nunc edere ac bibere iubeo, symbolum vobis erit, quo omnes utemini simul manducando et bibendo, tunc, quum mei commemorationem facietis. Quam commemorationem Paulus 1. Cor. 11: 26. ne quid ad germanum sensum deesset, cum utrobique tam ad panem quam ad potum dixisset: Hoc facite in meam commemorationem; sic expressit: Quotiescunque enim ederitis panem hunc, symbolicum scilicet (nam carnem nemo adpellat omnium) et hoc poculum biberitis, mortem domini annunciate, donec veniat. Quid vero est annunciare mortem domini? Praedicare nimirum, gratulari, laudare: quemadmodum et Petrus dixit 1. 2: 9. Ut virtutes annuncietis eius, qui vos e tenebris vocavit in admirabile lumen suum. Monet ergo Paulus hanc commemorationem mortis Christi, usque ad finem mundi, quando Christus rediturus est, et iudicio decreturus cum humano genere, sic fieri debere, ut mortem domini annunciemus, hoc est praedicemus, laudemus, ac gratias agamus. Hinc enim Graeci Eucharistiam adpellarunt.

Nunc ad poculi verba veniemus, quibus haec sententia clarius deprehenditur. Sed prius hoc admonebimus poculum pro potu accipi: continens pro eo quod continetur. Sic ergo habet: Hoc poculum, illud novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis funditur etc. Hic explorabimus singula. Poculum, dictum est illud novum Testamentum. Scimus articulum ἡ, hoc loci tantum valere, quantum *est*: quemadmodum et Hebraeis הוּא et הִיא: nam et Paulus 1. Corinth. 11: 25. tam articulum posuit, quam ipsum verbum Est: ἡ καινὴ διαθήκη ἐστίν: Illud novum Testamentum est, ne quicquam scilicet nobis deesset. Adhuc tamen maluimus dicere *illud*, ne uspiam pateret calumniae, quod dicimus. Quid ergo? an poculum hoc novum Testamentum est? Certe est. Veritas sic habet; at Testamentum hoc novum vim alibi non habet, quam in morte et sanguine Christi, imo mors et sanguis Testamentum ipsum sunt. Quod si poculum Testamentum est, colligitur quod poculum hoc sit verus ac sensibilis sanguis Christi: nam is pro nobis fusus Testamentum sanctificavit, firmum ac ratum reddidit. Dissentiemus et hic a magnis viris, quamvis non ipsi dissentiamus, sed res ipsa: quanti enim referret si ipsi quam longissime dissentiremus, cum tamen res aliter haberet? Accipitur ergo hic Testamentum abusive pro signo, aut symbolo Testamenti, quemadmodum instrumenta dicuntur testimonia;

quum tamen nec spirent nec loquantur, sed signa sunt dictorum et factorum eorum qui aliquando spirabant. Aliud exemplum et clarius: Accipiuntur nonnunquam instrumenta pro testamentis, ut apud Ciceronem saepenumero: Apertum est testamentum lectum etc. at literae non erant testamentum, sed bona legata. Quid enim profuisset literas legatas esse? sed in literis continebatur quid cuique legatum distribui oporteret. Sic et hoc loco Testamentum est mors et sanguis Christi; instrumentum autem, quo continetur ordo et summa Testamenti, est hoc Sacramentum: in eo enim commemoramus Christi mortem ac sanguinis effusionem, quid nam boni nobis attulerint: quumque eis bonis fruimur, gratias domino deo habemus pro Testamento, quod nobis gratuito impendit. Aperitur ergo Testamentum et legitur, cum mors Christi annunciatur; distrahitur Testamentum, cum quisque morte Christi fidit: tunc enim haereditate fruitur. Quod autem hoc poculum sic pro symbolo veri Testamenti accipiatur, ipsa verba indicant; quum ait: Hoc poculum, novum Testamentum, id est Testamenti signum ac instrumentum est in meo sanguine; non dicit: Hoc poculum, quod novum Testamentum est, est sanguis meus; sed: Hoc poculum novum Testamentum est in meo sanguine. Ea autem, quorum unum in altero est, inter se distinguuntur, ut res et res, quod isti dicunt realiter. Porro, quae realiter distinguuntur, nulla ratione sic convenire possunt, ut eadem res sint. Quod enim in alio est, non est hoc ipsum in quo est. Quid ergo causae fuit, ut cum alii Evangelistae Matthaeus et Marcus dixissent: Hoc est sanguis meus, ille novi testamenti, Lucas et Paulus dicant: Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine? Videtur hic mira esse diversitas. Illi enim appellant sanguinem testamenti, isti vero Testamentum sanguinis, hoc est instrumentum ac signum testamenti, quod vim habeat in sanguine Christi. Studio omnia facta sunt. Lucas enim et Paulus, quum post illos scriberent, nonnihil claritatis indiderunt verbis suis. Cum enim viderent haec verba: Hoc poculum est sanguis meus, sicca nimis pro quorundam captu, quanquam (ut apud Tertullianum videre est, de quo postea) priscis istis satis clara essent, futurum autem arbitrarentur, ut non quilibet hanc orationem sic intelligeret: Hoc poculum est Symbolum sanguinis mei, qui est novi Testamenti sanguis (tantum enim valet articulus τὸ): ipsi orationem aliter formaverunt: Hoc poculum novum testamentum est. Id est: Hoc est novi testamenti poculum, quod novum testamentum vim habet in meo sanguine: nam et Matthaeus et Marcus patrio casu dixerunt novi Testamenti, quod Lucas et Paulus in recto dixerunt, novum Testamentum. Unde et abusive dixerunt novum Testamentum, pro: Symbolum est novi Testamenti. Sicut testamentum dicimus instrumentum, in quo res legatae continentur; et Caesarem adpellamus imaginem Caesaris. Symbolum ergo est novi Testamenti. Reddetur haec sententia dilucidior, si apud omnes quatuor articulos probe expenderimus. Hi enim, puta, ἡ et τὸ, ut minime relativi sunt, distinctum quid ac solidum demonstrant. Cum ergo poculi verba sic habent: Hoc poculum novum Testamentum est in meo sanguine; ubi: In meo sanguine, alium sensum habere nequit, quam: quod Testamentum vim habet in meo sanguine, fit manifestum, quod panis verba consimilem

ad modum sic accipienda sunt: Hoc, quod scilicet edere iubeo, Symbolum est, aut significat corpus meum, quod pro vobis traditur. Volumus autem in his anxiis verborum excussionibus, ut nemo se offendi patiatur: non enim eis nitimur, sed hoc uno verbo, Caro non prodest quicquam: quod verbum firmum satis est ad evincendum, quod Est, hoc loco pro significat, vel Symbolum est, ponitur, etiam si sermo ipse penitus nihil haberet, quo sensus hic deprehendi posset.

Consulendus est et alio loco Paulus, quo clarius videamus quo pacto usi sint Apostolorum tempestate hoc sacramento Christi discipuli. 1. Cor. 10: 16. sic habet: Poculum benedictionis, hoc est liberalitatis ac munificentiae dei, quo benedicimus, id est, quo gratias agimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Hoc est, quum simul bibimus de poculo isto, quod nobis Christus in liberalitatis suae Symbolum dedit, nonne soli isti bibimus, qui communem habemus Testamenti sanguinem? Qui ergo hic bibit, sese prodit fratribus omnibus, quod sit ex eorum numero, qui Christi sanguine fidunt. Nam hanc solam et nativam esse sententiam horum verborum, clare probant certae notae, quae mox sequuntur. Panis quem frangimus, inter nos scilicet, nonne participatio corporis Christi est? Id est, quum panem frangimus inter nos, nonne omnes, quotquot sumus Christi corpus, nobis mutuo aperimus et prodimus, quod ex eorum numero simus qui Christo fidunt? Iam sequitur nota, qua et hic esse sensus, et corpus hic aliter sumi, quam pro Symbolo corporis, nempe pro Ecclesia, deprehenditur. Ait enim: Quia unus panis, unum corpus multitudo sumus. Nos enim omnes ex uno pane participamus. Videmus hic, et 11. cap. clarissime, quod huius Sacramenti usus Pauli tempestate sic habuit. Convenerunt discipuli Christi, ac simul ederunt totam ab initio coenam, ubi quidam fastuosius ac splendidius inferri faciebant. Unde pudor et contemptus non habentibus nascebatur. Maturabant alii, alii autem cessabant: sicque fiebat, ut pars iam saturi expectarent symbolicum panem; pars autem, cum circumferri panis ac poculum coepisset, incoenati adhuc essent. Hic monet Paulus ut domi edant, ac Ecclesiam, hoc est coetum dei, non contemnant. Domi autem iubet edere, non symbolicum panem et sanguinem, sed coenam quotidianam. Quum ergo sic congregati essent ad gratulandum et laudandum dominum, monebantur ne citra iudicium ederent, unde et ait: Probet autem se ipsum homo etc. Qui enim de hoc symbolo ederit, sese probat membrum Ecclesiae Christi esse. Quocirca ei postmodum non licere ex idolothytis edere, nec illic accubare, qui in symbolico Christi convivio accubuisset (nam huc tendit hoc loco Paulus): qui enim hic edant et bibant, unum corpus et unum panem fieri: hoc est, quicunque ad eum usum hic convenerint, ut mortem domini annuncient, et symbolicum panem edant, nimirum se probare corpus Christi esse, hoc est membra eius Ecclesiae: quae ut unam fidem habet, et eundem Symbolicum panem edit, sic est unum corpus et unus panis. Ut sic liqueat Christum pane et vino nos voluisse cibare et potare; quod quemadmodum ista ambo ex innumeris, cum granis aut farinae atomis, tum uvae acinis in unum corpus sociantur: sic nos quoque in unam fidem, ac unum corpus coëamus. Unde et Graeci alio

nomine *σύναξιν* adpellarunt, quod hoc Symbolo, ut omnes convenerant, sic in unum corpus cogerentur. Loci vero in Actis, qui de fractione panis sonant, maxime ad hanc opinionem faciunt, si, ut quidam putant, de communicatione Symbolici panis intelligendi sunt. Et plane negari non potest, Actor. 2: 42. priorem mentionem fractionis panis de hoc Symbolico pane intelligi oportere, quum sic habeatur: Et erant omnes firmiter adhaerentes doctrinae Apostolorum et communicationi, et fractioni panis, et orationibus. Nam paulo post loquitur de pane, hoc est cibo corporeo, quo pacto ipso per singulas domos uterentur. Adparet ergo manifeste, Apostolis panem hunc sic fuisse in usu, quemadmodum iam diximus, ut facile potes ex his, quae antecedunt et quae sequuntur, colligere. Unde et sole clarius adparet, quod Circuncisio et Pascha, quae citra sanguinem fieri non poterant, per Christum, qui omnem sanguinem suo sanguine sistit, in haec amica homini elementa commutata sint: quo legis atrocitatem videamus in gratiae beneficium transiisse. Legi, quae beluino sanguine consecrata erat, initiabantur Circuncisionis sanguine. Christo qui proprio sanguine aeternum testamentum consecravit, initiamur aquae perfusione, quo videamus hostiarum incendia Christi sanguine extincta esse. Pascha commemoratio et celebris festivitas erat, qua ex Aegyptiaca servitute se liberatos esse domino gratulabantur. At ne ullum vestigium cruentae legis remaneret, suam festivitatem aut commemorationem amicissimarum homini rerum, panis videlicet ac vini, symbolo celebrari voluit. Estque ad hunc modum Baptismus nostra Circuncisio, Eucharistia nostrum Pascha, hoc est redemptionis commemoratio, festivitas aut celebritas.

Falsa ergo religio est, quae docuit huius symbolici panis usum peccata delere: nam Christus solus delet peccata, quum moritur; mortuus est autem semel tantum, ut tota epistola ad Hebraeos et Rom. 6: 10. habetur. Semel ergo mortuus perpetuo valet ad omnia omnium exhaurienda peccata. Falsa est religio, quae docuit hunc panem opus aut oblationem esse, quae quotidie oblata peccata nostra expiet: quemadmodum alias multis probavimus. Omnium tamen brevissime adversus Hieronymum Emserum Ibicem, ubi rem totam in Syllogismos duos admodum breves coëgimus, quos et huc non pigebit adponere. Praemittendum tamen prius est, quod et illic praemisimus.

Hoc loco Zuinglius iteravit, quae adversus Emserum supra pag. 141 l. 16 a fine usque ad pag. 142 l. 11 a fine scripserat. Unde, si lubet, relegendi copia est.

His manifeste patet, quam audacter imposuerint Christianorum simplicitati Pontifex Rom. et omnes ipsius asseclae. Quid enim missando non pepererunt? Solida regna ipsis data sunt, ut dominicam coenam ederent pro nobis: quam tamen nullo pacto edebant, sed se Christum offerre pro nostris delictis obtendebant. Qui mos, si ab Apostolis, aut a primariis istis Christi fratribus dimanasset, potuerat nonnullam speciem praebere. Nunc vero, quum iste missandi ritus nec ex institutione Christi neque Apostolorum fundamentum penitus ullum habeat: cur

tam impudentem negociationem in templo, hoc est in Ecclesia dei ferimus, quae ad Christi ignominiam tam aperte erumpit? Cur non omnes missatores desistere iubemus a tam atroci Christi contumelia? Si enim Christum quotidie offerri necessarium est, hinc fieri oportet, quod in cruce semel oblatus non in perpetuum sufficiat: qua contumelia quae maior dici poterit? Omittendae sunt confestim omnes missae, ac Coena dominica ad institutum Christi utendum. Nec tamen iniuria ulla irroganda est iis missatoribus, qui ad hoc munus delecti sunt, sed cum pace alendi, donec vita defungantur: post vero nulli in demortuorum locum subrogandi sunt, et illorum bona in usum pauperum redigenda. Quae autem hic obiiciuntur ex patribus, ut aiunt, conciliis, Pontificiisque legibus, tam frivola sunt, ut nihil referat confutare. Ut enim antequam Christus nasceretur, nemo facere potuit, ut nos ulla oblatio salvos redderet: sic neque posteaquam nos, semel in cruce mortem perpessus, deo reconciliavit, nulla congregatio, nullum concilium, nulli patres efficere possunt, ut denuo offeratur. Ut enim omnium a condito mundo peccata expiavit, sic et usque ad finem mundi omnibus ipso fidentibus est salutaris: aeternus enim deus est; per ipsum et conditi sumus et redempti. Si ergo quiddam in contrarium ex sacris literis detorqueatur, nihil movetor, sed ad eum locum unde deluxatum est propera, et confestim deprehendes furtum aut violentiam. Exempli causa dico: Multi multa disseruerunt de sacerdotio Christi, sed ut se eius sacerdotium facerent; et ad huius erroris robur adduxerunt quod Hebr. 5: 1. scriptum est: Omnis Pontifex ex hominibus sumptus pro hominibus constituitur; et alios multos ex eadem epistola. Veruntamen cum causam propius perspexeris, videbis non aliam esse clavam, qua ista omnia argumenta comminuere possis, quam hanc epistolam, quam et diligenter versari suadeo. Cum ergo ad dictum Heb. 5: 1. locum veneris, palam invenies, Paulum per similitudinem veteris summi sacerdotis Christi sacerdotium explicare; quod non est sacrificulorum per vices ordinatio, aut mortuorum succenturiatio: quomodo enim Christus esset sacerdos in aeternum, secundum Prophetae oraculum, si quis in eius locum succederet? Num enim mortuus est, aut officio privatus, ut ei suffici quemquam oporteat? In aeternum autem quum sedeat ad dexteram patris, et peccata nostra una oblatione in cruce facta in sempiternum deleat, non eget ut quisquam eius vices gerat. Nemo enim vices eius potest gerere, quam qui iustus pro iniustis moritur. Id autem nec esse nec facere quum praeter filium dei quisquam possit, impium est de offerente sacerdotio quicquam loqui. Non enim loquimur de verbi Ecclesiaeque ministris. Hi enim dispensatores sunt mysteriorum, hoc est arcanorum dei, et non sunt Christi sacerdotium: hoc enim aliud esse non potest praeter ipsum Christum in perpetuum pro nobis apud patrem satisfacientem. Tam preciosus est. Quod si quis etiam istud obiiciat, quod in nova novi Testamenti translatione Actor. 13: 2. habetur: Cum autem illi sacrificarent domino, sciat Graecis esse *λειτουργούντων*, quae vox non minus significat ministrantibus, quam sacrificantibus: neque per omne novum Testamentum Graecis uspiam, quum de coena dominica agitur, adducitur. Unde fit manifestum, quod hoc loco *sacrificare* non pro offerre aut victimam

caedere ponitur, sed pro verbum administrare: nam frequens est per Pauli epistolas λειτουργὸς pro ministris accipi, ut Heb. 1: 14. et λειτουργίαν pro verbi ministerio, ut Philip. 2: 17. Clarissime tamen explicat Rom. 15: 16, quod per translationem verbi ministros, veluti sacrificantes λειτουργοὺς aut ἱερουργοὺς adpellet. Ut enim veteres mystae pecudes caedebant in suavem odorem domino, sic verbi ministri beluinos homines in veras hostias dei convertant. Sic enim ait: Audacius autem scripsi vobis, ex parte, fratres, tanquam is qui vos admonet, per gratiam, quae data est mihi a deo, ut sim λειτουργός, id est minister Iesu Christi in Gentes, administrans ἱερουργῶν Evangelium dei, ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata spiritu sancto. His Pauli verbis abunde patet, quid per liturgiam etiam Act. 13: 2. intelligere debeamus. Verbum enim administrabant anxie, qui illic numerantur viri, cum multa sobrietate: nam alioqui ministerii verbi istic nulla mentio fieret, quod alienum est ab Apostolorum usu, qui verbum unice praedicabant.

Est ergo sive Eucharistia, sive Synaxis, sive Coena dominica, nihil aliud, quam commemoratio, qua ii, qui se Christi morte et sanguine firmiter credunt patri reconciliatos esse, hanc vitalem mortem annunciant, hoc est, laudant, gratulantur, et praedicant. Iam ergo sequitur, quod qui ad hunc usum, aut festivitatem conveniunt, mortem domini commemoratnri, hoc est, annunciaturi, sese unius corporis esse membra, sese unum panem esse, ipso facto testentur: omnes enim qui Christo fidunt, unum corpus sunt, ut non uno loco Paulus testatur, praesertim tamen supradicto 1. Cor. 10: 17. Qui ergo cum Christianis commeat, quum mortem domini annunciant, qui simul Symbolicum panem aut carnem edit, is nimirum postea secundum Christi praescriptum vivere debet: nam experimentum dedit aliis, quod Christo fidat: qui ergo eo fidunt, debent ambulare, sicut et ipse ambulavit 1. Ioan. 2: 6. Hinc factum est, ut qui in isto pane communicarent, sese mutuo excommunicatione ista expellerent, si quis impudentius aut scortaretur, aut biberet, foeneraret, aut idola coleret, maledicus esset aut rapax. Qui usus si nunquam ex Ecclesia Christi excessisset, non posset Christianorum tum vita tum conversatio non esse optima. Vide ὁ pia mens, ut evanidi reddamur quum sequimur adinventiones nostras. Missis voluimus omnes salutem consequi, quum tamen coena dominica, etiam iuxta ritum Christi peracta, commissa non expiaret: nam hoc solius Christi est. Sed erat sacramentum, quod nos Christo addictos esse apud Ecclesiam testabatur: quod quidem testimonium, si non fideliter servaremus, e fratrum consortio deturbaremur, quo Christiana innocentia commodius servari posset. Quid ergo factum est postea, quam hanc vitae regulam Christianorumque morum disciplinam in alium usum convertimus? Hoc, quod omnes his oculis vidimus, quod etiam Turcis et Iudaeis, quod ad vitam adtinet, impudentiores facti sumus: non enim apud eos tam crebra sunt adulteria, non tot foenerandi viae et licentiae, non tam canina crapula, non tam audax rapina, taceo fastum tam principum quam vulgi, bella perpetua, blasphemias impuras, verba obscoena, mendacia, fraudes, circumscriptiones. Hanc universam malorum lernam, an non omnes missas audiendo, locando, aut legendo exhaurire sategimus?

Hoc credo, nemo negabit qui ad missam omnes confugimus tanquam ad sacram ancoram. Imo ad eam usque insaniam devenimus, ut panem vidisse salutare putaremus esse. Neque hoc contenti fuimus, quod vidimus: etiam adoravimus, obliti nostrorum ipsorum articulorum, ut vocant, quibus inter omnes tam neotericos quam veteres, qui de hac re scripserunt, consensum est, quod ne pura Christi quidem humanitas adoranda sit. Solus deus adorandus est. Et: Deum nemo vidit unquam. Quid ergo adoramus quod videmus, quum solus deus adorandus sit, et eum nunquam viderimus? Quo se hic vertent, qui Eucharistiam, ut vocant, adorandam esse docent? Quis unquam gratiarum actionem adoravit? Quid enim gratiarum actio est, aut ubi est, aut quomodo est? nonne tum solum est, cum aguntur gratiae? Sic, quid synaxis est? Nihil hercle, quam congregatio, coagmentatio aut celebritas. Quis vero hanc unquam adorare poterit? actio est et usus, qui tum est quum fit. Non secus sentiendum est de coena dominica: tunc est coena et gratiarum actio, quum editur cum annunciatione mortis Christi. An etiam quisquam Apostolorum legitur coenam adoravisse, cum Christus hanc sui commemorationem institueret? Proh dolor animabus nostris, quae sic sunt errori addictae, ut verear, quum etiam veritatem ipsam ante oculos videamus esse expositam, non tamen recipiamus. Quo igitur tendit fides nostra, aut quibus in rebus sita est? Nonne in deum tendit? quid ergo adhuc cunctamur a ceremoniis mentes avellere? cur spes in eas res ponimus, quo dominus non iussit? Nonne in hoc sita est salus nostra, qui salvator est omnium gentium? cur igitur in pane commemoriali ipsam quaerimus? Quamvis porro in hac sententia sim, ut hunc commemorationis panem et calicem non arbitrer citra omnem verecundiam esse in Ecclesia tractandum, in quo omnia cum decore et honeste fieri debent, 1. Cor. 14: 40. Sed in peroratione plura. Nunc eos veterum producemus, qui, ut ex verbis ipsorum clare videbimus, non corpoream carnem, imo nullam (quid enim refert spiritualem carnem voeare, quod haud aliud esset, quam si aqueum ignem, aut ligneum ferrum diceres?) in isto sive sacramento, sive pane symbolico esse intellexerunt. Post autem eos, qui sic de carne tacent, ut manifeste pateat eos in eadem esse sententia, in qua nos sumus; sed hoc, ad quod haec coena instituta est, minime tacent. Unde apud istos longe alium usum Eucharistiae fuisse constabit, quam nobis Romani pontifices tradiderunt. Tertullianus adversus Marcionem libro primo sic habet: Ille, deus scilicet, nec panem reprobavit, quo ipsum corpus suum repraesentat. Vide quam aperte dicat, pane corpus Christi repraesentari, non quod aspectu panis cuiuslibet Christi corpus repraesentetur, sed pane symbolico, quo in annunciatione mortis dominicae utebantur. Unde et nos symbolicum adpellavimus, quod simul et significat, et consignat. Augustinus, tametsi alibi aliter de hoc loquatur, locis tamen duobus clare videtur exprimere, quid per corpus intelligat. Prior ad hanc Tertulliani sententiam facit. Is est in praefatione Psalmi tertii, ubi de Christo et Iuda sic loquitur: Et in historia novi Testamenti ipsius domini nostri tanta et tam miranda patientia, quod eum, Iudam videlicet, tam diu pertulit, tanquam bonum, eum eius cogitationes non ignoraret, eum adhibuit ad convivium, in

quo corporis et sanguinis sui figuram discipulis commendavit et tradidit. Quam dilucidum est hoc, quod Augustinus hic loquitur: Figuram corporis et sanguinis sui tradidisse discipulis perhibet: at quomodo figuram? Usum nimirum huius symbolici panis, quo repraesentabatur et figurabatur in commemoratione, sensibili signo et celebritate, mors domini. Vel quemadmodum Manna in veteri Testamento futurum animae panem Christum portendebat et figurabat: sic iste panis in memoriam revocet corpus Christi pro nobis caesum et sanguinem effusum. Idem in Ioannem tractatu 27. manifeste carnem corpoream reiicit. Primum sic: Exposuit autem modum attributionis et doni sui, quomodo daret carnem suam manducare, dicens: Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in illo. Signum, quod manducavit et bibit, aliquis scilicet, hoc est, si manet et manetur: si habitat et inhabitatur: si haeret, et non deseritur. Hoc ergo nos docuit et admonuit mysticis verbis, ut simus in eius corpore sub ipso capite in membris eius, edentes carnem eius, non relinquentes unitatem eius. Sed qui aderant, plures non intelligendo scandalizati sunt: non enim cogitabant haec audiendo nisi carnem quod ipsi erant. Apostolus autem dicit, et verum dicit: Sapere secundum carnem mors est. Carnem dat nobis suam dominus manducare, et sapere secundum carnem mors est cum de carne sua dicat, quia ibi est vita aeterna. Ergo nec carnem debemus sapere secundum carnem. Sicut in his verbis: Multi itaque audientes, non ex inimicis, sed ex discipulis suis, dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Si discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Et tamen sic oportebat, ut diceretur, quod non ab omnibus intelligeretur. Secretum dei intentos debebat facere, non adversos etc. His Augustini verbis manifeste videmus eum in hac sententia fuisse, ut caro Christi ne spectanda quidem sit. Ut in eodem tractatu paulo post apertius declarat, sic inquiens: Si per carnem nobis multum profuit Christus, quomodo caro non prodest quicquam? sed per carnem spiritus aliquid pro salute nostra egit. Caro vas fuit, quod habebat attende, non quod erat. Ecce iterum dicit non attendendum esse ad carnem quidnam esset! cur igitur nos solam hic carnem, quae nihil prodest, spectamus?

Nunc ad eos accedemus, qui usum huius cibi sic explicuerunt, ut plane videamus non modo quod ad rem adtinet, sed quod ad usum, omnino aliud fuisse hoc sacramentum veteribus. Unde facile adducimur Augustinum, prae aliis acuto perspicacique ingenio virum, sua tempestate non fuisse ausum diserte veritatem proloqui, quae iam casum magna parte dederat. Vidit omnino pius homo, quid hoc sacramentum esset, et in quem usum esset institutum, verum invaluerat opinio de corporea carne. Primum igitur Origenem adducimus duobus locis ad hunc usum, quod is etiam tam in re quam in usu videtur nobiscum sentire. Prior est Homilia in Matth. 23: 23. super his verbis: Vos decimam datis de menta, anetho et cymino etc. Sic ergo loquitur: Si autem oportet in eiusmodi Evangelii verbis etiam moralem adsumere intellectum, sciendum est, quoniam sicut menta et anethum, et cyminum ciborum sunt conditura, non ipsi principales cibi: sic in conversationibus nostris quaedam quidem

sunt principalia et necessaria ad iustificationem animarum, qualia sunt haec gravia legis, Iudicium, Misericordia et Fides. Alia autem quasi condientia actus nostros, et commendantia eos, et suaviores eos facientia, ut puta, abstinentia risus, ieiunium, flexio genuum, permansio in collectis, assiduitas communicationis, et alia his similia, quae non ipsae iustitiae sunt, sed conditurae iustitiarum habentur. Ecce ut communicationem, quae apud veteres crebrius fiebat quam nostra tempestate, inter levia et ceremonialia reiicit, nunquam profecto sic facturus, si de corporea, quemadmodum nos, carne tum sensisset tum gloriatus esset. Posterior autem, in eundem Evangelistam Homilia 35. super his verbis: Hoc est corpus meum etc. Ubi confestim sic subdit: Panis iste, quem deus, verbum, corpus suum fatetur esse, verbum est nutritorium animarum. Verbum, de deo verbo procedens; et panis, de pane coelesti, qui positus est super mensam; de qua scriptum est: Praeparasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me. Et potus iste, quem deus verbum sanguinem suum fatetur, verbum est potans et inebrians praeclare corda bibentium, qui est in poculo de quo scriptum est: Et poculum tuum inebrians, quam praeclarum est. Et est potus iste generatio vitis verae, quae dicit: Ego sum vitis vera. Et est sanguis uvae illius, quae missa in torcular passionis protulit potum hunc. Sic et panis est verbum Christi factum de tritico illo, quod cadens in terram bonam multum reddidit fructum. Cur autem non dixit: Hic est panis novi Testamenti; sicut dixit: Hic est sanguis novi Testamenti? Quoniam panis est verbum iustitiae, qua manducantes animae nutriuntur; potus autem est verbum agnitionis Christi, secundum mysterium eius nativitatis et passionis. Quoniam ergo Testamentum dei in sanguine passionis Christi positum est ad nos, ut credentes filium dei natum et passum secundum carnem salvi efficiamur, non in iustitia, in qua sola sine fide passionis Christi salus esse non poterat, ideo tantum de calice dictum est: Hic est calix Testamenti etc. Longum esset omnia huc describere. Videmus in his Origenis verbis eum in hac fuisse sententia, quod res huius sacramenti sit fides, qua Christum credimus pro nobis perlitavisse: nam eum esse animae cibum. Usum vero post eodem loco explicat, sic dicens: Et semper Iesus his, qui secum pariter agunt festivitatem, accipiens panem a patre, gratias agit, et frangit, et dat discipulis secundum quod unusquisque eorum capit accipere, et dat, dicens: Accipite et manducate. Ecce, ut festivitatem adpellet: hoc est celebrem Ecclesiae concursum, aut conventionem! Deinde, quod Christum dixit dare pro cuiuslibet captu, quod de corporea carne nulla via potest intelligi: haec enim eadem est, secundum istos, apud omnes quibus datur; sed fidem et gratiarum actionem cum non eadem mensura det omnibus, de iis loqui adparet. Videbuntur quae hic apud Origenem sequuntur, tenero eius lectori prima facie non nihil speciei habere, quasi de corporea carne loquatur, quum tamen nihil sit minus, ut propius intuenti facile fit obvium. Sed et quae postremo loco addit, manifestissime declarant, quae illi sit Eucharistia, et quis eius usus, cum sic inquit: Deinde docebat discipulos, qui festivitatem celebraverant cum magistro (ecce festivitatem) et acceperant benedictionis panem, et manducaverant corpus verbi (vide,

an sensibile corpus hic esse putaverit) et biberant calicem gratiarum actionis etc. Ecce Eucharistiam, commemorationem, celebritatem, aut annunciationem, mortis domini. Hilarius Canone 9. ubi de ieiunio discipulorum Ioannis et Christi agit, sic loquitur: Quod vero praesente sponso ieiunandi necessitatem discipulis non esse respondit, praesentiae suae gaudium et sacramentum sancti cibi edocet, quo nemo se praesente, id est, in conspectu mentis Christum continens indigebit; ablato autem se, ieiunaturos esse dicit, quia omnes, non credentes resurrexisse Christum, habituri non essent cibum vitae: in fide enim resurrectionis sacramentum panis coelestis accipitur; et quisquis sine Christo est, in vitae cibi ieiunio relinquetur. Intelligit hic Hilarius Christi mysterium esse animae cibum, qui dum adsit, cuique ieiunium abesse; veruntamen quum ablatus sit, ieiunos futuros esse. Quibus ergo Christus resurrexit, hoc est, qui Christo tribuunt, quod ex mortuis resurrexit, hos solos recte sacramentalem panem, qui huius coelestis Symbolum sit, edere; qui vero contra sine Christo sint, in vitae cibi ieiunio relinqui. Putat ergo Symbolum esse coenam dominicam eorum qui Christo fidant, in quorum cordibus resurrexerit, hoc est, qui firmiter resurrexisse credunt: nam qui resurrexisse credunt, deum verum credant oportet: qui verum deum esse credunt, iam fieri non potest, quin ipso fidant. Dicit ergo vir gravissimus: In fide resurrectionis sacramentum panis coelestis accipitur. Canone vero tricesimo de Iuda sic dicit: Neque sane bibere cum deo poterat, qui non erat bibiturus in regno etc. Qui sermo etiam nonnihil videtur habere quo discatur Hilarium non intellexisse in pane dominico Christi corpus edi, quod in cruce pependit, aut in praesepi vagivit, ut isti inquiunt: dicit enim cum deo bibere, et non sanguinem bibere. Auget hanc de Hilario opinionem, quod praeterea nihil de coena dominica loquitur, quam fere ista paucula. Hieronymum in Sophoniam cap. 3. ea causa adduco, non quod multum ad hanc rem faciat, sed quod longe aliter de Eucharistia sentiat, quam Papa. Dicit ergo: Sacerdotes quoque, qui Eucharistiae serviunt, et sanguinem domini populis eius dividunt, impie agunt in legem Christi: putantes *εὐχαριςίαν* imprecantis facere verba, non vitam; et necessariam esse tantum solennem orationem, et non sacerdotum merita etc. Dicit primum: Et sanguinem domini populis eius dividunt: quibus haud obscurum fit, quod adhuc Hieronymi tempestate sacerdotes non soli ederent, sed concioni toti administrarent, nec pane tantum, sed et calice uterentur. Deinde dicit: Putantes *εὐχαριςίαν* imprecantis facere verba, non vitam. His verbis manifeste nititur contra Pontificum doctrinam, qui pessimis quibusque non denegant, quin Eucharistiam possint conficere; contra tamen Hieronymus sentit. Quamvis neque Hieronymus, ut pace omnium dicam qui iurati sunt ei, neque Papa recte loquatur de confectione Eucharistiae. Postremo si per merita sacerdotum intelligit legis opera, simul errat etiam cum Pontifice: quamvis Pontifex meritis sacerdotum nihil tribuat, sed solenni precationi. Si vero per merita intelligit vitam Christianam ad fidem formatam, quod illa faciant Eucharistiam, recte sentit: nam Eucharistia est, quum novi per fidem et vitam in Christo homines simul congregati authori suo gratias agunt. Augustinus in Ioannem

Tracta. 84. super his verbis: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis; sic paulo post loquitur: Nimirum, hoc est, quod legitur in Proverbiis Solomonis, Proverb. 23: 1. Si sederis coenare ad mensam potentis, considerans intellige, quae adponuntur tibi, et sic mitte manum tuam sciens, quia talia te oportet praeparare. Nam quae mensa est potentis, nisi unde sumitur corpus et sanguis eius, qui animam suam posuit pro nobis? Et quid est ad eam sedere, nisi humiliter accedere? Et quid est considerare et intelligere quae adponuntur tibi, nisi digne tantam gratiam cogitare? Et quid est sic mittere manum, ut scias quia talia te oportet praeparare, nisi quod iam dixi: quia sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere? Sic enim ait etiam apostolus Petrus: Christus pro nobis passus est, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia eius etc. Ecce in quem usum dicat Augustinus nos corpus et sanguinem Christi edere, in eum videlicet, ut nos animam pro fratribus haud secus effundamus, quam Christus pro nobis fecit. Ne autem quisquam putet Augustinum per corpus et sanguinem corporeas istas res intelligere, adducemus et hoc quod superius Tractatu 26. dixerat, ad hunc modum: Denique iam exponit quomodo id fiat quod loquitur, et quid sit manducare corpus eius, et sanguinem eius bibere. Qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Hoc est ergo manducare illam escam, et illum bibere potum, in Christo manere et illum manentem in se habere. Ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritaliter carnem eius, nec bibit eius sanguinem: licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramentum corporis et sanguinis Christi; sed magis tantae rei sacramentum ad iudicium sibi manducat et bibit etc. Quid quaeso his verbis potest dici clarius aut apertius? quid simul dici potest cautius? Nam cum dixisset, licet carnaliter et visibiliter premat dentibus, mox ne putes hoc debere intelligi de carne Christi corporea, subiungit: Sacramentum corporis et sanguinis Christi. Hoc carnaliter esse edere intendens, quum sacramentaliter editur; sacramentaliter vero edere, esse aliud non potest quam signum aut symbolum edere. Rursus, ne quis putet leve esse quod dixit sacramentaliter edere, quasi haec manducatio elevet Pauli verba 1. Corinth. 11: 27. Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit etc. Dicere enim quis posset: Si solum sacramentaliter edo, quomodo ergo possum reus fieri corporis et sanguinis domini? Hanc ergo temere nascentem obiectionem retundit Augustinus, quum dicit: Sed magis tantae rei sacramentum ad iudicium sibi manducat et bibit. Ecce primum, ut non dicat tantam rem, sed tantae rei sacramentum! At cuius rei? huius, quod per fidem in Christo sumus, ac ipse in nobis. Sibi ergo, ut postea caute loquendo prosequitur, perhibet iudicium manducare et bibere, quicunque sacramentum fidei in Christum solummodo edant: sacramentum hoc porro intendens a nullo edi debere, quam qui Christo fidat. Idem libro 3. de consensu Evangelistarum cap. 1. causam reddens, cur Ioannes de corpore et sanguine tacuerit, cum coenam ac pedum ablutionem describeret, sic inquit: Ioannes autem

de corpore et sanguine domini hoc loco nihil dixit, sed plane alibi multo uberius hinc dominum locutum esse testatur. Comestionem ergo Augustinus, quod ad rem ipsam adtinet, eandem hic putat necessariam esse, quae Ioannis cap. 6. tractatur. Ea vero est Evangelii verbo fidem habere. Aliter ergo, iuxta eius sententiam, non edimus Christum, quam per fidem, cum illo fidimus tanquam indubitato salutis pignore.

Haec ex gravissimis patrum attulimus, non quo rem per se manifestam et verbo dei firmam, humana velimus authoritate fulcire, sed quod imbecillioribus manifestum fiat nos non primos esse, qui hunc sensum proferamus, nec fortasse infirmissimum. Deum enim testor, quod ad eius solius gloriam iam annis aliquot rem hanc cum multis doctis clam contuli, ad hunc usum quod nollem imprudenter quicquam ac temere in vulgum dissipare, quod turbam aliquam immanem dare posset; quanto vero cum pluribus contuli, tanto plures inveni, qui in hanc sententiam concederent. Viam igitur dominus ut ostenderet, creberrime oravi, qua res simplicium iudicio multo maxima posset in cognitionem omnium venire, quam non sit tam ardua atque putavimus omnes; ac rursus, quod ad usum adtinet, qua nihil in Ecclesia sit commodius aut utilius futurum. Quid enim flagitiis omnibus fenestram latius aperuit, quam quod impudenter delinquentes communicatione ista non abstinuimus? Aut quid magis potuisset ad mutuum amorem ac gratiam invitare, quam crebro inculcatus auribus et animis Christus, pro miseris et hostibus sua sponte mortuus? Aut quomodo potuisset quenquam pudoris periculum magis ab adulterio, foenore, vanitate, elatione, fastu, avaritia, reliquisque vitiis arcere, quam iterum atque iterum illic adcubuisse, unde multi fuissent ejecti multa cum ignominia; ubi quotidiana fiebant exempla? Nativum ergo huius sacramenti usum tantopere profuturum prospiciens, anxie, ut dixi, dominum oravi, ut viam ostenderet, qua rem tam periculosam consulte adgrederemur: adfuit anxie petenti. Sic ergo tandem deliberavimus usui esse futurum, si Missa everteretur; qua eversa, speravimus etiam Eucharistiam sibi restitui posse. Hic iam non videbam, quod vehementius pugnaret, quam Ioannis sextum caput. Ubi infractus ille adamas: Caro non prodest quicquam, sic in suos colores ac metalla insertus est, ut quicquid infligas, infragilis stet, franganturque citius omnia, quam vel plagulam ei indant. Secundum hunc locum, opportunissimus visus est: Deum nemo vidit unquam, Ioan. 1: 18. Hic vetabat quicquam adorari, quod videretur aut sentiretur. Postremo, opus erat nativum eius, Eucharistiae dico, usum exponi: qui ubi iam intellectus erat, efficiebat ut sua sponte vanae spes et portentosae sententiae collaberentur. Consilium hoc cum multis communicavi; sed antequam negotium in herbam venisset, prodeunt libelli quidam nescio quid minax spirantes; [1] deinde non satis virium aut lucis habentes, rem non ea parte adoriuntur ubi victoria potuisset obtineri. Sic ludit in humanis divina

---

1) *Lutherus* contra *coelestes prophetas*, cuius pars prima Ian. 1525, altera 12. Febr. eiusdem anni in vulgus exiit, quo scripto non solum Carolostadium impugnavit, sed simul sub eius nomine primum impetum in Zuinglium fecit atque in omnes ab suo dogmate de S. C. dissentientes.

potentia rebus. Quibus inviti coacti sumus sententiam hanc nostram prodere, multis undique fratribus ad iniustitiam usque exigentibus. Dedimusque Epistolam ad Evangelistam Rutlingensem, hominem nobis de facie ignotum, quam sic adiuratione ardua sepsimus, ne quisquam excuderet, ut dei dono haud dum viderim excusam, quamvis multi sinceri in domino fratres viderint. Hos autem Commentarios quum postea orsi simus, quid aliud quam idem sentiendum erat, quod in dicta Epistola sensissem? Nam Commentarios omnino praestare opus erat: promiseramus enim optimis doctissimisque Galliarum viris non paucis. Oramus igitur dominum, ante quem stamus hodie, ac mundas ab omni sive tumultuandi sive gloriae studio manus elevamus, ut si haec sit mens institutionis suae, quam exposuimus, ut nobis etiamnunc ambiguitas penitus nulla est, per eam gratiam, qua omne genus humanum est misertus, ut omnium oculos aperiat, quo abominationem (abominationem enim maximam esse oportet, quum quod creatura est, dei loco habetur) quae se in locum dei statuit, universi cognoscant ac adorare desinant. Cum enim solus deus adorandus sit, et creatura prorsus nulla, ita ut etiam Theologistae negent puram humanitatem Christi citra idololatriae discrimen adorari posse: quomodo non est summa impietas panem adoravisse? Quid vero est, quod dicunt se panem non adorare, sed corpus Christi? an iam non creaturam adorant? Ubi ergo sunt illorum decreta, quibus, ut diximus, humanitatem vetant adorari? Sed iterum dicunt: Nos adoramus, atque etiam edimus spirituale corpus Christi. Quid per deum optimum maximum est spirituale corpus Christi? an uspiam in scripturis repertum est aliud spirituale Christi corpus, quam aut Ecclesia, quemadmodum Ephes. 4: 4. et Colos. 1: 18. habetur, aut fides nostra, quae et credit eum in cruce poenas pro nobis dependisse, et per eum salutis certa est? Cur quaeso eiusmodi vocibus, quas nullus capit intellectus, pias mentes oneramus? Spirituale corpus sic ab homine capitur, ut si dicas corporea mens, aut carnea ratio. An non spiritualiter edimus Christi corpus, cum ipsum credimus pro nobis caesum, eoque fidimus? an non spiritus et vita iam in nobis sunt? quid adhuc voces inconciliabiles copulamus, solum, ut longum istum contentionis funem nectamus? Plane loquamur! spiritaliter edimus, quum per dei gratiam ad Christum venimus. Spiritaliter ergo Christi corpus edere, quid porro aliud esse potest, quam Christo fidere? Quid nova commenta excogitamus, quae ratione nulla constare possunt? Ego sum lux mundi, inquit Christus. Cum ergo lux sit, quis credet eum nos in huiusmodi tenebras detrusisse, quibus fides infirmatur citius, quam roboretur? Vera dicimus et comperta. Cum enim humana mens iam fide in deum per Christum tuta est, an non colophonem salutis obtinet? obtinet nimirum. Quid ergo putes in ea nasci, quum ad tam disparata et ab omni intellectu abhorrentia compellitur? nihil hercle, quam nutationem. Dices: Fides omnia potest; atque eam nisi habeas, salvari nequis. Respondemus: Hoc modo impositum esse omnibus. Qui enim duram hanc sententiam tenent, hoc loci fidem tantopere exigunt, cui tamen alias haud multum tribuunt. Sic fere faciunt, qui ex sensu carnis, ut Ephes. 4: 14. et Colos. 2: 18. loquitur Paulus, quicquid libet, adserunt. Quum ita urges, ut aut se dedere aut praecipitare

cogantur, ad fidem confugiunt: qui tamen si fidem haberent, nihil tale unquam potuissent adserere. Qui enim fidunt Christo, non esuriunt aut sitiunt quicquam aliud: iam enim eum cibum habent, quo animae refocillantur. Fidei ergo tribuunt, quod illa nec agnoscit, nec sibi acceptum ferri patitur, ut supra satis probatum est. Unde ei haud mediocrem faciunt iniuriam, quum ei tribuunt, ipsa constare hanc corpoream Christi carnem. 1. Atque hoc duplici nomine: Primum, quod hanc corpoream carnem fide nostra dicunt constare: nam fides reclamat, necessariumque erit rem tantam, ut isti faciunt, se ipsa consistere quam fide nostra. Nam fides in eas res tendit, quae sunt priusquam illis fidas. Carnem ergo istam fides nostra non potest facere: quod equidem non dixissem, nisi quidam essent, qui tam frigida fidei suffugia quaererent, ut dicere audeant: Fide consistere hanc carnem. Quo quid ineptius dici potest? num enim fides nostra hoc efficere potest, ut panis sit caro? Verbo dei solide hoc erat probandum, quo fides locum haberet, non fidei imponendum per vim. 11. Secundo, sic fidei faciunt iniuriam, quod eam dicunt nos salvos facere: quod se ipso quidem verum est, sed hoc loci tam abest a vero quam a luce tenebrae. Praetendunt enim, quasi haec fides salvum faciat, quae in hoc pane, aut hunc ipsum panem corpoream carnem esse credat. Hoc autem citra verbi authoritatem dicitur: nusquam enim habetur: Amen amen dico vobis, quod qui credit se in isto pane meam corpoream carnem edere, is beatus erit. Quin et alius error maximus sequeretur, videlicet quod duae essent fides ad salutem proficuae: una, qua fidimus Christo; altera, qua crederemus panem istum esse carnem. Sic enim aiunt: Nisi credas sic rem habere, salvus fieri non potes. Ecce quomodo in media luce, volens ac sciens, humana ratio tenebras invenit, in quibus palparet, ac palpando et inquirendo acuminis gloriam apud simplices inveniret. Quid enim Scoti ac Thomae in pervestiganda commutatione panis et vini in corpus et sanguinem tam acris diligentia est, quam acuminis ostentatio? Medicos imitati sunt artis parum gnaros, qui, ut eruditi videantur, pharmacis efficiunt, ut ad praedictum ab ipsis momentum novam accessionem alicuius aegritudinulae experiaris, quam deinde amoliendo pro diis habeantur. An non hoc, de quo nos agimus, huic simile esse videmus? Tradiderunt isti primum, corpoream carnem Christi, ut in praesepi vagivit, et ut cruenta in cruce pependit, quin dicerent saltem, quemadmodum post resurrectionem ianuis clausis ad discipulos penetravit, hic edi. Ac, ne mali magistri viderentur, mirabiles anfractus excogitaverunt, quibus rem sic habere demonstrarent, ac stolidas mentes, quae vere nunquam credidderunt, aut saltem quod verum esset, perspicere detrectaverunt, quasi in Labyrintho circunduxerunt alias subinde figuras ostendendo, donec exitus curam omnem tollerent, qua magna parte sublata tyrannidem in eos, qui paulo attentius introspicere volebant, exercuerunt: haereticos vocarunt, qui quod verum esset tradere perrexerunt. Quid multa? posteaquam hunc communicationis panem ceu mercem aliquam venditurі erant, opus habebant ut eum aliquid facerent, quod omnes maxime admirarentur, quo pretium augerent. Coeperunt ergo panem carnem facere, neglecto isto verbo: Caro non prodest quicquam. Omnes ergo, qui ista

nostra legunt, per eam fidem, qua omnes salvi reddimur, obsecro, ut non subito damnent vel abiiciant quod audiunt, etiamsi ipsis absurdissimum videatur, sed dominum orent ut sibi veram intelligendi lucem donet, qua quod verum, rectum, sanctum est, intueri possint. Laeta est veri facies, ac minime superciliosa, sed inadulabilis simul est. Quo fit, ut qui sibi sunt male conscii, constanter ac intrepide in illam non audeant intendere primo aspectu; quum vero iterum atque iterum aspiciendi veluti gustum fecerint, iam incipiet non offendere. Det Deus Opt. Max. ut omnes discamus hanc tandem veram esse religionem, qua mentes ipsi uni ac soli adhaerent, solum imitantur, soli placere cupiunt, a solius nutu pendent. Contra vero det, ut videamus quod haec elementa mundi nihilo meliores nos reddant; sed si nimium illis tribuas, a vero dei cultu potius abstrahant. Fit hoc modo, ut quae hactenus in cultum dei Maozim, quem in loco sancto, iuxta Danielis verbum 11. venerati sumus, quamvis ipsum ignoraremus, auro, argento, lapidibus, reliquisque rebus pretiosis expendimus, in usum pauperum, quo vere Christum colimus, convertamus, et mentes nostrae, quae falsis spebus hac illac sunt hactenus iactatae, uni deo per pignus aeternum, filium scilicet eius, adfigantur, Amen.

## DE CONFESSIONE.

Literae vere sacrae Confessionem aliam ignorant, quam qua se homo cognovit, et ad misericordiam dei abiecit, iuxta istud verbum Prophetae Psal. 32: 5. Dixi: confitebor adversum me iniustitiam meam domino, et tu remisisti impietatem peccati mei. Ut ergo deus solus est qui peccata remittit et mentem quietam facit, ita soli debemus vulnerum nostrorum sanitatem acceptam ferre, soli ad sanandum exponere. Quis enim vulnus unquam apud alium, quam apud medicum, vel apud eum quem consilium profuturum dare posse sperabat, retexit? Sic omnino habet confessio: Deus solus est qui mentibus nostris medetur; ei igitur soli vulnus aperiendum est. Quod si medicum adhuc non plane agnoscas, aut ubi habitet ignores, iam nemo vetat quin vulnus apud prudentem consultorem religes, oresque ut consilium det. Is autem, si vir prudens ac fidelis est, indubie ad eum medicum remittet, qui artis tam peritus est, ut consuere vulnus possit. Edissero nunc parabolam: Is, cui medicus ignotus est, homo est qui gratiam per Christum recte nondum agnoverit, qui tamen, ut est conscientiae Nemesis, molem qua deprimitur ponere quaerit. Gnarus ac fidelis consultor verbi dei minister est, qui Samaritae in morem vulneribus vinum infundit et oleum. Vinum poenitentiae acrimoniam significat, ad quam manuducit, quum hominem sibi ante oculos exponit, quo sese agnoscere discat, ac nonnunquam renitentem etiam in hypocriseos cognitionem trahit: amara et acris res est te esse intus et in cute pessimum; amarior autem, quod malitiam infitiari nequis; amarissima, cum te mortuum esse agnoscis, et spes tuae destitutae sunt. Hic iam effervescere vulnus incipit. Mox ergo debet verbi minister oleum infundere, hoc est Christum, qui oleo laetitiae prae omnibus est unctus, id est ostendere quantum gratiae deus nobis per ipsum impertiverit: quam ubi didicerit, teneri amplius nequit quo minus

ad ipsum properet. Confessio igitur auricularis ista, nihil aliud est, quam consultatio, qua consilium accipimus ab eo, quem ad hunc usum deus posuit, ut legem ex ore ipsius quaeramus, quo nam pacto possimus menti requiem parere. Ecce ergo claves, ecce Evangelium, de quibus satis dictum est. Evangelizat ergo te verbi minister; tu vero quum evangelizatus es, hoc est, cum Christum recepisti, iam absolutus ac liberatus es ab onere peccatorum: quam tu allevationem in mente sentis, etiam si nullus pontifex concepta verba super te imprecetur. Fabula sunt igitur, et nugae merae quae Pontificii de clavibus polliciti sunt. His iunge audacium quorundam dogmata, qui perhibuerunt clavibus hominem certum fieri, qui nisi per fidem intus certus est, frustra dices: Liber es. Non enim tuo verbo ipsum potes magis certum reddere, quam muscam elephantum facere cum dixeris: Elephas es. Docere et exponere potes Evangelii rationem, sed frustra, nisi dominus intus docuerit. Quot enim sunt, qui audiunt et non recipiunt? quae causa est, quod non recipiunt? quod deus non traxit: quam primum traxerit, ad eum transilient citra tuam operam. Hanc fidei certitudinem nisi quisque habeat, frustra sexcenties a sacerdote absolvetur: nunquam enim non desperatus et diffisus ab eo abibit. Quae vero de Confessione commenta sunt tradita, oceanus sunt, et cimmeriae tenebrae. Unde nihil est operae pretium ea confutare. Si enim quae iam subiungimus paucula, recte perspexeris, tuto per omnem scripturam navigabis, quod ad confessionem attinet, sic ut facile videas auricularis istius, qua hactenus usi sumus, mentionem penitus nullam in ea fieri. I. Confiteri primum est laudare, gratiasque agere domino; ut: Confitemini domino quoniam bonus etc. quemadmodum cecinerunt filii Israel Pharaone merso. II. Deinde confiteri est domino fidere, eum confiteri petram et refugium nostrum esse, ut Psalmo 105: 1. et 1. Ioan. 4: 2. Quisquis confessus fuerit, quod Iesus est filius dei etc. III. Post: Confiteri est agnoscere quod tibi obiicitur, aut cuius accusaris: sic, qui praedicatione Ioannis compungebantur, agnoscebant sic habere quemadmodum ille docebat. Sic hodie confitentur peccata sua, qui dum verbum dei audiunt, compunguntur ut sese agnoscant, ac protinus se ad medicum recipiunt. IV. Postremo loco: Confitemur peccata nostra, quum proximum aut doctum Scribam certiorem facimus occulti sceleris: quo aut simul nobiscum veniam apud coelestem patrem deprecetur, aut consilium, quemadmodum est dictum, inveniat, quo posthac possimus malo resistere. De qua Confessione Iacobus 5: 16. loquutus est: Confitemini altervicissim alteri peccata vestra, et orate pro vobis mutuo, ut salvemini; plurimum enim potest obsecratio iusti assidua. Quo loco nixi, hactenus auricularem confessionem adseruerunt Pontificii: quum tamen divus Iacobus non de ista loquatur, sed de ea, quam quisque proximo facit, quum internum aliquod et hactenus absconditum vulnus ei aperit. Unde ex isto loco nihil amplius exprimi potest, quam ut quisque proximum conveniat, ut pro suis secum delictis orare velit; ac ut hoc intentius faciat, exponit vulneris putorem. Breviter, satis confitetur qui deo fidit, quemadmodum secundo loco dictum est: qui eum laudat, et gratias agit pro impensis beneficiis,

quemadmodum primo: qui peccata sua agnoscit, ac coram domino deplorat, ut tertio: qui assidue veniam sociis fratribus orat, ut postremo dictum est: satis, inquam, confitetur, qui sic dispositus est, nec ullo sacerdote habet opus. Qui vero ad hunc modum non est doctus, profecto sacerdote maxime opus habet: sed quo? Non eo qui cistae adulterinis clavibus insidiatur, sed qui verbo dei tam miseriam quam gratiam agnoscere docet. Consultatio ergo est clancularia confessio, claves Evangelii expositio, reliqua venti sunt quae Papistae ganniunt. Sed sunt qui dicant, multos multa designaturos esse flagitia, quum ad confessionem non compellantur. His sic respondemus: Inexperti estis, aut hypocritae. Inexperti, quod propter confessionem non didicistis neminem ulli unquam pepercisse flagitio; sed contra potius, si pudor erat confiteri, pepercisse multos scimus, ut non confiterentur quod perpetraverant. Hypocritae, quod nemo est qui ignorare possit, quam audacter multa dissimulaverit, imo etiam iustitiam simulaverit illic, ubi videri volebat se ex animo omnia prodidisse ac doluisse. Adhuc tamen audemus defendere, quod nihil quam bonorum omnium circumscriptio fuit: nisi enim dominus Sabaoth semen nobis reliquisset, hoc est Evangelii lucem postliminio reduxisset, actum fuisset de omnium bonis, laboribus ac possessionibus. An non pontifex Rom. iam omnia regna sua esse dicebat? Ipsi vidimus Rom. Pontificis legatum Tiguri adserentem, aedes quasdam Praeposituras, ut vocant, suas esse. Crebro ergo confiteamur domino, crebro novam vitam ordiamur, ac si minus quid constet, crebro prudentem scribam adeamus, qui loculos non spectet sed conscientiam!

## DE RELIQUIS SACRAMENTIS.

Confirmatio tunc sumsit exordium, quum vulgo coeptum est infantes tingi, quum apud priscos ii modo tingerentur, qui in vitae dimicatione constituti essent. Quanquam quid hoc erat? num mortis discrimen doctiores rerum Christianarum faciebat? sed imbibitus erat error, qui baptismum existimabat post fidem peccata abluere; qui deinde, ut adsolet atrocius grassatus, ausus fuit infantibus etiam salutem negare, quasi vero crudelior sit Christus quam Moses: sub quo inter filios Israel censebantur, qui circumcisi essent, aut oblationibus initiati; etiamsi Abraham fide nondum imitarentur: nec enim poterant.

Extrema unctio, sic enim vocant, humanum ac civile officium est. Ungebant apostoli nonnunquam aegrotos, et bene coeperunt habere, qui sinistrius paulo ante valebant. Marc. 6: 13. Hoc perpetuo servandum esse monet Iacobus 5: 14. invisere videlicet aegrotos, ubi si usus postulet, aut aegritudo ferat, qui provectiore iam sunt aetate, malum debent attrectare, ungere, ac deum ut liberet, orare.

Ordo sacer, quem perhibent animae characterem quendam, velut ungue, infligere, humanum figmentum est. Quod autem de impositione manuum ex Actis, et 1. Timoth. 4: 14. adducunt, frivolum est. Exterior haec consignatio fuit, qua eos notabant, in quos linguarum donum erat venturum, aut quos ad verbi ministerium erant emissuri. Quid hoc ad characteris figmentum facit? functio est, non dignitas episcopatus,

hoc est verbi ministerium. Qui ergo administrat verbum, episcopus est; qui minus, tam non est episcopus, quam non est consul vel magistratus qui non fungitur.

## MATRIMONIUM.

Ad Matrimonium redire cogimur, quod superius id, quod in primis tractare debueramus, exciderat. Honorifica res est connubium, ut inquit Apostolus Hebr. 13: 4. Cur igitur rem dei etiam testimonio sanctam, piam ac bonam quibusdam interdicimus? puta Sacerdotibus, Monachis, et Monachabus, Episcopis, hoc est verbi ministris: nam alii, quos ab equorum ornatu cogeris Episcopos fateri, ut diximus, Episcopi non sunt, sed potius Aposcopi. Verbi ergo ministris qui uxoribus interdicunt, hoc agunt, ut quod verbis aedificent, factis convellant. Non est enim opus, ut hic de carnis concupiscentia quicquam dicamus: omnes enim experimur quam casti simus ac mundi; cur igitur voluntarie scandalum arcessimus in Ecclesiam dei? quum uxoribus nusquam sit dei praecepto interdictum? Scimus omnes matrimonium honestam rem esse, ut diximus; cur igitur nolumus ipsum verbi ministro permittere? sed cum videamus quem infirmum esse, malumus cum totius Ecclesiae offensione et ignominia scortatorem ferre, quam legitimum maritum. Et dicunt se quidam horrere omne ministerium eius sacerdotis, qui uxorem habeat: non enim se posse videre in templo missantem, aut docentem sacerdotem, et uxorem simul auscultantem et orantem: cum interim scortum impudentissimum, nonnunquam etiam in primis subselliis sedens, citra omnem offensionem ferant. Importunum esse hoc loco liceret, non in stultos, sed malignos homines: non est enim stultitiae, sed iniustitiae vox ista. Missa sic nihil est, ut etiam abominatio sit, atque ipse nescio an missarum quaestus et negotiatio istud commeruerit, ut tam turpes maculas (sic enim Petrus hoc hominum genus vocat) in Ecclesia sua deus tam diu tulerit. Cur ergo missantem non vult videre sacerdotem? Quia sic nobis, quod abominabile est, placet, ut nihil rectum vel possit vel debeat placere. Missas exigimus; missent ergo scortatores, qui ad hanc abominationem sunt accommodatiores, quam honesti mariti. Sed verbum administret in Ecclesia dei maritus unius uxoris, ne quum docet fratrem in negotio matrimonii non licere circumvenire, ipse multas adesse videat, quas adulterio constupraverit; conscientiaque percussus, nec de suo nec de aliorum vitiis constanter loqui ac increpare audeat. Veruntamen de connubio paulo post plura, cum ad vota ventum erit. Hic interim hoc monebimus: videri scilicet nobis hanc unam ac solam causam esse, cur connubium Episcopis nostris negemus, quum tamen ante omnia coniugatum quaerat Paulus in delectu suo, 1. Timoth. 3: 2. Tit. 1: 6. quod adeo innumera sacerdotum otio deditorum turba minari quiddam videtur, si connubia ipsis iungere liceat. Futurus est monachus aliquis cum fratre haeres: repetet monacha haereditatem alio devolutam: legetur hic sacerdos in senatorum ordinem, aut fortasse in magistratum subrogabitur. Haec est revera nostro iudicio malignitas ista, quae sibi tamen aliud, quam quod res est, praetexit. Qui fit autem, ut malis istis non occurratur? An lege caveri non potest: Sacerdos in

senatum ne legitor? quae ubi lata erit, quid periculi ultra imminet? Sic aliis periculis quoque posset commode occurri, ut haec impudens spurcitia e fidelium oculis ac medio tolleretur. Quod autem ad immodicum numerum adtinet, cur non sinimus in pace defungi, et sacerdotiis neminem ultra imponimus, sed ea bona convertimus in pauperum usum? praesertim quum hi satis diu esurierint, illis interea saturis atque ructantibus. Quae quaeso aliquamdiu turba in omnibus Christiani orbis regnis uspiam est orta, quam non vel ipse Rom. Pontifex excitaverit, aut eius discipuli mitrati isti et galeriti Cardinales et Episcopi? an non regum omnia consilia, fortunas iudiciaque moderantur? Unde vero tanta potestas? ex divitiis. Unde autem illis divitiae? ex tot sacerdotiis, censibus, decimis, aliisque degravationibus, quas citius desperes te enumeraturum, quam stellas. In angustum ergo arctandae sunt illorum copiae. Sed ne quis queri possit cupiditate potius rem geri, quam rerum divinarum studio, ferendi sunt donec in pace defungantur, ut diximus. Si vero quidam, ut est pertinacia, pacatum reipub. aut regni statum potestate sua turbare pergunt, adimendae sunt illis pennae, donec in altum evolare amplius nequeant. Verum heus tu: Quid audes? En ut promptus es ad turbandum et rapiendum! Eos modo premes, qui turbant; qui non turbant, liberos relinques, ne maiorem turbam des: servanda est illis fides, dummodo ipsi servant, ne consuetudine frangendi fidem ex hominibus in beluas degeneremus. Heus et tu, redi atque rem ad finem exaudi! Nemo privatus hoc faciat: sic enim paulatim fieret, ut quisque quemlibet adoriretur, causam quamvis futilem comminiscens. Regi aut magistratui ista relinque disponenda. At heus vos ipsi quoque reges et magistratus: Quid in vestrum aerarium ista refertis, nisi ultima tuendi populi necessitas cogat? Sic legem capite! Defunctorum sacerdotia, monasteria, census, reditus, in aerarium pauperum, non vestrum redigite; quae vero isti hactenus impie extorserunt, remittite! alioqui potestas vestra et res magis quam unquam crescerent, quibus humilior aut benignior nemo redditur; fieretque tandem ut imperii gravitate vos ipsos exosiores faceretis, quam unquam fuissetis, si tanta rerum non esset accessio facta. Est fortunae comes invidia, et quanto illa crescit, tanto ista simul gliscit. Haec de abolendo inutili sacerdotio, deque eius bonis in pauperum usum convertendis breviter. Nullum enim Christiani habere debent sacerdotium, quam Christi; is autem aeternus sacerdos est, unde neminem eius loco subrogatum oportet esse. Verbi vero ministri, episcopi, hoc est vigiles, qui in grege domini vigilant, iuxta Pauli praescriptum, debito honore dignandi sunt. Hos ergo solos in ecclesia dei aliquando habebimus, ubi intra annos ad summum quadraginta, quotquot nunc nobis nauseam pariunt et impatientiam, alio migraverint. Tanto tempore profecti sunt Israelitae ex Aegypto in terram Chananaeorum. Ferendo igitur et patiendo non erimus eis, ut spero, inferiores.

## DE VOTIS.

Sunt quaedam votorum genera tam impia, tamque stolida, ut si quis sese regi recipiat mille hostium capita salvum adportaturum. Inventi

sunt, qui demandatum numerum, aut operam praestiterint, David et Hercules; at nemo tam arrogans unquam fuit, ut se salvum cum tot capitibus rediturum polliceretur. Quum ergo castitatem, paupertatem, et obedientiam promittunt quidam, vide quam non ex scientia quicquam faciant, et zelus ipse, aut stolidus sit, aut simulatus. Ac primo de castitate. Hanc negat Christus omnibus, Matth. 19: 11. nisi quibus data sit superne: quibus ergo data sit, ea liceat uti. Impium ergo erit et non minus incivile, quam si me amico pollicear totum annum ex eius marsupio victurum, si deo pollicear me daturum, quod ego ne habere quidem possum, nisi ipse dederit. An hoc non est amico polliceri, quod ex eius marsupio sis sumtus deprompturus? Explicat divus Paulus 1. Cor. 7: 9. late et clare nodum hunc de castimonia, sic inquiens: Si se non continent, nubant! praestat enim nubere quam uri. Ureris ergo? nube: melius enim, ac rectius facis, dum faces impotentis libidinis nubendo extinguis, quam quum ardendo inquietam ac spurcam mentem circunfers. Quousque autem ferre debeas ustionem, nemo melius dicet, quam tu ipse. Paucissimi omnino sunt ex omni mortalium numero, qui non urantur; atque ego nescio, an unquam quisquam fuerit, nedum hodie sit, qui cupidinis ignes non senserit; porro, quantum quisque ardeat, nemo nosse potest, quam cui corda pernoscuntur. Cum ergo nemo noverit, quid sit in homine, quam spiritus hominis, qui est in ipso, nemo tui iudex esse potest, quando nubere debeas, quando coelebs manere. Solus ergo tecum deliberabis, uxorem ducturus sis nec ne. Tunc autem duces, quum videbis maximam cogitationum tuarum partem, huius ignis vehementia, ceu torrente rapi; cum timorem dei abiici, cum amorem extingui, et orationem impediri. Sic enim colligere potes dicto capite Pauli. Quum enim sic dicat: Ne fraudetis vos mutuo (loquitur autem de coniunctionis viri foeminaeque subtractione) nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi. Post iterum convenite in unum, ne tentet vos Satan propter incontinentiam vestram: constat, quod ad evitandam Satanae tentationem, hoc est scortationis et adulterii contaminationem, nubere liceat; similiter dum impediuntur orationes nostrae: quantum autem quisque impediatur, nemo melius novit, quam qui sentit. Si ergo sentias, ut diximus, mentem ad Veneris mentionem vacillare, ut iam dicas: Si liceat, libet: propendit nimirum caro, nec unquam quiescet, donec quod libet perpetraverit. Ne ergo perpetuo ardeas, nube: melius est enim nubere, quam uri. Qui uberius hanc rem nosse cupiat, diligenter dictum caput excutiat. Videmus igitur omnibus ex aequo dictum esse: Si non te contines, nube; et virgo si nubit, non peccat. Ex aequo igitur omnibus licet connubia iungere. Nam quod de voto obiicitur, sic nullam vim habet infirmandi legem Dei, ut etiam summa sit impietas ipsam prodere propter traditiones nostras: ut Christus Iudaeorum peritis et sanctulis opprobravit Matthaei 15: 5. Quare vos, inquit, transgredimini mandatum dei propter traditionem vestram? Taceo nunc, quam stultum sit istuc promittere, quod tuarum virium non est. Impia ergo sunt omnia castitatis vota. Quod de Nazaraeis quidam obiiciunt Numeri 6, iam dudum exoletum est: multa enim praecepit dominus filiis Israel, quibus ipse nec egebat nec

delectabatur; sed fieri sibi iubebat, ne daemoniis fierent, ut fuerunt varii oblationum ritus. Sic et de Nazaraeis sentiendum est. Periculum erat, ne Iudaei filios suos more caeterarum Gentium cuperent in aliquo peculiari vitae instituto vivere, subindeque devoverent. Tradidit ergo ipse institutum, quo contenti ad idololatras non deflecterent. Quod autem alii obiiciunt: Redde altissimo vota tua; et: Vovete et reddite, Psalmo 76: 12. produnt inscitiam suam, videlicet quod nondum didicerint vota pro muneribus oblationibusque spontaneis in literis sacris accipi, non pro iureiurando aut dedicatione mentis: hanc enim requirebat lex: Diliges dominum deum tuum etc. Sicut ergo abolitae sunt oblationes, sic et vota: nam נֶדֶר Hebraeis spontaneam oblationem significat, rei cuiuspiam ad offerendum sacerdotibus usitatae. In universum videntur vota omnia in haec duo posse redigi. Vovemus aut ista quae dominus iubet, aut supra ista quae dominus iubet, quaedam voluntarie. Qui ergo vovent quod dominus praecepit, arroganter faciunt: sic enim praetendunt se impensius facturos quod dominus iubet, si votum suum aut iusiurandum addant, quam si solum domini praeceptum audiant: quod quid aliud est, quam extrema stultitia et fidei infirmitas? Fidelem hominem oportet voluntatis dei studiosum esse, ideo quod deus suus sic aut sic praecepit, non quod ipse sic aut sic facturum se recepit: qui enim hac causa his praeceptis dei student, quia ipsi voverunt, se ipsos maioris faciunt quam deum. Inobediens est qui Consulis iussa non implet, nisi prius promiserit se facturum. Facere enim debet quisque quod Lex et Magistratus iubent citra votum. Si autem quaedam alia vovemus, quam quae lege dei comprehenduntur, frustra fit: nam frustra colunt me, inquit Christus Matthaei 15: 9. docentes doctrinas et praecepta hominum; et: Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus coelestis, eradicabitur. Ibidem. Quid autem stultius est, quam nova quaedam domino polliceri, quasi quae hactenus praecepta sint impleverimus, et pro auctario addamus liberaliter nostra quoque? Quis unquam vel hoc unum praeceptum implevit: Dilige proximum tuum sicut te ipsum? Fit ergo manifestum, quod dum sic quaedam vovemus, in ἐθελοθρησκείαν Pauli Coloss. 2: 23. incidamus: quae nihil aliud est quam propria voluntate adinuenta religio, eaque nihil nisi hypocrisis, ac legis divinae contemptus. Nemo enim adhuc implevit quae dominus praecepit: cur ergo nova fingimus, qui divina non attigimus? Aperte loquar et vere: Haec vota castitatis, paupertatis et obedientiae, fuga sunt, et declinatio legis divinae, ut iam patebit, quum de paupertate et obedientia dixerimus.

Paupertatem quid adtinet vovere? Christiana mens Christiana non est, nisi sit pauper. Beati enim pauperes spiritu. Ex lege igitur debemus omnes esse pauperes; qui ergo non sunt, legi non obtemperant. Quid ergo ipsam vovent, quasi melius servare devoti possint, quam dei praecepto obtemperantes? Quod si paupertatem rerum et egestatem vovent, stulte iterum faciunt. Quid enim voves quod in tua potestate non est? Primum, si dives es, non est opus ut paupertatem voveas, sed ut iuxta Christi verbum omnia vendas quae possides, et des pauperibus. Hoc praecipit dominus. Cur tu voves quod dominus praecipit? Si vero

pauper es, quid paupertatem voves, quam, velis nolis, ferre cogeris? Quid si te devoveas deformem futurum, quum antea sis quam voveas? Deinde si deus velit te ditissimum esse, puta regem aut principem, sed in eum usum, ut quae tibi commissa sint, fideliter dispenses: an tu paupertatem vovebis? Rursus quum tibi dominus divitias negaverit, sed patientem dederit mentem ut laetus feras, tu vero simul voveas paupertatem: nonne voto tuo citius adscripturus es, quod rem difficillimam moderate feras, quam gratiae dei? Nam si gratiae dei omnia accepta ferres, nunquam voveres, sed ad illius te voluntatem perpetuo comparares. Obedientiam autem debemus omnes omnibus: nam si quis te ad mille passus adegerit, perge cum illo et alia duo millia, Matth. 5: 41. Et: Caritas non quaerit sua, sed sedula est ut aliis prosit, 1. Cor. 13: 5. Et omnia quaecunque vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis, Matth. 7: 12. Christi Ecclesia unum corpus est, Rom. 12: 5. Hoc autem corpus ante omnia requirit, ut nulla membra dissentiant; qui ergo Christi Ecclesiae membra sunt, hoc ipso quod membra unius corporis sunt, debent sibi mutuo aut honeste praeesse aut obtemperare. Quid opus est, ut tu obedientiam promittas, quam sic debes, ut nisi praestes, ingratum sis iudicem habiturus? Quod vero quidam adeo fastuose intonant, quod 1. Sam. 15: 22. scriptum est: Obedientia plus valet quam victima, breviter respondemus: fere sic dei voluntate fieri, ut si quis verbo eius pro sua libidine abuti velit, se ipsum vincat. Quemadmodum et hoc loco fit. Dixit Samuel ad Saul: Melior est enim obedientia quam victimae. Sed de qua obedientia loquitur? num de ea, qua se homo factioni alicui adstringit? Minime! sed qua deo obtemperat contra omnia hominum consilia, quantumvis in speciem pulchra et bona sint. Nam Saul iussus erat Amalecitarum omnia exscindere; ille vero melius esse ratus, ne res inutiliter perirent, servavit multas pecudes in holocaustum domino. Hic irascitur dominus, et dicit per os Prophetae sui: melius esse quod dei voci obtemperes quam tuo consilio. Obedientia igitur victimae praefertur, sed dei obedientia. De qua iam satis dictum est quam necessaria sit ad salutem.

Nunc, ut promisimus, aperiemus, quod ista, paupertatis, castitatis, et obedientiae vota fuga sunt, et declinatio legis voluntatisque divinae. Castitatem primum accipe. Hanc vovent, quae in sua potestate non est, et per eam matrimonium contemnunt. Cumque deberent operam dare creandis liberis et educandis, tuentur se suis votis: sed vide quam belle! scortantur impudentius canibus. Et si tu moneas, ut deserto monasterio nubant, quandoquidem continentiam videant sibi negari, mox respondent lege voti teneri. Vide nunc, an hoc non sit legem dei prodere propter humanam traditionem? Taceo impura ista et spurca, quae magna pars monasticorum clam designant libidinis impatientia. Ut plane constet illorum corda, et nonnunquam etiam corpora, foedioribus esse libidinibus conspurcata, quam ea quae in matrimonio degunt; imo sic esse impura, ut nec cum honestis matrimoniis comparari possint. Verum quantumcunque spurca sint et foeda, propter votum suum legi dei non obtemperant. Paupertas ipsorum sic non est paupertas, ut nusquam liceat divitias cum maiore tranquillitate invenire, quam in

monasteriis. Si in urbe degas, ditissimus etiam, curare cogeris multa, sursum deorsum currere, metuere imbres, grandinem, et reliqua tempestatum mala. Isti nostri horum nihil metuunt aut curant, sed citra sudorem et sanguinem omnia ipsis proveniunt, non laborant, non proscindunt vomere terram: cum tamen interim nihil phasidum, turdorum, leporum, caprearum omne forum habeat, nihil salparum, solearum, murenarum et anguillarum, quod ipsis non adferatur. Vide quam magna res sit horum egestatem ferre. Quid vestem commemorem? Hieme sic pellibus, lanis et focis foventur, ut nonnunquam inviti cogantur sudare; aestate sic theristra sunt vento pervia, sic omne vestium pondus ablatum, ut eos aëre victitare posse credas. Obedientia vero sic habet, ut si parens egeat, opem ferre non liceat, etiamsi omnem substantiam stulta expenderit, ut hunc cuculum in isto nido locaret. Si aegrotet, non licet per hanc obedientiam exire, morbum attrectare, allevare, auxiliari. Taceo reliquos pauperes. Dum Magistratus iubent contribuere, immunes sunt; cum stationes distribuunt, obiiciunt se, dei obsequiis mancipatos, agere ista non posse. Quid multa? nihil commune habent cum laborantibus vicinis ac civibus; bella si ingruant, non sub divo, sed intra amoenissima habitacula secure stertunt, ita ut Solomon in omni gloria sua huius mundi deliciis cum tanta tranquillitate frui non potuerit. Nemini quicquam debent quam sibi, nemini prospiciunt quam sibi; et quod omnium est perversissimum, quanto maiores opes congerunt, tanto sibi impensius placent; quanto obstinatius magistratui restiterint in ferendis communibus oneribus, tanto magis suspici volunt, ac omnium domini haberi. Adorantur, coluntur, ac deorum loco habentur. Nunquam videas ut vetent sibi fieri, quod soli deo praestandum est. Haec sunt ista impia vota, quae ipsis, imo nobis etiam stolidis tam egregia videntur. Promittunt castitatem, sed contenti sunt promisisse, capris libidinosiores: Paupertatem, cum Regi ipsi plura desint quam istis: Obedientiam, quae inobedientia dei manifesta est, et ab omni Christiana caritate aliena. Christum ergo produnt, qui sese his votis mancipant; a lege dei desciscunt: nam suas sectantur divinis contemptis et abiectis, humanitatem exuunt erga necessarios et proximos: quis enim crudelius ipsis imperat, quis avidius retinet sua quam isti? Unde neminem iam latere potest, hoc vitae genus ab inimico homine, hoc est Satana, ceu lolium tritico domini esse insertum, Matth. 13: 25. Caverat hoc malum sollicite Paulus vigilantissimus episcopus, Actorum 20: 29. et Colos. 2: 18. Sed nos male circumspeximus. Nunc autem, quum nobis oculos redaperuerit deus, ambulemus tanquam in luce. Eliminemus haec omnia mala; sed ratione ac modo, ne posteriora fiant prioribus deteriora. Tantum de Votis de quibus in Conclusionibus nostris plura diximus; sed quantum ad confutationem eorum adtinet, satis allatum est scripturarum et rationum ex eis deductarum.

## DE DIVORUM INVOCATIONE.

Divos invocare adeo invaluerat apud omnes, ut eam rem ab initio vererer difficulter admitti. Sed frustra fuimus anxii: ut enim primum fides radices iecit, attulit secum tam claram veritatis lucem, ut quotquot

eam viderint omnes spes in quamcunque creaturam abiecerint. Hoc autem dogma, quod divi non sint invocandi, iam annis duobus sic ubique, vel in nostris libris si non alibi, perspectum est ac receptum, ut minoribus hic possimus rem absolvere quam res exigeret si prius nunquam fuisset ventilata. Tractavimus nos eam in Archetele primum: deinde in Conclusionibus: mox in confutatione Canonis Missae: postremo in Antibolo adversus Emserum, ubi cum in brevissima totam causam redegerimus, placuit eum tituluin ex integro hic inserere.

## Hic interserenda sunt ex Antibolo adv. Emserum pag. 135 l. 21 a fine usque ad pag. 139 l. 11.

Hactenus adversus Emserum scripseram..s. Vidimus interim libellum cuiusdam magni apud Gallos Theologi, si tanti emas, quanti se aestimat: quem diligenter legere vetuerunt cum occupationes nostrae, tum huius libelli authorisque commiseratio. Sic enim ignorat infelix homo quid deus sit, quid homo, quid fides, quid spes, quid divus, quid peregrinus, quid advocatus, quid mediator — omnia, ut si nunquam antehac fidem habuissemus isti verbo: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit illum; et isti: Omnis qui audivit a patre ac didicit, venit ad me, nunc tamen cogerer verissimum esse agnoscere; quum tantum Theologum videam in manibus habere sacras literas; sed non aliter, quam, ut dicitur: Asinus fert mysteria. Poenitet, Deum testor, nos eius laborum, quos non sensimus. Sed quid me contristem? gaudet Simia suo partu non minus quam Pavo. Monuerant quidam e Galliis boni doctique homines, ut nominatim contra ipsum scriberemus; at ubi frater noster Osvaldus Myconius librum, quod nobis in brevia redigere non vacaret, diligenter percensuit, capitaque congessit, ridere ambo coacti sumus: sic enim nusquam quicquam adparet solidum, ut authorem cum libello negligendum esse duxerimus. Nescit infantissimus homo sanctos non eandem rem esse cum divis, quum sancti vocentur etiam, qui adhuc in humanis agunt; ut: Sanctis qui sunt Romae. Ignorat quid sit Ecclesia, et putat Ecclesiae authoritate constitui posse, ut sancti et invocentur et intercedant. Quid si Ecclesia aliquando decernat, ut semel ad nos simul descendant? adeon in coelis sic habet, quod Ecclesia ista pronunciat? Quod Moses oravit, quod Abraham, alii, huc torquet; ergo divi sunt adorandi. Cultum illis adornat, ut magistrum ceremoniarum fuisse diceres. De divis coelitibus eodem modo loquitur, quo de fraterculo quoque. Non discriminat inter promissiones patrum, quae omnes in Christum tendebant, ac de venturis erant; et inter nostras, quae similiter in ipsum tendunt, sed iam praestitae ac firmae sunt. Illic cogebantur crebro deum eorum patrum monere, quibus cum testamentum pepigerat: nos cum iam testamento fruamur, opus non habemus, ut per quenquam deum obtestemur, quam per Christum: non enim est aliud nomen sub sole, in quo nos salvos fieri oporteat, quam in nomine Christi; et ipse docet: Quicquid petieritis in nomine meo, dabit vobis etc. Ubi vero adversariorum argumenta diluit, sic altero pede mergitur, dum alterum emolitur, ut sudantem etiam, ac omnia conantem, interire tamen se ipsum cogat. Non aliter placet sibi, quum Hieronymum sic argumentantem inducit: Stephanus hic oravit,

igitur in coelis quoque orat; similiter de Paulo, quam si iam ipso curru triumphali veheretur. Frivolum hoc tamen interim non potens dissolvere, si hoc modo sequitur: Paulus hic oravit, ergo istic orat: sequetur et istud: Paulus hic scripsit epistolas, ergo illic scribit. Nam si nobis epistolas coelo demitteret, quibus maxima inter Theologos dissidia componi possent, non minus prodesset, quam si intercederet. Sed quid multis rideamus eum qui potius deplorandus sit? Non habebit multis opus ad confutandam opinionem istam, qui fidem et vere habet et vere docet: nam fide discitur Divorum hac in re neglectio, discitur et verus divorum cultus: qui tum recte coluntur, quum omnes firmiter ei deo adhaeremus, cui et ipsi dum viverent, et adhaerebant, et adhaerendum esse alios quoque docebant. Qui enim fieret, ut quum adhuc essent infirmi, sibi nihil arrogarent; nunc vero ab omni adfectu cum sint alienissimi, animum mutaverint, et cum prius ad unum ac solum deum adducerent, nunc ad se confugi velint? Nolo igitur amici mei aegre ferant, quod eis morem in convellendo libello isto non gesserim: supervacaneum enim fuisset. Nam fides, ut diximus, ipsa hunc errorem penitus eliminabit: quamvis quae iste toto libello egit, his paucis contra Emserum sic deiicientur, si modo fideliter quis legat et expendat, ut latiora nemo desideraturus sit. Talis res est deus, ut omnibus sufficiat. Tam benignus pater est, ut nihil neget. Tam liberalis, ut auferri amet. Quos ergo nobis patronos paramus? ignorat hos adulterinos prospectus fidei. Unde manifestissime patet, quod quicunque adhuc in creaturis haerent, uno, vero, soloque deo non nituntur. Quae ergo est illorum fides? an non satius fuisset tacuisse, quam prodidisse tam imprudenter perfidiam? Scio Hieronymos, Augustinos, alios, sed simul scio Christum et apostolos, quorum nemo quicquam tale unquam prodidit. Quid autem est quod per vim scripturas huc torqueant? aut ubi sensus allegoricus subest, quod eum capere nolunt? Fides uno deo nititur, uni haeret, uno fidit, in unum sperat, ad unum confugit, apud unum se inventuram certo cognovit quicquid opus illi sit. Det is qui corda ad se trahit, ut ei uni adhaereamus, et hypocrisis ista, quae se pro pietate circumfert, ex omnium animis eliminetur, Amen.

## DE MERITO.

Quum autem ii qui Divis spes suas manciparunt, ut plurimum eorum meritis nituntur; quumque in Ecclesia dei hactenus meritum non divorum dico, sed impudentissimorum scortatorum divenditum sit tanti, quanti indicare fuerunt ausi, proximum est, ut de Merito dicamus. Diximus autem in superioribus ista quatuor cognata esse, Providentiam, Praedestinationem, Liberum arbitrium et Meritum: non quod posteriora duo prioribus cognata sint, sed quod qui priora recte cognoverit, posteriora quidnam sint ignorare non possit. Est autem providentia praedestinationis veluti parens, de qua in consideratione dei, quum pro viribus dictum sit, non est opus ut hic repetamus. Providentem fecimus illic deum rebus omnibus: omnes enim res per ipsum constant. Servantur ergo ac disponuntur per ipsum omnia. Quod autem mentes nostrae huc non perveniunt intelligentiae, causa est ipsarum angustia et circumscriptio: quum

tamen non pauca sint, quibus probe consideratis imaginem quandam divinae providentiae fabricari nobis ipsis possimus, e quibus unum ac praecipuum adducemus, ipsum hominem. Hic se ad rationis imperium componit; sic ut omnia membra ab eius nutu pendeant: voco autem rationem, totam vim, qua homo decernit ac statuit sic aut sic sese acturum. Loquimur autem de actionibus externis, non de interna moderatione aut immutatione animi. Iubet pedes incedere, promovent: manum aratro admovere, parent: nusquam digitum admolitur citra rationem. Longe fortior ac certior est divina providentia in circumagendo universo mundo: nam si licet magna parvis componere, hoc est deus in mundo, quod ratio in homine. Quum ergo videamus rationem sic praesidere omnibus actionibus, motibus ac requietibus, ut citra eius imperium nihil fieri videamus: qui fit ut non eodem modo dei providentia sic omnia geri ac disponi confiteamur, ut nihil citra ipsius voluntatem aut imperium fiat? Curiosi sumus: veremur enim ne cogamur deum esse malorum quoque authorem confiteri. Ubi interim haud diligenter hominem perspicimus: incidunt enim nonnunquam in eum morbi et aegritudines; sed nisi inciderent, totus extingueretur. Febre incenditur, abstinet interim ab immodica crapula, et mox pristinae valetudini restituitur. Laborat podagra, recessit hic tenuis et acer humor a vitalibus membris in extima: quod nisi factum esset, dudum fuisset extinctus homo. Sic dum quaedam fiunt, quorum causam et finem ignoramus, nolumus in eis divinam providentiam agnoscere, quae nobis utitur, imo rebus cunctis pro sua libertate. Nec illi turpe est quod nobis: quae enim nobis turpia sunt, ex eo provenit, quod lex nobis imposita est. Lex autem hac causa est posita, quod adfectus nostri modum excedebant. Hi autem in deo quum non sint, legi non est obnoxius, sed hoc ipsum est quod a nobis per legem exigit. Unde turpe apud illum non est, quod nobis turpe est. Promiscua venus belluarum, nobis etiam iudicibus, turpis non est, cum hominum sit turpissima: sed quaenam causa istas liberat, nos autem damnat? Lex. Sumus enim intra cancellos matrimonii lege divina coacti. Sic deo nihil potest turpe esse, quod tamen nobis non potest non esse turpe. Ne ergo curiosi simus ac timidi, a providentia dei quaedam liberantes, quasi eam minime decentia. Quae enim nobis turpia sunt, illi non sunt; et quae nos perniciosa esse arbitramur, alia parte proficua sunt. Nascitur autem praedestinatio, quae nihil aliud est, quam si tu dicas praeordinatio, ex providentia, imo est ipsa providentia: nam et Theologi providentiam a sapientia sic discriminant, quod illa progrediatur ad agendum et disponendum; haec autem videat, quid, quomodo agendum sit. A summo enim bono alienum esset omnia nosse priusquam fierent, nec omnia disponere et ordinare posse; rursus omnia ordinare, scire, et posse, nec tamen facere, illiberale, imo invidiosum esset: quod de numine supremo suspicari nefas est. Providentia ergo dei simul tolluntur, et liberum arbitrium, et meritum: nam illa omnia disponente, quae sunt partes nostrae, ut quicquam ex nobis ipsis fieri possimus arbitrari? Cum autem omnia ipsius opera fiant, quomodo nos quicquam merebimur? Quod autem omnia ipsius opera fiant, satis dictum est in eius considera-

tione. In ipso enim vivimus, movemur, et sumus etc. Carnis tamen pondere semper factum est, ut non omnes ad hanc mensuram cognitionis dei pervenerint. Unde Paulus Colossensibus 1. cap. scribens, testatur se perpetuo pro illis orare, ut augescant in cognitione dei. Qui ergo ad eam non pervenerunt, de libero arbitrio et merito multa tradiderunt: quae deinde ab iis, qui ad ipsam providentiae dei cognitionem penetraverant, non magni fiebant. Simul tamen videre est quosdam, qui etiam in providentiae cognitionem venerant, operum merita magnificavisse; sed hoc iterum in usum eorum, qui providentiam non clare cognoscebant, ne scilicet scelera tanta designarent. Quales fuerunt prophetae, qui ad bona opera vehementer urgent, sed quos? male fideles: posteaquam enim fides, et, iuxta Christi verbum, charitas refrixerant, noluerunt tamen divini homines gloriae dei tranquillitatique publicae uspiam deesse; et quamvis ante omnia fidem ac timorem dei strenue inculcarent, perspecto tamen quod occoecasset eorum mentes deus, ut ὁδὸν ὑγιες de ipsis sperandum esset, operum tamen simul praedicationem non intermiserunt, quamvis dei providentiam non ignorarent. Sic enim inquit Ies. 45: 35. post multa quibus ad dominum trahebat: Ergo, inquit, in domino dicent: Meae sunt iustitiae et imperium. Sunt enim quidam adeo stupidi, ut quicquid clames aut instes, deum tamen non alio, quam suo metiantur pede; quumque se agnoscant omnia illiberaliter, hoc est propter retributionem facere, induci non possunt, ut de deo aliter statuant. Unde et omnia putant deum meritis tribuere: et ubi ista non sint, frustra illius gratiam sperari. Quorum imbecillitate, aut potius perfidia deus abutitur, et praemii spe ad bona opera invitat, ne interim suis quicquam desit. Quod si mihi dicas: Quum dei providentia cuncta fiant, cur non efficit, ut qui sic in cognitione eius errant, ac subinde illiberaliter coactique omnia faciunt, clarius illustrentur, quo cum perspicacibus videant, quod maxime spectandum est? respondemus: Ad hunc abi, qui illos creavit, et rationem actionum eius ab illo ipso percontare: nos enim non fuimus ei a consiliis, nec priores dedimus, ut quicquam ab eo reposcere audeamus lege depositi. Nos scimus figulo potestatem esse, ex eodem luto facere aliud quidem vas ad honorem, aliud autem ad contumeliam. Et cur deo ac domino nostro dicemus: Cur fecisti me ad hunc modum? Quod ergo nemo inficiatur in sacris literis ferme plura esse, quae operibus nostris tribuant meritum, quam quae negent, non est propterea sic statuendum, ut sequestrium ritu utrique parti aliquid adimamus et alteri addamus, quo pax inter meritum nostrum et gratiam dei, inter liberum arbitrium nostrum et providentiam aut praedestinationem dei confiat: non enim est deus ut homo. Sed hoc potius agendum est, quod egisse videmus divinos homines, ut iamiam diximus. Cognitio dei strenue inculcanda est, excitanda fides. Qua parte si proficimus, prodibunt sua sponte e bona arbore optimi fructus. Extimulandi simul pigri spe praemiorum, ac malorum metu, ne uspiam cesset opus dei. Quod si dicas dissensionem hinc orituram inter pios et mercenarios: respondemus, nullam prorsus esse futuram. Nam qui pii sunt, non contendunt sed ex charitate docent; qui autem hac tempestate mox ut unum pedem latius promoverunt quam vulgo fieri videant, prosiliunt,

ac omnes prae se contemnunt, tam non sunt pii, quam ii qui operibus nituntur. Pietas omnia fert, omnia facit, et nusquam excidit, ἐκπίπτει. Tolerat igitur imbecillum, condolet infirmo vasi, non effertur adversus fumigans linum. Quod si liceat hic quorundam hypocrisim protrahere, qui in universum nihil quam eruditionem suam ostentant, nec ferre possunt, si quem se videant eruditione antevertere: offenderemus quidem, sed simplicibus caveremus. Ne ergo tumultuosulis istis fel omne exulceremus, hac contenti sumus docendi ratione, quam paulo ante tradidimus. Modo simul istud observemus, quod si quando videamus dei etiam ore nobis tribui, quod nullius esse potest, quam dei, gratiam agnoscamus, qua ille tam effuse erga nos utitur, ut nobis tribuat quae eius solius sunt, non gloriemur, aut in contendendi argumentum rapiamus. Nihil enim possumus contra veritatem, et positi sumus ad aedificandum, non ad destruendum. Vita Christiana innocentia est, ut saepe iam diximus. At innocentiam nullus ager felicius proferet, quam contemptus sui ipsius. Contemptus autem sui ipsius tanto est pinguior, quanto plus roris divinae cognitionis imbiberit: quo enim quisque est deo plenior, eo est se ipso inanior. Qui ergo ex pietate, non inflante scientia, dei providentiam recte agnoscunt et confitentur, nihil quam innocentiae studeut. Qui vero hanc viam non recipiunt, simul debent lege, spe, metu extimulari, ut idem faciant quod piissimi quique. Atque istuc quibusdam minus videbitur esse circumspecte traditum, sed nos eorum iudicium ne huius quidem faciemus, quum videamus hac via incessisse Prophetas, Christum et Apostolos. Sed ne priori parti, quae scilicet Providentiae omnia, Libero arbitrio, et Merito nihil tribuit, uspiam desimus, iussimus et huc, quae adversus Emserum breviter de Merito diximus, transponi. Sic enim occupationes cogunt.

## Quae hoc volumine pag. 139 l. 12 usque ad pag. 141 l. 17 scripta habentur, h. l. Zuinglius iteravit.

Quid vero de iis operibus dicturi sumus, quae iuxta hominum traditionem et doctrinam inventa sunt? fucus fuerunt, aucupia, et ad emungendam pecuniam retia. Omnia opera pietatis aut carnis fructus sunt: nam si pius es, ex fide iis rebus studes, quas fides dictat. Qui enim fidem habet, deus in eo est et ipse in deo. At ne quisquam dicat: Hoc caritatis est, quod tu fidei tribuis: considerandum est, quod fides in scripturis sacris varie accipitur: primum pro credulitate: deinde pro firmitudine: mox pro fiducia in deum: et de ista sola debet intelligi, quod fides salvum faciat. Qui vero iam non intelligunt fidem, spem et charitatem eandem rem esse, nempe hanc in deum fiduciam, multos nodos in scriptura cogentur inexplicitos praeterire. Id autem scripturis manifestum fiet. Spe salvi facti sumus, Rom. 8: 24. et Rom. 4: 5. Fides credenti reputatur ad iustitiam. Si ergo spes salvum facit, et fides salvum facit, erunt eadem res fides et spes. Nec quenquam moveat, si quando aliter de spe, quam fide dicatur: illic enim fides non accipitur pro fiducia in deum, sed aut pro qualibet credulitate, aut pro firmitudine, aut veritate. Charitas vero, deus ipse est, 1. Ioan. 4: 7. et qui manet in charitate, in deo manet, et deus in eo. Ioan. autem 6: 54. Qui manducat

carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in illo. Hoc est, qui Christo fidit pro nobis passo, in Christo manet, et ipse in eo. Ergo fidem et charitatem eandem rem esse oportet. Neque hic quisquam miretur, vereaturque a nobis confundi tres istas virtutes Theologicas. Nos sane hoc ex sacris literis didicimus, quod nisi quaelibet harum virtutum sit altera, plane nihil sit, nedum virtus. Fidem si de Christo habeas, nec in eum speres, nec redames, ad nihilum valet. Iacob. 1: 3. Spem si te habere dicas in deum, nec ames, mendacem te ipsum facis: nam si de deo sic doctus es, ut merito videas in eum esse sperandum, fieri nequit ut summum esse bonum non agnoscas: si summum esse bonum agnoveris, fieri nequit, ut non ames: si ames, nec speres, iam verba das: nequit enim amare deum, qui illo non fidit. Habet ergo humanum pectus deo coniunctum, hoc est pietas, alia atque alia nomina ab incremento. Fidem aliquando accipimus pro credulitate, hanc intelligendi ordine sequitur spes, istam vero caritas. Porro deinde tota ista humani cordis in deum fiducia, fides interim, interim autem spes et charitas adpellatur; nec quicquam aliud est quam in deum pietas, sive ames, speres aut fidas. Hinc fit, ut quandoquidem tria haec complectitur una pietas, fides pro charitate et spes pro fide accipiantur. Quae ex 1. Cor. 13: 13. hic obiici possent: Praecipua vero inter haec est charitas, facile quisque diluat: ea enim est absolutio, ut diximus, quamquam aliud nihil est quam ardens in domino cor. Sed redeo ad id unde digressus sum. In quo ergo deus est, is vicissim in deo est; hinc nasci deo dignos fructus oportet: sine enim ipso nihil possumus facere. Quum ergo bona opera fidei fructus sunt, nimirum dei sunt, non nostra. Quid ergo pro eis repetemus quae nostra non sunt? Quanto minus exigere poterunt pro suis operibus, quae iuxta mundi elementa inventa sunt et facta, ii qui severi prodibant, de angelorum visione gloriantes, quam tamen non viderant, Colos. 2: 18. Constat ergo, quod qui pii sunt, opera sua non aestimant: nunquam ergo de mercede eorum digladiantur. Contra vero, quod qui aestimant, impii sunt: pius enim non est qui se ipsum non abnegavit. Qui vero opera sua aestimant, sese non abnegarunt; impii ergo sunt. Quum autem superius gnomonen dedissemus in consideratione legis, quo quisque experiri posset quid de lege abolitum esset, quid mansisset: per occupationum strepitum de ea tantum parte diximus, quae ad secundum principale praeceptum adtinet, quomodo videlicet ea, quae ad proximi dilectionem pertinent, semper durent, ac rursus quae sub praetextu legis de amore in proximum exiguntur, ab authore tamen non proficiscuntur, abolita sint: obliti interim, aut forsitan dixisse opinati fuimus de abolitione legis, quantum ad cultum dei adtinet. Est ergo considerandum, quod quemadmodum Christus dixit: In his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae, Matthaei 22: 40. quaecunque leges per istas explorantur, ac earum colorem servant, nusquam sunt abolita, neque unquam abolebuntur. Dum autem quidam prodeunt: Nullatenus ergo abolendae sunt Ceremoniae: nam regulantur per primum praeceptum: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo etc. fiunt enim ceremoniae propter amorem dei — respondemus quod ceremoniae non sunt indicio,

amari deum, sed si voluntati eius obtemperemus. Sic enim inquit Ioan. 14: 21. Qui habet mandata mea, et servat ea, is est qui diligit me. Dilectionis ergo dei indubitatum signum est, si nos ad illius praecepta formemus. De ceremoniis hoc perpetuo sentiendum est: Frustra colunt me docentes doctrinas et praecepta hominum, Matthaei 15: 8. Dicunt ergo iterum: Hoc pacto fiet ut eas ceremonias amplecteremur, quas in lege vetere sibi fieri voluit deus, promulgatis etiam legibus. Respondemus: eas ceremonias etiam ante Christum fuisse ore dei contemptas et abiectas, ut patet Ies. 1: 2. Ier. 6: 20. Ezech. 20: 25. Amos 5: 21. Sicut ergo Christus dixit, Ioan. 15: 8. In hoc clarificatus est pater, ut fructum plurimum adferatis, et efficiamini mei discipuli: sic omnes haud dubie debemus honori dei incumbere. At quomodo honoramus, si solummodo sumus discipuli Christi? Quicunque sunt discipuli Christi, fructum plurimum adferent patri: quemadmodum et Christus fecit. Danda ergo opera ut simus Christi discipuli. Nunc autem discipuli est fieri sicut magistrum eius. Si ergo Christi discipuli sumus, ambulabimus sicut et ipse ambulavit, 1. Ioan. 2: 6. Christus autem omnibus benefaciendo, ac se ipsum tandem pro omnibus expendendo patrem honoravit. Sic uimirum nostrae ceremoniae non aliae erunt, quam quibus Christus est usus: iis enim clarificatur deus, hoc est, quum sumus veritatis ac innocentiae studiosissimi, paratioresque ut nos pro fratribus exponamus, quam ut illos pro nobis conculcemus. Hoc est patrem in spiritu et veritate adorare.

## DE ORATIONE.

Hoc inter omnia mirabile est, quod oratio quoque in quaestum abiit. Recte enim quum fecissent, qui dixerant orationem esse mentis in deum elevationem: quid obsecro impudentius cogitari potuit, quam istam mentis cum deo coniunctionem prostituere? Unde videre cogimur hypocrisin fuisse, non mentis cum deo ὁμιλίαν, orationem quam accepto pretio vendidimus. Opus est ergo, ut de oratione quoque dicamus, posteaquam mentis devotio ausa est se pro opere meritorio vendere. Recte definierunt orationem esse elevationem mentis in deum, Augustinus, alii: non quod ipsi dixerunt, sed quod clarioribus verbis conati sunt exponere, quod quisque, qui pius esset, sic habere sentiret. Dicemus igitur primo de adoratione, quo deinde clarum fiat unde ista orationis definitio profecta sit. Adorare Hebraeis idem est quod colere. שחה enim cultus est genuflexionis aut inclinationis. Sic etiam Latinis hominibus adorare nonnunquam pro suspicere ac colere accipitur. De hac adoratione loquuntur Hebraei Exod. 20: 5. cum nos dicimus: Non adorabis ea, idola videlicet, neque coles, commodius esset igitur: Non coles ea neque servies eis: sic enim ad verbum interpretari potuissemus, ne scilicet per adorationem intelligeremus mentis devotionem. Est deinde adorare, mentem deo, hoc est domino qui omnia possit, et patri qui velit, devovere. Hanc adorationem, mentis devotionem, alligaverunt elemento huius mundi, qui carnaliter erant Israëlitae: iubebant enim Hierosolymis eam fieri, quemadmodum Christo querebatur Samaritis foemina, Ioan. 4: 20. Quod hinc natum erat: praeceperat dominus,

ut ter in anno omnes filii Israël ad templum aut tabernaculum convenirent, quae Hierosolymis fuerunt. Ea res plurimum compendii adferebat sacerdotibus: coeperunt ergo ad locum alligare sua traditione conscientias, quo scilicet frequentius Hierosolymam veniretur: nam vacuis manibus, ut ipsi interpretabantur, non licebat in conspectu dei adparere. Quum tamen hoc verbum: Non adparebis in conspectu domini dei tui vacuus (ut hoc quoque in transcursu indicemus), iuxta Hebraicam veritatem hunc sensum non habeat; sed: Non adparebis frustra. Est autem sensus, quasi pigritiam exstimulet, ac dicat: Ne pigeat vos ad me venire: non enim frustra venietis. Sic Exod. 23. et 34. quamvis, ut Deut. 16: 16. secundum nostram distinctionem legimus, videantur haec verba istum sensum habere: Non adparebis in conspectu domini dei tui vacuus. Sed si Hebraicam distinctionem consulas, prorsus hunc sensum habent, quem iam tradidimus. Summam enim avaritiam resipuisset, quod non liceret sine munere adparere. Vereor autem hanc nativam sententiam a Iudaeorum sacerdotibus perpetuo fuisse corruptam. Adorationem ergo, ut est mentis devotio, alligabant sacerdotes Hierosolymae: id quod et nostri, aut potius Antichristi sacerdotes hactenus fecerunt, in templa, ubi spectamus et spectamur, ad orandum invitantes, quo commode possent istud inculcare: Non adparebis in conspectu domini dei tui vacuus: quum tamen Christus in cubiculum abstrudat, quo mens libere possit apud deum aestus suos conferre. Libera tamen est adoratio, mentis devotio, nulli adstringi loco potest. Unde neque hoc quod Christus dixit: Intra in cubiculum, sic alligandum est, ut nusquam nisi in cubiculo liceat orare. Vult enim Paulus viros in omni loco orare, modo levent puras manus ad deum, 1. Timoth. 2: 8. Adparet ergo hanc non minimam esse orationis partem, si leves puras manus: quod tamen aliud nihil est, quam innocentiae studium. Christus ergo Ioan. 4: 23. adorationem accepit (ut ad propositum descendamus) pro ipsa fidei et pietatis in deum cura, custodiaque, quum inquit: Venit hora, et nunc est, quum veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate. Nam et pater tales requirit, qui eum adorent. Deus spiritus est; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Vide quam arguta et clara sit haec sive adorationis sive orationis expositio. Dicit deum esse spiritum, unde et eos, qui ipsum sint veneraturi, non alia ratione id aequius possint aut debeant facere, quam ut mentem ei devoveant: non iureiurando, quemadmodum exigebant olim Monachi, sed assiduo charitatis incremento, ut in ea nihil subdolum remaneat, nihil ex ea prodire possit, quam quod sit verissimum ac deo simillimum. Hanc sententiam Cato Maior, aut potius deus per os eius Quiritum liberis tradidit: Si deus, inquit, est animus, nobis ut carmina dicunt! Hic est praecipue tibi pura mente colendus. Qui ergo sic deo mentem dediderunt et devoverunt, ut ei unice adhaereant, unicum deum agnoscant, hi nimirum in spiritu iam adorant. Quum vero iam sic ei adiuncti sint, sequitur, ut et cum proximo veritatem loquantur, quod in veritate est adorare: nisi mavis in veritate adorare, accipere pro sic vere fideliterque deo adhaerere, ut nullum deum, hoc est auxiliatorem ac veluti maritum, praeter ipsum agnoscas. Oratio igitur hoc collo-

quium est, quod ex fide cum deo habes, tanquam cum patre, et tutissimo certissimoque opitulatore. Est ergo oratio elevatio mentis, non flatus aut vocis in deum. Oratur igitur, quum mens deo accedit, quum loquitur cum illo, quum ex fide sincera opem apud ipsum solum quaerit. Porro, quis unquam tibi pro bono opere imputare queat, quod crebro ad ipsum venias, nunc pecuniam, nunc vestem, cibum, consilium, opem oratum? Quum ergo nostra ad deum oratio nihil aliud sit, nisi opis aliqua in re imploratio, cur pro meritorio opere imputamus? quatenus autem adoratio, hoc est mentis adfixio ac fiducia est, nihil nisi *tuae* mentis adfixio est. Quomodo ergo istam poteris alii commodare? Potes quidem ex fide in deum pro alio orare, sed fidei tuae partem non cuiquam impartiri: fides enim eius solummodo est, qui fidit, neque opus est meritorium, quamvis ipsum abusive opus adpellet Christus; sed propter eos, qui operibus adhuc haerebant. Atque sic adpellat opus, ut per contrarium sensum dicere velit: Fide beabimini, nullo opere. Adoratio ergo, sive oratio, nihil aliud est, quam certa in misericordiam dei fiducia. Ex qua deinde provenit, ut ad eam in omni causa venias ac obtesteris. Si ergo proximi gratia ad eam recurris, fieri oportet aut proximi amore, aut rerum eius. Si amore, iam impetrabis: proximum enim amas dei amore. Si vero habendi cupiditate, iam deum impium facis, quasi non omnibus sit expositus, et quasi personarum sit acceptor: dum enim orationem tuam audiret, alterius autem aspernaretur, an non esset personarum acceptor? deinde facis eum avaritiae tuae collusorem: dum enim alii solummodo daret posteaquam tibi pretium solvisset, an non esset ista collusio? Fatendum ergo est mercenarias istas preces contumeliam, non honorem dei esse: quid enim hoc honoris est, quum obsecras, quum flagitas, quum quereris? Nam si sumus pii, urit nos proximi malum, ut anxie pro illo ad deum recurramus; si contra, istam erga proximum charitatem non habemus, frustra orabimus, etiam si sexcentos auri medimnos recipiamus ad orandum. Nescit igitur veritas orationem istam, quae emolumenti gratia fit. Oramus autem quum deo spiritu adhaeremus, ac vere adhaeremus, sic ut quum quid malorum ingruat, ad unum ac solum curramus; nec aliter oremus eum amoliri quod contristat, quam: Fiat voluntas tua. Concidit hic omnis mercede conducta oratio, Psalmi, Cantiones, Missae, Vigiliae: nam quicquid agimus citra charitatem, nihil prodest, 1. Corinthiorum 13: 3. At ubi pretium accipitur, processit ex cupiditate opus, non ex charitate. Unde quicquid isti ogganniunt: Nos accipimus mercedem ad victum tantum sufficientem, ut oremus dum interim aliis non vacat per laborem, et ex charitate oramus. Ite ergo et vos aliquando, et agros colite, ac in nidis vestris eos, qui hactenus duriter laborarunt vobis oscitantibus, refici sinite. Vicissim quiescamus et laboremus: nam et hoc charitas requirit. Nunc vero quum ne aspectu quidem dignaris templum aut psalmum, nisi quia venter cogit, simul tamen charitatem praetexis, constat te summum esse hypocritam. Charitas enim compatitur, adcurrit, levat; tu vero horum nihil, sed quae nihili sunt, omnia facis. Si orare vis, si psallere, citra pretii spem ores aut psallas. Pretii enim spes

cum charitate consistere nequit: non possumus deo servire et Mammoni, hoc est divitiis. Nolumus hic esse longiores: putamus enim religionis cognitione omnibus facile patere, conductas preces et psalmos tantum prodesse, quantum si accepta mercede pro alio iustum te fore spondeas. Et putamus orant, etiam qui stivam manu tenent, dum omnipotentis dei vim tam in ipsa tellure, quam semine admirantur ac colunt, dum eius liberalitati grati sunt, etiamsi vocem nunquam emittant: mens enim est quae orat. Quod autem priscis illis temporibus perseveranter orabant Christiani ac simul orabant: potest et hodie in Ecclesia fieri, modo oretur, non cantu lascivia titilletur. Collectas igitur palam pronuntiemus in ea lingua, quae vulgo capitur, ut simul omnes orent iuxta praeitoris verba. Habeat tamen quaelibet Ecclesia suum morem: non enim omnia omnibus conveniunt, sed debent omnia, quod ad fontem adtinet, ex eadem pietate proficisci; quae contra ex ipsa non proficiscuntur cum tranquillitate aboleri. Vide nunc quid meritum sit. Innocentiam debemus domino, quam si etiam praestaremus (quod tamen fieri nequit): adhuc tamen servi inutiles essemus. Filii sumus et haeredes, non servi; non ergo pro mercede servimus.

## DE PURGATORIO.

Nescit scriptura sacra ignem istum purgatorium, quatenus de eo Theologi locuti sunt, sed non ignorat ipsum humana ratio. Tantas enim hac falsa purgatorii ignis opinione congessit opes, ut Croesi, Hyperborei et Indiae myrmecia iis comparata vilescant. Sic enim cogitavit humana ratio, quemadmodum alicubi apud Origenem videre licet: Decedunt quidam hinc non summe mali; cur igitur isti in aeterna supplicia detruderentur? Decedunt contra non summe boni; cur ergo ii subito in beatorum consortium admitterentur? Habet hic Syllogismus nonnullam veritatis speciem, ac iuxta Pauli verbum Coloss. 2: 23. rationem quandam sapientiae; sed in ἐθελοθρησκείᾳ, hoc est, in religione quae est humana voluntate adscita. Caeterum si ad verbum dei compares, iam evanescet, ut pulvis ante faciem venti. Hoc autem nisi fecerimus, a domino haud aliter deseremur, quam Israëlis aliquando populus suis consiliis permissus est, in quibus etiam periit, quemadmodum Psal. 81: 12. David indicat, sic in persona dei loquens: Et non audivit populus meus vocem meam, et Israël non intendit mihi. Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis. Quae autem maior audacia esse potest, quam utcunque tecum cogitaveris, sic in alio mundo esse adserere? Audire debemus quid in nobis loquatur dominus deus, non quid in nobis inveniat audax ratio: quae ut quicquam concinnavit, quod omnibus speret verisimile videri futurum, subito prorumpit ut gloriam occupet. Hunc adfectum debemus Gentibus relinquere, sicut lepide docuit Paulus Ephes. 4: 17. ad hunc modum: Hoc autem dico, testorque in domino, ut ne posthac ambuletis, quo pacto reliquae gentes ambulant in vanitate mentis suae. Ecce ut vanitatem adpellet mentis nostrae consilia. Sequitur: Qui mente obscurati sunt, ac a vita dei alienati, propter ignorationem quae in eis est, propter caecitatem cordis eorum etc. Non debemus igitur iuxta viam mentis consiliorumque

nostrorum ambulare. Quum ergo Purgatorium (sic enim obtinuit iam usus vocare praestigiosam in igne expiationem) ex dei verbo nusquam possit adseri, qui fit ut tam stolidi simus, ut credamus tam frigidis tamque suspectis nugis? cum videlicet eos videamus, qui Purgatorium adserunt, simul cum docent quibus modis restingui debeat, se ipsos exhibere pro operis. Iubent aurum dari: eo enim maxime infirmari hanc flammam, si qui ipsum accipiat, devote misset, oret, psallat; et simul manum exporrigat ad aurum. Quin sumus non minus callidi, quam Luciani Timon, qui philosophum, nescio quem, adeo belle cum ligone accepit, quod suaderet aurum, quod iam invenerat Timon, in mare abiiceret, sed non nimis longe a littore; quoniam consilium haud dubie haberet noctu istic colligendi ac auferendi. Simillima res est Purgatorium fictis quibusdam pharmacis, quae a circulatoribus circunferuntur. Ascendunt tabulam in medio foro, ac aegritudinem aliquam aut morbum late omnia vastare perhibent, seseque eo laborasse; sed deorum dono factum esse, ut invita etiam peste convaluerint, idque eius pharmaci beneficio, quod hic oculis omnium expositum sit. Addunt: neque morbum longe abesse: iam enim in confiniis grassari. Ecce ut hic morbi opinionem ac pavorem ante omnia generant, mox remedium pollicentes! Sic qui Purgatorium adseruerunt, quos, bone deus, carceres, colubros, ignes, quae flumina ignem, sulphur, naphtham, aut candens ferrum vehentia, intonarunt? quas poëtarum fabulas non superarunt? Ad quae stolidae mentes non aliter stupebant, quam quum inopinatus, isque crudelis hostis renunciatur ante moenia adesse, villas incendere, colonos trucidare, ac omnia perdere. Stabant attoniti trunci ad has nugas non aliter quam si iam sentire mala viderentur. Sed praesens erat remedium, quamvis care nimis inter initia indicaretur (sic enim ante omnia erat opus factu), quo in divitum marsupia primum irrumperetur. Animam liberaturus es? aureo nummo id obtinebis. Quum vero iam locupletibus istis animae essent e loculis emissae, iam ad animas tenuium ibatur; sed tali praetextu, ne ditibus istis ulla suspicio ludibrii nasceretur. Obtendebatur misericordiam dei nemini debere negari: unde et pauperculis istis licere non minus quam divitibus animas ex purgatorio (hoc erat pecuniolam ex marsupio) liberare; at ea lege, ne se quisquam pauperem esse dicat, quo rem tantam vilius comparare possit (hoc enim pacto noceri potius animae, quam succurri); atque ut quisque det quantum possit. His tam apertis nugis an non summis, infimis, os obleverunt? Quis quaeso tam insipiens est, ut non videat tantam caecitatem sic grassari non potuisse, ni dominus eam propter incredulitatem nostram inflixisset? Cum igitur oculos iam receperimus, ut plane cognoscamus, quod qui Christo fidunt, filii dei sunt, et in iudicium non veniunt: ne ultra tam fatuis commentis teneri nos patiamur. Ostendemus ergo certos quosdam locos, quibus constabit Purgatorium ne esse quidem posse; tam abest ut sit. Atque hoc iterum ex Antibolo in Emserum.

Item intercalari debent supra dicta adv. Emserum pag. 142 l. 9. a fine usque ad pag. 142 l. 9.

Sic adversus Emserum de Purgatorio brevibus sed fortibus deo egimus. Quoniam autem aliquot loci, tam diu in hunc usum detorti, sic constitisse illis videntur, ut nemo reflectere queat, adgrediemur eorum aliquot.

Christus cavere volens, ne sui quotidianis litibus inter se dissiderent, a litigando hoc epicheremate voluit deterrere: Quod frequenter eveniat apud tribunalia, ut is, qui se victorem futurum speraverat, victus abeat: periculosam rem esse iudicio contendere; unde sui, etsi alia ratione abstrahi nolint a litigando, saltem periculi metu patiantur rem componi. Sic ergo, inquit, Matth. 5: 25. Esto benignus adversario tuo quam ocissime, dum adhuc es cum eo in via: ne qua fiat, ut adversarius te iudici, et iudex te ministro tradat, et in carcerem coniiciaris. Vere dico tibi, non exibis inde, donec reddideris ultimum quadrantem. Ex hoc loco putant se suaves isti probasse iam purgatorium esse. Quum Christus hoc sermone prorsus nihil aliud intendat, quam a litigando avocare duros quosdam et inexorabiles, qui utcunque sentiunt, ac sibi pollicentur, ita putant omnes homines sentire; quibus deinde nonnunquam eveniat, quod aliis paraverant, videlicet, sperabant se cum adversarii contumelia lucrum reportaturos, at res in diversum exiit: nam illi ipsi in carcerem saepenumero coniecti sunt, ubi et postmodum coacti fuerunt manere, donec penuria, ieiunio, reliquisque multis infligi solitis, satis pro universo debito fecissent. Hunc vero genuinum sensum esse probat Lucas 12: 58. sic eandem sententiam efferens: Cum autem vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, et iudex tradat te exactori etc. Ecce, ut hic clare principem adpellat, ad quem cum adversario vadis. In hanc sententiam intellexit istum locum, quod ad sermonem adtinet, divus Ambrosius, dicit enim: Dum vadis cum adversario tuo ad Magistratum, tametsi per allegoriam, ut fuit illius tempestatis mos, postea alium sensum tentet. Quid autem sacrae literae huius possunt, quod tu mysticum sermonem ex claro et germano faciens nodum in scripto quaeris? Adstipulantur huic sententiae Chrysostomus et Theophylactus. Hilarius in Canonibus tandem huc descendit, ut censeat hunc sermonem intelligendum esse iuxta argumentum eius quod istic docetur: docetur autem istic reconciliatio et venia, ut clarissime patet in superioribus, quae proxime antecedunt. Hieronymus multorum sententias adducens, suam ita obscurat, ut indoctior abeas.

Secundus locus est Matth. 18: 34. ubi Christus per similitudinem immitis servi docere vult, quod nisi ignoscamus, neque nobis ignoscatur. Dicit ergo sic tandem de iniquo servo: Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum. Sic et pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Hic ad hunc modum feriunt isti: Christus dicit hic patrem coelestem nobis facturum quemadmodum servo nequam factum est; non ergo e poenis purgatorii emittet, donec universum debitum solverimus. Quibus sic respondemus, veruntamen non nos sed ipsa veritas. Antecessit hanc parabolam etiam de ignoscendo argumentum, in quo Simoni de venia interroganti respondit: Non dico tibi septies,

videlicet ignoscendum esse fratri, sed septuagies septies. Iam sequitur: Ideo adsimilatum est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis etc. Quum dixit *Ideo*, manifestum fecit quod parabola ista, quam continue subiecit, ad ignoscendum hortari voluit, et acquitatem docere. Quam in oratione Matth. 6: 14. expressit, qua exigit deus, ut si nobis ignosci velimus, ipsi quoque ignoscamus, cum sic docet orandum esse: Remitte nobis debita nostra, quemadmodum et nos remittimus debitoribus nostris. Nihil ergo ista parabola voluit Christus docere, quam sicut nobis perpetuo volumus a coelesti rege ignosci, quem quotidie innumerabiliter offendimus, sic et nos debere semper ignoscere. Sic enim ait in persona regis, in immitem servum stomachantis: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne igitur oportebat et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Hic nunc urgent: Traditus est tortoribus, donec redderet universum debitum, quo iuxta civiles leges reddito nimirum exiit: Ergo et qui dei iustitiae debent, quum patiendo debitum dependerint, exibunt. Respondemus: Primum non videmini aliter sentire de parabola, quam si res gesta esset: quamvis hoc parvi momenti sit, nisi ut parabolam perpetuo sinatis esse parabolam. In parabolis autem haud parum multa sunt, quae non undique quadrant iis, quae per ipsas simulantur. Ut: Non est discipulus super magistrum; non sequitur: Ergo nemo unquam superare potest magistrum. Nam in Christo tantum valet, non etiam in aliis. Et villicum istum, qui per iniuriam et circumscriptionem domini sui rebus suis providerat, nemo imitari debet, sed argumentum tantum spectandum est, ad quod Christus parabola utitur. Vult autem eadem parabola rerum coelestium curam prospicientiamque docere isto epicheremate: Si huius mundi filii, spreta legis animadversione, victui suo provident: quanto magis qui ad coelos properant omnia debent expendere, ne iniquis divitiis sperata salute fraudentur? Sic et in praesenti parabola unice spectandum est argumentum. Hoc autem est: Remittite, et remittetur vobis; si non remiseritis, non remittetur vobis. Quod autem nunc de *usque* vel *donec* obiicitur, nihil ad hoc argumentum facit; sed donemus interim argumenti causa, remissionem dei alligatam esse ad hanc temporis connotationem, quid quaeso aliud sequeretur, quam eum, qui sic esset in tormenta coniectus, non exire donec coelesti regi satisfactum esset. Quis vero iam dicet, quando illi satis sit factum? aut quis definiet? Quid si istae ipsius poenae aeternae sunt? Tunc ergo ei satisfactum erit, quum tu perpetuo cruciatus eris, non quum Pontifex Rom. marsupium tibi excusserit. Sed ne morbo contentionis verborum locum demus, patet, quod ista vox *usque* non debet ad durationem temporariam torqueri. Patet autem per Christum ipsum: is enim ideo factus est iustitia nostra, quod propria iustitia salutem adsequi non poteramus; gratia igitur salvamur, non meritis nostris, ut dudum est dictum. Si enim nostris meritis coeli conscendi potuissent, nihil fuisset opus Christi descensu. Consimilem ad modum: Si peccata nostra oportet igne purgatorio lustrari, quid prodest Christus? Cur hominis infirmitatem circumtulit? Si enim purgatorium sustinere cogimur ignem, quo iustitiae dei satisfiat, ut isti perhibent, nihil proderi

nobis iustitia Christi; sed omnes quotquot ad patrem coelestem profectionem parant, frustra Christo nituntur, ni prius sint igne purgatorio ussi. Quo quid potest dici stultius aut blasphemius in Christum? Hunc evacuant, qui purgatorium constituunt; imo mendacem faciunt, quum dixerit, per se solum ad patrem penetrari posse, si purgatorio quoque itur ad astra. Sed εἰς κόραχας cum istis animarum tortoribus, conscientiarum carnificibus, marsupiorum autem insidiatoribus, qui ventris causa invenerunt, quo defunctorum animae in nostris potius cordibus, quam vere torquerentur, qua isti tamen ratione pecunias emungerent, ut sibi bene esset; ac dum mortuis fletum, moerorem, cruciatum, licet falso inflixerunt, ipsi in eo gratissimum, iucundissimumque refrigerium invenerunt.

Tertius locus est. Matth. 12: 32. Qui autem dixerit verbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in isto, neque in futuro saeculo. Isto loco sic argutantur: Christus dixit peccatum in spiritum in futuro saeculo non dimitti: ergo quaedam peccata remittuntur in futuro saeculo: nam solum peccatum in spiritum sanctum non remittitur in futuro saeculo. Respondemus: Mirum est istos artis suae aut oblitos esse, aut non probe doctos. Non enim ratione logica sequitur: Peccatum in spiritum sanctum non remittitur in isto saeculo, et non remittitur in futuro saeculo; ergo quaedam peccata remittuntur in futuro saeculo. Quid enim ex negativis recte colligi potest? Attamen hoc probe colligitur: Peccatum in spiritum sanctum non remittitur in isto saeculo, neque remittitur in futuro saeculo: ergo nunquam remittitur. Est enim locus a sufficienti divisione, ut cum dicitur Apoc. 4: 8. Et requiem non habebant animalia die ac nocte. Iam non sequitur: ergo habebant aliquando requiem, sed sic sequitur: ergo nunquam habebant requiem. Quod autem Christus per hanc istius futurique saeculi distinctionem voluerit aeternitatem intelligi, expressit Marc. 3: 29. quum dicit: In aeternum non remitti; et Lucas 12: 10. qui dicit: Non remitti.

Quartus est 1. Cor. 3: 13. Si quis aedificat super fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, cuiusque opus manifestum erit. Nam ipsa dies ostendet id, quod in igne revelatur. Et cuiusvis opus, qualenam sit, ignis probabit. Si alicuius opus manet, id quod superaedificavit, mercedem accipiet. Si cuius opus comburitur, detrimento adficietur; ipse vero servabitur, sed sic ut per ignem. Hunc luculentissimum Pauli locum, sic defoedarunt in purgatorii sui fuligine, ad quod ipsum detorserunt, ut nasutissimi alioqui viri nativum sensum odorari nequiverint. Tradamus autem sensum huius loci, non ex animi nostri, sed Pauli ipsius Hieronymique super Ezechiel. cap. 3. sententia. Aedificare igitur hoc loco est praedicare: Fundamentum est Christus: Opus quod aedificatur, sunt qui verbum receperunt: Ignis est tentatio vel persecutio, quae dei iudicio infligitur. Igne me examinasti etc. Aurum, argentum, gemmae, sunt qui sic Christum receperunt, ut prius moriantur quam ipsum prodant. Lignum, foenum, stipula sunt qui ad tempus credunt, aut fortasse credere solum simulant, et tentationis articulo Christum deserunt. Videamus nunc argumentum, quod istic Paulus tractat: quo viso apte-

mus deinde totam hanc sententiam, et accedet nobis nova lux. Posteaquam Paulus rescisset quosdam Corinthi se magno vendere, quod ipso aut peritiores essent, aut eloquentiores: monet urbanissime, ne a simplici doctrina sua se patiantur abstrahi, sive eruditionis, sive eloquentiae praetextu: se quidem non usque adeo portentose facundum esse; nihil tamen deesse, quo coelestis doctrina commode proponi possit. Esse etiam alios eruditos, sed quantum se antecellant, non facile posse a Corinthiis iudicari, etiamnunc teneris, quum ipse apud eos docceret. Se enim in omnia vertere solere, quo Christo quam plurimos lucrifaciat. Cum ergo olim apud eos fuisset, non protinus arcanissima quaeque reserasse, quod frustra hoc tentaturus fuisset apud eos, qui tum non possent esse capaces. Nunc vero sibi vehementer displicere, quod quidam auribus adeo essent impotentibus, ut sustinere possent se adpellari Apollonios, Petrinos, aut Paulinos. Istos omnes ministros verbi esse, et aedificare domum, hoc est Ecclesiam dei, super verum fundamentum Christum. Se vero non ita esse vel gloriae cupidum, ut sibi doleat nunc alios anteferri; vel invidiosum, ut aliorum nomina crescere pati nequeat: hoc tamen anxie semper spectare ut quam optime doceat, neque dubitare, quin alii quoque de se nolint aliter existimari, quam ipse de se Paulus praedicaret. Dicit ergo: Dei sumus cooperatores, quotquot docemus; et vos dei agricultura, hoc est dei aedificatio aut opus estis. Quod autem ad me attinet, rationem reddam mei laboris. Equidem iuxta gratiam mihi datam, ad exemplum gnavorum architectorum, fundamentum istud solidum posui, quod concuti non potest, Christum scilicet. Nunc vero video alios superaedificare; hic sibi ipsi quemque remitto. Videat quisque quomodo superaedificet. Nam quod ad fundamentum attinet, quod ego ieci, haud vereor, quod quisquam possit aliud fundamentum ponere (si modo Christi minister est) praeter id quod iam positum est, quod est Christus Iesus. Quod si quis in Christum quosdam sic firmaverit, ut quum persecutio veniat, sic in eos nihil possit, ut in aurum, argentum, gemmas: nihil potest ignis. Iam nimirum adparet quam fideliter ac dextre aedificaverit qui verbum administravit, quum eius auditores vitam citius quam verbum amittant. Si vero quis tam frigide verbum tractaverit, ut ingruente persecutione auditores non aliter discedant, quam lignum, foenum, stipula ab igne absumuntur: iam patebit socordia aut perfidia aedificantis, quam hactenus omnes ignorabant. Dies omnia revelat, quemadmodum Ethnici quoque locuti sunt. Sic et hic dies domini, quo revelabit quae hactenus latuerant, omnia reteget. Non loquor de ultimo isto die, sed de die, quo placet deo iam retegere quod aliquandiu occultum erat, et ad quod connivere hactenus voluit. Ea ergo die omnium doctrina velut in igne probatur. Si cuius doctrina permanserit, ne scilicet a domino abiiciatur, aut ii qui receperunt non deserant: iam videbitur quomodo aurum, argentum, lapides pretiosos aedificaverit, ac pro aedificationis soliditate recipiet mercedem. Si vero alicuius opus conburetur, lignum, foenum, stipula fuit. Quamvis ergo damnum sensurus sit eorum, quos docuerat, praedicator; ipse tamen, si igne saeviente fortiter constiterit, salvus erit; sed hac lege, ut per ignem, hoc est persecutionem intrepide transeat. Loquitur ergo isto

loco Paulus de doctrinae exploratione, non de purgatorio igne; ut manifeste patet, si mediocriter saltem oculos aperias. Reliqua omnia, quae passim in contrarium adducuntur, facile dilues: ut est parabola de divite epulone et Lazaro, e qua betacea tela multi petunt, cum tamen aliud nihil sit quam parabola, quod isti tamen videre nolunt; qua Christus haud aliud voluit quam alia quoque de decem virginibus; nempe hic, dum tempus est, vitam nos emendare debere: nimium enim sero, posteaquam hinc solvimus, poenitentiam orsuros esse, imo frustra penitus orare, queri, obsecrare. Neminem ergo taedeat a vanissima fabula discedere. Quin potius hoc omnes agimus, in cognitione dei crescamus, vitamque in melius quotidie mutemus, quo mentes nostrae sic Christo fidere adsuescant, ut adpetente morte gaudeamus dissolvi et cum Christo esse.

## DE MAGISTRATU.

Christianis quidam negant magistratum, constanter adseverantes fieri non posse, ut qui Christianus sit, magistratum gerere possit: [1] quorum insania quo tendat haud obscurum incipit fieri. Nos igitur tot fidelium hominum sanctimonia fideque perspecta, qui tamen sic magistratum gesserunt, ut per communem tum pacem tum iustitiam deus glorificaretur; perspectis etiam pessimorum hominum tum audacia tum malitia, qui se Christianos simulant, nec vere sunt, adserere audemus, neminem magistratum recte gerere ne posse quidem, nisi Christianus sit. Quid oro distat civitas ab ecclesia? Dico autem de exterioribus vitae consuetudinibus et communicationibus: nam quod ad mentem adtinet, non ignoro quomodo ea tandem sit ecclesia Christi, quae Christo fidit; quum tamen civitas contenta esse possit, si te fidelem civem praestes, etiam si Christo non fidas. Requirit civitas, ut rem publicam colas, non privatam: ut communia habeantur pericula atque etiam fortunae, si usus postulet: ut nemo sibi sapiat: ut nemo extollatur: ut nemo factiones excitet. Vide nunc iuxta haec pauca, quid Ecclesia Christi exigat. Monet Paulus non uno loco, charitatem non esse intentam ad suam rem, sed ad aliorum. Dicit alio loco: Quis scandalizatur, et ego non uror? Quis infirmatur, et ego non infirmor? Flere iubet cum flentibus, et cum gaudentibus laetari. Tertio loco non exigit fidelis a fideli, ut fortunas secum partiatur; sed qui fidelis est, omnem fortunam sic in procinctu statuit, ut ubi ubi res exigat succurrere velit. Hic nolo pro dignitate tractare istud ὕπολον, quo tumultuosuli isti laborant, etiamsi tam impudenter quam constanter negent: studia enim probant quid in consilio habeant. Hoc videlicet, omnia debere esse communia, quam equidem pro mea tenuitate legem laetus ferre possem; at non ferret Deus quod cuiquam suum raperetur. Petrus enim ad Ananiam sic inquit: Nonne istud quod vendidisti (paraphrasticως enim loquar) poteras non vendere, et in tua potestate servare? Contra vero, quum vendidisti, nonne iterum fuit in tua potestate? Si vis, inquit Christus, perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus. Si vis inquit;

[1]) Anabaptistae.

non rapuit, nec pauperibus iussit ut raperent ditissimo adolescenti sua. Quarto loco. Praecipit Petrus 1. cap. 4. ut quisque administret eam gratiam in commune, quam accepit: hoc enim decere multiplicis gratiae Dei dispensatores etc. Deinde iubet Paulus ut humilia sectemur. Et Christus ipse veluti comminans edicit, eos qui extollantur, humiliatum iri. Postremo factiones sic omnes deprecantur, ut nullus porro sit Apostolorum qui non execretur. Quid ergo, ut coeperamus dicere, distat ecclesiae Christianae vita, quod ad ea attinet quae videmus, a civitatis vita? Nihil penitus: nam utraque requirit quod altera. Sed quod ad interiorem hominem adtinet, immensum est discrimen. Cogitur civis legibus, ut se talem civibus suis praestet; nunc autem, ad quae cogimur, simulate ac parum fideliter facimus. Evenit ergo, ut si contra legem possis, in occulto tamen tuae rei consulere non sis omissurus. Non sic habet civitas, hoc est Ecclesia Christiana. Qui enim spiritum Christi habent, hi sunt eius; qui vero Christi sunt, iuxta illius ingenium ac voluntatem cuncta transigunt. Is nos amavit, ut se ipsum expenderet pro nobis: faciemus ergo et nos idem, si eius spiritum habemus. Amabimus itaque omnes homines aeque ac nos ipsos; si vero amabimus, iam nihil omittemus eorum quae ad proximi salutem pertinent. Si ergo civi amorem addas, iam concidet fraudulentum privatae rei studium. Cum itaque Christi spiritus hoc habeat, quo civitas maxime indiget, nihil poterit auspicatius civitati accidere quam amor; hunc autem Evangelium quum secum adferat, constat civitatem tunc tandem firmam ac sanctam fieri, si bonis legibus bonae mentes adsocientur. Nulla ergo civitas beatior erit, quam in qua vera religio simul degit. Quod ergo de civitate diximus, multo magis debet de magistratu intelligi: magistratus enim sunt veluti caput. Quod si membra sic habere convenit, multo magis caput ipsum. Unde longe aliter atque isti sentiunt pronunciamus: Aequum scilicet ac iustum magistratum ne esse quidem posse, ni Christianus sit. Adime magistratui, qui sit supra timorem hominis, timorem dei! tyrannum reddidisti. Insere tyranno timorem dei! iam suapte sponte liberius ac fidelius faciet quod lex iubet, quam ullus terror efficere potuisset; faciesque ex tyranno ad exemplum eius, quem iam ex fide colere coepit ac timere, dei videlicet, patrem. At sic occurrunt isti: Christi Ecclesiam sic esse oportet innocentem, ut magistratu penitus nullo egeat: Christiani enim non litigant, sed cedunt; iniurias apud tribunal non queruntur: nam alteram maxillam altera percussa praebent. Respondemus: Utinam talem Ecclesiam habeamus! Nunc vero quum illi ipsi qui talem innocentiam exigunt, quam deus non iniuste a nobis exigit, non etiam isti, qui nihil quod rectum est faciunt, quum inquam ipsi, quod tantis clamoribus exigunt, pessime praestent (nemo enim ad maledicendum est paratior): quid quaeso pollicebuntur sibi de iis, qui deo non fidunt? an fortasse sic magistratum abiiciunt, ut cum sciant se ad maledicendum esse propensissimos, vereanturque ne quisque ipsorum maledicentiam aequanimiter ferat, sed apud magistratum potius queratur, iam non possint impune maledicere, nec citra periculum aliorum bonis Christi praetextu insidiari? Ut enim hoc hominum genus innocentissimos quosque pro re quaque proscindit, ita

quum primum eis morbum suum ante oculos opponis, exclamant: Cur me iudicas? Ego domino meo sto, aut cado. En, ut isti tribunalibus nihil habeant opus. Si tu scilicet eorum iniuriam omnes feras, nec referias, ac pro re nihili tumultus quosque impune patiaris excitare, iam isti nihil opus habent tribunalibus. Cum, inquam, propter istos ipsos, qui negant Christianum posse magistratum gerere, maxime egeamus magistratu: quomodo non liceat Christianum potius esse magistratum, qui inter Christianos pronunciet, quam alienum a Christo? Sed nunc rem ipsam testimoniis roborabimus.

Exodi 18: 21. iubetur Moses a domino (nolo enim ipsi Iethroni tribuere, quod dominus per ipsum ostendebat, sicut Deut. 1: 13. palam videtur, ubi Moses Domino tribuit quod hic Madianitae tribuitur) providere, ac seligere de omni plebe viros sapientes et timentes deum, in quibus sit veritas, et qui oderint avaritiam. Et constitue, inquit, ex eis tribunos et centuriones, et quinquagenarios, et decanos, qui iudicent populum omni tempore etc. Vide, ut hic plane exprimat Moses eas dotes, quas ante omnes iudicem habere oportet: sapientiam, timorem dei, veritatis studium, avaritiae odium, quemadmodum paulo ante et bonum civem et vere Christianum esse oportere diximus. Nec est cur infitiari iuste poterimus hanc legem nihil ad nos pertinere. Nam quanto magis dixerimus ad nos nihil pertinere, tanto magis ea indigemus. Qui enim ex spiritu voluntati dei se conformant, non abhorrent a lege: ipsi enim spiritu legi testimonium dant, quod bona sit, Rom. 7: 12. Qui vero legem aversantur, spirituales non sunt: lex enim bona et sancta est, imo spiritualis est. Patet ergo, quod ut primum isti legi ogganniunt, sese carnales esse prodant. Legi autem dico isti, quae nunquam aboleri potest: puta quae ad amorem proximi adtinet, et secundo praecepto: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, exploratur, aut ut isti dicunt, regulatur. Vide autem, ut hoc hominum genus a sagitta in die volante confodiatur et daemonio meridiano. Huius opinionis suae fundamentum aiunt se in sacris literis habere, Matth. 20: 26. Non sic erit inter vos, et Lucae 22: 26. Vos autem non sic. Bis hic peccantes: Primo, quod ista Lex ad eos modo pertinet, qui Apostolorum vice ad docendum sunt missi; hos ergo iubet Christus ab imperio esse alienos. Nam apostoli de hoc primatu nimirum interrogaverant, quis eorum videretur esse praestantior omnibus. Quamvis non negem, quod ad ambitionem adtinet, legem istam ex aequo ad omnes pertinere; ita, ut nulli Christiano liceat imperium vel ambire vel vendicare. Sed ubi offertur, iam parum pius esset, qui hoc onus quod civitas imponeret nollet ferre. Secundo peccant, dum non intelligunt Christum hic potius de tyrannide loqui, quam de monarchia aut aristocratia, quae populi consensu, aut vocatione dei illi offeratur, cui verbi provincia non est mandata. Tyrannidem autem voco, ubi sumitur propria authoritate imperium. Quod si unus facit, Tyrannus est, et dominatus eius tyrannis vocatur; si vero plures, nec tamen omnes, sed pauci imperium sibi vendicant, oligarchiam vocarunt Graeci. Tyrannidem ergo omnibus prohibet Christus: nam alioqui ne in ovium quidem grege fieri potest, ut non aliquis aries reliquos antecedat; sic et primarium in omni civitate

esse oportet. Quamvis hic cavendum sit, ne quod de magistratu publico dicimus, ad Pontificum quorundam tyrannidem accommodetur. Quum ergo isti verbum ex scientia potius quam charitate tractant, huc decidunt erroris, ut magistratum omnem eliminent, etiam iustum ac legitimum, cuiusque maxime sumus indigi ad pacem ac tranquillitatem servandam. Et quod obiiciunt, Christianos omnia ferre debere, omnia quae Lex iubet facere, unde non opus habere Magistratu, respondemus: Recte sane. Quamdiu ergo ad hunc modum non omnes vivimus, quum tamen omnes Christiani velimus vocari, sustinendum atque cunctandum est, imo penitus tacendum, de non gerendo Magistratu Christianis, ne quod maxime necessarium est aboleamus, priusquam id in manibus sit, cuius causa hoc abolitum volumus. Quid multa? Nihil aliud est quod isti agunt nisi tumultus. Quis unquam vidit uspiam talem innocentiae consensum, aut ubi gentium unquam sperabit futurum, ut omnes innocentiae sic studeant, ut nemo peccet? Quum ergo perpetuo fuerint qui sub nomine pietatis hoc auderent quod impii, perpetuo quoque habendus est Magistratus, Christianus tamen maxime inter Christianos. Atque tunc tandem abolendus Magistratus, quum flagitia sic erunt abolita, ut nemo peccet, neque lingua neque facto. Hoc autem in alio mundo eveniet: huic enim negatum est tanta innocentia frui. Per deum ergo desistant oro, in his rebus sapientes esse, in quibus sole clarius videtur nihil quaeri, nisi tumultum, et ad gloriam erumpi quacunque via. Adde, quod istorum vitilitigatorum inobedientia talis ac tanta est, ut neque Christiano magistratui, neque impio pareant: nam si Christianus est magistratus, ut primum illis resistit, dicunt: Oportet deo magis obedire quam tibi, etiamsi nihil praecipiatur quod non ad gloriam dei tendat pacemque communem. Exemplum damus: Coeperunt hisce diebus quidam sese denuo baptizare in agro Tigurino. Magistratus ergo, hic est Senatus et Diacosii, facti causam pervestigarunt, ac vetuerunt ultra rebaptizare; responderunt isti, Deo magis obtemperari oportere, quam hominibus. Cumque illis diceretur, legem ergo dei depromerent, qua rebaptizationem institui docerent, produnt quod in Actis 19: 5. scriptum est de iis, qui melius docti fuerant a Paulo. Et cum locum hunc probe non intelligerent, tandem dixerunt se a spiritu sancto doctos esse, Deoque magis obediendum esse quam hominibus. Ecce qualem fenestram isti conantur omnibus vitiis praetextu religionis adperire? dum in his quae apud se fingunt, sic perstent, et hoc verbo omnem audaciam suam defendere audeant: Deo potius obtemperandum est quam tibi; etiam ubi manifeste contra omnem charitatem faciunt. Quod si obtinebunt, iam in ludibrium abibit haec apostolorum defensio: nulli enim deerit verbum alicunde ex sacris literis detortum, quod morbo suo praetexat, ac deinde dicat: Deo magis parendum est quam tibi. Polygamiam quis adpetet, ducet uxores multas, dicetque sic Iacobum, Davidem, Salomonem, alios innumeros fecisse, quemadmodum sacrae literae produnt; Deo igitur se magis obnoxium esse quam magistratui. Vide qualem ansam praebeant Pontifici Romano, ut omnium auribus inculcet: En vobis istam doctrinam! nonne iam videtis, ut haud imprudenter factum sit a patribus, quod me unum ac solum constituerunt scripturarum

sacrarum iudicem? Neque aliam ansam praebent iis, qui concilia clamant: quum enim quisque pro suo sensu ambulat, iterum omnes concilia vocare cogunt. At ne quis putet in ea doctrina dissensionem esse, quae ad interiorem hominem adtinet, in his tantum consimilibusque rebus tumultuantur: Infantes sint baptizandi nec ne? Adulti an sint rebaptizandi? et hoc praesenti nodo: Christianus homo an gerere possit Magistratum? In quibus adeo acriter odioseque depugnant, ut quum primum ab eis dissentias, non mitiore vocabulo te adpellent, quam impii, *ἀθέε*, proditoris; atque hoc dicunt esse vehementem spiritum. Quis autem non videt hanc ipsam esse tentationem Satanae? qui semper audet bono semini superseminare zizania. Omnes igitur oro, quemadmodum Paulus orat Rom. 12: 16. ut idem semper sentiant, nec pro re nihili tantam offensionem Evangelio Christi dent; ne altum sapiant, sed humilibus sese accommodent, non simulata humilitate, quae Coloss. 2: 18. taxatur; nec prudentes sint apud semet ipsos etc. Si vero Magistratus parum pius est (ut ad secundum membrum redeamus), iam iure putant sibi licere non obtemperare. Sic se transformat Cacodaemon in angelum lucis, quo conscientias possit rursum in pristinam calamitatem retrahere. Haec per contentionem de rixosis istis coacti sumus dicere, quo alii talem pestem, si quando apud ipsos oriatur, maturius cavere possint. Non est enim regnum dei esca et potus, ac per hoc nullo elemento huius mundi parari potest; sed iustitia, pax et gaudium in spiritu sancto. Quam turpe igitur est eos, qui se propter religionem suspici volunt, pro mundi elementis tanquam pro totius pietatis summa digladiari? etiam si disertam legem haberent sui propositi. Charitate enim magistra, etiam verbum dispensandum est. Nunc redeo ad alia testimonia, quibus opinionem istam roboremus, quae statuit Magistratum inter Christianos, maxime oportere esse Christianum. Nam hoc etiam satis iam patet, Christianos Magistratu carere non posse.

Rom. 12: 8. cum Paulus corpus Christi Ecclesiam conglutinat, dicit membra quidem omnia esse idem corpus, sed discretas habere dotes; ac inter dotes ac membra numerat *προϊζάμενον ἐν σπουδῇ*, hoc est, eum qui praeest, hoc studium, propugnandi scilicet et moderandi alios fideliter, dei dono habere censens: unde et gratis etiam toti corpori debeat impendere, quod privato usui non dedit deus, sed publico. Magistratum igitur recte gerere, quum Paulus ipse, Christianis etiam scribens, deo referat acceptum, cur negemus Christianum hominem praeesse debere?

Petrus autem 1. cap. 2. magistratui prorsus cogit obtemperare. At dicunt isti: sed is magistratus impius erat. Respondeo: An vero etiam dicturi estis, quod Petrus iusserit *impio* Magistratui parere, et si Christianus sit vetiturus fuerit obtemperare? An fortasse hoc, quod Christianus magistratum debeat potius impio cedere, quam ipse subire? Qua insania quae maior cogitari potest? cum enim Magistratu tanquam capite respublicae gubernentur, nonne furor est malle impium esse magistratum quam pium? malle piorum cervicibus imminere impium tyrannum, quam pium virum in dominico grege patrem agere? Quid enim impius aliud agit, nisi ut omnia vel lucri vel gloriae causa faciat? Quid contra pius aliud, nisi ut ex amore timoreque dei et proximi nihil

designat, quod illum offendere, istum vero turbare queat? Accumulabit impius opes per fas et nefas; erumpet ad gloriam per media suorum cadavera. Communicabit pius omnia iis, quibus praeest, ac populi salutem et pacem gloriae anteponet. Dicitis autem: Frequenter ad hunc modum evenit, ut dum etiam pium in Magistratum exaltemus, ad impios degeneret. Cur istuc querimini? quum iam id fiat, quod maxime cupitis: nempe, ut impius magistratus praeficiatur. Sed absint argutiae. Si ergo in impium degeneret pius, impium moveto, et pium subroga. At dices: Rex est, tyrannus est, suffragiis non potest in ordinem cogi. Fer igitur et patere omnem tyrannidem, quae fidei nihil officit: non enim frustra fit ut sub impio Magistratu degas. Aut enim punit deus admissa tua, aut patientiam explorat. Quod si fidem extorquere conabitur, iam in loco oggannies ingrato etiam: Deo magis obediendum est, quam homini. Mementoque simul, quod tametsi filii Israëlis crudeliter longo tempore adfligerentur ab Aegyptiorum tyranno, deus tamen respexerit ad eorum adflictionem et cum summa calamitate horum, qui eos hactenus oppresserant, eduxerit; deum autem eundem perpetuo manere. Si ergo tunc suos vidit, misertus est ac eripuit, nec te ignorabit aut negliget.

Scribit Timotheo Paulus 1. cap. 2. Hortor igitur primum omnium, ut precationes fiant, orationes, interpellationes, obsecrationes pro omnibus hominibus; pro regibus et omnibus, qui in eminentia constituti sunt, ut quietam et tranquillam vitam peragamus in omni pietate et morum gravitate etc. Hic primum considera utrum quietior et pacatior vita sub impio Magistratu transigi possit, an sub pio. Quod si pro pacato statu orare licet, licet et nimirum orare, ut deus pium magistratum concedat, quo commodius pax et concordia concilientur. Eum ergo magistratum quum deum dare non dedeceat, cur dedeceat pium gerere, quod dominus ultro offert? Loquor autem perpetuo de magistratu, quem nos laicum vocamus, non de tyrannide quam sibi Romani pontifices arrogarunt. Deinde et hoc considera, quod si precari licet, ut vitam peragamus in omni pietate et gravitate: nimirum licebit precari quoque, ut tales magistratus inaugurentur, sub quibus pietas et morum honestas ac gravitas quam uberrime provenire possint. Id autem felicius adsequemur sub pio, quam impio Magistratu.

Servis praecipiunt ubique Apostoli, ut dominis suis pareant. Petrus 1. cap. 2. Paulus autem 1. Corinth. 7: 21. Ephes. 6: 5. Colos. 3: 22. et 1. Timoth. 6: 1. Et contra simul praecipit, ut domini aequanimius imperent ac humanius tractent servos suos. An vero istud ad impios dominos detorqueri potest? quasi vero impii fuissent Apostoli tabellas vel aspectu tantum dignaturi, nedum, ut audirent ac obtemperarent. Scribit igitur dominis fidelibus, id quod manifeste patet, 1. Timoth. 6: 2. Qui vero servi, inquit, fideles habent dominos, ne contemnant, propterea quod fratres sunt: sed potius serviant, quum fideles sunt ac dilecti. Quod si Christianus esse potuit, qui servos habebat, multo magis Christianus magistratum gerere potest, citra pietatis ac verbi dei iacturam. Durius est enim dominum esse quam

Magistratum; et crudelitati propinquius est servos habere, quam cives propter publicam tranquillitatem morigeros.

Veniemus nunc ad exempla. Abraham quantum vernarum numerum habuerit, Gen. 14: 14. legitur. Moses autem papae quantum et quam difficile imperium tenuit ipsius domini iussu? Atque sic tenuit, ut gravissimas causas ad se referri praeceperit: quod vix posset suspicione vacare, si non usque adeo fideliter fuisset in domo domini versatus, Hebr. 3: 2. Quid de Iosua et reliquis dicturi sumus, qui omnes dei voce ac iussu inaugurati fuerunt? Nihil unquam poterimus adferre, quo probemus pio homini non licere Magistratum gerere, quamdiu sic vivimus, ut quidam sint ab iniuria deterrendi. Dicunt ergo isti (in omnia enim se torquent): Nostra igitur culpa fit, ut Magistratum habere cogamur, quum non vivimus ad praescriptum Christi: nam si sic viveremus, Magistratu penitus nullo haberemus opus. Respondeo: Quis hoc negat? Sic ergo sentite, sic docete in angulis omnibus, in quibus conspiratis: Christianos homines tam innocentem vitam agere debere, ut nullo Magistratu opus habere possint. Nunc ergo, quum vitam omnium talem esse videatis, ut rigidissimo Magistratu opus habeat, simulque iterum atque iterum obstrepatis, Christianos Magistratum nullum debere habere, an putatis obscurum esse quo spectetis? nempe ad rerum omnium confusionem. Miscere omnia pergitis, ut aliqua parte ad gloriam erumpatis. Quin omnes hoc agimus, ut vitam innocentissimam ducamus, et nihil nos premet Magistratus. Innocentiam vero si omnes ad hunc modum induerimus, antiquabitur sua sponte Magistratus: quem enim gladio feriet, cum omnes sint innocentissimi? Verum heus vos videte ne innocentiam tantam potius simuletis fore posse, quam vere speretis, ad hunc usum, ut non minus pii existimemini ex hoc vestro acumine, quam Plato in Reipublicae ordinatione sapiens videri voluit. Davidem, Salomona, Asam, Iosiam, Ezechiam, alios quid commemorem, quum isti in promptu habeant quod dicant: In veteri lege opus fuisse Magistratibus; haec exteriora nihil ad nos pertinere? Recte sane. At istuc ad nos pertinet, quod quamdiu eodem morbo laboramus, quo isti sub lege laborabant, eodem etiam remedio egeamus? Egemus. Durissimis autem Iudaeorum cervicibus non fuit impius Magistratus impositus, quam cum ad ultimam impietatem devenissent: a quo, ut primum ab impietate recessissent, liberabantur, iamque ex sua gente ac religione Magistratum inaugurabant. Ergo et Christiani debent, misericordiam dei agnoscendo, Magistratum Christianum sibi designare, sub quo tranquilli quietique vivant: sunt enim inter eos haud pauciores, qui ad iniurias prorumpunt, quam olim fuerint inter Iudaeos, quos poenis coërceri necesse est. Ac dum impium Magistratum ferre coguntur, crimen debent agnoscere, quod is sibi non nisi propter impietatem sit impositus. Piis igitur licet pium Magistratum eligere, neque non licet pio oblatum gerere inter pios.

Sed quandoquidem, ut dictum est, exemplis quoque e novo Testamento petitis, quo istis satisfacias, idem adserere convenit: legimus Rom. 16: 23. Salutat vos Erastus quaestor civitatis. At qui quaestor est, magistratus non est? Quod si maxime negetis, dicimus, ne quaestorem

quidem, sive magistratus sit sive minus, hoc munus gerere posse sine Magistratu, qui eum quaestorem sive ex imperio, sive communibus votis fecerit. Et Actorum 13: 7, 13. legimus Paulum Papho solvisse, transivisseque Pergen Pamphiliae, Sergio Paulo in Proconsulatu relicto. De Publio vero, cuius parentem deus per Paulum a dysenteria liberaverat, nihil dicam, quum aperte non constet eum fidem domini nostri Iesu Christi accepisse. Theodosios vero et Ludovicos cur taceam, qui piissime regna et imperia administrarunt? Nolo enim temere de Carolis istis magnis, qui quod ad pietatem adtinet, magistri ceremoniarum potius fuerunt quam pii reges, dicere. Sed de Theodosio isto dicimus, cuius pietatis testimonia non modo Gentilium historiis, sed piissimorum hominum scriptis cernere licet; de isto autem Ludovico, qui ob insignem pietatem Pii nomen invenit; aut isto, qui Romano Pontifici sic obstitit, ut sibi etiam gratularetur, quod in eius excommunicatione moreretur.[1] Cuius fide moti Tigurini quoque nostri, qui ea tempestate Magistratu fungebantur, impiam excommunicationem Rom. Pontificis annis decem et octo tulerunt.

Quum ergo ex utroque Testamento pateat Christianum gerere posse Magistratum, iam videbimus qualis sit Christianorum Magistratus. Invenimus autem, non ut isti dicunt, sacerdotalem et laicalem esse Magistratum, sed unum tantum: nam Ecclesiae potestas, qua impudentem a communicatione abstinet, Magistratus non est, sicut hactenus usi sunt Episcopi: nam totius Ecclesiae est, non quorundam, qui per tyrannidem sibi rerum summam vendicarunt. Antequam ergo ad Magistratum descendamus, volumus de ista Ecclesiae custodia nonnihil dicere, quo minus contremiscant ad voces censurarum, qui hactenus eas tantopere timuerunt. Christus ut Ecclesiam sponsam suam inculpatam servaret, praecepit Matth. 18: 15. Quod si peccat in te frater tuus, inquiens, vade et corripe eum inter te et ipsum solum: si te audierit, lucrifecisti fratrem tuum. Si vero non audierit, adsume tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum testium aut trium consistat omne verbum. Si autem non audierit eos, dicito Ecclesiae. Quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus. Hic primum videmus propter peccatum infligi excommunicationem, non propter foenus et reliqua debita, quae tribunalium potestate exigenda sunt, ubi condonare nolis. Concidunt hic bullae, brevia et diplomata, quibus Rom. Pontifex (quem quum nomino, totum papatum intelligo, hoc est, quicquid in illius leges iuratum est) totam Christi Ecclesiam irritavit: nam id maxime factum est propter lites quasdam pecuniarias, et rerum dissensiones, non propter peccatorum offensionem. Deinde requiritur, ut peccantem solus amice convenias ac moneas. Ubi iterum peccatum est a pontificiis: nam ut primum illis visum est, pro tota concione citarunt ad tribunalia sua inopinatum aliquem, imo saepenumero innocentem. Vide quam atrox imperium. Nullus rex aut praeses non primum vocat ad se delinquentem; isti vero pudore suffundunt coram tota concione innocentem, aut nihil tale suspicatum, sic intonantes: Iudex

[1] Imperator, Ludovicus IV. Bavarus.

iste aut iste monet hunc, ut illi intra quindecim dies satisfaciat: alioqui excommunicabitur. Ubi confestim omnium oculi in attonitum coniiciebantur; nec mutire licebat aut causam dicere, non queri iniuriam, non innocentiam tueri: nam si vel γρὺ excidisset tantum, actum fuisset de misero. Atque ego nescio, an magnus Persarum rex immitius aut immanius cum suis egerit: quem tamen iam a priscis temporibus in usu habere praedicant, ut quotquot ipsum adeunt terram prius verrere ac deosculari cogantur, deinde causas suas perorent. Veruntamen hic noster in omnium oculis et auribus plus quam prosternitur, sed indicta causa omnium iudicio iam reus et damnatus abire cogitur. Et si quando causam dicere datur, iam id in angulo fit, non in publica concione, ubi hic vulnus acceperat. Tertio requiritur antequam abiicias, ut rem praesentibus testibus tentes. Tam gravatim accedit ad publicam mulctam Ecclesia Christi. Cum forenses rabulae hoc agant, ut quanto citius festinare possint citra omnem misericordiam, ut plurimum damni dent, non parcant: crescit enim expensarum numerus iuxta vocationum aut censurarum numerum. Postremio requiritur totius Ecclesiae iudicium, non illius universalis: illa enim hic nunquam coire potest, sed eius in qua cohabitat et communicat is qui reus agitur. Hic se recte aperit Rom. Pontificis dominatus, aut potius tyrannis. Excommunicatio tum est facta, quum Ecclesia reiecit eum qui displicet. At ille abiicit de Ecclesia, quem ipsa maxime cupit sibi salvum esse; neque consulit Ecclesiam, sed ei praecipit, ut hunc quem ipse odit aut perdere pergit, pro excommunicato habeat. Quod si leges intelligere debemus iuxta legislatoris mentem, ut certe debemus, neque in legem incidisse iudicare qui non incidit: sequitur, quod qui ad hunc modum a Pontificibus excommunicantur, apud deum non sint alligati. Ecclesiae enim, quod ad hanc ligandi formam adtinet, non cuiusquam alius est excommunicatio: quae nisi excommunicet, non est abiectus aut in coelo ligatus, quem Pontifex ligatum esse contendit. Concidere hic debent omnes excommunicationum ac censurarum technae. Videndumque, ut vera ista disciplinae virga Ecclesiae Christi restituatur, quae impudenter delinquentem feriat, ac ubi mentem mutaverit, rursus in contubernium admittat. Quae res quosdam, qui spiritu non ambulant, invitos etiam in via continebit. Quod si hoc illis parum prosit, proderit tamen honeste in hoc mundo ac tranquille versari cupientibus, ne scilicet cogantur vitiorum fructus videre impune sobolescere. Haec, inquam, excommunicationis potestas non est Magistratus: nam totius Ecclesiae est; atque sic est Ecclesiae, ut nisi illa abstineat quempiam, abstentus non sit. Quae nos eo libentius diximus, ne tueri se ultra possint impostores illi, qui dicunt: Quomodo tandem potest negari dominatus Rom. Pontificis? nonne Christus ipse excommunicationem instituit? Nam sic non instituit, ut ipse utitur; imo nec ipse, nec quisquam privatus ea uti potest, sed sola Ecclesia quaevis particularis: nam ipsum nomen satis indicat quid sit, etiamsi tam apertum verbum non haberemus. Est enim excommunicare ex eorum consortio movere, qui simul communicant. Et si tu dicas: An non Pontifex potest de Ecclesia reiicere? dicimus non posse: solius enim Ecclesiae est, non Pontificis. Nusquam enim dixit Christus: Dic

Pontifici. Unde et factum est, ut qui a Pontifice excommunicarentur, non itidem viderentur Ecclesiae hac reiectione digni: quo deinde sequutum est, ut pauci vitaverint istos, quos ille abominari iubebat. Fulminent igitur, tonent, fulgurent, et conceptis verbis ad inferos detrudant, nihil moveamur! sed contra vehementer timeamus severitatem Ecclesiae incontinentia nostra experiri. Hoc placitum erit in oculis altissimi.

Nunc redeundum est ad verum istum Magistratum. Is non alibi firmius adseritur, quam Rom. 13: 1 sqq. Ubi tam anxie prosequitur Paulus Magistratus obedientiam, ut subodorari liceat iam tum fuisse, qui haud secus quam nostra tempestate quidam Christianam libertatem ad occasionem carnis trahere conarentur. Non quod probem quorundam Magistratuum aut Principum effrenem imperandi licentiam; sed quod nolim eos, qui se Christi nomine venditant, hoc unum agere, ut abiecto omni imperio, sperent se libere victuros. Quod ego semper existimavi esse aut summam stultitiam, aut summam malitiam. Imperium audire oportet omnem ubicunque congregatum coetum: alioqui omnis coniunctio dilaberetur. Non ergo debent Christiani detrectare imperium, sed operam dare ut sit quam piissimum et aequissimum, sub quo degimus. Atque si hoc in potestate nostra non est, puta, rex aut infans aut fatuus natus est, cui parere cogimur, interpellandus ed crebrius est deus, ut nobis tandem Mosen aliquem alleget, qui a servitute in veram libertatem adserat. Non qua quisque faciat quod libet (ea enim nocentior tyrannis est, quam ubi pauci aut unus ad hunc modum libidinantur. Importabilius enim est totam aliquam gentem furere quam paucos); sed qua libere currat veritas, iustitia ex aequo omnibus administretur, pax et concordia communibus studiis serventur. Audiendus igitur nunc est Paulus. Sic ergo inquit: Omnis anima eminentibus potestatibus subdita sit. Non enim est potestas nisi a deo. Potestates ergo quae sunt, a deo ordinatae sunt. Fit igitur, ut qui resistat potestati, iam dei ordinationi restiterit. Qui vero resistunt, sibi ipsis iudicium accipient. Principes enim non sunt timori recte factis, sed malis. Si autem cupis potestatem non timere, quod bonum est facito, et habebis laudem ex ipsa. Dei enim minister est ad tuum bonum. Si autem malum feceris, time! haud enim frustra gladium gestat: Dei enim minister est, vindex ad iram ei, qui quod malum est operatur. Quocirca necessarium est imperio subditum esse non modo propter vindictam, sed etiam propter conscientiam. Propter hanc enim etiam causam tributa penditis: ministri enim dei sunt ad hoc ipsum intenti. Videndum est iam per singula quid porro velit Paulus. Quum dicit: Omnis anima, non est inauditum animam pro homine accipi. Ut: Omnis anima dixerit pro omnes homines. Habet enim hic sermo iuxta Hebraismum quiddam vividius, quam Latinis: Omnes homines. Potestates eminentes dixit pro Magistratibus, sive Monarchae sint, sive Aristocratici, hoc est sive Rex sit qui eminet, sive optimates. Non enim est potestas nisi a deo. Quid o Paule? An Pharaonis potestas a deo erat? Nimirum! propter peccata enim nostra imponit deus pueros et effeminatos cervicibus nostris, Isaiae 3: 4, 5. Ne ergo hic cristas erigant qui praesunt, dum audiunt omnem potestatem a deo esse: nam hac ratione iustificati non

sunt: malos enim crebro punit pessimis. Sed hoc potius agant, ut quandoquidem audiunt se dei providentia in hunc locum evectos, nihil admittant quod eum dedeceat, qui loco dei sedet. Et ob oculos semper versent, a condito mundo, qui violentissime dominati sunt, eorum imperia brevissima fuisse: et contra, quotquot moderate imperium gesserint, eorum posteros quam diutissime avita regna tenuisse. Lubrica res est imperium et vasta. Nunc autem nullae res citius excidunt e manibus, quam quae simul amplae sunt et lubricae, praesertim si vi contendas retinere. Sic ergo imperia vastae res sunt, sed vehementer lubricae: quod si omni robore tenere pergas, hoc est si violenter omnia agere, excident e manibus. Est modus in his servandis; quem si ignores, satius est non contingere. Sunt ergo potestates a deo ordinatae: unde constat, quod qui potestati resistat, dei ordinationi restiterit. Quis autem non libentius piae potestati obtemperet, quam impiae? Neque hoc dico ut impiae potestati non debeas parere: sequitur enim: Qui vero resistunt, sibi ipsis iudicium accipient. Sed ne te in errorem istum rapi sinas, quo isti perhibent Christianum non posse Magistratum esse. Finge enim urbem aliquam sic Christo renatam, ut ex civibus nemo non ad eius regulam vivat; attamen Magistratum requiret propter eos qui istic conveniunt. Nihil ergo de abolendo in universum Magistratu dicamus, donec innocentia ipsa aboleat. Qui enim Magistratui parere cunctantur, iudicium sibi ipsis accipient, hoc est iram ac vindictam dei sibi reponunt et thesaurizant.

Principes enim non sunt timori recte factis, sed malis. Hanc partem utinam principes tam diligenter audiant, quam ista intonant: Non est potestas nisi a deo; potestates a deo ordinatae sunt, et: Qui potestati resistunt, dei ordinationi restiterunt. Sed non tam bene cum miseris mortalibus agitur, ut aeque ista audiamus quae nos in ordinem cogunt, atque illa quae alios. Rara virtus est, praesertim ut hac tempestate vivitur inter Principes, non timori esse recte factis, hoc est non obsistere veritati, et his qui se ad Evangelii veritatem ac normam componunt, non odiosius imminere. Et contra familiare est Principibus quibusdam, pessimos quosque dignitatibus, potestati honoribusque admovere, non alia causa, quam ut acriter pro Rom. Pontifice depugnent, immanissimeque tractent eos, qui quod verum est proloqui sint ausi. Si nunc quispiam dicat: Ego soli ac uni deo fido, huic uni meas aerumnas queror citra omne advocatorum patrocinium: repente rapitur ad supplicium, quod scilicet a deo noluerit ad creaturam desciscere. Et qui hoc faciunt, per tabulas publicas testantur se veram ac veterem Christi religionem defensuros esse. Si tu, quo scandalum vites, uxorem ducas sacerdos, iam indicta causa duci iuberis; quum isti interim scortatorem ante oculos missantem minus quam canem horreant. Nonnunquam enim canes in templis coëuntes baculo abiguntur; sed scortatorem nemo abigit, sanctissima quaeque ut hactenus opinati sumus polluentem. Contra vero si in horum principum oculis (loquor enim te tyrannis, non ignarus, quam multi pii Magistratus anxie sudent, ut simplicem Christianismum velut posthumum aliquando intueri possimus): si, inquam, in istorum oculis scelestissimum crimen designes, contra tamen her-

bescentem Christum vel contumelieris saltem: iam veniam impetrasti. Vide ut omnia sint apud istos inversa? qui calami digne poterunt hanc insaniam posteris relinquere? quae linguae impudentiam, audaciam, immanitatem exprimere? aut quae lacrimae perditos istos et apertis oculis, tantus est furor, in perniciem ultimam irruentes deplorare? qui tamen simplici plebeculae se pro vindicibus iustitiae ac veritatis vendunt. Age, si Christo nomine gloriamini, nonne iam debet illius verbum plus apud nos posse, quam ullius creaturae? Quum vero nunc additis: Si Pontificum sententiae non obstrepat, iam antefertis hominis verbum dei verbo. Ne ergo optimi Principes existimate latere posse apud humilem vulgum etiam, quam alieni sitis a Christo, eo quod tabulis publicis testamini vos religionem veram defensuros; re vero ipsa crudelius quam ulli Turci persequimini. Durant aliquamdiu artes istae, sed calamitosum tandem finem adferunt. Communem iustitiam debetis manutenere; non innocentes propter Rom. pontificem persequi. Debent iniqui, homicidae, latrones, et id genus pestes faciem vestram metuere; pii vero et innocentes de ipsa sibi gratulari. Quid vero immodicam quorundam libidinem ac luxuriam taxem, in quam citra omnem rationem omnia sua prodigunt: ut satius esset nunquam quicquam invenisse, quam sic turpiter prodegisse. Ludunt arca posita: nec enim marsupia tantum auri capere possunt, quantum isti ludunt. Potant, ut vinum praestiterit effusum esse, quam humana corpora pereundo perdidisse: quasi vero, ut Plinius habet, vina non potuerint alia via quam per humana corpora effundi et perdi. Scortantur, ut nullum videantur non odisse castum connubium; stupris sic omnia foedant, ut infelix sit, cui aut pulchra aut scita contingat, vel uxor vel filia. Atque dum omnia ad hunc modum insumpserunt, iam novis exactionibus, tributis, vectigalibus, non modo expilant miseram plebem, sed onerant, excarnificant, excindunt, ut videantur esse in communem nati perniciem. Principes non sunt timori bonis operibus, sed malis. Qui ergo contra malis delectantur, et bonis minaciter imminent, principes non sunt, sed tyranni, sed tortores, sed lanii. Sequitur: Sin autem cupis potestatem non timere, quod bonum est facito, et habebis laudem ex ipsa. Hoc ipsum oro, ut diligenter expendant qui Magistratum detrectant. Si potestatem odio habent aut timent, quod rectum est faciant. Expendant simul Principes ne recte factis timori sint. Laudem vero habere a potestate cum recte feceris, pro ea consuetudine dictum est, qua vel apud Athenienses vel apud Romanos recte rem gerentibus praemia vel gratiarum actiones redditae sunt, interim apud Senatum, interim vero apud concionem. Ut est frequens apud Ciceronem, quomodo alii nunc coram Senatu laudati sint, alii pro rostris. Dei minister tuo bono, sive ad tuum bonum est. Bono enim omnium praefecti sunt Magistratus. Qui ergo omnium malo praesunt, videant quo pacto Christi nomine glorientur, qui non modo ut praedones et fures in omnium bona, sed ut pestes quoque in omnium corpora grassantur. Sunt autem et isti ministri dei, sed quomodo Satan minister dei est, qui ubique adversatur, circumvenit, perdit. Haud enim frustra gladium gestat: dei enim minister est. Praeferuntur ante quosdam Principes gladii potestatis insigne, ad quem morem hic alludit

Paulus. Ostendit autem quosdam sic audacter malos esse, ut nisi gladio feriantur, pacem reliqui non possint habere. Dicit ergo ministrum dei esse ad communem iustitiam tranquillitatemque custodiendam. Hic quaero ab istis qui Magistratum negant, an pius homo non possit perinde minister Christi esse atque impius? Dicunt scriptum esse apud antiquos: Ne occidas; nobis vero interdictum esse ne irascamur, nedum ut non occidamus. Belli homines! nolunt in ipso sermone videre qui sit verborum dei sensus. Cum enim dicit, nos ne irasci quidem debere, clarum fit, quum fontes homicidiorum obstruere vult, quod de iis homicidiis loquitur, quae ex impotentia irae nascuntur; non etiam de iis, ubi lege caeduntur qui publicam pacem conturbare fuerunt ausi, cum quibus crebrius miserescimus quam irascimur. Quum autem et cum istis nonnunquam praecipitetur iudicium, nonne rectius ac maturius iudicabit pius quam impius? dei enim minister est, vindex ad iram ei qui quod malum est, operatur. Ministrum ait esse dei ac vindicem, quo ille ad iram, hoc est ad adserendum iustitiam suam, utitur in eos qui male faciunt. Dei ergo nomine vindicat, non suo; Dei nomine ferit, non suo. Tu vero iuberis neminem ferire. Deus autem, qui mortificat et vivificat, qui deducit ad inferos et reducit, impune ferit: quem ergo ille iubet ferire, ille quoque citra crimen ferit. Sic percusserunt Moses, Phineas, Samuel, Helias, Iehu, alii, quibus percussio ad gloriam reputatur. Sed caveat magistratus ne feriat, nisi dominus iubeat. Quando autem dominus iubeat, nemo melius videbit, quam pius, hoc est: Is qui novit quoties ignoscendum sit: optime quoque novit, quando percutiendum sit. Licet enim Petrus septuagies septies parcere iussus esset, Ananiam tamen et Saphiram prima vice percussit, Act. cap. 5, quod res nimirum sic flagitaret. Non enim semper adparet angelica specie aut voce, qui monet, ut percutiamus; sed corda intus movet, ac docet ubi sit ignoscendum, ubi vero minus.

Quocirca necessarium est imperio subditum esse, non modo propter vindictam, sed etiam propter conscientiam. Vult nos a malefactis abstinere debere, non tantum metu poenarum, quantum conscientiae custodia: quam sic perpetuo debeamus innocentem servare, ut nulla in re dei voluntati resistamus. Quum ergo deus velit, ut magistratibus obtemperemus, citra conscientiae periculum fieri nequeat, ut non audiamus magistratum. Quid hic commentabuntur magistratus Christiani demolitores? Conscientia est, si non pareas impio magistratui; et contra conscientia est, si pareas Christiano magistratui? Quid dicam? scientiam rerum fidei laudo, contentionem non laudo: ea enim sine gloriae cupiditate esse non potest quae gloriae propugnatrix est indubitatissima: quod si gloriae cupido ad tantas dissensiones exstimulat, longissime nimirum abest charitas. Ubi caritas abest, subventanea sunt omnia.

Propter hanc enim causam tributa penditis: Dei enim ministri sunt ad hoc ipsum intenti. Vehementer hiant quidam principes, cum tributa pendi debere audiunt divino oraculo; sed parum considerant, quod dicit: Propter hanc enim causam. Quae ergo causa est, propter quam tributa pendi iubentur? Haec est, ut malos feriant, non bonos: tranquillitatem publicam custodiant: bonos honorent ac plantent, non malos. Dicit

enim ad hoc ipsum intentos esse, ut loco dei vindicent, et animadvertant in eos, qui quod malum est operantur. Haec ex Paulo de magistratu.

Dictum est veteribus etiam philosophis: Vis nosse virum? committe imperium! Adeo late vastat hominum mentes rei gloriaeque cupido: tametsi interim pulchre celet omnia. Ceterum, ubi iam via patet, nemo retrahere potest, ut vel moderate videantur concupivisse. Adeo non alia res est, quae latentes cupiditates certius exulceret, quam imperium: tunc enim occasionem se invenisse arbitrantur, qua impune grassari possint. Unde periculosissima res est, cuiquam committere imperium. Saul ut proceritate corporis ac magnificentia omnibus anteibat, sic et animi facilitate ac simplicitate. Sed quantum ille mores immutavit? quis ingratior in bene meritum fuit, quam ille in Davidem? cuius occasioni cum saepe fuisset obnoxius, nihil tamen ab illo mali expertus est. Pythagoram aiunt omnium crudelitatem superasse tyrannorum, quum regnum adeptus esset. Qui a tot rebus abstinuerat, qui tam pertinaciter taciturnus erat, ut eum citius diceres misanthropum esse, quam philocratem, is imperandi usu immodico sic se ingurgitavit, ut haud aliter atque ii qui vino adobruuntur ebrius esset et in innoxios fureret. Quis nunc tuto cuiquam committat imperium? quum simplicissimos et sapientissimos videamus imperio immutatos esse. Quid quaeso nobis sperandum erit de iis, qui ut in imperiis nati sunt a nulla tamen quam imperandi scientia magis abhorruerunt? Et cum iam fungi debent, nihil praeter speciem principis circumferunt; cetera omnia in manibus cupidissimorum sunt hominum, ut iam non unum tyrannum habeant, qui sub talibus imperiis degunt, sed sexcentos. Friget omnis iustitia, fervet cupiditas, imo dominatur, quod non alia causa factum est, quam quod nulli discunt imperare: putant enim, si tributa sint quacunque ratione amplissima, iam recte administrari imperium. Attamen quid de istis querimur? quum illi, qui Ecclesiastici, imo spirituales et monachi dici volunt, Episcopi, Abbates, tantum censeantur esse boni ac fideles ministri quantum annuos reditus auxerint. Ne ergo temere summam rerum imprudentibus, pueris, stupidis cupidisque credamus, sed iis quorum probitas, fides, prudentia longo usu perspecta sit (alioqui frustra nos aliquando queremur, quod dicitur: Non putavisse), tribuat nobis omnipotens pater magistratus tales, qui nullum aliud exemplum spectent, quam eius cuius ordinatione ad hoc muneris inaugurati sunt, ut ad modum creatoris nostri sese gerant, quo patres nos multos habere gloriari possimus nec queri cogamur, quod propheta Mich. 7; 1 sqq. queritur: Vae mihi, inquiens, quia factus sum sicut qui colligit in autumno racemos vindemiae! non est botrus ad comedendum; praecoquas ficus desideravit anima mea. Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est. Omnes in sanguine insidiantur: vir fratrem suum ad mortem venatur. Malum manuum suarum dicunt bonum. Princeps postulat, et iudex in reddendo est. Et magnus locutus est desiderium animae suae, et conturbaverunt eam etc. Quin eiusdem prophetae vocem 3. cap. saepenumero secum reputent principes, ne cupiditate victi oves immanius lacerent, ne se nimium impendant pseudoprophetis, episcopis, monachis, Baalis sacerdotibus: qui omnium animos aut muneribus suis

aut artibus, a Christo, etsi non avertere possint, concutiunt tamen, ac si possunt, abducunt. Suspectus sit illis omnis apex aut mitra: quam vis enim nonnunquam simulent se ad Christum accessuros esse: frequenter tamen fit, ut onerent aliquam zamiam. Illi enim ipsi sunt, qui regna exhauriunt, dum adeo ampliter fruuntur aliorum laboribus, ut etiam pedibus conculcent, quibus multa millia possent ali. Prophetae autem verba sic habent Mich. 3: 1. Audite principes Iacob, et duces domus Israël. Nunquid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, et diligitis malum? Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, et carnes desuper ossibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, et pellem eorum desuper excoriaverunt, et ossa eorum confregerunt, et conciderunt sicut in lebete, et quasi carnem in medio ollae. Tunc clamabunt ad dominum, et non exaudiet eos, et abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinventionibus suis. Haec dicit dominus deus super prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, et praedicant pacem; et si quis non dederit in ore eorum quidpiam, sanctificant super eum praelium. Propterea nox vobis pro visione erit, et tenebrae vobis pro divinatione. Et occumbet sol super prophetas, et obtenebrabitur super eos dies etc. Quod si hunc prophetae sermonem quotidie audiant magistratus, ovibus aliquanto se mitiores praestabunt, quam quidam eorum hactenus fecerint. Quod vero ad secundam partem adtinet, discent hic clare Romanensium fraudes agnoscere: qui renascenti Christo dum imperante cupiditate contumacius obstant, vociferant se omnia pacis studio facere, quo sibi omnium favorem concilient. Pacis enim studiosi videri volumus, etiam quum arma tenemus in manibus, dum in castris versamur. Tam grata res est miseris mortalibus pax, cuius tamen turbandae isti admodum studiosi sunt: pacem enim ideo tam anxie se quaerere simulant, ut interea dentibus suis omnia devorent. Ubi enim pax viget, quae obsecro templa sunt in quibus isti non mendicantium ritu postulent? Quod si qui offas eorum ori non inserant, sed negent, iam sanctificant super eos praelium. Qui, oro, principes annis iam haud parum multis impune negaverunt aliquid Romanensibus istis, episcopis et eorum asseclis, in quos non bella decreverint? Quoties vidimus prodita ab istis foedera? Iam vero quot myriades animarum interim percusserunt? Taceo corporum, rerum, agrorum vastationes, urbium excidia, castitatis fideique perniciem, communis iustitiae internecionem, animorum efferationem, quae omnia secum advehit bellum. Unde et nascitur, ut nox nobis sit pro visione, hoc est, ut tenebras pro luce amplectamur. An non ad clarissimam veritatis lucem omnes caecutimus? et quod vere videmus, videre dissimulamus? Sed cuius artibus hoc fit? falsorum prophetarum, qui pro pecunia prophetant: unde mox sequitur, quod et principes pro muneribus iudicent. Huc igitur omnes nervi magistratibus cum sint vocandi, ut recte praesint, pro patribus se gerant, non dominis; et nos tamen videamus eos sic esse deliciis tumultibusque deditos, ut nihil spei habere possimus statum nostrum per eos melius habiturum: interpellandus est unus ac solus, qui capillos capitis nostri numeravit, ut eorum mentes mundi huius prosperitate ferocientes illuminet, ut deum, ut sese agnoscant,

quo tranquille possimus hunc antichristianicum Papae statum deserere: nullo enim alio labore hac in re opus est, quam desertione. Si enim omnes deseramus, aut, minus dicam, sola marsupia sic abstrudamus, ut ea investigare nequeant, iam actum erit de illo. Oremus inquam, ut omnes eum deseramus, ac solius dei castra sequamur, omnium domini, omnium patris ac salutis. Amen.

## DE SCANDALO.

Scandalum Graecis non modo offensionem, sed etiam contumeliam significat, si Chrysostomo credimus super his verbis Matth. 18: 6. Si quis scandalizaverit unum ex pusillis istis etc. σκανδαλίζειν enim pro contumelia adficere istic accipit, aut contemnere: quod nimirum qui contemnitur aut contumelia adficitur, etiam offenditur et rursus, qui temere offendit, contemnit. Videtur autem nostra sententia Chrysostomus sensum istic haud leviter perpendisse, cum σκανδαλίζειν tam pro offendere, quam contemnere exponit. Vult enim deus, ut suos non contemni, sic nec offendi: et quemadmodum non vult offendi, ita neque contemni. Scandalum ergo est, cum contemptu coniuncta offensio. De quo isto postremo labore hac causa dicere cogimur, vel quod libri argumentum postulat, vel quod in utramque partem scandali quidam peccant, puta, quod alii perpetuo sibi volunt parci, etiam quum nihil possint ultra offendi, quum nihil in eorum contemptum fiat; alii vero scandali nulla ratione habita, protinus atque libertatis faciem intuiti sunt, ea quae tempestive posita oportet, importune non ponunt sed abiiciunt cum tanta indignatione, ut fragor infirmas conscientiarum aures offendat. Postulat autem libri argumentum, ut de scandalo dicamus. Fuit enim hactenus non modo in doctrina, quamvis istic perniciosissime erratum, sed etiam in ceremoniis, quamvis neque in his leviter, quum externa ista mundi elementa sumus amplexi pro spiritalibus, cassa et inania pro veris ac solidis. Dicemus igitur ante omnia de doctrinae scandalo, quatenus videlicet doctrinae sit parcendum. Doctrinae parcendum non est: protinus enim, ut missus es, doctrinam debes vulgare, neque carni, neque sanguini acquiescere, Galat. 1: 16. Attamen in docendo tempestivitas maxime spectanda est, ut supra in Eucharistiae praefatione diximus. Eam enim et Christus magnifacit, et Paulus 1. Cor. 3: 2. gloriatur, quod Corinthios inter initia lacte nutriverit. Non potest ergo certius aut melius quisquam ordiri, quam quum ad exemplum Ioannis, Christi, Apostolorum sic incipit: Pessimi estis, a via dei sic aut sic declinastis: unde et vobis nisi vitam immutetis, viodicta crudelis imminet. Iustus est deus, non parcet ferire, cum iam radici securim admoverit. Poeniteat igitur vos malorum ac taedeat, et mitem subito habebitis patrem, quem, nisi mores vertatis, dirum sensuri estis vindicem. Iustus est, sed simul benignus est, ac operis sui amans, atque benignitatem ut nobis probaret, filium suum unigenitum dedit, ut vivamus per ipsum. Vita sic contigit. Monui ut e pessimis optimi fiatis. Id quum in novam desperationem vos coniiciat: quis enim unquam sic innocens aut iustus fuit, ut iustitiae suae ausus sit fidere? ne igitur in tanta desperatione toti pereatis, ostendam qui divinam iustitiam pro nobis placaverit, ut

istam non cogamini tanquam inexorabilem horrere: Christus omnium admissa innocentia sua lustravit. Eo si fidas, salvus eris, sic tamen ut ipsum exuto prisco homine induas. Quemadmodum saepe iam ac fuse diximus. Hic ubi cognitionem dei, hominis, Christi, dextre docueris, et dominus incrementum dederit (id quod a fructibus facile iudicabis): concident omnes abominationes aut errores, qui contra deum erecti proque vero cultu Dei recepti erant. Cum enim quisque iam doctus erit Christianum esse, qui innocenter vivat, et innocente fidat, videlicet Christo, quem cruce accinctus sequitur: negliget fallaces istas spes, quas nobis quidam in sacramentis, in ceremoniis, et creaturis ostenderant, ac omnia sua videbit in deo sibi esse posita. Quocirca imprudenter faciunt, qui dirissima, et *παραδοξότατα* primo proponunt, etiamsi iis qui iam aliquantum promoverunt, levia satis videantur. Exempli causa dico: Si tu Christianismum, ut aliquot seculis fuit error, a negligenda in divos spe ordiaris, doctrinam potius eliminabis quam insinuabis. Etiamsi animus vehementer ad istas voces adhortetur: Erratis pro diis colentes, qui dii non sunt; in dominum spes omneis iacite, non in creaturam. Impii sunt qui creaturam creatoris loco habent. Qui vero creaturam invocant, dei loco habent: hoc enim cuique deus est, quo fidit se aut liberari, aut donari, vel quo degravatur, vel quo eget. Cum igitur hoc pacto res ordienda sit, ut fructum plurimum domino adferamus, nunquam incipiemus ab his quae causam totam pessumdent; sed quaedam quae maxime necessaria sunt, ut dei cognitionem, hominis, Evangelii, fideliter ac scite proponemus, quaedam vero prememus usque ad opportunitatem. Haec breviter de scandalo in doctrina servando. Qui enim me, inquit Christus, confitebitur apud homines, hunc ego confitebor coram angelis dei; contra vero, qui me negaverit coram hominibus, huius me pudebit coram angelis dei. Debent ergo quae fidei cardo sunt incunctanter prodi; quae vero contra ipsam sunt, arte convenit demoliri, ne ruina noceant et lapsa, paucula ista quae extructa erant, adobruant. Facile persuadeas senem ut sellam deserat, si baculum prius quo niti possit in manum dederis: qui te alioqui nunquam auditurus est, sed insidiatorem potius iudicaturus, ut qui cupias pronum ad silicem cranium frangere. Sic mentes humanae ante omnia sunt ad infallibilem dei cognitionem adducendae, quam ubi recte attigerint, iam facile dimittent fallaces in creaturas spes. Iam ad externa transimus, docebimusque ut in illis sit scandali ratio servanda. Externorum alia sunt quae ad victum pertinent, alia quae ad institutum vitae, alia vero quae ad salutem videntur pertinere, cum nihil sint. Quae ad victum pertinent, offensioni sunt obnoxia facta Romani antistitis cauponatione. Quomodo enim aliter adpellem vafriciem istam, qua a quibusdam cibis interdixit, hoc tantummodo fine, ut magno redimere cogeremur, quibus carere non potuimus? Cum tam aperte Christus dicat Marc. 7: 18. Nihil est extra hominem, introiens in eum quod possit eum coinquinare. Neque est, quod hic de tempore opponamus, dicentes, ciborum genera non esse interdicta, sed certis temporibus quorundam usum vetitum. Verbum enim dei liberum est, nec ad certa tempora constringi se patitur. Atque hoc ipsum, quod diximus, pecuniae reddere quod tyrannide interceptum

erat, satis indicat dei praecepto a nullo cibo prorsus interdictum esse: si enim dei verbo sancitum fuisset a quibusdam abstinendum esse, nulla rogatione legis opus esset. Unde manifestum fit, quod dum Pontifex legem rogat, de suo faciat. Quum autem accepta pecunia abrogat, probat divinum non fuisse quod abrogat: legem enim divinam quis abrogare poterit? Praedicit et Paulus 1. Timoth. 4; 1. futurum, ut ad hunc modum sint quidam cauponaturi, sic inquiens: Spiritus diserte dicit, quod posteris temporibus quidam recessuri sint a fide, advertentes animum spiritibus seductoribus, et doctrinis daemoniorum, qui per hypocrisim mentientur, quorum tamen conscientiae cauterio adustae erunt: prohibentes nubere, abstinere a cibis, quos deus condidit ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus, et veritatem cognoscentibus: nempe, quod omnis creatura dei bona est, et nihil abiectum, quod cum gratiarum actione accipitur etc. Clara sunt ista Pauli verba. Cum ergo dicit iis, qui veritatem cognoscunt, patere, quod omnis creatura dei bona sit, et nihil abiectum: erunt nimirum qui protinus dicant: Ego sic plane credo, mundis omnia esse munda, unde et nihil morabor quibuslibet cum gratiarum actione uti, nullius habita ratione: cur enim mea libertas iudicetur ab aliena conscientia? hic ergo Scandali ratio sic est habenda: Considerabis proximum an infirmus sit, an contumax, an pius. Infirmum debes ad te adsumere, hoc est manum praebere, quo et ipse ad mensuram tuae cognitionis possit ascendere; neque hoc per mirabiles inventionum anfractus, quibus ille magis irretiatur, quam explicetur, sed claris istis: Mundis omnia munda, Titum 1: 15. Et omnis creatura dei bona est, atque ad hoc condita, ut ea cum gratiarum actione utamur, 1. Timoth. 4: 4. Et nihil est extra hominem introiens in eum quod eum contaminare possit, Marci 7: 18. Matth. 15: 17. Et scio quod natura sua nihil est immundum, sed ei tantum est immundum qui existimat immundum esse, Rom. 14: 14. Quibus ille si fortior factus erit, iam tuto licet coram illo quovis tempore quemvis cibum edere; sin minus, parces eius infirmitati quamdiu est infirmitas: sic enim inquit Paulus Rom. 14: 15. Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo perdere illum pro quo Christus mortuus est. Et noli propter escam destruere opus dei etc. quae illic, ut omnia, divine disserit Paulus. Rursus 1. Corinth. 8: 13. sic habes: Si esca fratrem meum offendit, non edam carnes in aeternum, ne fratrem offendam. Quamdiu ergo frater infirmus est, non contumax, parcendum est illi. Quod si contumax sit frater, iterum ei parcendum est, si tuus cibus possit aliquam turbam dare. Non debes enim propter escam destruere opus dei; hoc est: Non debemus propter ciborum libertatem committere, ut Evangelium reddatur odiosius. Si vero citra turbam et offensionem post sufficientem doctrinam potes edere, licet. Non enim tam bene cum mortalibus agitur, ut rectissima quaeque omnibus placeant: nunquam defuturi sunt qui obluctentur. Sed hoc semper spectandum est, ut quae pacis sunt sectemur. Timotheum circumcidit Paulus, quod Iudaei tantopere urgerent neque ipse citra magnam turbam et offensionem Evangelii posset resistere, Actorum 16: 3. Titum autem non potuit compelli ut circumcideret,

Galat. 2: 3. quod iam doctrina tantopere promovisset, ut et melior et maior pars vincere posset citra turbam et offensionem. Sic ergo paci ac tranquillitati studendum est in his quae ac victum adtinent, ut infirmis, quam diu sunt infirmi, parcamus; contumacibus vero quam diu citra turbam libere non possumus uti eo, in quo liberi sumus. Nam si perpetuo cuique contumaci cogamur parcere, nulla re unquam libere licebit uti: semper enim sunt procaces, qui quascunque res temerare, et consilia calumniari audent. Si autem pii sunt fratres, nulla est offensio quicquid edas; modo servaveris modum.

In his quae ad vitae institutum pertinent, debemus omnes innocentissime ambulare, ut bona conversatione nostra, qui increduli sunt, accendantur ad sequendum eum, cuius discipuli tam candide vivunt. Debemus igitur confestim Gentilium licentiam abiicere, quod satis superque fuerit tam diu ad carnis regulam vixisse. Sicut Petrus docet 1. Petri 4: 2. et Paulus Rom. 13: 12. Deponamus ergo, inquiens, opera tenebrarum, et induamur arma lucis, ac tanquam in die ambulemus, non in comissationibus et ebrietatibus, non in cubiculis et lasciviis, non in contentione et aemulatione, sed induimini dominum Iesum Christum. Ad eundem modum 1. Corinth. 5: 11. ait: Nunc autem scripsi vobis ut non commisceamini. Si quis frater nominatus, aut scortator, aut avarus, aut idolorum cultor, aut calumniator, aut ebrius, aut rapax sit, cum tali non edendum est. Licet ergo primo quoque tempore haec omnia abiicere, quae quam longissime debent a Christiano homine abesse; imo sic debent abesse, ut de Ecclesia protenus sint eliminanda. Si ergo hactenus scortator fuisti, scortum desere: aut si continentia negata est, uxorem quaere, vel hoc ipsum scortum in uxorem converte. Hic vero maximum oriri scandalum solet. Si enim Ecclesiastici, ut vocant, nubere coeperint, subito cooriuntur qui se offendi simulent, quanquam minime offendantur; sed rei gratia, cui verentur aliquid decessurum, offensionem praetexunt, ut antea dictum est. Debet igitur quisque a scortatione quam longissime abesse. Ignorat autem simul nemo scortationem ingens crimen esse. Dices igitur: Debet ergo citra omnem scandali rationem quisque uxorem confestim, ut incontinentiam expertus est, ducere, cum nihil vetet ac nihil dehortetur. Nemo enim offendi potest cum nemo sit qui scortationem neget eliminandam esse. Hae causae sunt, ut aliquamdiu putaverim hac in re nullam haberi debere rationem scandali. Cum autem videam ista duo: Scortationem abesse oportet a Christiano grege; et: Nemo ignorat scortationem flagitium esse, fortia satis esse ut merito nemo deberet scandali rationem habere; simul tamen videam Antichristum, hoc est Romanum pontificem, nobis oscitantibus imo stertentibus scandalum posuisse, sic ut cum nunc evigilare volumus, offendamus (Quibus enim a matrimonio non interdixit contra omnem legem dei?): quum ergo ei aliquamdiu haud parum fidei sit habitum, fuit omnino scandali respectus habendus, sed non aliter quam doctrinae. Ea debet nulla parte omitti, veruntamen tempestive dispensari. Sic et scortatio penitus eliminanda est, et superinducendum, si ardeas, connubium, sed opportune. Unde et quidam apud nos fratres, ut offensionem caverent, et conscientiae stimulis mederentur (angebat

enim scortatorem esse): clam matrimonium contraxerunt, ne mens scortationis esset conscia et hoc vulnere percussa frigidius omnia quam oportet faceret, et contractum celaverunt, donec opportune posset doctrina proponi de connubio. Ea ubi iam exposita fuit, ut liquido omnes viderent, nihil causae impedire posse, ne cuique volenti liceat uxorem ducere, iam passim coeperunt novi prodire mariti. Ibi tyrannorum quidam innocentes trucidare, quidam vero sacerdotiis exutos relegare. Hic igitur orta est quaestio: An non debuerint, qui sic paulo maturius connubia publicaverunt, aliquanto longius cunctari. Respondemus: nihil ultra cunctandum fuisse, ubicunque doctrina iam probe exposita esset: impios enim Magistratus nunquam induci posse, ut non atrocissime saeviant. Fuerunt tamen nonnulli aut imprudentes, aut falsi fratres, qui Christianismum a connubiis ordiri pergerent, ubi rem non improbo, sed consilium: parum enim consultum fuit nulla alia re Christianum se ostendere quam connubio. Hi ergo nonnunquam videntur occasionem potius dedisse tumultibus, quam praevenisse. Porro ut nunc omnia, praesertim in Germania, sunt exposita, nullus est scandalo relictus locus, quin matrimonium omnibus liceat amplecti qui incontinentes sunt. Quod si qui ex tyrannis imminent ac caedunt, fuge in aliam civitatem: satius est enim cum Zenone omnia, hoc est, exoneratam scortatione mentem exportare, quam in mediis divitiarum spinis intus cruciari, etiamsi extra persecutor non urgeat.

In his autem externis, quae ad salutem pertinere videntur, sic est scandali ratio servanda. Debent quae ad salutem videntur quid facere prodi, quomodo nihil possint nec sint, haud alia ratione quam doctrina; sed ita ut eum ante omnia conciliemus, in quo solo conscientiae conquiescunt. Signa vero externa ista esse ostendemus, quibus proximo potius, quam nobis ipsis aliquid faciamus. Qualia sunt unctiones, aspersiones, benedictiones, et id genus ceremoniae. Ubi vero iam verbo omnia sunt prodita, abiicienda sunt cum tranquillitate signa ista, quae humana inventione fuerant inducta, consimili ratione qua cibi vetiti. Sic enim Paulum cum circumcisione videmus egisse. Cum enim optime nosset, neque circumcisionem neque praeputium quicquam esse, ut 1. Cor. 7: 19. et Gal. 6: 15. docuit, adhuc tamen Timotheum circumcidi passus est. Sed hoc strenue inculcandum est, in ista externa nihil spei habendum esse: nihil enim posse; ac deinde infirmitati quorundam cedendum est. Sensus enim non temere persuadentur, ut confestim deserere possint, quod mens iam dudum reiecit. Neque hoc quisquam sic accipiat, ut putet perpetuo toleranda esse, de quibus loquimur, sed ad tempus. Auferenda enim sunt hosti arma, ne ipsis aliquando se rursus ad pugnam instruat. Quod et Christus in Parabola fortis armati significavit, Lucae 11: 22. Si autem fortior eo superveniens eum vicerit, iam universa arma eius auferet in quibus confidebat etc. Ecce ut arma quoque innuit auferenda esse, ne scilicet ista, quae abolita oportet, si permanere sinamus, in priorem errorem aliquando reducant. Sunt enim quidam adeo teneri, ut non aliter quam vites proxima quaeque amplectantur, ac ubi amplexi sunt difficulter amittunt: removenda sunt igitur ista, in quibus tanta est seductionis occasio. Sed

cum scandali ratione. Quod si nunc dicas: Quis ergo videre poterit, quando ista, quae aliquamdiu ferenda sunt, abolenda sint? quis enim sciet quando secutura sit turba, quando minus? Is cuius oculus dexter est ac simplex: huius enim totum corpus dilucidum est, non habens ullam partem tenebrarum; hoc est: Qui domino suo fidelis est, omnia illius causa facit, sua vero nihil. Ubi enim solius dei gloria spectatur, omnia feliciter procedunt. Et si quando ignis, hoc est persequutio, vastabit, nihil magis nocebit quam auro ignis. Ubi vero nostra spectare incipimus, iam ab igne persequutionis absumemur, haud aliter quam lignum, foenum, stipula. Quo pacto vero expurgabimus oculum, ut clare possimus perspicere, quando sit ordienda tela? Respondemus: Isto igne purgabimus quem dominus vult vehementer ardere, quae est caritas: haec omnia novit, omnia videt, semper ad aedificandum intenta est, non ad destruendum. Scientia nonnunquam sic inflatur, ut tiam rumpatur, sed non aedificat scientia: hoc enim charitatis est, 1. Corinth. 8: 1. Scientia inflat, charitas autem aedificat: vult enim pomoeria eius, quem amat, quam latissime proferre. Omnia ergo patitur propter Christum, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet, imo nusquam excidit, hoc est nusquam fallitur, nusquam non recte rem gerit, 1. Corinth. 13: 7. Ubi enim charitas est, ibi deus ipse est, ut satis diximus antea. Sed nunquid in potestate nostra est, ut amemus? Minime. Sed neque in potestate nostra est, ut aedificare aut velimus aut possimus, quamvis in ore omnium sit quod se domino aedificaturos esse gloriantur. Tam audax est hypocrisis. Advertendum ergo est, quod quandoquidem deus est, qui perficit in nobis et velle et perficere, Philip. 2: 13. nimirum hi, qui volunt ad domini gloriam aedificare, a domino docti sunt ut velint. Cum ergo iam sentis omnia consilia tua huc tendere, ut omnis mundus subditus fiat deo, quum omnia potes tum ferre tum facere propter deum: certus sis, quod dominus hoc in te operatus est. Te ipsum igitur consule, ac tui ipsius iudex esto. Nemo novit an aliquid subdolum in pectore alas, quam tu ipse. Et cum iam sentis ex animo et veraciter te Christi gloriae favere, iam divina potentia voluntas tua ad illum adducta est. Omnis enim qui audivit a patre et didicit, hic venit ad me. Non faves Christo, nisi pater te ad deum adduxerit. Collige igitur nunc singula. Si videas te dei amore sic flagrare, ut omnia ad eius gloriam referas, iam voles eius aedificium excitare; si voluntas tua huc spectat, iam hoc in te operatus est deus. Quicquid ergo aedificabis, nunquam corruet: nixum est enim petra, quam evertere nemo potest; scies quoque quomodo te oporteat aedificare: dabit enim dominus in omnibus intellectum. Dices: Quis autem Ecclesiae dicet, an is qui aedificare incipit ad aedificandum deo animatus sit nec ne? quod tamen maxime necessarium est ut cognoscamus: nam alioqui, ut sunt haec tempora, facile in maxima dissidia incidemus, si videlicet non agnoscamus aedificantis animum. Omnes enim videri volunt ad gloriam dei aedificare. Respondemus: Multae sunt viae quibus singuli possint de aedificante iudicare, in quibus quemque mittimus abundare in suo sensu: quisque enim dicit se ex isto aut alio deprehendere fraudem aedificantis; modo nihil fiat ex adfectibus. Duae vero potissimum sunt

viae quibus indubie docentis animum potes deprehendere: Una quam Christus docuit, qua ex fructibus cognoscitur doctor, sive quos ipse prodit, sive quos quaerit: hoc enim posteriore sensu dixit Christus Matthaei 7: 20. Ex fructibus eorum, hoc est ex eo quod quaerunt, cognoscetis eos. Si ergo huc tantum spectat doctor, ut magnifice alatur et colatur, nemini potest obscurum esse, an deo aedificet an sibi. Si vero nihil quam vitiorum lerna est, etiam si clarissime doceat, minimus est in regno dei, hoc est: in Ecclesia dei nullus est. Capitur ergo hoc iudicium ab ipso quem iudicas, quamvis hac ratione, ut solus apud alios non damnes, nisi ubi damnat Ecclesia. Opus est enim ut ubi damnat Ecclesia, quisque qui Ecclesiae membrum est apud se quoque damnet; quamvis, ut diximus, nemo debeat pronunciare. Nolite enim iudicare etc. donec pronunciet Ecclesia. Hic enim de privato cuiusque iudicio dicimus, quo quisque in Ecclesia videt qualis sit doctoris animus, etiamsi Ecclesia cunctetur de ipso pronunciare. Haec se ita habere probat ipsa nostra tempestas, qua omnis simul plebs Christiana, ut primum sese veritas in publicum recepit, desertis iis quorum sermo avaritiam redolebat ac dominationem, ad veritatis partes sese contulit: cum inter principia *βάσανον* alium non haberet, quam dominatum et avaritiam. Altera via, qua aedificantis animus etiam inviti deprehendi potest, domino aedificet an gloriae studeat, haec est. Scribit Paulus Rom. 14: 17. Non est enim regnum dei esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in spiritu sancto. Qui enim in his servit Christo, deo placet, et hominibus probatur. Cuius ergo labor huc tendit, ut publica iustitia vigeat, ut quisque domi suae ante omnia innocentiae studeat; qui totus in hoc est, ut quoad per nos stet, pax cum omnibus hominibus servetur, ut conscientiae in tranquillum fidei amorisque dei portum sistantur, ne omni vento circumagantur; cui hoc tantum cordi est, ut omnis tristitia, quae ex mundanis cupiditatibus orta mortales divexat, quam longissime exterminetur, quo Christiana hilaritas et gratia inter omnes constet: hic nimirum domino aedificat. Experitur autem hoc quisque apud se, an docentis tota vis deum atque innocentiam respiret, an minus? Qui ergo Christianam tranquillitatem propter externa quaedam turbant quibus conscientiae nihil iuvantur, nulli rei student quam gloriae; etiamsi infimam humilitatem simulent: ea enim sola grassatur hypocrisis, teste Paulo Coloss. 2: 18. Quemadmodum faciunt qui hac tempestate aut infantibus Baptismum negant, aut adultis denuo impertiunt: hi enim sic contendunt, ut amarius nihil unquam videris aut acerbius. Ubi igitur est humilitas? nam ubi est contentio et aemulatio, illic caro regnat, teste Apostolo 1. Corinth. 3: 20. Prodere quosdam nominatim suaderet ipsorum procacitas, qui totas urbes, pulcherrime Christum sapere incipientes, in atrocissimum dissidium rapuerunt, solum ut hoc obtinerent, infantes non esse baptizandos. Quid bone deus insania est, quid furor, quid dementia, si hoc non est? hoc putare spiritum tuum esse, qui ex ipsis fructibus sese prodit, quod alterius ne esse quidem potest, quam inimici hominis, diaboli. Sic tentat nos Satan: posteaquam videt persequutionem non successisse, contentione tentat, ut fere optanda sit persequutio prae contentione: hac enim periclitantur animi, illa solummodo

corpora. Sic quidam sunt: quum vident simulachra Tiguri tam in urbe quam in agro cum summa tranquillitate mota esse,[1] ubicunque colebantur, iam et ipsi hoc unum agunt, ut apud se quoque, teneris adhuc fratribus ac vehementer impingentibus, moveantur, ne scilicet inferiores sint aliis. Doceant primum ut auditores recte habeant in his quae ad deum pertinent, et subito videbunt haec omnia concidere. Ubicunque enim deo fiditur, ibi videmus Satanam de coelo tanquam fulgur cadere, Lucae 10: 18. Innocentiam ergo plantemus, pacem ac animorum in spiritu sancto hilaritatem, et Satanam de coelo trahemus, et scandali rationem in rebus omnibus rite servabimus: adest enim deus operi suo.

## DE STATUIS ET IMAGINIBUS.

Statueram de Statuis et Imaginibus hic nihil dicere, quod peculiari libro primo quoque tempore de eis Germanice scribere decreveram. Attamen cum iam vela colligere inciperemus, vetuerunt quidam ex fratribus portum spectare, donec et hunc sinum perlustraverimus. Brevissime ergo absolvemus quod in hac re summum est. Quis enim contentiosis animis unquam satisfaciat? Statuas, imagines et simulachra nemo tam stolidus est qui putet abolendas esse, ubi nullus eis cultus exhibetur; quem enim moveant Cherubim, sive mysterii sive ornatus gratia, cum in propitiatorio tum in cortinis opere Phrygio volantes? aut Palmae, Leones, Boves, Mala punica, et id genus ornamenta in templo Solomonis artificiose fabrefacta? Rursus ubi coluntur, quis tam excors est, ne dicam perfidus, ut ferri debere putet? sed certa scandali habita ratione. Quod si statuas et imagines nusquam scripturarum praeceptum esset, dummodo coluntur, demoliendas esse: satis esset charitas, quae indubie monet quamlibet fidelem mentem in usum egentium convertere, quod in cultum simulachrorum insumitur. Ut primum enim dicit humana ratio: In honorem dei aut divi alicuius hanc statuam eriges, contradicit nimirum fides, dictans in pauperum usum debere converti, quaecunque in domini velis honorem expendere. Cum enim Christus ad insultantis Iudae vocem discipulis omnibus diceret: Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis, et istis potestis benefacere: omnem visibilem cultum a se in pauperes derivavit. Ne igitur deum ullis huiusmodi honoribus defatigemus, quos in pauperes transtulit, sed eo conferamus quo ille iussit. Nam et a mortuis resurgens noluit ut se eadem Magdalene tangeret, quae prius lachrymis pedes abluerat etc. prope enim esse ut ad coelos ascenderet; tametsi eam profectionem nondum ordiretur, comparatis licet ad eam omnibus necessariis, ubi his nihil esset opus, quae illa ei facere parabat. Quod autem quidam dicunt: Imaginibus hominem doceri, ac ad pietatem moveri, de suo faciunt. Nusquam enim Christus hunc docendi modum docuit, neutiquam omissurus, si profuturum esse praevidisset; quin contra non ignarus omnium, quae ventura sunt, vidit crebro fieri, ut ad illa quae sensibus patent convertamur, noluitque ut doctrinae occasione imagines redderentur nobis augustiores. Videmur enim non nihil

[1]) Mense Iunio 1524.

debere eis, qui nos docent. Verbo dei doceri debemus externe, interne spiritu quae ad pietatem pertinent, non opere per manum artificis sculpto. Sed ad cultum redimus. Quis non vidit statuas publice coli? an earum cultus minimam partem opum Ecclesiasticis attulit? Qui monachi tam humilem egestatem unquam simularunt, ut non ad imaginum cultum stipem emendicaverint? Quid aurum, argentum, gemmas, margaritas recitem, e quibus aut solida stant simulachra, haud minus quam apud Gentiles, aut vestis sic riget, ut stare si iubeas non recuset? Quid, imaginum tactum nonne omnes rem sanctam putavimus? Cur istis oscula infiximus, cur genua demisimus, cur aspectum solum tanto emimus? Has inquam loco movendas censet dominus. Sed obiicit iterum contentio: Imagines non esse cultas, sed eos quorum sunt. Respondemus: Neque Gentes ullas unquam fuisse tam stolidas, ut lapideas, aereas ac ligneas statuas propter se ipsas coluerint, sed in his venerabantur Ioves et Apollines suos. Unde tametsi frequenter derideant sacrae literae simulachrorum cultum, quasi cultores lapides colerent ac ligna, nemo tamen ignorabat, quod ista minime colerent, sed in istis potius eos quod deos esse existimabant. Quum autem dii isti nihil essent, nisi fortasse daemones, qui miseros ludificabantur, dictum est in contemptum eorum qui dii non erant, quod nihil aliud essent quam lapides aut ligna, aurum, aes, argentum, quo cultores vehementius abhorrerent. Cum ergo dicitur, nos imagines non colere, quod tamen falsum est (nam augustius colimus quam ullae Gentes idola coluerint; sed donemus hoc); non tamen sequitur: I. Licet ergo imagines habere, duplici nomine. Primum, quod tam diserte habemus, tam in novo quam veteri Testamento idolorum cultum esse vetitum. Hac enim ratione distinguuntur unius ac veri dei cultores ab idololatris, quod nos deum colimus, qui invisibilis est quique vetat ne se ulla visibili figura exprimamus: isti autem deos suos qualibet specie induunt. Quocirca imaginem nullam debuerunt unquam ei Christiani fingere quem colebant, ne more impiorum hominum incederent: multo minus eis, quos colere nulla ratione licuit, etiam cum adhuc in humanis agerent. Quod de Christo quidam obiiciunt, tam imperite faciunt, ut me iam inde ab initio pertaesum sit, ad illorum nugas omnes respondere. Quomodo enim ignorare possunt Christum, quatenus visibilis est et homo, nulla ratione; quatenus autem deus est, colendum esse? Quum ergo dicunt Christum ut deum posse exprimi, falluntur: divinam enim eius naturam nulla ars adumbrare potest nec debet. Si vero dicunt, exprimi posse ut hominem: quaeremus an expressi imaginem liceat colere nec ne. Negabunt haud dubie: nulla enim prorsus imago colenda est. Deinde, si hanc non licet colere, an ergo puram humanitatem Christi? Negabunt iterum. Quid igitur intelligemus, quum dicimus per crucem ligneam Christum coli? an divinam naturam, at illa fingi nequit; an humanam, at illa coli hoc pacto non debet: multo minus ulla imago eorum, qui Christi sanguine redempti sunt. Verum quis omnium contentionibus respondeat brevibus? In eo libello, quem superius polliciti sumus, ista frivola clare convellemus, deo auspice. II. Secundo sic patet imagines non licere habere, etiam si non colantur, quod ratio ista exempli, propter quam

perhibent haberi posse, immensum frigus nostrum prodit: primo quod nullus amor dei sit in nobis: is enim satis extimulat ad recte vivendum; deinde quod non tutum est omnia sequi exempla, sed eius qui exprimi non vult. Cum ergo frigus amoris dei in nobis sentimus, quo deinde fit, ut ad omne opus divinum tepeamus, nullis imaginibus potest mens accendi ad amorem dei: affectum quendam nugacem, ac mox periturum potest movere imago; amorem incendere non potest. Focum incendere potest, ac victimam lignea imago, sed in ara cordis pecuinos adfectus nemo potest adolere, quam divinus spiritus. Haec brevia per contentionem diximus tantum, ut gustum quendam praebeamus proditurі olim libelli, quo interim ii qui statuis et simulachris advocant videant, si rationibus res gerenda sit, evidentius futurum, ut nullae prorsus imagines possint servari, quam ut *ἀδιάφορα* sint; ubi citra speciem mali esse non possunt. Non quod aliud sentiamus quam ab initio diximus, nempe tolli debere ubi coluntur. Quid ergo hac in re, quae tam dilucidis et claris sanctionibus ubique per scripturam sanctam expressa est, arguti sumus, praesertim quum nemo grassetur in ullas imagines quam quae coluntur? et fieri nequeat, ut imago, si prostet eo loco quo ea ponuntur quae colimus, non reddatur maior augustiorque? At ea quanto maior et pretiosior est in oculis animi nostri, tanto minor est in deum fiducia. Scripturae autem loci quum tot ac tanti sint, opportunius est ut eos numeris ostendamus potius, quam de integro huc ponamus. Lege ergo Exodi 20: 4. quo capite de aureis argenteisque statuis invenies, Exodi 34: 17. Levit. 19: 4. Levitici 26: 30. Deuter. 4: 15. Deuter. 5: 8. Primo Regum 7: 3. Numeri 25: 5. Deuter. 7: 5. Deuter. 11: 28. Deuteron. 13: 6. Deuteron. 27: 15. Iosuae 24: 23. Iudic. 10: 13. Psal. 96: 5. Psal. 115: 4. Isaiae 42: 8. Isaiae 44: 9. Hieremiae 10: 8. Hieremiae 13: 27. Ezech. 14: 7. Ezech. 6: 6. Micheae 1: 7. Abacuc. 2. et 4. Regum 18: 4. quarto Regum 10: 27. quarto Regum cap. 23. secundo Paralip. 31: 1. 1. Corinth. 5: 10. Actorum 15: 29. 1. Cor. 8: 1 etc. 1. Cor. 10: 19. 1. Cor. 12: 2. Galat. 5: 20. 1. Thessal. 1: 9. 1. Petri 4: 3. 1. Ioannis 5: 21. Sunt et praeter istos multi alii; sed his qui contentus esse nolit Biblia tota evolvat. Cum autem optime Lector singulos istos locos excuties, invenies alicubi deos alienos esse vetitos, alicubi simulachra, alicubi vero simul et deos alienos et imagines: quod tu non sic accipies, quemadmodum contentiosi perhibent sed citra verbi authoritatem, ut putes deos alienos tantum esse prohibitos, aut quod simulachra pro diis sint vel habita vel posita: tametsi ad verbum nonnunquam dicti loci videantur huc tendere. Si enim voluisset deus, deos alienos tantum vetare, simulachrorum frustra ullam mentionem faceret: si enim, ut isti dicunt, imagines licuit habere, cur vetat? Rursus, si imagines ac dii alieni eadem res sunt, debent nimirum imagines sic non coli, ut dii alieni. Si vero dii alieni peculiariter sunt vetiti, et simulachra peculiariter: cur ergo non videmus omnem contentionem iam decisam? Nemo enim negat deos alienos coli non debere, hac causa, quod ab eis interdictum sit ore divino. Cum ergo concedimus ab imaginibus non minus interdictum esse, quam a diis, quorum sunt imagines, cur

non eodem modo concedimus imagines haberi nulla ratione posse, quemadmodum nec deos alienos? Haec causa est, quod adhuc multos, aut alienos deos habemus. Cogimur inviti hoc dicere: clandestinus enim morbus est, neque eum confitentur qui eo laborant. Hoc cuique deus est, quod sperat sibi, dum res postulat, opitulari posse. Nunc videamus an non omnes statuae ac pleraeque imagines in templa sint positae, ut nos opitulatorum eorum admonerent, ad quos in malis diversis curreremus. Magdalenam ligneam posuimus, ut nos eius admoneret, cui dimissa sunt peccata multa: non quod eam vellemus imitari ad pedes domini sedendo, et verbum eius audiendo ac sequendo, sed quod spem isti Divae haberemus, quemadmodum illa, carnis imbecillitate victa, quondam impensius genio indulserat, sic hodie quoque eam esse apud deum pro scortatoribus advocaturam, imo scortationem ipsam ignoturam: fuerunt enim qui divis tribuerent, quod solius dei est. Iam eam deam fecimus, quod vere nemo negare potest; et imaginem eius ipsius gratia coluimus, tanquam huic deae nostrae rem gratam facturi. Et has imagines adhuc suademus servari? An non omnes videmus ad ea loca pro ope adcurri, ubi imagines positae sunt? Annae cuidam: nam an Deiparae virginis parens hoc nomine vocetur, non constat sacris literis; sed donemus hoc ei nomen fuisse — Annae, inquam, divae passim supplicatum est, sed simul ubique erectae statuae: quae ut primum erigebantur, iam plebs ante eas procidebat, iam se beatam fore putans, si ad ligni oscula tactumve fuisset admissa. Vide quam augusta sit nobis facta imago, quam pictor in deum exaltavit, aut nostra potius insania. Quum ergo sine isto periculo non sint imagines in templis, qui fit, ut ulla advocatione dignemur eas res, quae tantopere a deo abstrahunt? Fieri nequit, ut, quorum unica spes dominus est, odio non prosequantur, quicquid vel monimentum solummodo est eius rei, quae a deo abstrahit. Tolle hanc Annae imaginem, et nemo illo concurret, ubi prius erat posita. Probat hanc sententiam Stammensium Christiana constantia, qui Annae statuas in delubro suo parum Christiane cultas, iuxta Tigurini Senatus decretum, eiecerunt et combusserunt, nolentes hunc abominabilem cultum in oculis creatoris sui piorumque hominum ulterius ferre. Post quod factum nemo istic quaerebat, quod se prius quidam falso invenisse praedicabant. Sic ludificatur daemon. Sic de omnibus imaginibus in genere nemo non videt sentiendum esse. Quod, nisi spes magnas haberemus eis, quorum imagines colimus in templis, non tam graviter eas pateremur efferri: quin potius quanto maior ac integrior fides nostra in deum esset, tanto maius studium quoque esset omnia e medio tollendi, quae a deo avocant. Cum ergo dicunt: Imagines haberi possunt ut doceant: est illis de doctrina satis responsum, undenam istam debeamus haurire. Sed et hoc addimus, quod quandoquidem certum imminet periculum deminutionis fidei, ubicunque imagines in templis prostant, imminet adorationis et cultus periculum: non debent non aboleri in templis, et ubicunque periculum cultus imminet. Sic et hae modo imagines aboleri debent, quae pietatem offendunt, aut fidem in deum minuunt: quales omnes humana specie sunt, quae pro aris ac

templis ponuntur, etiamsi inter initia non sunt divis positae. Facit enim diuturnitas temporis imaginem augustam, ut pessimum nonnunquam tyrannum ac impium hominem videamus pro divo cultum, non alia causa, quam quod ei aliquando statua fuit in templo posita: quam deinde, ut in templis omnia sunt augustiora, simplicitas amplexa fuit ac coluit, cum aliquot saecula simulacrum reddidissent *ἀμαυρότερον*, hoc est nigrius aut fuliginosius. Iuxta haec non putamus eas esse deturbandas, quae fenestris ornatus causa insertae sunt, modo nihil turpe prae se ferant: nemo enim istic colit. Breviter! quantum ablatae imagines veram pietatem adiuvent, nemo recte credit, quam qui expertus est. Tiguri, Altissimo gratia, pietas ac omne simul innocentiae studium tanquam de novo coepit longe uberius florere, posteaquam imagines sunt Senatus populique decreto elatae. Non dicimus quicquam ex adfectibus: nam alioqui nemo magis miratur picturas, statuas et imagines quam nos; at quae sic offendunt pietatem, ferri non debent, sed constanti magistratus auctoritate aboleri. Tantum de Imaginibus et Idol s hoc loci, donec uberiora permittant negotiorum tempestates nasci. Quod autem ad rationem scandali in his abolendis observandam attinet, est eodem modo cum imaginibus agendum, quo cum iis externis quae ad salutem pertinere aut aliquid posse videntur, de quibus postremo loco diximus. Debet doctrina praecedere, imaginum autem abolitio cum tranquillitate sequi: docebit autem omnia in omnibus charitas.

## EPILOGUS.

Volumus nunc omnium quae diximus materiam in brevem epilogum cogere, ne quisquam putet legem Christianam sic esse confusam ac inexplicabilem, ut nemo brevi discere, nemo explicare queat. Quod enim sive nos, sive alii, tam multa cogimur in re plana loqui, eius culpa factum est, qui omnia fuit ausus corrumpere, omnia turbare, adulterare ac depravare, quo cupiditati suae satisfaceret: ut nihil, aut certe parum multa sint per universam veri dei veram doctrinam, quae ille homo peccati non sit ausus perdere. Sed sic furit avaritia, ut quum sibi videat inter humana negari, quibus se exsaturet, iam divina quoque attingere audeat; et cum sancta videt esse ac intacta, hoc primum agit, ut sua interpretatione foedet; et ubi iam simul omnia conspurcavit, omnibus pro libidine abutitur. Unde et factum fuit, ut salutem a Romano pontifice non aliter quam ab institore mercati simus, crediderimusque Christianismum mercem potius esse, quam vitae sanctimoniam. Distat igitur hominum vita nihil a belluarum, si dei cognitionem adimas. Quid enim habent homines, quod non itidem belluae? Tuentur se ac liberos suos homines, cupiditates implent, egestatem fugiunt: non aliter faciunt belluae. Condit leges ac civitates homo; idem faciunt *ἀγελαῖα*, hoc est armentaria, ut Grues, Turdi, Sturni, Thynni, Cervi, Boves, Apes, Sues, quae certissimis legibus continentur, nunc multitudinem in cuneos distribuentes, nunc in unam aciem, nunc hic habitantes, nunc alio demigrantes, maiore plerumque fide servata, quam fiat inter homines. Noluit ergo deus sui ignarum relinquere hominem eumque semper sic docuit, ut quandocunque videretur in oblivionem dei venisse, confestim revo-

caret, ne videlicet degener cum bestiis potius perire cuperet, quam cum ipso aeterno vivere. Hinc tam sollicita inquisitio lapsi hominis: Adam ubi es? hinc tam ignis quam aquae diluvium, quo metu quoque in officio retineret. Rursus magnificae promissiones ac beneficia. Abrahamo promisit posteritatem orbi salutarem; sic Isaaco, Israeli, Iessaeique filio Davidi. Mose duce, adflictionem suorum ultra ferre nolens, totam gentem ex immanissima Pharaonis tyrannide abduxit hostemque ultus est, per desertum nunc pane coelitus demisso, nunc coturnicum carnibus aluit, aquas ubi deerant abunde vel e durissima petra produxit, vel ubi inutiles essent, condivit ut ampliter frui possent. Legibus veluti cancellis circumdedit, quibus a reliquis Gentibus separaret, quo isti viderent se peculiarem dei populum esse. Ad hunc modum sese prodidit pientissimus pater uni genti: tametsi aliis quoque nullibi deesset, ut mundus universus ipsum agnosceret unum ac solum esse, qui omnia potest, quo omnia constant, quo omnia gubernantur, ne miser homo ad belluas descisceret: legibus enim cupiditates in ordinem cogendo a belluis distinxit. Attamen leges eius quis unquam accepturus esset, qui non prius mentem ei dedicavisset, qui non ante omnia ipsum verum ac solum deum esse credidisset? Constat ergo, quandocunque se deus mundo manifestavit, cordibus quoque sic se ingessisse, ut quod audiretur vel videretur divinum esse cognosceretur. Non enim recipit caro quod ei adversum est; porro quicquid coelestis spiritus agit, carni adversum est. Nequit ergo deum homo recipere, nequit legem audire, nisi ille ipse deus corda ad se trahat, ut deum esse suum agnoscant, ac legem bonam recipiant. Sic ergo se deus a condito mundo variis modis humano generi ostendit, quo eum patrem ac dispensatorem rerum omnium agnosceremus. Primum igitur in pietate est, ut eum, quem confitemur deum nostrum esse, firmiter credamus deum, fontem parentemque rerum omnium esse: nisi enim sic faciamus, legibus eius nunquam obtemperabimus. Proximum autem ut nos ipsos non ignoremus: quum enim nobis nostri quoque cognitio deest, legem nullam recipimus. Quomodo enim reciperet legem, qui sibi nihil deesse putat? Tempestive igitur paterfamilias ille coelestis surgit, imo nocte, ut inquit Propheta, quo mature omnia disponat ac iubeat, ne videlicet operari incipiamus ante mandatum dimensum. Munit ergo legibus humanum genus, ne quicquam ordiatur neglecta lege: nam non solum Israeliticam gentem legibus vallavit, sed etiam Gentilium corda naturae, ut vocant, lege perscripsit: sic enim quidam eorum prophetarum ait: De coelo descendit *γνῶθι σεαυτόν*. At cognitione sui ipsius constat lex ista: Quod tibi vis fieri, alteri feceris; et contra: Quod tibi fieri nolis, alteri nolito facere. Nostro igitur bono deus se nobis manifestat: sive enim, quod summum est miraculum, se cordibus nostris ingerit, ut Deum ac patrem nostrum esse agnoscamus; sive per miraculosa opera idem efficit: in hoc solummodo facit, ut nobis prosit. Sed quae est ista utilitas, quam nobis tam anxie procurat? Duplex nimirum: videlicet ut hic innocentissime vivamus; et cum huius vitae curriculum perfectum est, cum eo aeterna laetitia fruamur. Quid enim opus fuisset dei cognitione ac legibus, si idem esset animi terminus qui corporis? nonne satius fuisset hominem, si ad hunc modum fuisset

bellua, belluam esse sinere quam ad falsas spes erigere? Voluit ergo deus in tam numerosa variaque creaturarum sobole genus humanum sic in terris habitare, ut hereditatem sibi in coelo positam ambiret. Sic placuit altissimo: nam qua alia causa se illi manifestaret, cum ad se amandum accenderet? Cumque sciret hominem vehementer admiraturum, qualisnam esset hereditas quam in coelo speraret, praebuit eius felicitatis gustum quendam, sed per nebulam ac transennam, ut aiunt. Videt homo cupiditatum audacia tumultuque hic omnia fieri; at ubi deum audit dicere: Ne concupiscas! iam nimirum sic colligit, noxiam concupiscentiam illic longissime abesse oportere, ubi vera felicitas est, et auctorem eius felicitatis longe alieniorem esse oportere ab omni cupiditate. Pulcherrimum igitur esse non ambigit, si dum hic quoque sumus, ab omni concupiscentia simus alienissimi. Hic iam digladiatio perpetuumque certamen. Molitur mens ad eius se exemplum formare, ad quem properat, cuius speciem videre desiderat, puta patris iusti, sancti, imo qui est ipsa iustitia, sanctitas, puritas, lux, quies, refrigerium, gaudium, et beatitudo simul tota. Reluctatur corpus, quod natura sua, quicquid mens magnifacit, contemnit: terrenis inhiat coelestibus neglectis: spem videndi dei nullam prorsus habet, non aliter, quam et ipsa terra, e qua prognatum est: proinde adfectus sequitur, et si quando mentis vi ab eis arceatur, iam contra ipsam conspirat ac tumultuatur. Hinc carnis et spiritus perpetua ista pugna, quae quamdiu non sumus quo tendimus, nunquam remittit. Hinc mentis desperatio nasceretur, nisi melior deus se illi sic exposuisset, ut eius misericordia tuto fideret. Quum enim post omnes conatus suos mens videat carnem sese non aliter in omne peccatum proiicere, quam filius iste apud Marcum, daemone obsessus, nunc se in ignem, nunc vero in aquam abiiciebat: fieri nequiret, ut non ad ultimam desperationem hac carnis impotentia redigeretur. Cum vero tamen spem non abiicit, neque conatus innocentiae ponit, potiorem videt misericordiam esse vindicta. A qua ne unquam excidat homo, quum iam divino consilio placuisset, misit coelestis pater unigenitum filium suum, quo omnium spes sic firmarentur, ut iam liquido viderent nihil negari posse, ubi filius pro miseris expenditur: quomodo enim non omnia nobis cum illo donaverit? Is ergo in hunc usum missus est, ut hanc mentis desperationem a carnis impotentia, ut dictum est, proficiscentem in universum tolleret, ac vitae exemplum praeberet. Haec enim duo Christus ubique inculcat, videlicet redemptionem per se, et quod qui per eum redempti sunt, iam ad eius exemplum vivere debeant. Sic enim ait Ioannis 6: 57. Et qui manducat me, vivet propter me: et Ioannis 15: 8. In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum adferatis, et efficiamini mei discipuli. Sic ergo attenti esse debemus ad vitae mutationem, quemadmodum eius redemptione fidimus. Christianus ergo vir est, qui deo uno solo ac vero fidit: qui misericordia illius fretus est per Christum filium eius, deum de deo: quique se ad eius exemplum format: qui quotidie moritur: qui se quotidie abnegat: qui ad hoc unum intentus est, ne quicquam admittat quod deum suum offendere possit. Quae custodia tantam diligentiam tantumque studium requirit, ut nemo non multis Theseis opus haberet, quibus innocentiam

tueretur, neque vero invictus unquam abiret. Pugna igitur est vita Christiana, tam acris et periculosa, ut nusquam sine damno cessetur; rursus perpetua quoque victoria est: nam qui hic pugnat, vincit, dummodo a capite Christo non deficiat. Sic ἀμφίβιον inter ceteras creaturas quoque voluit hominem habere deus, qui interim in terris habitaret, interim vero in coelis; ac rursus tum in terra esset, interim vinceret, interim cederet, nos vero factorum eius causas minime exigeremus. Quum ergo haec sola requirat a nobis deus, fidem et innocentiam: non potuit nocentior pestis excogitari, quam varius dei cultus nostra industria inventus. Eum enim amplexi sumus (ut omnia nostra magnifacimus) pro vero isto dei cultu, qui fide et innocentia constat, ac iuxta prophetae verbum Hieremiae 2: 13. Duo mala fecimus, Deum reliquimus, fontem aquae vivae, et effodimus nobis cisternas dissipatas, quae continere non possunt aquas. Vicarium Christo subrogavimus, quem et nostra stultitia audiendum dei loco decrevimus. Hic ubi per conscientias vidit sibi ad marsupia viam patere, quid non excogitavit? quid non est ausus? quot ille vias in coelum ostendit, attamen interim nullam sine vectigali? Confitebaris in aurem Christi vicario; promittebatur coelum si tantum pro Missis ac murmure numerabas. Factionem aliquam sequebaris, cui stolida plebs multum contribuebat; iterum coelos adsequebaris: quantum enim istis accedebat, tanto potentior vicarius iste reddebatur. Sic omnia percurre, quae nobis audax avaritia praescripsit, et invenies eam hominibus veram religionem remisisse, hoc est fidem et innocentiam, quibus unis ac solis colitur deus, neque aliam venerationem a nobis requirit, imo inventiones alias sic contemnit, ut dicat ea, quae alta videantur hominibus, abominationem esse apud se. His unice colendus erat deus, quibus ille delectatur. Quis enim inter homines tam amens est, ut quenquam iis rebus colat, quibus nihil adficiatur? Nugae ergo sunt, quaecunque nostra vel inscitia vel audacia pro divinis cultibus prodidimus. Nunc vero cur semper pueri sumus? Cum deum videamus aliis rebus delectari, quam quibus hactenus defatigavimus: cur tam gravatim ab inutilibus nugis ad vera ista solidaque, iustitiam, fidem, misericordiam, transimus? quibus Christus totam religionem complexus est. Fidem illi debemus, iustitiam ac innocentiam tum nobis tum aliis, misericordiam omnibus egentibus. Age igitur, optime Lector! hunc Commentarium mensibus tribus et dimidio sic domi preloque festinatum, ut quemadmodum vides nunc stet, rusticus quidem, sed veri sanctique studiosus, aequanimiter tractes, bonique consulas. Equidem non dubito multa esse quae infirmiusculos quosdam sint vehementer offensura; sed hi simul cogitent Paulum aliquando locutum esse ut infantem, speculentque an non et ipsi forsan sint etiamnunc imbecilliores. Nos enim quicquid diximus, in gloriam Dei, ad utilitatem reipub. Christianae, conscientiarumque bonum diximus. Deo gratia!

# SUBSIDIUM SIVE CORONIS
## DE EUCHARISTIA
### HULDRICO ZUINGLIO AUCTORE.

Postquam Zuinglius undecimo Aprilis cum ambobus aliis Plebanis Engelhardo et Leone Iudae atque Myconio Senatum maiorem adierunt, ut antiquationem Missae et Sacrae Coenae evangelicam instaurationem in feriam quartam hebdomadae magnae et in solemnia resurrectionis 1525 impetrarent: Ioacimus am Grüt, ab actis reip. secundus, acerrime invectus est longa oratione in eorum de S. C. doctrinam, Zuinglius autem et Engelhardus diluerunt obiecta; petita vero Zuinglii sociorumque ab Senatu Magno die 12. concessa sunt, Missaque in perpetuum abolita et Sacrae Coenae surrogatus est ritus. Tum postridie eius diei, quarta feria hebdomadae magnae, 13. Aprilis, ac solemnibus Resurrectionis, 16. die, magno cum adsensu primum Tigurini eucharistiam evangelicam celebrarunt, quum Zuinglius liturgiam eius iam praeconceptam in promtu haberet.

Hoc scripto integravit Zuinglius doctrinam Eucharistiae commentario expositam et refutavit praesertim ea, quae Ioacimus am Grüt qua diximus occasione obiecerat.

Latina editio quae princeps in lucem prodiit apud Froschoverum 7. foliis quartanis, in Opp. II. 243 a — 255 extat. Germanicae versionis editiones duae exierunt in vulgus hoc titulo: „Nachhut von dem Nachtmal oder der Danksagung Christi durch Huldrychen Zuingli in Latin beschriben und durch Georgen Binder vertütschet;“ editio prima apud Hager. 30 Nov. 1525. 7 foliis 4.; secunda apud Froschoverum 1526. 7 ¾ foliis 4.

## CLARISSIMIS VIRIS BARPTOLEMAEO A MADIIS, BERNENSIUM A SENATU, VOLFGANGO ET CLAUDIO FILIIS, IACOBO ET BENEDICTO NEPOTIBUS, AC PRONEPOTIBUS EIUS, TOTIQUE GENTI[1] HULDRICUS ZUINGLIUS.

Gratiam et pacem a deo. Tanta est hodie, viri ornatissimi, sub praetextu mitis Christi, calumniandi audacia, ut non pauci et docti et pii homines, quod amicis nuncuparunt, undique munire coacti sint, ne quorundam genuinum experirentur, qui negant Christianum Christiano quidquam dedicare posse; impiis hanc consuetudinem esse relinquendam et incredulis: hos enim solere adulationum ambitu apud habentiores semper aliquid eblandiri; quum ipse nondum videam quibusnam prius τὸ κλαίειν mittendum sit, an innocuis istis adulatoribus, quamvis incredulis, an moderatoribus istis rerum omnium ac censoribus, qui tamen pietatis nomen hac via quaerunt, si sint mordacissimi. Quasi vero apostoli, Petrus, Ioannes, Paulus, non tantas, cum publice ad totas Ecclesias, tum privatim ad amicos dederint epistolas, ut iusti libri videri possint, non operis amplitudine tantum, sed argumenti quoque magnificentia et gravitate. Sic enim scribebant, ut publicae epistolae privatim omnibus prodessent, et privatae publice omnibus. Epistola igitur illis fiebat, quod liber exire poterat. Quo nobis etiam modo licuisset totum hunc libellum epistolam facere, non librum, eodem argumento manente, sed non eodem nomine. Sed nolo hac defensione uti apud istos, qui satisfactionem nullam recipiunt, nisi dum pro audacia sua causam dicunt: iam illis omnia licent, omnia recte pieque acta sunt. Istorum ipsorum iure nitar, dum ad vos hanc opellam mitto. Dicunt enim causam cur nuncupare non liceat, quod qui nuncupent plerunque ambiant. Ambitum ergo ubi sustulero, iam iure licebit ad vos scribere. Attamen missis Zoilis istis, ne dum eos abundantius insectaremur, quisquam putaret eos alicuius esse faciendos, id agamus, cuius causa huc ventum est. Cum subsidium istud, quantulumcunque est, prodire pararet, visi estis soli ad quos primum diverteret: tantus est enim odor pietatis vestrae, ut cum merito nulla debeat abolere vetustas. Habet enim et Christi Ecclesia exempla sua, quae posteritas spectet ac imitetur; ea vero, quomodo ad posteros usque perdurabunt, nisi sit qui venientibus saeculis commendet? Christus tantum non legem condidit, ut Magdalenae factum, praedicantibus apostolis, ad omnes dimanaret: enunciant publicis epistolis Apostoli, si qui fuissent inter discipulos pietate insignes. Quod si te nunc, Barptolemaee prudentissime, hinc commendarem, quod inter Bernates Senatorium ordinem iam olim adeptus es: quod mira tum sapientia tum constantia perpetuo geris: quod tam humanis liberis, nepotibus ac pronepotibus, iisque amantibus ac nutibus tuis obtemperantibus, stipatus es: quod isti, nunc te spectante, magna rerum magnarum indicia dant, qualesque olim futuri sint, cum oculos tuos feliciter clauserint, ipso flore testantur: quod numerosa de eis, pulchraque tibi posteritas quotidie sobolescit: quod rerum omnium adfluit ubertas: quod vulgi plausu

[1]) De hac familia, quae reformationi Bernae potissimum favebat, videi Vol. VII. Epist. X et LXV. 1525.

adobruunt: non immerito, inquam, nos proscinderent amari isti censores, si te ob ista frivola (absit invidia) nugacia et ad omnem ventum nutantia commendarem: nihil enim inter humana solide firmum est. Quum autem te omnes pietate tam integra, tua vero tenuibus ac laborantibus in Christo fratribus tam exposita esse praedicent, ut liquido adpareat te ista, quae paulo ante numeravimus, non sic mirari ut eis efferaris, sed moneri ne ipsis potius, quam qui largitus est ea, deo inhaereas: iam non debent pii homines committere, ut tali exemplo posteri fraudentur. Sunt haec tempora sic turbulenta et adflicta, ut quum futuri aliquando homines intuituri sunt eorum faciem, si modo quisquam stilo dignabitur, non dubitem, constituros tanquam ad repentinam aliquam immanemque inusitatae tempestatis procellam, atque adeo maxime, quod omnis motus ἀφ' ἑσίας eorum nascitur, qui Ecclesiasticorum nomine sese indicant, non dicam venditant, cum non adsit emptor; eam posterorum consternationem levabunt e mediis fluctibus servata exempla, cum simul vident cum summo scelere summam quoque virtutem viguisse ac certavisse. Vobis ergo statutum est hoc de Eucharistia subsidiolum dedicare, non quo pro dignitate commendem gloriam vestram, quam in Evangelio Christi habetis, sed quo tester tales esse quos doctissimorum hominum sermo debeat aeternitati consecrare, vel hoc argumento, quod argumentum Romanensibus longe infestissimum libere licuerit vobis nuncupare: sunt enim nonnulli, qui piissimorum sive hominum sive operum inscriptionem despuunt. Quum igitur res tam odiosa Romanensibus vestrum nomen in ipso rostro portendit: iam omnibus discitur fidei integritatisque vestrae infracta inconcussaque virtus. Corusca est veri facies, lipporumque oculos perstringit sic, ut in eam intendere nequeant. Hic infelices non student morbo mederi, ut cum sanis possint gratissimam lucem intueri; sed protinus exclamant: Tolle tolle hunc, qui hoc malum, lucem veri scilicet, proferre audet. Qui ergo hic in auxilium prosilit, ac proditam lucem tuetur, is nimirum summam ab ipsa veritate quae Christus est gratiam inibit. Quid caecius quaeso, quid obscurius, quid tenebricosius fuit, quam in symbolico Eucharistiae pane putare nos corpoream Christi carnem edere? Quid deinde stultius quam humana temeritate commenta fingere quibus extremam dementiam tuearis? praesertim cum nec Apostoli, nec prisci homines Christo fidentes sic Salvatoris sui verba intellexerint, ut aliquid tale liceat apud eos suspicari. Quod si nunc e scripturarum fontibus proferas, quibus planissimam veritatem sensibus etiam exponas, non ad ludibrium aut convitia, sed ad supplicia mortesque sexcentas te ipsum eiicies. Ibi si Theseus aliquis aut Patroclus prodeat, qui tam abest, ut deserat, ut etiam propugnet, quid sanctius dici poterit? quid fidelius? quid Christiano homine dignius? Prodeunt autem hac tempestate multi, quos idololatriae impatientia cogit veritati patrocinari, docent non adorari posse citra piaculum quod videtur, docent carnem nihil prodesse, docent Christi corpoream carnem non edi posse. Illos si auxilio nostro destituamus, inertium servorum obiurgationem non effugiemus; praesertim cum alii, rei quidem non ignari, silentii tamen beneficio cuticulae consulant, alii vero omnem mandragoram sic ebiberint, ut ad spiritalem intellectum nullis neque

pugnis neque sibilis excitari queant. Stemus a veritate! utcunque ventura saecula sint eam tractaturi, saltem nos non cessaverimus. Caducae mentes sunt, quae propter carnem tumultuantur, quae nulla promissione beat; plenae autem roboris, duraturaeque in sempiternum, quae crucifixi abundanti gratiae adhaerent: hi enim habebunt vitam aeternam. Legite ergo istud nostrum subsidiolum, et ex fide iudicate, nec eos metuite qui gigantum quorundam nominibus, aliter sentientium, victoriam sibi miseram pollicentur. Satis habemus armorum. Servet vos Christus incolumes! Ex Tiguro 17. Augusti, Anno 1525.

---

## SUBSIDIUM SIVE CORONIS DE EUCHARISTIA
### HULDRICO ZUINGLIO AUCTORE

Scimus non defuturos esse qui protenus, ut libri titulum intuiti sunt, aequum esse dicant, ut copiis imbecillibus subsidium mittatur, quorum urbanitati respondere consilium non est, duplici nomine: Vel quod nunquam quicquam tam circumspecte dixeris, quod ipsi vertere in ludibrium non audeant; vel quod difficulter subsidio cedunt, in quos copiae ipsae impressionem nullam facere potuerunt. Sunt tamen haud parum multi qui priore de Eucharistia commentario sic moti sunt, ut rem planissimam in considerationem admiserint: cui pridem aures obstinatius quam incantationi obserabant. Iis hoc subsidium mittitur, ut quod superioribus propter operis celerem ac tumultuariam promulgationem deest, hic ex parte sarciatur: partem enim alii praestabunt. Sumus enim ad edendos libros omnium infelicissimi; temporum autem id ipsum iniquitate fit. Ea enim quotidie silentium ac latebras meditantem protrahunt et ad scribendum compellunt, sed interim otium, interim annos ad maturandum pertinaciter denegant: quo fit, ut omnia nostra impetus iustius adpelles quam libros. Sed deo gratia qui nos hoc velut auspicio docet a gloriae studio desistendum esse, ac omnia simplici fide proferenda, ut quanto sint a cultu fastuque artificii alieniora, tanto sint ad illius gloriam amplificandam potentiora, quo manifestum fiat omnibus, arma nostra non carnalia, sed deo esse potentia. Cum ergo pridem admodum inter alios locos eum quoque, qui de Eucharistia est, in Commentario nostro tractavissemus, edito iam libro, quaedam in memoriam redeunt, quae inter prima statueramus ponere, nisi excidissent; quaedam autem de novo succurrerunt, quae si tempus maturitatem concessisset, latere non potuissent, ut non tempestive satis ante operis absolutionem venirent. Interea vero alius alia obiicit: e quibus illa responsione dignabimur, quae aut propter obscuritatem suam, aut adversariorum veneficium in contrarium quiddam posse visa sunt.

Ante omnia vero quorundam calumniis satisfacere statuimus. Sunt enim qui dicant intempestive evulgatam a nobis esse hanc verborum Christi expositionem; sunt et alii qui nos Carolostadianum vocent. Accipiant ergo per Christum obsecro nostram ad ista responsionem tam veram, quam ab omni amaritudine alienam. Fuimus ante annos plures,

quam nunc conveniat dicere, huius opinionis de Eucharistia, quam et per epistolam et in Commentario promulgavimus. Sed consilium erat eam non temere in vulgum dissipare, ne margaritas ante porcos, nisi cum doctis ac piis hominibus crebro contulissem: quo res omnium ferme opinionibus maxima, quum aliquando prodiret, et patronos haberet multos, et invidiam istam clamosam declinare posset, quae a legendo, audiendo, iudicando solis quiritationibus insanis deterret pias mentes. Procedebat ex sententia consilium: nam quibuscum conferebam pedibus concedebant ad nostras partes, imo plerique non aliter respirabant, quam qui longa captivitate liberati e tenebris ac profunda solitudine in lucem et amicorum amplexus redierunt. Ibi prodit cum sua expositione Carolostadius, violenta nimis, ut etiam isti pronunciaverunt, qui vehementer Carolostadiani sunt, posteaquam veterum expositionem postliminio per nos reductam expenderunt. Compertum quoque habemus quod Tigurum non alia causa statuerat proficisci, quam ut rem vulgi auribus inusitatam nobiscum conferret, quem tamen melancholicus quorumdam spiritus sic a congressu nostro deterruit, ut ne salutaverit quidem. Atque isto pharmaco sic munitus ac servatus est, ut neque Basileae, neque Argentorati quicquam super hac re cum verbi ministris contulerit.[1] Neque ignoraverunt isti, quos paulo ante melancholico spiritu imbutos diximus, sententiam nostram de Eucharistia; sed induci nulla ratione potuerunt ut adstipularentur. At ubi Carolostadii expositionem viderunt, iam Basileam ipsi volabant, ac libros eius suis humeris asportantes eis non modo urbes, oppida, pagosque, verum etiam villas ferme omnes opplebant. Spei tamen non respondebat proventus: pauci enim recipiebant sententiam; sed non alia, ut arbitror, causa deterriti, quam violentia duritiaque expositionis. Quid hic porro faceremus, qui Tiguri verbo praesumus? quum fratrum magna pars sententiae summam probaret. Quisque enim domi ex fide didicerat nostrisque praedicationibus, quam portentosum esset carnem et sanguinem hic sperare, quum Christus spiritum et vitam esse dixerit, quod ipse de carne et sanguine suo docuerat. Non probabatur tamen eis tam audax expositio. Quid, inquam, faceremus? an in priorem labyrinthum retruderemus contra nostram hac in re sententiam? praesertim quum iam veterum expositionem ac mentem vidissemus. Coepimus ergo protenus aperire tropum qui in verbis dominicis est, atque hoc tam feliciter, ut fratrum captus nostram enarrationem anteverteret, qui tamen a Carolostadii expositione supra modum abhorrebant. Ecce ad hunc modum Carolostadiani sumus; non quod hominis ferme undique ignoti nomen alia causa deprecemur, quam quod odiosa sunt omnia sectarum nomina. Debebamusque, qui Evangelii ministerium implemus, prae caeteris ab imponendis sectarum nominibus temperare, cum abunde sit horum, qui candidissimam Evangelii ipsius doctrinam et administrationem exosis sectarum hominumque

[1]) Carolostadius Basileae sex scripta inconsultis ibi Theologis et clam magistratibus urbis vulganda curavit. Quapropter typographi in carcerem conjecti sunt. Carolostadii libros Tigurum missos ac venuntes interdixit senatus; Zuinglius autem pro concione sacra oravit, ut eorum lectio permitteretur. Hotting. Hist. Eccl. III. 213 sq.

nominibus infamem reddere audent. His putamus etiam ad priorem calumniam satis esse. Quomodo enim tempestivius prodire potuissem, quam quum haec res, etiam periculosè, controverteretur? Imo quomodo potuissem tempestive tacere, orto iam contentionis incendio? neque enim promiseram me perpetuo pressuram esse hanc veterum sententiam, sed aliquamdiu, donec offensio sic caveretur, ne aliquam turbam daret: non enim ignoramus quomodo Christi hostes vulgi simplicitate ad excitandos tumultus abutantur. Accedebat Commentarii promissio: cum enim ad vernas Francfordensium nundinas absoluturum cum deo receperamus. An ergo istic dissimulandum erat, quod vere sentiremus, aut simulandum quod minime sentiremus? Equidem non ignoro, ut Christianum Protea deceat omnibus omnia fieri; at iuxta scio divinam providentiam tales nobis nodos nectere, ut velimus, nolimus, etiam si plurimum immineat periculi, prodere tamen cogamur, quae ad illius gloriam et piarum mentium usum faciunt. Prodidimus ergo veram istam de gratiarum actione sententiam, quum res maxime postularet, quum Carolostadius vehementer quidem curreret, sed non nihil extra oleas. Qui ergo nos eius nomine respergunt, nihil nisi iniquitatem suam produnt. Quis enim tam vecors est, ut non videat nos nunquam ituros esse in Carolostadii sententiam, si non aliis auctoribus didicissemus hic tropum esse in verbis dominicis, non demonstrationis amphibolum, apostropham, aut metabolam? Sed in viam redimus.

Non existimavimus operae pretium esse, ut quae in Commentario nostro attulimus, hic altius repetamus. Satis enim factum esse speramus piis ac in fide fortioribus, qui se Christo in huius mundi cataclysmo non aliter credunt, quam olim Noachus se, suos totiusque mundi mox perituri reliquias, veluti posthumos, portentosae navi commisit. Qui enim Christo fidunt, Christum ultra secundum carnem non requirunt: sciunt enim carnem prorsus nihil prodesse si edas. Sed simul non fugit eos, prodesse plurimum si credas Christum in carne pro te mactatum, eoque fidas. Hoc isti enatant in cortice; hac in arca servantur. Sciunt velum, Christo animam in cruce reddente, hac causa in duo scissum esse, ut iam omnia nuda et aperta credentibus videantur, quae prius umbris ac nebulis involuta erant. Luce enim, hoc est re ista praesente, quam figurae umbrarum instar portendebant, fas non est ullas tenebras in medio relinqui; nisi tam hebes lux esset, ut tam obscuram nubem penetrare nequiret. Quod sic a Christo abest, ut ipsum cum ulla tenebrarum admixtione mens nulla capere possit. Quid autem tenebricosius quaeso unquam auditum est, quam carnem et sanguinem in ista panegyri edi, tum quum panis et vinum absumuntur? Quae gens, qui populi, quae urbes a natis hominibus tale commentum uspiam non dicam invenerunt vel receperunt, sed aut inventum aut receptum esse prodiderunt? Sciunt ergo qui Christo fidunt hac sola ratione salutem constare, dum fidunt; nec edentibus uspiam promissam esse salutem. Quod enim scriptum est: Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo: sentiunt spiritum et vitam esse seque in Christo fide manere, contraque consolationis ac tranquillitatis praesentia ipsum in se ipsis habere. Quum ergo carnali esui non sit repromissa

salus, carnem hanc nihil morantur, contenti credidisse eam pro nobis mactatam esse, eoque fidere qui in ea mactatus est. Sciunt eam carnem a dextera patris sedere nec inde moveri, donec redeat cum universo mundo rationem positurus. Fide constat salus, non corporali manducatione, neque ea fide qua te fingas credere quicquid finxeris, sed qua fidis filio dei pro te in cruce impenso. Non, inquam, visum est repetere, quae fusius in Commentario de hac re dicta sunt; quum apud vere pios haec sententia iam in portu naviget, corpoream hic carnem non edi, sed verbis Christi tropum inesse. Id autem quo manifestius fiat, primum ad ea transimus, quae dum Commentarium scriberemus exciderunt. His iungemus quae postmodum succurrerunt; inter ultima quibusdam obiectionibus responsiones ponemus.

Quae exciderunt duo sunt, alterum diserta Christi verba, alterum ratio sive argumentatio quae ex eius verbis sumitur. Verba Christi ea sunt, quae Matthaei cap. 26. recitat, ubi post Eucharistiae institutionem sic loquitur: Dico autem vobis, quod ab hac hora nullatenus bibam de hoc fructu vitis, usque ad eam diem, qua ipsum bibam vobiscum novum in regno patris mei. Quibus verbis Christus id ipsum, quod iam iam sanguinem suum tropice adpellaverat, vinum nominat aut vitis generationem. Nec causari licet novum hic sermonem coeptum esse, quum coniunctio *autem* ad superiora spectare cogat, ut sit sensus: Vos quidem commemorationis symbolum edistis et bibistis panem et vinum; ego autem non bibi neque hinc bibam, donec impleatur novum in regno patris mei. Quod autem Christus non biberit, apud Lucam manifestum fit: qui nimirum ob hanc causam ipsum sibi a vino interdixisse commemorat, priusquam hanc panegyrin et eucharistiam instituisset, quo liqueret eum non minus a vino abstinuisse ad aram properantem, quam olim sacerdotes litaturi ab eo temperabant. In qua sententia Origenem videmus esse Homilia 7: 1. in Levit. Sive ergo ante constitutionem Commemorationis sive protenus, ut Symbolum edissent Apostoli, se a vino temperaturum pronunciavit, certe vinum adpellat, quod isti bibissent. Id quod nunquam facturus erat, si, quemadmodum nos somniamus, aut ipse sanguinem corporeum bibendum dedisset, aut Apostoli talem sibi vel porrigi vel hauriri credidissent. Quantum enim haesitationis et confusionis obortum esset eorum mentibus, si quod iam nunc sanguinem vocaverat, ut primum biberant, iterum vinum nominasset? Nonne quisque apud se dicturus erat: Amabo, vinum non est sanguis? Cur ergo sanguinem adpellavit? Liquet ergo ex ipsa discipulorum tranquillitate, eos sermonem Christi recte intellexisse, sed symbolicos. Neque istud debet cuiquam absurdum videri, quod discipuli alias crassi subito hanc sermonis formam intellexerint: assueti enim erant et ad linguam Christi et ad commemorationis symbolum. Cum Christo sic versati erant, ut iam vel ex solo gestu verborum pondus aestimare possent; et pascha tam crebro repetiverant, ut quod hic instituebatur confestim quiddam simile ipsi paschati prae se ferret, ubi etiam tropicos dictum erat: Est enim *Paesach*, de quo paulo post. Vinum igitur manifesto videmus vocari ab ipso Christo, quod propinaverat; et discipulos vinum non sanguinem se bibisse arbitratos. Atque vehementer mirum est,

nos omnes sic ad hoc Christi verbum: Non bibam de fructu vitis etc. hallucinatos esse, ut nemo excusserit; quum tamen ex uno eo potuissemus, velut ex ungue leonem, huius rei veritatem cognoscere.

Alterum quod prius excidit, argumentatio est, ex ipsius Christi verbis sumta, Matth. 26: 27. et Marc. 14: 24. Nam Lucae verba in Commentario expendimus. Ea sunt: Bibite ex eo omnes! Hoc enim est sanguis meus, qui est novi Testamenti, qui pro multitudine effunditur ad remissionem peccatorum. Hic omnia praeteribimus quam istum articulum τὸ, id est *qui est.* Manifestum est omnibus, qui mediocriter Graece docti sunt, quod προταχτικοὶ, id est praepositivi articuli, si certam vocem suam sequantur, in ὑποταχτικὲς, id est subpositivos, transire, quae nos relativa vocamus. Quamvis pleraque relativa apud Latinos tantam vim non habeant, quantam praepositivi articuli postpositi, nisi forte unum hoc *ille*, si relative ponatur. Ponuntur enim huiusmodi Graecorum articuli praepositivi, dummodo voci postponuntur, vice *qui est*, vel *quod est*, aut similium, si non iungatur aliud subiectum; quum interim Latinorum relativa eam tantummodo vocem refricent, quam referunt citra substantivi verbi vim. Quum ergo apud Matthaeum verba symbolici calicis ad hunc modum habent: τοῦτο γάρ ἐςι τὸ αἷμά μα τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον etc. id est: Hoc enim est sanguis meus, qui est novi Testamenti, qui pro multitudine effunditur etc. Ibi articulus τὸ secundo loco positus tantum valet, quantum qui est, ut totus sermo Christi hunc sensum habeat: Hoc (quod scilicet praebebat poculum, ut facile patet, dum hanc conjunctionem γὰρ, id est *enim*, et articulum τὸ, *qui*, αἷμα, id est *sanguis*, praepositivum, diligenter expenderis) est enim sanguis meus, qui meus sanguis est sanguis novi Testamenti, qui pro multitudine, id est, dum vel quatenus pro multitudine funditur. Hic ergo iste articulus τὸ, *qui est*, nostrae argumentationi solidum fundamentum praebet ad hunc modum: Sanguis Christi, quatenus effusus est, est sanguis novi Testamenti. At quum Christus hoc poculum praeberet, sanguis eius nondum erat effusus. Ergo non praebebat sanguinem Testamenti bibendum. Fit ergo manifestum quod poculum hoc non erat sanguis Testamenti, neque ipsum Testamentum, sed Testamenti symbolum. Primus sermo vel propositio, videlicet: Sanguis Christi, quatenus effusus est, est sanguis novi Testamenti, ad hunc modum robur accipit. Christus ipse suis verbis hunc esse sensum explicat quum dicit: Qui pro multitudine effunditur in remissionem peccatorum. Causa ergo aut finis, cur sanguis funditur, est remissio peccatorum? Est. At remissio peccatorum gratuita per sanguinem Christi est novum Testamentum, sicut praedixit Ieremias 31: 3. et Paulus explicat Hebraeorum 8: 8. et 9: 15. et Col. 1: 14. Consequens ergo est ut sanguis Christi nunc tandem factus sit sanguis Testamenti, quum pro nobis effunderetur. Ubicunque enim Testamentum ad effectum exit, istic necesse est mortem testatoris intercedere. Hebr. 9: 16. At secunda propositio, videlicet quum Christus hoc poculum praeberet, sanguis eius nondum erat effusus, ad hunc modum firmatur. Luc. 22: 15. sic ait Christus: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, priusquam patiar. Quum

ergo nondum passus esset, nondum erat sanguis effusus: mori enim ac pati pro nobis, et sanguinem eius fundi pro nobis, aequipollent, ut alias abunde ostendimus, et Rom. 6: 10. Hebr. 9: 12. 1. Pet. 2. et 3. videre licet. Stat igitur nimirum et tertia propositio, quae ex istis colligitur, puta: Ergo Christus non praebebat sanguinem Testamenti bibendum, firma et inconcussa, sic ut nulla arte, nulla vi deiici possit aut subrui. Unde nec hodie ipsum Testamenti sanguinem bibimus, sed sanguinis Testamenti symbolum. Sed ne cui alia parte rima ad irrumpendum pateat: Etsi hic non bibimus sanguinem, quem in cruce Iudaei hauserunt, bibimus tamen eum, quo ipse vixit. Dicit enim: Hoc enim est sanguis meus. Quum ergo tunc nondum fusus esset, nec tamen eius verba possint esse vana, constat omnino bibi sanguinem, tametsi eum fortasse solummodo, quo victitabat — ne, inquam, impudens contentio ad hunc modum sibi ad corporeum sanguinem speret viam esse facturam, perpendenda sunt istis haec Christi verba: Qui est novi Testamenti. Quum enim hic tropum nolunt recipere: coguntur fateri, hoc quod hic bibitur esse Testamenti sanguinem. Quum ergo nondum esset sanguis Testamenti, eo quod nondum fusus esset, cogentur irritissimum ac sibi undique contradicentem fateri esse sermonem istum Christi. Quo quid sceleratius, impurius aut abominatius dici queat? Attamen caveri non potest, quo minus in has angustias pellantur, si tropum non admittunt. Quum enim hanc vocem *Est* contumaciter *ὑπαρκτικῶς*, id est substantive capi debere contendunt, sic ut istud quod porrigebatur sit sanguis Christi: iam obstant quae sequuntur, nempe quod is sanguis non sit sanguis Testamenti: nondum enim effusus erat. Sequetur ergo simul, quod ibi nullus sit sanguis: nam si sanguis Testamenti tunc non fuit datus, plane nullus sanguis est datus. Nam is tantummodo istic dari dicitur, si modo hoc verbum *Est* substantive capiatur, ut ipsi obdurant. Qui tamen dari non potuit, quod non esset effusus: nisi enim effunderetur non erat sanguis Testamenti. Tam ergo ex his verbis Christi convincitur sanguinem Testamenti tunc non datum esse discipulis, quantumvis adversarii eis nituntur ad adserendum corporeum sanguinem. Scio hic plurima ex adverso mitti pōsse iacula quamvis frustranea; ut istud: Tametsi nondum erat sanguis fusus, brevi tamen fundebatur; et fieri occulta virtute dei potuisse, ut Apostoli biberint fusum sanguinem, qui tamen nondum visibiliter fusus erat, et omnia deo esse praesentia, atque id genus verborum vel portenta vel importuna suffugia. Verum quid obsecro causae est, cur non potius velimus in tropo conciliari atque idem sentire, quam infinitum contentionis funem texere? Nemo negat contentioso nunquam deesse quod responset; attamen interim quoque nemo ignorat qui solida est claraque fide, quod quicquid tandem praetexamus litigiosae procacitatis esse citius quam illibatae pietatis, etiamsi per omnes superorum inferorumque aras peieremus. Nam si ullae sunt in humano pectore veritatis reliquiae, palam confitebimur, hanc de corporeis carne et sanguine opinionem nunquam apud nos a suspicione liberam fuisse. Cum ergo quidam adeo impudenter prosiliunt, illudere omnium iudiciis ac fidei videntur; perinde, quasi nemo videat quid fides sit, quid caecitas, quid praestigium, quid *φιλαυτία*. Porro

si tropum receperimus: iam in portu navigamus, iam tuta et plana sunt omnia, non reclamat fides, non communis sensus, non ipsum scripturae ingenium, quae tropis est undique referta. Cedamus ergo viri, cedamus a perniciosa contentione, quae ubi nocentissimae sorori suae pertinaciae iuncta est, mavult omnia collabi, etiam ipsam veritatem, quam vinci. Videamus igitur nunc quo nam pacto quadrent Christi verba, si tropum admittamus. *Hoc poculum* figura aut symbolum est mei sanguinis, qui sanguis est novi Testamenti, eo quod pro peccatorum multitudinis remissione effunditur. Quales tropos crebro in Scriptura invenimus, de quibus nunc paucula dicemus.

Est in scripturis sacris invenire, ubi figurata figurantium aut similium nomina usurpant. Ut quum Christus dicit se vitem esse: iam ipse, qui per vitem tamquam per symbolum propter quandam similitudinem significatur, vitis adpellatur *κατὰ μεταφορὰν*, qui vitis vere non erat si *corpoream* vitem esse contendas; sed supra modum vera vitis est cuius nos palmites sumus, dum in ipso virescimus ultro, illius gratia; nosque, nisi in eo simus, evanidi atque aridi nullam reddere frugem possimus. Vitis ergo quum figuram quandam ac imaginem dei prae se ferat: fit eius nomen quod figurabat; et dicitur Christus vitis metaphorice propter similitudinis nonnullam cognationem, ut dictum est. Est contra invenire ubi figurantia figuratorum nomenclaturam induunt. Ut quum oves pro piis, lupi pro improbis ac tyrannis accipiuntur, ager pro mundo, inimicus homo pro diabolo, messores pro angelis. Matth. 13. Atque id genus metaphorarum omnes tum scripturae, tum sermones, plenissimi sunt, sic ut neque quotidiano sermone absque eis uti commode possimus, quum alium columnam, proram ac puppim reipublicae adpellamus; alium autem pestem, procellam, Catilinam, Maelium. Quum ergo Camillum urbis columnam aut Ciceronem urbis columen esse dicis, tropice nimirum loqueris: nam verum, id est corporeum, columen aut columna neuter est. Exiliunt subito bruti homines, non esse per similitudinem aut tropice dictum, sed vere esse columnam Camillum, faciuntque homines stipitibus stupidiores, ex altero statuam, ex altero vero fastigium aut colophonem. Sic et hoc: *Petra Christus erat*, non sic accipiendum est, ut Christus sit saxea petra; sed quandoquidem petra quiddam imaginis aut similitudinis dei habet, transfertur Christus ad petrae nomen. Et dum isti dicunt: Christus vere erat petra, iam volunt nostrae simplicitati imponere: amphibola enim est ista vox *Vere:* semel enim accipitur pro eo quod est *per essentiam*, quod isti dicunt essentialiter; iterum accipitur pro eo quod est *καθ' ὑπερβολὴν*, id est *per excellentiam*, vel pro *supra modum*. Quum ergo statuam vere dico esse lapideam, intelligo per essentiam esse lapidem; non sic intelligo Christum vere esse petram, id est per essentiam esse saxum, sed vere esse petram, hoc est, firmitate, soliditate, certitudine supra omnem esse petram. Veruntamen et hoc bis tropus est, cum dico, vere esse petram; suntque duo iam tropi in hoc sermone: Christus est vere petra, hyperbole et metaphora. Ad hunc modum ergo negare nequit fides aut communis fidelium sensus, quin figurantia in praesenti sermone figuratorum nomina mutuo acceperint: id quod minime debet absurdum cuiquam videri,

symbolum scilicet aut figuram pro figurato aut ipso cuius est symbolum accipi, ut quandoquidem hac panegyri commemorationem facimus Christi corporis, veri illius per essentiam, pro nobis caesi, et sanguinis eius pro nobis effusi, symbolis istis pane et vino: iam panem corpus, vinum autem sanguinem adpellemus, quod et Christus ad hunc modum adpellavit, et discipuli non aliter accepisse plane videntur. Obloquitur hic quidam in libello tam egregio, ut si Syllae oblatus esset, ingentem ab eo mercedem abstulisset, ne ultra quidquam scriberet — ad hunc modum, inquam, obloquitur: *μετωνυμία* haec est, unde istud verbum *Est* non potest pro *significat* accipi, sed *ὑπαρκτικῶς*, id est substantive. Quid facias huic hominum generi? quod dum se figuris male intellectis tuetur, figuratum sermonem esse negat aut tropicum; ubi tamen iis ipsis testibus figura est. An *μετωνυμία* tropus non est? Age videamus quid tandem sit metonymia, ut tute videas belle homuncio non intelligere quod cornicaris. Metonymia, auctore Plutarcho in vita Homeri, quem tu nimirum nunquam vel de longinquo salutasti, est, quum dictio, quae alicui propria est, aliud per relationem quandam aut cognationem significat. Ut cum triticum aut panem Cererem, vinum autem Bacchum aut Lyaeum adpellamus, quod illum Ceres, hoc vero Bacchus invenerit: haec enim est *ἀναφορὰ*, hoc est relatio, cognatio vel proportio. Quod si in isto sermone *Hoc est corpus meum* vel *Hoc est sanguis meus* metonymia est, nihil auferes, quam quod dicitur: Scyllam vitans in Charybdim cadis. Quum enim negare vis *Est* pro *significat* accipi, facis per metonymiam tuam, quod symbola ista panis et vinum non magis sunt ipsa caro et sanguis Christi, quam vinum et panis sunt ipsi Bacchus et Ceres. Ista enim sic sunt adpellata, quod triticum Ceres, vitem autem Bacchus colere docuerit itaque eucharistiam Christus instituerit. Dicuntur ergo symbola ista panis et vinum *Christus*, corpus Christi, sanguis Christi per metonymiam; non quod ista sint, puta Christi corpus, sanguis; sed quod a Christo instituta sint. Nos autem metaphoram esse diximus, quod is tropus latissime pateat tam inter nomina, quam inter verba. Cum ergo nos dicimus per metaphoram huius sermonis tropum explicari oportere, liberum facimus, sive nomina per metaphoram explices, sive hoc verbum *Est*, sive utraque. Habe tibi primum nomina: Hoc est corpus meum; id est: Hic panis est corporis mei symbolum. Nunc verbum accipe: Hoc est corpus meum; id est: Hic panis significat corpus meum, pro vobis scilicet esse traditum. Postremo tam nomen quam verbum tropice explica: Hoc est corpus meum; id est: Hic panis significat symbolum corporis mei. Hoc est: non aliter quam symbolum (nolumus enim symboli symbolum esse) perpetuo refricabit vobis corporis mei memoriam quod pro vobis depensum est. Et quum tu per metonymiam hunc sermonem explicas, nonne utraque expositio huc tendit, ut panis et vinum nullo pacto sint corpus aut sanguis, sed horum signa? nisi quod tu metonymiam esse ais, ubi metonymia proprie non est. Sed iam quod ad hanc argumentationem adtinet, vela colligemus. Possumus inquam ex ipsis Christi verbis invenire, ea per tropum exponi oportere; ut nunc auditum est de poculi exhibitione, quod talibus verbis praebuit, ut nisi tropum admittas, cogaris non modo obscura esse

confiteri, sed contraria, irrita ac minime constantia; rursum si tropum recipias, plana et expedita esse omnia, neque quicquam relinqui quod torqueat. Hactenus de argumentatione, quae verbis Christi in praebendo poculo dictis nititur. Quae si, ut certe faciunt, tropum hic admittere compellunt: iam de iis, quae ad panis porrectionem sunt dicta, actum erit; quum unius eiusdemque sint instituti. Quocirca eis praeteritis ad alia transimus.

Quae autem de novo succurrerunt aut suggesta sunt, duo quoque sunt, quorum iterum scripturae testimonium alterum est; alterum ex scriptura argumentatio. Sed converso ordine argumentationem nunc priore loco ponemus. Ea vero nostra non est, sed Henrici Engelhardi, olim pontificii iuris doctoris, nunc vero pauperis Christi discipuli,[1] qui dum ad undecimam diem Aprilis coram Senatu Diacosiorum, id est Senatorum ducentum, de abolendis Missa, et panis ac vini adoratione, ageremus; et ibi Scriba quidam[2] (qui albus an ater sit, non est huius instituti dicere) forte surrexisset, atque ad hunc modum quiritaretur: Ego quidem, Patres Conscripti, non eo sum ordine aut loco, ut mihi coram vobis verba facere liceat, dummodo causa ageretur quantumvis magna quae ad rempublicam attineret; quum autem hic animorum salutis cardo versetur ipsaque fides periclitetur, cuiusque esse arbitror, ut in medium adducat quae sentiat. Ego igitur firmiter credens, in isto pane verum corpus ac verum sanguinem edi, testor me in hac esse opinione, neque me patiar ab ea divelli, speroque de vobis Patres Conscripti, quod nullo pacto sitis me ad Zuinglii opinionem adacturi. Et tu Zuingli, inquit, sophistarum versutiis acerrime obstitisti; nunc vero, ut plane dicam quod sentio, videris nos denuo sophistarum cavillis circumscribere. Multa denique alia quae ad hanc rem facerent questus et, ut illi videbatur scite ac graviter. Cumque nos ad ea quae responsione digna videbantur, puta, Tiguri neminem unquam ad fidem fuisse compulsum neque ad ullam rem; neque sophisticum esse, si hanc vocem *Est* per *significat* quisquam exponat (hoc enim sophisticum esse dixerat) — quum inquam respondissemus ad ea, quae roboris aliquid habere videbantur; isteque iam ad haec arma se converteret: Ego sic credo, sic sonant verba: Hoc est corpus meum. *Est* est verbum substantivum; ideo alius intellectus esse nequit, quam quod panis sit caro, et similia quae carnis cupidi obiectant: tum inquam dictus Henricus, vir gravi iudicio: Ausculta paulisper, ait. Ego abunde ostendam tibi ex sacris literis, panem corpus Christi esse non posse. Ac deinde ad hunc ferme modum disseruit: Patres conscripti, si ulla in re unquam perniciose erravimus, hoc quoque in adoratione Eucharistiae factum est non solum perniciose,

---

[1]) De quo videatur Vol. I. pag. 498. [2]) *Ioacimus am Grüt*, secundus ab actis reip. Tigurinae, Zuinglii solertissimus idemque moderatissimus adversarius, scripsit libellum, qui summam in raritatem abiit: „Christenlich Anzeygung Ioachims von Grüt, das im Sacrament des Altars warlich sey Fleisch und Blut Christi, wider den schedlichen verfuerischen irtumb Ulrich Zwinglins zu Zürich," quo doctrinam eius de S. C. in Commentario, Subsidio et Brevi Institutione expositam confutare tentavit.

verum etiam stulte. Cum enim scripturam debeamus ex scriptura, Christo etiam monitore, qui scripturas scrutari iubet, exponere: quid oro causae est, cur non per omnem novi Testamenti scripturam navigando lustremus, quam varie corpus Christi accipiatur, ac deinde iudicemus, de quonam corpore isto loco loquatur? Invenimus autem omnino trifariam de Christi corpore mentionem in divinis literis fieri. Semel de *naturali* corpore isto, quod ex virgine natum est, quo esurivit, sitivit, fervit, alsit, hilaris ac tristis fuit, quod postremo in ara crucis pro nobis caesum est. Iterum invenimus de corpore, quod a mortuis excitatum atque ab his morbis defecatum *per miraculum* tamen discipulis dedit tangendum. Postremo de *mystico* eius corpore, quod est Ecclesia. Expendemus igitur, quodnam istorum corporum sit hic discipulis datum. Non primum hoc naturale: sic enim edi non posset, nisi dentibus manderetur ac ut reliqui cibi commoleretur, a qua manducatione Christus ipse avocat Io. 6: 63, quum Iudaeis de sensibilis corporis manducatione cogitantibus, dum ipse de fiducia in se habenda dissereret, ad hunc modum respondit suis: Caro non prodest quicquam. Hoc unice volens confutare, in quo isti hallucinabantur, nempe corpoream manducationem: hoc enim pacto neque dentibus tritus, neque stomacho confectus, quicquam prodest. Quod si discipuli ad hunc modum edissent, aliter nimirum edissent atque nos: ipsis enim edentibus nondum erat in cruce caesus. Deinde, quomodo potuisset corporaliter edi, quem oportebat in cruce corporaliter extendi? Cum ergo ipse neget se corporaliter devoratum quicquam prodesse, constat, haec verba: Hoc est corpus meum, nulla causa de *naturali* corpore intelligi debere, ut panis sit corpus: nam corpus ad hunc modum nihil prodest quum caro sit. Sed neque de corpore secundo loco accepto intelligi possunt. Primum quod discipuli non eodem modo, quo nos, edissent: ipsis enim edentibus, ne occisus quidem etiamnunc erat, nedum a mortuis excitatus. Secundo, quod hoc corpus, quod a mortuis resurgendo purissimum ac mundissimum reddidit, coelis intulit; ubi ad dexteram dei sedet usque ad illum diem, quo mundum iudicabit opperiens, donec inimici eius scabellum pedum suorum fiant, Hebr. 1: 13. De mystico vero corpore, quod est ecclesia, sic non possunt intelligi Christi verba, ut nullum sensum minus ferant quam *hoc est corpus meum;* id est: iste panis est Ecclesia mea. Nam Ecclesia non traditur pro nobis; at continuo sequitur, quod pro vobis traditur. Quum ergo Christus sit pro nobis traditus, non Ecclesia (quid enim est Ecclesia quam nos?): colligitur in his verbis tropum esse, neque ulla ratione de carnali corpore Christi posse intelligi. Obiiciebat Scriba iste, Christum ex virgine natum esse; a qua re sensus non minus abhorreret, quam ab ista carnali manducatione, cui nos brevibus tum respondimus; quoniam autem hic sumus eam obiectionem paulo post fusius tractaturi, nunc nihil de ea. Quandoquidem autem coepimus historiam adspergere, atque ea omnis ad hanc rem facit: pergemus ipsam ultra prosequi. Post conflictationem cum Scriba habitam, statuit Senatus ut a prandio Senatores quatuor cum Henrico Engelhardo, Leone, Megandro, Myconio atque nobiscum conveniant, quo res tanta gnaviter ventilaretur. Id vero ad hunc usum maxime fiebat,

ut quibusdam obstrepentibus undique satisfieret. Deliberabatur aliquamdiu varie; sed omnis deliberatio (ne quis me proditorem secretorum arguat) hunc exitum accepit, ut sequenti die, duodecimo Aprilis, ad Senatum universa causa iterum referretur. Dicam hic obiter de usu Senatus Diacosiorum, propter quem quidam nos calumniantur, quod ea quae totius Ecclesiae esse debeant, nos per ducentos agi patiamur, quum totius urbis et vicinorum ecclesia sit plus minus septem millium. Sic ergo habeant isti: Qui verbo praesumus Tiguri, iam olim libere monuimus Diacosios, quod ea quae iudicio Ecclesiae totius fieri debeant, ad ipsos non alia lege reiici patiamur, quam si verbo duce consulant et decernant; deinde quod ipsi non sint aliter Ecclesiae vice, quam quod ipsa Ecclesia tacito consensu hactenus benigne receperit eorum Senatus vel consulta vel decreta. Vulgavimus eandem sententiam apud universam Ecclesiam; admonuimus etiam hac tempestate, qua nonnulli feruntur stupidissimis adfectibus, quos tamen spiritum interim, si Diis placet, videri volunt, haud tuto multitudini committi posse quaedam. Non quod vereamur Deum Opt. Max. defuturum, quo minus dirigat ecclesiam suam; sed rebus adhuc teneris non miscendam esse contentionis occasionem. Suasimus ergo, ut plebs iudicium *externarum* rerum hac lege Diacosiis permittat, ut ad verbi regulam omnia comparentur, simul pollicentes, sicubi coeperint verbi auctoritatem contemnere, nos confestim prodituros esse ac vociferaturos. Consentit ad hunc usque diem ecclesia, tametsi decretum super ea re nullum promulgaverit, sed placiditate ac tranquillitate, quibus hactenus utitur, consensum suum sic probat, ut ipsam aegre laturam adpareat, si quis Evangelii successum arguta curiositate impedire conetur; simul non ignorans, ut rebus istis debeamus ad Christi nostrumque decorem sic uti, ut pax Christiana servetur. Quicquid ergo de immutandis ritibus occurrit, ad senatum Diacosiorum refertur, non absque exemplo: nam et Antiochia duos modo, Paulum et Barnabam, Hierosolymam mittit; nec ipsa decernit, quod tamen iure potuisset. Causa fuit, quod immoderatam contentionem vereretur, quae quanto maior est concio tanto magis crudescit. Quod autem Diacosii in his rebus, Ecclesiae non suo nomine, agant, hinc adparet, quod quicquid apud nos statuitur, puta de imaginibus, de celebranda eucharistia et similibus, id eis Ecclesiis quae in oppidis et agro sunt liberum relinquit: ubi nimirum, quod ecclesiae non sunt tantae, contentionis incendium non magnopere metuendum esse vident. Cessit consilium sic, ut ex Deo esse facile cognoscas. Sic igitur soliti sumus hactenus, ante omnia multitudinem de quaestione, quae senatus iudicio cognoscenda erat, probe docere. Ita enim factum est, ut quicquid Diacosii cum verbi ministris ordinarent, iam dudum in animis fidelium ordinatum esset. Denique senatum Diacosiorum adivimus, ut Ecclesiae totius nomine, quod usus postularet, fieri iuberent, quo tempestive omnia et cum decoro agerentur. Factum est itaque, ut contentionis malum ab Ecclesia prohiberetur, non aliam ob causam, quam nimiam ob multitudinem adfectuumque audaciam; et in eum locum retruderetur ubi innoxie audiri ac vinci posset: occalluerunt enim tribunalium et praetoriorum aures

ad litigia et rixas. Sic utimur Tiguri Diacosiorum senatu, quae summa est potestas, ecclesiae vice.

Nunc in viam redeo. Quum ergo duodecimo Aprilis die ad senatum rediremus, atque ut Missa in universum aboleretur ageremus, prodit denuo Scriba iste atque eandem cantilenam canit, additque me quidem sic docuisse, ut ista vox *Est* in praesentibus Christi verbis pro *significat* posita sit; at aegre scripturae testimoniis probavisse ad hunc modum accipi debere. Nam isti sermones: *Semen est verbum Dei*, Lucae 8: 11, et: *Ager est mundus; inimicus homo est diabolus* etc. Matthaei 13: 39. ad hoc propositum nihil facere: Christum enim hic parabolice (hoc enim emblemate ornabat Germanicum sermonem doctus homo) locutum esse, non etiam istic, quum dicit: *Hoc est corpus meum.* Cui breviter cum respondissemus hoc modo: (quo etiamnunc respondemus iis, quibus contentio studio est, non veritas, dum audent in re tam aperta nodum et obscuritatem, in quam se recondant, quaerere, ut simul cum isto Scriba, prodita inscitia sua, dicant, praedictis locis Christum per parabolam esse locutum tropumque subesse) Christum nemo negaverit parabolas proposuisse duas, unam Lucae 8. de semine verbi, alteram de semine diaboli, Matthaei 13. quibus locis nemo non videat figuratum esse sermonem, quam diu parabola contexitur. At ubi finita parabola discipuli interrogant, altero loco sic: Quae est haec parabola? altero vero sic: Edissere nobis parabolam zizaniorum; quum Christus sic praefatus esset: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei etc. ac subinde parabolam retexeret, atque ostenderet quid quoque significasset: quis porro tam stupidus aut brutus est, ut parabolam esse dicat, ubi ipse ex professo parabolam exponit? Quum iam dicit: Semen, de quo paulo ante vobis dixi, verbum Dei est etc. quis tam excors est, ut adhuc parabolae cursum esse dicat? quum tam adperte sit intercisus Christi discipulorumque luculentis sermonibus. Nam si et hic parabola est, ubi tandem aperitur parabola seminis et zizaniorum? Nihilo tamen secius obturbant isti, parabolam esse oportere: nam agrum non esse mundum, neque semen verbum; igitur fieri non posse quin parabola sit. Hoc ipsum maxime cupiebam, ut ipsi ignorantiam vestram proderetis, videlicet quod nescitis discrimen inter parabolam et tropum. Parabola similitudo est aut comparatio; tropus talis translatio est ac versio, ut vox e nativa significatione, ceu planta e nativo solo, in aliud transfertur, in aliam non sine affinitate quadam accommodatur. Parabola est Matthaei 25. quum Christus dicit: Sicut homo peregre proficiscens vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua etc: ea enim verbi ministerium ac commendationem adumbravit. Tropus est, quum dicit: Oportebat ergo te committere pecuniam meam nummulariis, quo significat, verbo instandum fuisse iis quibus ea provincia commissa fuerat. Parabola est, quum dicit: Regnum coelorum simile esse sagenae in pelagus iactae etc. Tropus est, cum dicit: Faciam vos piscatores hominum. Parabola est, cum dicit: Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me manseritis. Tropus est, cum dicit: Ego sum vitis, vos palmites. Sic et hic parabola est, cum dicit: Exiit quidam ut seminaret semen suum etc.

Tropus est, cum dicit: Semen est verbum dei: nullum enim semen est verbum, puta neque tritici neque hordei, sed semen de quo locutus erat verbi symbolum erat. Non potest ergo iure quisquam dicere, ista Scripturae exempla huc non facere, quod per parabolam Christus istic loquatur. Iam enim parabolam finierat, ac quicquid per eam voluisset, plane indicat. Sic est isto loco: *Hoc est corpus meum* ista vox *Est* tropice pro *significat* posita est, ut sit sensus: Hoc significat aut figurat Corpus meum esse pro vobis traditum; aut: Hoc est symbolum corporis mei pro vobis traditi. Cum, inquam, in hanc sententiam, quanquam nunc paulo fusius, respondissemus, missaque contentione e Senatu nos recepissemus: secutum est Senatus decretum *totius Ecclesiae nomine*, ad hunc ferme modum: Eucharistia deo volente iuxta institutionem Christi apostolorumque ritum posthac utiminor. Infirmis ac in fide adhuc rudioribus fas esto, hac vice tantummodo vetere more uti. Missa in universum sic abolita, antiquata et ablegata esto, ut ne crastino quidem die repetatur. Mox quod felix faustumque sit, gratulata est tota Ecclesia praeter paucos, ne quid durius dicam, sive imbecilliores sive rudiores, qui in hanc lucem etiamnunc aciem dirigere nequibant. Illuminet nos omnes deus, et homo Christus Iesus vera lux, ut quicunque tandem hallucinentur, liquido videre queant quod verum est.

Restabat adhuc haud minimus conatus, quo scilicet exempla proderemus, quae nulla cum parabola coniuncta forent. Coepimus ergo cogitare omnia, omnia revolvere; attamen aliud nihil exemplorum occurrebat, quam quod in Commentario proditum est; aut quod occurrebat, erat illorum simile. Cum vero tredecima dies adpeteret (vera narro adeoque vera, ut celare volentem conscientia cogat effundere quod dominus impertiit, non ignorans quantis me eontumeliis risibusque exponam) — cum, inquam, tredecima Aprilis lux adpeteret, visus sum mihi in somnis multo cum taedio denuo contendere cum adversario Scriba, sicque obmutuisse, ut quod verum scirem, negante lingua beneficium suum, proloqui non possem. Qui me angor, ut soleat nonnunquam somnia fallaci ludere nocte (nihil enim altius quam somnium narramus, quod ad nos adtinet; tametsi leve non sit, quod per somnium didicimus, gratia deo, in cuius solius gloriam ista prodimus) vehementer turbare videbatur. Ibi ἀπὸ μηχανῆς visus est monitor adesse (ater fuerit an albus, nihil memini, somnium enim narro) qui diceret: Quin ignave respondes ei, quod Exod. 12: 11. scribitur: *Est enim Phase*, hoc est transitus domini. Protenus ut hoc phasma visum est, simul expergefio et e lecto exilio. Locum apud Septuaginta primum undique circumspicio, ac de eo coram tota concione pro virili dissero. Qui sermo ubi acceptus est, quemadmodum paulo post dicemus, omnibus sacrarum literarum candidatis, qui adhuc nonnihil propter parabolae obstaculum haerebant: omnem nebulam discussit, factumque est, ut tribus istis diebus coenae domini, Parasceves ac Resurrectionis, tantum pascha Christi celebratum sit, quantum ipse nunquam vidi, eorumque numerus, qui ad allia ollasque Aegyptias respectarent, opinione longe minor esset. Sed nunc locum ipsum tractabimus.

Est igitur, ne diutius historiam admisceam, quam tamen hactenus

non praeter rationem iunximus, alterum, quod post evulgatum Commentarium succurrit, scripturae exemplum, Exod. 12: 11. scriptum, ad hunc modum: Renes vestros accingetis, et calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, et comedetis festinanter: Est enim Phase, id est transitus domini. Ut autem locum istum commodius tractemus, volumus paulo altius de paschate repetere. Scribit Hebraeis Paulus 10: 1. Legem umbram habuisse futurorum bonorum. Cum autem inter omnes umbras et res in Christo completas nullae manifestius sibi mutuo respondeant, quam Pascha veterum, et Christus in cruce mactatus: fit, ut nulli Apostolorum, nulli doctorum aliter sentiant, quam Pascha clarissimam esse mortis Christi praefigurationem, Christumque ipsum verum esse Pascha, quo in sempiternum sanctificati consummantur, id est, quo credentes a servitute peccati liberati coelo inferuntur. Unde Paulus 1. Cor. 5: 7. Etenim, inquit, Pascha nostrum mactatum est, Christus etc. Ostendit hoc idem Christus ipse tam verbis quam factis. Cum biduo ante Pascha diceret: Scitis quod post biduum Pascha erit, et filius hominis tradetur ut crucifigatur, hoc porro intendens, in isto Paschate agnum, qui peccatum universi abstergeret, mactandum esse. Quasi ad hunc modum loqueretur: Scitis post biduum adesse Pascha. Hoc ipsum Pascha est quo filius hominis mactabitur. Inter edendum autem sic animi aestum prodidit: Desiderio vehementi desideravi hoc pascha manducare vobiscum priusquam patiar, quo scilicet veterem panegyrin aboleret ac novam institueret; commemorationem unius populi ex Aegyptiaca servitute liberati cum commemoratione redempti ab imperio diaboli et mortis mundi commutaret. In ipsa celebritate media caesus est, quo nec increduli non viderent coelesti providentia curatum esse quicquid fiebat. Cum ergo nemo infitietur eam panegyrin, quae olim celebrata est in recordationem carnalis liberationis, transivisse in Eucharistiam nostram, id est gratiarum actionem, qua gratulamur non carnem esse manu missam, sed mundum cum deo per filium eius reconciliatum: non debet ullus locus ex vetere instrumento potius excuti ad videndum sermonis Christi vim et ingenium, quam iste quo vetus Pascha institutum fuit. Habent enim in sacris literis res aliquo pacto similes sermonem quoque similem. Ut cum Gen. 18: 12. Sara non propere crederet se matrem futuram, ait dominus iuxta τῶν LXX interpretationem: Num impossibile erit verbum apud deum? Eisdem verbis postea diva virgo Maria docetur et se et cognatam suam Elisabeth parituras, eo quod non sit impossibile apud deum omne verbum. Sed exempla quid molior adducere, cum se confestim utrumque instrumentum offerat, atque alterum umbra alterius fuerit, et in figura istis omnia contigerint? Verba igitur, missis omnibus, veteris agni et novi aeternique comparemus, ut liqueat id quod controvertitur.

Cum deus iam tradidisset qualem agnum aut pecudem deberent mactare et qua ratione vel modo Exodi 12: 11. tandem addit: Et comedetis festinanter. Est enim Paesa, hoc est. saltus aut praeteritio domini. Quod *enim* dictum est huc pertinet, quod dixerat: Comedetis festinanter, ut reddita ratione doceat, cur festinanter distrahi debeat. Eam vocem arbitror hinc inter verba Christi relatam esse a Romanen-

sibus, cum dixerunt: Hoc est *enim* corpus meum. Utinam tunc simul praecedentis verbi *Est* vim non transilivissent in ipso *saltus* symbolo! Ista igitur vox *Est* hoc loco citra omnem parabolae suspicionem posita est: exigit enim hoc causalis coniunctio *enim*, etiam si quae antecesserant parabola fuissent, ut in sua quadam significatione accipiatur, nec tamen substantive: redditur enim ratio cur festinanter discerpi debeat. Si ergo *Est* substantive contendamus accipere, quid obsecro dici poterit absurdius? Quomodo enim agnus esse *saltus* posset, qui quidem *saltus* nondum factus erat? Praeteritio enim ista sive saltus, quo primogenitis Hebraeorum parcebatur, non etiam Aegyptiorum, proxima tandem nocte sequebatur. Quis ergo tam tardus erit, ne dicam hebes aut pertinax, ut non videat *Est* hoc loco positum esse pro *significat;* aut symbolum est, aut figura est? Agnus enim iste, per omnem Hebraeorum posteritatem esus, nihil nisi significabat patres eorum, cum in Aegypto dominus omnia primogenita trucidaret, esse praeteritos. *Est* igitur aliter quam dictum est accipi nequit, videlicet pro *symbolum est* aut *figura*. Ut sit sensus, Comedetis festinanter! Est enim *symbolum* sive *figura* praeteritionis domini. Hoc ita habere testatur ipse dominicus sermo, quo modum tradit posteros docendi de isto tum beneficio tum symbolo, eodem capite his verbis: Et cum dixerint vobis filii vestri: Quae est ista religio? dicetis eis: Victima transitus domini est, quando transivit super domos filiorum Israël in Aegypto, percutiens Aegyptios et domos nostras liberans. En, ut nunc victimam transitus, id est praeteritionis domini vocet, quod paulo ante transitum adpellavit! non quod transitus, sed quod victima vel symbolum transitus esset. Quid nunc, quaeso, causae est, cur eundem tropum nolint quorundam mentes recipere in constitutione novae et aeternae gratiarum actionis? cum omnia sic conveniant, sic sibi respondeant, ut qui eis cedere nolit, disperdere videatur, non aedificare velle. Instituitur istic commemoratio, instituitur hic; istic carnalis manumissionis, hic cum deo Opt. Max. reconciliationis. Instituitur hic symbolum commemorationis, antequam ea res gesta esset, cuius symbolum labentibus saeculis futurum erat. Sic et hic instituitur symbolum Christi pro nobis occisi antequam occideretur, quod tamen sequenti tempore symbolum occisi futurum erat. Instituitur vespere liberationis figura, quae crastino die sequebatur; instituitur gratiarum actionis figura vespere, cum reconciliatio ipsa proximo tandem die sequeretur, cum Christus omnia consummata esse verus praeco promulgaret. Currebant olim Aegyptii servis aufugientibus omnia nequicquam molientes; tumultuantur mortuo Christo sol, tellus, saxa, velum et inferi ipsi. Indignantur illi servos ex officio abire; indignantur isti, quod immanes homicidae sequestrem dei filium trucidassent, qui fugitivos servos cum coelesti domino reconciliaverat. Descendunt illi in profundum, quemadmodum lapides; emergunt isti e profundo, ut vivificatarum animarum testes essent. Cum istic agnus esset discerptus vespere, media nocte coepit angelus domini primogenita Aegyptiorum caedere ac Israelem transilire. Cum hic panis et vinum absumpta essent vespere, iam nocte concubia capitur unigenitus dei, noster autem primogenitus, ut vinciretur diabolus, ac mors ipsa absorberetur, parceret autem vindex dei

institia iis, quorum mentes essent Christi sanguine aspersae. Quid vero per partes conor umbram cum re conferre? cum protinus, ut *Paesa* nomen auditum est, mens fidelis Christi mortis commemorationem amplectetur. Cur igitur tam audaces sumus, ut cum in umbra tropum adperte videamus, in luce negemus? praesertim cum tropus admissus omnia reddat adperta; negatus omnia occludat, omnia reddat perplexa, attonita et desperata. Quis enim nunquam ad istas tenebras offendit? imo, quis non semper offendit? Propitiam nonnunquam habemus eridem, quam tamen zelum divinum videri volumus, non providentes quantam regno Papistico sese tuendi occasionem hac portentosa opinione reliquam faciamus.

Sed infigunt hic quidam vitilitigatores apud simplices hunc aculeum: Apud Hebraeos hoc loco non haberi *Est*, quemadmodum nec in Genesi 41: 26. Septem boves pulchrae sunt septem anni fertiles, haberi *Sunt*. Quid obsecro mirum est omnia esse plena dissensionum; cum sic quisque audet pro sua libidine rudibus imponere? id autem linguarum beneficio, quasi eis ad tuendas nugas abuti liceat. Sic graculi cum simus, aquilae videri volumus. Linguarum nomina vix audivimus, et de illis subito gloriamur, quasi omnem in eis aetatem triverimus; et quod omnium est audacissimum ac impudentissimum, doctiores nobis videri volumus earum esse ignaros apud rudes. Quid tum si Hebraei altero loco non habent *Est*? altero non habent *Sunt*? Nam neque Graeci eo loco habent *Est*, sed ἐςὶ, neque Germani habent *Est*, sed *Ist*. In altero quoque loco Geneseos 41. neque Graecis neque Germanis scriptum est *Sunt*, sed illis εἰσὶ, istis autem *Sind*. Si vero apud Hebraeos tales voces sunt, quae τῷ *Est* et *Sunt* aequipollent, quid oro nodum in scirpo quaerimus? quasi vero quisquam nisi rudis Hebraeae linguae ignoret istas voces הוּא et הִיוּ, הֵמָּה et הֵנָּה, pro *ipse* vel *ipsum est*, *ipsa est*, *ipsi* vel *ipsa sunt*, *ipsae sunt* perpetuo accipi, ubi cum verbo adiuncta non sunt? Ita ut si Christo sua verba Evangelistae scripsissent, neque nos neque Graeci haberemus: Hoc est corpus meum, sed בשרי הוא. Quid autem hoc aliud est, si transferas, quam quod nunc habemus? Ita et isto Exod. 12. loco, dum Hebraice legimus פסח הוא, quid hoc aliud est, quam: *hoc est pascha*? Vide quo se abducant scioli isti! quas spiras moliantur, ne victi esse adpareant! An non et Lucas sic locutus est citra omne verbum substantivum in praebitione calicis? τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id est: hoc poculum, novum Testamentum, in meo sanguine, qui pro vobis effunditur? Attamen si articulos omnes probe velis explicare, sic cogeris interpretari: Hoc poculum novum Testamentum *est* in meo sanguine. Quam stolidum ergo est, aut potius quam iniquum, rudibus linguarum praestigiis os oblinere? quum eadem sit sermonis vis in utraque lingua, tam Hebraea quam Latina? Quae sunt enim linguae tam vicinae et cognatae, ut eisdem vocibus utantur? Desinamus igitur haec suffugia causari, et veritati manifestissimae cedamus! Quae est enim temeritas, ut cum isti tam bruti fuerint, ut tropum in hoc sermone non intellexerint, nos ipsorum stuporem Chrysippeis machinamentis tueamur! Sed bene habet: Chrysippi ingenium pungere dixerunt, non

penetrare; sic et artes istae et commenta in animos fidelium non penetrant, quamvis pungant ac vellicent. An non iniqui iudices sumus, qui pridem, cum de abolendis e templis imaginibus pugna ferveret, earumque hostes opprobrarent, multos esse qui statuas ipsas colerent, et istam divum Petrum, aliam vero Vendelinum adpellarent, sic respondimus: Tametsi hoc modo loqueremur: Hoc est divus Petrus, neminem tamen ignorare, quod non esset divus Petrus statua, sed eum significaret, eius figura esset. Ecce hic tropum agnoscimus, qui tamen in nulla alia voce situs est quam in verbo *Est*. Haec ergo sunt, quae vel exciderunt, cum Commentarium accéleraremus, vel postea succurrerunt. Quae si tunc fuissent addita, forsan impressionem sic iuvissent, ut profligato bello nunc tranquille degeremus. Nunc ad ista properabimus, quae adversarii contra muniunt.

Sic ergo quidam renituntur: Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non adparentium. Nemo ergo miretur, corpoream hic carnem adseri, eo quod ab omni sensu abhorreat, integrum ac vivum corpus edi posse: fide hic est opus, quae sic esse credat. Nam si sensu iudice sic esse pronunciaremus, iam non esset argumentum rerum non adparentium, sed ipsi sensus experirentur sic habere. Quibus contra sic respondemus: Hac obiectione toties peccari, quot verba dicuntur. Attamen omnis error hinc manat, quod Paulinam sententiam, Hebr. 11: 1. non probe capimus. Putamus enim fidem esse opinionem quandam frivolam, qua veluti caeca quadam audacia credamus ea, quae ab omni sensu alienissima sunt. Quo pacto semper peccatum est, etiam apud Gentiles; ut, exempli causa dicamus, Socrates occisus est, quod in tantum vulgus deorum paulo incivilius iocatus esset. Quare tandem non consuluit vitae, et credidit tantam esse deorum farraginem? Quia non potuit. Tamen alii, dices, credebant. Respondeo: minime, quamvis sic videri vellent. Ab omni enim sensu abhorret multos esse deos, dummodo deum intelligimus supremum istud bonum, quod omnia teneat, omnia possit: fieri enim nequit, ut multi sint summi. Sed qui sic a Socrate exigebant, ut cum eis putaret multos esse deos, temeritate potius erant stupidi, quam intellectu aut fide praediti. Nam si Socrates dixisset se credere tantum acervum esse deorum, iam hostium suorum fidem aequavisset: sic enim ipse lingua confessus esset deorum multitudinem, nec tamen animo credidisset, quemadmodum et ipsi adversarii. Sed isto discrimine, quod Socrates scivisset se non credere, multos esse deos; cum adversarii prae caeca vanitate nunquam cogitavissent, an esset verisimile plurimos esse nec ne, sed receptum vulgo errorem praecipites tuebantur. Accipiamus nunc istud: Multi sunt dii, et persuadeamus Socrati, ut credat multos esse deos hoc modo, quod fides sit argumentum non adparentium rerum. Nunquam enim adparuerit Socrati multos esse deos; fides autem est non adparentium. Ergo Socrates ad fidem nunquam perveniet, nisi credat id quod nulla ratione adparet. Ecce in has angustias nos ipsos coniicimus, cum corpoream hic carnem esse contendimus ex Paulinis verbis istis de fide, ut dum maxime videmur fidem adserere totam evertamus, quasi fides de his rebus sit, quae credi non possunt.

Est et aliud quo rudiores peccant, videlicet ista vox *sensus:* hanc putant, aut pro organis, aut pro carnis sensu capi, cum dicitur: hoc abhorret a sensu. Hic prosiliunt: Nimirum abhorret ista res a sensu: nam non sentitur; aut: Nimirum a carne abhorret: nam caro non percipit ea quae sunt spiritus. Cum sensus hic accipiatur pro mente ac sententia, non carnis et sanguinis, sed quae spiritu dei discitur, et habetur in cordibus nostris. Quum ergo dicimus, corpoream hic carnem edi a sensu abhorrere, intellectum iri volumus, omnem mentem, etiam fidelis hominis ab hac opinione abhorrere. Quid enim referret loqui de sensu organo vel carne, quod is abhorreret ab hac opinione? nemo enim hoc ignorat. I, et dicito coram infideli de isto corporeae Christi carnis esu! rideberis non solummodo propter absurdum sermonem, sed et propter Christum ipsum.

Volumus igitur paucis verborum Pauli sententiam de fide exponere. Fides, inquit, Hebr. 11: 1, est substantia eorum quae speramus, argumentum eorum quae non videntur. Substantiam hic accipi pro eo mentis habitu, quem quisque fidelis habet, nemo ignorat, qui saltem videt quam varie ista vox *ὑπόστασις* apud Graecos accipiatur. Est ergo fides, ea mentis constitutio et summa, quam homo habet ac sentit etiam habere in eas res, ad quas tendimus, in quas spes omnes dirigimus. Et quod sequitur expositio est superiorum: Argumentum eorum quae non videntur. *Ἔλεγχος* Graecis est, quod Latini interpretes *argumentum* verterunt. *Experimentum* fortasse magis huc quadraret, hac tempestate qua etiamnunc sophistica barbaries haeret, ac dum sua quaedam audit vocabula genuinum sensum aegrius capit. Est autem haec mens Pauli: Fidem dixi hanc non modo sententiam, sed rem esse, qua his quae sperentur inhaeremus. Atque, ut clarius dicam, non est ista sententia res aliqua quae solo figmento humano constet, aut ambigua opinione; sed manifestum experimentum est, quo homo experitur intra se quantam fiduciam habeat in ea quae non videntur. Est ergo certa experientia, qua homo intra se infallibilem de deo, et ad deum in quem speratur, sententiam fiduciamque sentit. Quum ergo sic feriunt isti: Fides est argumentum non adparentium, multipliciter, inquam, peccant. Primum quod quidam eorum tam longe absunt a sano intellectu, ut putent ea, quae credenda proponuntur, oportere nulla ratione esse veri similia, etiam fideli animo: quo quid crassius dici potest? Nam non adparentium dictum est pro non visorum vel sensu perceptorum; quod Erasmus commode transtulit in: *Eorum quae non videntur.* Deinde peccant, cum argumentum accipiunt pro materia, ut cum dicimus *argumentum* libri, hoc est summam materiae, quae tractatur: nam hoc pacto non accipitur, sed pro certa experientia, quam homo clare apud se animadvertit. Postremo sic peccant, quod putant fidem esse de quacunque re, quae non adpareat: nam de ea fide non loquitur Paulus, quoniam ista non beat, nec animum reddit tranquillum, sed de ista tantum loquitur, quae salvos reddit; at ista neminem reddit beatum, nisi habeatur in eas res, quae solae sperari debent. Praecessit enim quod fides sit substantia ista, quam habemus de rebus in quas speratur; nunc sequitur: At eae res in quas speratur non videntur, sed quamvis

non videantur, certa tamen animi experientia adsunt in corde pii hominis. Cum ergo dicunt: Fide hac in re opus est: nam fides est de rebus, quae sensui non sunt exposita: produnt se ipsos, quod potius student, ut dicant, quam ut recte dicant. Nam ea fide, quae in istas res habetur, quae sperari debent, felicibus iungimur; non qua credimus ea esse, quae sensibus negata sunt. Angelus, daemon, anima corpore soluta, sensui non sunt exposita, estque fides (vide, ut nunc variamus vocabulum *fides*, quod et isti faciunt, unde et falluntur: nam nunc pro credulitate accipimus, non pro fiducia) ea esse. Sed non sunt tales res in quas sperari solet; unde et non beat, si credas angelum esse aut daemona. Sic et hoc loco quid opus est hac fide, ut corporea caro edatur: cum haec fides non beatum faciat. Nam spes non iaciuntur huc, ista ratione, ut si credas corpoream carnem edi iam salvus fias. Nemo igitur ultra sic obiiciat: Nisi crediderimus istic carnem edi, salute fraudabimur: nam ista fides non est de his, et in haec quae debent sperari. Nihil igitur quam inanes nebulas offundunt, qui ista tam inscienter opponunt. Hanc enim fidem, ut carnem credamus edi, neque Christus neque Apostoli uspiam docuerunt salutarem esse. Haec paulo fusius quam pro instituto; sed solent se isti in omnia torquere.

Secundo sic instant: multa esse in divinis scripturis, quae ab omni sensu abhorreant, quae tamen nisi credas perfidus sis; ut: Christum verum ac vero corpore praeditum hominem ex intemerata virgine profundi, sublimem et nihil mersum super aquas incedere, inconspicuum se reddere, et per medios hostes abire, tertia die sua virtute e sepulcro prosilire. His omnibus facile respondemus ex superioribus. Cum enim dicunt, Christum ex virgine nasci a sensu abhorrere, vide ut iam hanc vocem *sensum* varient, ac pro humano sensu accipiant, non pro sententia quam fidelis mens ex fide trutinat et expendit. Non ergo abhorret a sensu quod Christus de virgine nasci voluit: nam id manifesto literis Apostolorum est traditum. Ibi ergo non stupet fidelis mens neque retrocedit: clarissimo enim verbo non possunt non credere fideles. Matthaeus enim ait: Quod in ea natum est, de spiritu sancto est. Lucas autem: Missus est angelus ad virginem; et: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco; et: Spiritus sanctus superveniet in te etc. Quae omnia tam manifesto sunt tractata, ut nemo possit augurari tropum aut aenigma subesse. Deinde invenit pia mens mirabiles delicias, cum scrutatur quibus causis agnus iste nasci de virgine perpetua voluerit; quum hic nihil nisi desperatum horrorem inveniat. Salutaris est virgineus partus, sed nihil salutis sperare licet hinc si corpoream carnem edas. Nativitas ex virgine omnium fidelium sensui sic exposita est, ut nullus unquam de ea dubitaverit pius: nam qui hic vacillarunt, fideles non erant, cum tam apertae scripturae fideique iudicio, quod mysterium hoc facile videbat, non crederent. Panem symbolicum carnem Christi esse, sic abhorret a fidelium omnium sensu, ut nemo ex nobis unquam vere crediderit; sed potius per negligentiam aut inertes incogitatum reliquerimus, aut per stultitiam nos ipsos a cogitatione revocaverimus. Quod satis firmo argumento est hanc opinionem ex dei voluntate non esse: nam quae carni sunt insuitatissima, si fides adsit, delectatur tamen

in eis mens, ut iam de virginis partu diximus. Superat mel verbum domini in ore fidelis animae commanducatum. Hoc verbum de lanianda carne sic renuit mens, ut manducare non audeat, sed de ore exserat. Hic tumultuantur quidam omnibus Scythis immanius, quod qui hic non delectetur perfidus sit; idque obtestantur per omnes aras. At ego si totus mundus me hac in re iudicaret, videlicet, quandoquidem non crederem hic corpoream edi carnem, me fidelem non esse, eius audaciam riderem: satis enim mihi expertum est, quantum fidei habeam in deum. Attamen mens nostra, priusquam tropum olfaceret, semper cessabat ad istam manducationem, semper reverebantur dentes. Breviter in dictis locis tanta est claritas, ut tropo nullo sit opus: manifesto enim produnt nobis divina miracula; in isto loco tanta est obscuritas, ut nisi tropum consulas, nunquam sis e tenebris ac desperabili metu emersurus. Non sic licet argumentari: Christus per miraculum super stagnum incessit; ergo per miraculum hic editur eius caro. Nam eadem lege sequeretur eum veram ac corpoream vitem, lucem, pecudem esse, sed per miraculum: dicitur enim vitis, lux, agnus esse. Quis autem tam demens hactenus fuit, ut miraculo fieri dixerit, quod tropus est? Habent et ista omnia, de virgine nasci, in mari incedere, ex mortuis resurgere, apud fidelem mentem analogiam; dum scilicet puritatem, gratiam, omnipotentiam filii dei agnoscimus. At ista corporeae carnis manducatio nunquam sic illabitur, ut non sit durissima. Habent et apud Iudaeos, si modo historiae suae credant, analogiam quandam omnia ista miracula et similia. Genuerunt apud istos saepenumero steriles; per mare transierunt; tactu Helisaici corporis revixit a latronibus interfectus; non una vice dilapsus est David ex hostium manibus; percussit quosdam Helisaeus caecitate. Hic nihil tale invenias. Nam si מן הוא obiicias, habet hoc analogiam in Christo; sed quatenus in mente fiducia pierum editur, quam ipse Ioan. 6. suis verbis explicat. Non enim novimus Christum ultro secundum carnem.

Tertio sic: Cum Christus dixit Ioan. 6. Caro non prodest quicquam, caro non debet pro corporea carne accipi, sed pro carnali sensu aut intellectu: nam ubicunque scripturarum caro sola ponatur, pro carnali intellectu capi. Vide quaeso, quid sit vinci! nihil hercle aliud quam mergi: qui enim merguntur, temere quicquid se offert, corripiunt, sive emersandi vim habeat sive minus. Sic et isti qui vincuntur omnia vertunt in telum, galeam, armillas, ocreas, et quicquid se offert; nudant se totos, ut citra periculum cogi possint in ordinem. Quid enim hoc est: Caro non prodest quicquam; caro hic accipitur pro carnali intellectu? an nos nihil pudet tam oblique respondere, verboque Christi stolidis pigmentis nativum saporem vitiare? An non per transennam videtur quid intus alamus, pietatem an versutiam? Sed praestat ut missis clamoribus ad obiectionem respondeamus. Christus cum Ioan. 6. pro virili docuisset hinc pendere salutem, si se pro nobis mortuo fideremus, sub figurato corporis et sanguinis sui sermone: stupebant ad eum sermonem Iudaei aeque ac nos, putabantque carnem eius dentibus commoliendam proponi. Ibi tempestive suis auxilio venit Christus, cum bona pars discipulorum eum deseruisset, monetque carnem nihil prodesse.

Cogimur ergo confiteri Christum in responsione sua huc spectavisse, quo hi spectabant qui offendebantur. At isti spectabant ad corpoream carnem. Dicebant enim: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam manducandam? ad hanc enim offendebant. Spectat ergo et Christus corpoream carnem, cum dicit: Caro non prodest quicquam. Sed demus carnem pro carnali intellectu aut sensu capi, ubi sola ponitur. Iam primum oro, an iste sit spiritalis intellectus, dum corpoream carnem nos hic edere videri volumus? anne corpus hoc carneum, de quo tam imprudenter digladiantur, spiritus sit an caro? Si spiritus est, quid carnem somniamus? aut cur vocabula sic confundimus, ut quod spiritus sit carnem etiam corpoream esse dicamus? Si caro est, vicimus: ea enim non prodest quicquam. Deinde oro, quandoquidem Paulus 1. Cor. 8: 13. dicit: Non manducabo carnem in aeternum, an et hic caro debeat ex isto ipsorum canone pro carnali intellectu exponi sic, ut Paulus neget se carnalem intellectum unquam manducaturum? Vide ut hoc stupidum hominum genus velit *αὐτὸς ἔφα* esse, dum sic belle ante omnia canones praescribit ac deinde velut ex lege decernit, quomodo sacrae literae corrumpi (capi dicere volui) debeant.

Quarto sic intonant: Vos accipitis Ioan. 6. edere pro credere; idem et nos facturi sumus. Cum ergo Christus dicit: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum: ibi manducaverit pro crediderit accipe! et erit sensus: Si quis crediderit hunc panem esse carnem meam, vivet in aeternum: debet enim istud hic credi quod Iudaei nolebant. Quid audio? duae sunt ad vitam viae? una, qua Christo freti coelos adipiscuntur; altera, dum creditur panis iste caro Christi esse corporea. Adde, quod si manducare praesenti loco per credere exponas, ut isti hic credere variant: peribit verborum vis et sensus. Nam si dixeris: Si quis crediderit ex hoc pane, vivet in aeternum: verba cum sensu everteris. Non quod edere hic non debeat pro credere accipi; sed non debet pro isto modo credendi accipi, pro quo isti accipiunt. Invaluit usus, ut *credere* pro *fidere* accipiatur. Cum igitur Christus hoc 6. Ioan. capite docuerit omnem fiduciam ac spem in se esse habendam: hoc enim salutare ac vice panis esse homini: tamen interpretes Graecam vocem *πιστεύειν* perpetuo transtulerunt in credere, cum sermo iste: Qui credit in me, nonnihil vividior esset, si diceretur: Qui fidit me, aut qui me fretus erit aut nixus. Sed nobis servierunt qui sic verterunt, ne dedita opera viderentur ubique novare velle. Accipitur ergo sic credere pro fidere. Diximus ergo: Edere pro credere accipi; veruntamen hac lege dum credere pro fidere accipias. Hic enim est animorum cibus, ac alimentum quo sustinetur in vitam aeternam, si Christo erunt freti. Nunc autem cum isti *credere* hic accipiunt nativa sua significatione, pro eo quod est *sic putare* vel *fidem habere*, quatenus fides est opinio, iam nimirum caeco adparet quomodo credere varient. Quum enim dicit Christus: Qui credit in me, habet vitam aeternam: accipit credere pro fidere; quomodo et nos accipimus, cum dicimus, edere pro credere accipi. Quum vero isti dicunt: Nos etiam accipimus edere pro credere, iam per credere intelligunt opinari, putare, existimare. Sic enim dicunt: Nos *credimus* hunc panem esse corpoream

Christi carnem. Id quid aliud est nisi *indubie putamus* aut *existimamus?* Quid autem hoc est, si manifestus paralogismus non est? Qui Christum edunt, id est qui Christo credunt, hoc est fidunt, vitam aeternam vivent; non qui credunt panem carnem eius esse: huic enim opinioni salus nusquam promissa est.

Quinto sic prodeunt: Deus qui est omnipotens efficere potest, ut panis simul sit verus panis et vera caro. Ego, ut ne disputem quomodo dei omnipotentia ordinem in rebus omnibus teneat, breviter ad robustam hanc obiectionem dico, quod me piget harum obiectionum, quae rusticitate, ne dicam stultitia, omnium Sophistarum loquacitatem et inertiam superant. Quaero enim an sic liceat colligere: Deus potest hoc facere; ergo factum est? pelagus haurire; ergo siccatum est? aquam in vinum convertere; ergo aqua est vinum? Nam si sic liceat, dicam: Deus potest ex elephanto cucurbitam facere; ergo elephantus est simul belua et cucurbita; deus potest facere ut tu sis mula et homo; ergo simul es mula et homo. Quid quaeso dici potest audacius aut protervius? Deinde quaero ubi scripturarum invenerint, unam eandemque substantiam fuisse duas inter se diversas? nam neque in Christo, in quo sunt duae naturae, divina substantia est humana substantia, neque contra humana eius substantia divina substantia est. Accipio autem hic substantiam Latinorum more, quo ad essentiae significationem accedit: nam quod ad subsistentiam adtinet, non obsto Theologorum omnium sententiae, qua sentiunt humanitatem Christi non in se, sed in unitate hypostaseos constitisse. Quum aquam vinum faceret, num simul erat vinum et aqua? Quum terrae pulverem hominem faceret, num simul pulvis erat et homo? Vide quam proterva sit horum opinio, qui simul edi panem et corpoream carnem perhibent, imo panem duo ista simul esse contendunt!

Sexto ad hunc modum obloquuntur: Numquid Deo sapientia et providentia defuit diserte loquendi? an ignoravit futurum, ut mundus esset verba sua ad hunc sensum quem nos sequimur tracturus? Providisset ergo ac cavisset hunc errorem verborum disertis vocibus, si noluisset in hunc sensum accipi. Agnoscimus plane Deo sapientiam nunquam deesse posse: ipse enim est ipsa sapientia; sed nobis sapientia deest, imo mens et sensus. Quae enim istis, Christo dico et discipulis, diserta erant et obvia, nobis sunt obscura. Assueti erant isti ad has voces: Hic agnus est transitus, cum transitus esset tantummodo symbolum ac figura. Unde et Christus diserte loquebatur, et discipuli diserte intelligebant quae dicebantur: nulla enim cunctatio, nulla cessatio aut quaestio secuta est. Nos autem, omnibus testudinibus tardiores, non capimus tropum qui istis erat tritissimus, hac causa, quod et sacrae literae non sunt nobis tritissimae, et quod non tantopere sudamus ut pii simus quantum ut pii adpareamus, sancta contrectando et edendo. Negligentibus omnia sunt obscura, vigilantibus et alacribus omnia sese plena luce produnt. Dum nervis omnibus uni studemus pietati, nihil nos fugit; dum contra hypocrisi sumus dediti, ut ipsi alii sumus quam videmur, sic omnibus aliam faciem, alium colorem tribuimus, quam natura habeant. Nostra tarditas est aut malignitas, non verborum obscuritas, quae nos seducit. Providit et cavit Deus multa, quae tamen

sic contemnimus ac si nusquam essent vel dicta vel scripta; quo circa non licet obscuritatem praetendere: nihil enim ideo debet obscurum videri, quod quibusdam Minerva minus favet.

Septimo 1. Cor. 10: 16. sic scribit Paulus: Poculum benedictionis, quod benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Hic ad istum modum prodeunt: Ecce ut Paulus communicationem sanguinis et corporis Christi vocat, non symbola aut figuras. Hic locus inquiunt unus abunde sufficit ad probandum, quod hic sanguis et caro Christi distrahuntur. Paulus adpellat communicationem corporis et sanguinis. Quid adhuc opus habemus testimoniis? Super isto loco sic habeant: Quid fanatici homines clamorum praestigiis simplicium animis adhuc pergimus imponere? an non intelligimus quid istic Paulus agat? an non videmus quid communicatio significet? Sciat igitur pius animus, Paulum aegre tulisse quosdam in epulis idolorum convivas esse: nefas enim arbitrabatur, quod hi qui gratiarum actionem Christi cum reliquis fratribus frequentabant, ab idolorum quoque cultibus non abessent. Dicit itaque: Fugite ab idolorum cultu, amantissimi, atque ipsi iudicate quod nunc dico: Poculum istud gratiarum actionis, quo gratias agimus (hoc est enim quod nos *benedictionem* habemus, *εὐλογίαν*) nonne communicatio sanguinis Christi est? Cur igitur qui hic communicatis, idolorum epulas simul aditis? cur qui participes estis mensae domini, daemoniorum quoque mensae communicatis? Ex his adparet primum, communicationem non ad corporeum Christi sanguinem esse referendam, quasi dicat istum hic distrahi: ut sit sensus: nonne hic distrahitur sanguis Christi? sed ad eos qui in ista gratiarum actione simul bibunt. Ut sit sensus: Cum poculum istud gratiarum actionis, quo gratias agimus, simul bibimus, nonne quotquot eius morte redempti et eius sanguine abluti sumus, in unum corpus coimus? nonne peculiaris concio sodalitiumque sumus? Cur igitur prodita societate sanguinis et corporis Christi, hoc est ea ecclesia vel communicatione, quae corpore et sanguine Christi se redemptam esse gratulatur, publica celebritate ad idololatras deficimus? Deinde hoc idem adparet in sequentibus, ne quis hanc sententiam velut nostram calumnietur, cum dicit: Quoniam unus panis et unum corpus nos multitudo universa sumus. Cur dixit, quoniam? Causam dixit, propter quam gratiarum actionem istam celebrantes communicationem sanguinis Christi adpellaverit: quasi diceret: Ne miremini quod nos communicationem sanguinis Christi adpellavi! sumus enim universa multitudo unus panis et unum corpus. Ecce ut nos istud corpus sumus, quod prius communicationem corporis adpellavit, propterea quod qui hanc panegyrin celebrant, Christi se morte et sanguinis eius effusione redemptos et expiatos credunt. Postremo adparet, quod si communicatio maxime ad sanguinem Christi referretur, adhuc tamen Paulo corpus et sanguinem non nisi symbolicos accipi, quomodo Christus quoque accepit, cum diceret: Hoc est corpus meum. Id quod suis verbis Paulus ostendit, cum subiungit: Omnes enim de uno pane participamus. Ecce panem adpellat non carnem, non corpus, de quo hic edi perhibet. Quod si in superiori sermone communicationem

intellexisset esse distractionem sanguinis corporei, iam postremo loco non dixisset: de uno pane, sed de uno corpore participamus. Debent ergo qui hunc locum pro sacra ancora amplectuntur, discere scripturarum idioma, non temere prosilire re minime perpensa. Ut enim acerrime contendant verba sic habere, constantissimum tamen est Paulum non loqui de sanguinis et corporis distractione, sed communicationem corporis et sanguinis eos vocat, qui se his redemptos esse simul gratulantur, ut hae duae sententiae firmiter probant: Unus panis et unum corpus sumus; et: Omnes de uno pane participamus. Legant hoc loco Erasmi Paraphrasin, qui nos putant ad sententiam verborum Pauli non penetrare posse.

Octavo proferunt Pauli 1. Cor. 11: 25. verba, ubi sic ait: Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine. Ex quibus sic obstant: Quod hic praebetur, novum testamentum est; sed novum testamentum non est symbolum aliquod, sed ipse sanguis Christi. Cum ergo poculum hoc sit novum testamentum, necesse est sanguinem Christi corporeum esse: is enim testamentum est. Gratum est nobis hunc locum obiici vel hanc ob causam, ut testamenti variatio, in scripturis passim obvia, paulisper excutiatur. Testamentum quod ad praesens adtinet, nihil aliud est quam conditio a Deo promissa. Ut quum Dominus cum Abrahamo ferit pactum, sive foedus, Gen. 17: 1. Ego Deus omnipotens, inquit: ambula coram me et sis integer! ponamque foedus meum inter me et te etc. et paulo post: Et statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno, ut sim Deus tuus, et seminis tui post te; daboque tibi et semini tuo post te terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan in possessionem aeternam, eroque Deus eorum. Hic nihil auditur quam foedus, quod Deus per gratiam suam dignatus est inire cum Abrahamo. Quid vero continet hoc foedus? quibus conditionibus statuitur? Hae sunt ergo conditiones: Ego ero Deus tuus: Tu ambulabis coram me integerrime: Ego patrem multarum gentium faciam te: Dabo tibi e Sara semen: Ero posteritatis quoque tuae illius, quam polliceor, Deus: Dabo tibi et semini tuo terram, in qua nunc inquilinus es. Quae quidem conditiones verum ipsum foedus sunt. Sed adduntur foederibus signa quae, tametsi foederum quoque nominibus vocentur, non tamen foedera sunt, ut eodem loco manifeste patet. Sequitur enim ad hunc modum: Hoc est foedus meum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te: circumcidetur ex vobis omne masculinum. Ecce ut hic circumcisionem foedus adpellavit; cum tamen foedus non esset, sed foederis symbolum, quemadmodum divinus sermo ipse docet, hoc pacto: Et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in *signum foederis* inter me et vos. Videmus nunc signum foederis adpellari, quod iam iam foedus adpellabatur. Satis ergo liquet signa foederum non esse foedera, tametsi nonnunquam foederum nominibus amiciantur. Ut cum circumcisio hic adpellatur foedus, quod symbolum modo sit foederis. Et baptismus 1. Pet. 3: 31. pro Christo accipitur, quum dicit Baptismo nos salvari, attamen solo Christo salvamur; sed est baptismus Christiani populi, qui foedus hoc a deo accepit, ut filius eius

noster sit, aeque symbolum, atque olim circumcisio huius foederis erat symbolum, quod dominus esset eorum Deus, et ipsi essent eius populus. Volumus iam a foedere vel testamento Abrahami ad Christi testamentum transire. Est foedus, quod cum Abrahamo percussum est, sic firmum ac minime abrogatum, ut ni perpetuo serves, non sis fidelis futurus: nisi enim dominus sit Deus tuus, et tu eius unius cultor sis (dominum enim deum tuum adorabis, ac illi soli servies) non est, ut te fidelem iactes. At ille quem sic colis et adoras, sic est deus tuus, hoc est summum bonum, quod se tibi gratuito impertit, ut pro te in mortem sese abiecerit, quo te sibi reconciliaret. Promiserat hanc gratiam ipse, qui praestitit, iam olim, quum parens noster legem eius praevaricaretur, ac deinde eam promissionem patribus semper refricuit. Causa vero, cur promiserit, alia non fuit, quam quod beatitudo nobis contingere nequibat, quantumvis conantibus et sudantibus, quum lapsus primi parentis expiatus non esset. Cum autem Christus iam pro nobis mactatus divinam iustitiam placavit ita, ut per ipsum solum accedatur ad Deum: iam novum foedus iniit deus cum humano genere, non sic novum, ut hanc medelam vix tandem invenerit, sed quod olim paratam quum tempestivum esset adhibuerit. Est igitur novum hoc foedus sive testamentum gratuita remissio peccatorum, quam Deus per filium suum liberaliter donavit. Qui ergo Deo per Christum fidunt, ad eamque fidem suos ducunt (ut hoc simul dicamus), perinde atque Abrahamus et eius posteritas olim circumcidebatur, et ipsi circumciduntur, sed Christi circumcisione quae est Baptismus, Coloss. 2: 11. Spectat igitur baptismus noster huc penitus, quo olim circumcisio. Est enim signum foederis, quod nobiscum pepigit Deus per filium suum. Baptismus ergo praecipuum ac principale signum est novi Testamenti. Porro, quemadmodum illud Testamentum sit perfectum, id panegyris Eucharistiae commemorat. Non hercle quod ipsa sit testamentum, sed quod testamentum in ea refricetur, et pro tam liberali beneficio gratiae domino agantur. Quid ergo est novum Testamentum? Gratuita remissio peccatorum per filium dei. Hinc fit, ut quandoquidem gratuita ista remissio peccatorum per mortem et sanguinis Christi profusionem comparata est, ipsa mors et sanguis testamentum fortasse queant adpellari; quamvis, si diserte ac proprie loquaris, Christus non sit novum testamentum, sed novi testamenti mediator, ut Hebr. 9: 16. Paulus loquitur: ipsum enim testamentum est remissio peccatorum. Tametsi ista non hac mente dicta volumus, quasi peccari arbitremur, si mors Christi aut sanguis eius testamentum vocetur; sed ut amanter praecipites istos, qui morbo λογομαχίας laborant, ad clarum intellectum rerum istarum videndum incitemus. Progrediamur nunc ultra! Voluit Christus huius beneficii memoriam, quod tam acerba morte perfecit, apud nos perpetuo vigere; quocirca et panegyrin remissionis peccatorum, non aliter quam olim ex Aegyptiaca servitute manumissionis, optimo iure instituit. Cum autem Testamenti sanguis Testamentum vocari possit, et nos in ista panegyri gratias agamus pro sanguine effuso, quo Testamentum perfectum est: fit etiam,

ut sanguinem vocemus Christi, quo solummodo commemoramus sanguinem pro nobis fusum; ac deinde, quemadmodum sanguinem testamentum adpellavimus, sic et symbolum sanguinis effusi testamentum nominemus. Totum hoc anile commentum esse dicito, nisi Apostolorum verba suffragentur. Peccatorum remissionem ipsum testamentum esse, docet Paulus Heb. 8: 6—13. Hoc autem testamentum, foedus aut pactum morte ac sanguine Christi partum esse, monet Petrus 1. cap. 2. et 3. et Paulus Coloss. 1: 14. Porro mortem aut sanguinem nullus Apostolorum testamentum adpellat. Sed testamenti novi sanguinem, quamvis liberum fecerimus, docendi causa, ut Testamentum vocari possint. Recense Apostolorum verba! Si ergo sanguis ipse, qui fundebatur, non adpellatus est testamentum, sed sanguis testamenti, ut quo testamentum gratuitae remissionis paratum et confirmatum sit: quanto magis poculum hoc sanguinis non est testamentum, sed sanguinis testamenti symbolum aut figura? Recipit ergo figura figurati nomen, ut supra patuit. Est igitur foederis et testamenti sacramentum, si sacramentum pro principali foederis aut iurisiurandi externo signo capias, baptismus; passionis autem Christi, qua foedus hoc et testamentum perfectum est, symbolum est panegyris ista, in qua panis et vinum ad commemorationem mortis Christi a fidelibus unanimiter cum gratiarum actione distrahuntur. Hic non debemus tam impotentes esse, ut nomenclaturae gratia tam acriter decertemus, dum alius vult hanc gratiarum actionis celebritatem sacramentum esse, alius negat. Ubi enim rem ipsam clare intelligimus, quid adhuc de vocibus digladiamur? De eo quod in canonibus Apostolorum scriptum est, non sum sollicitus: facile enim patet naso paululum emunctiori, non esse Apostolorum, sed fortasse episcoporum quorundam, qui sibi id nominis arrogarunt; quam autem id iuste fecerint, cuivis est obvium. Adde quod in Decretis Canonicis *εἰς χόραχας* Dist. 16. relegantur.

Statueram huic opusculo quorundam veterum testimonia connectere; quum autem Io. Oecolampadius, vir incomparabilis, peculiarem librum ex eis congesserit,[1] ad eum qui velit properet, ac e tam largo flumine quantum velit, hauriat. Novum enim non est quod hic agitur. Sic senserunt prisci: quorum auctoritatem mirum est cur quidam elevent, qui nihil quam Patres Patres quiritantur. Receptui ergo canens per eum oro et obtestor, cuius unius gloriam et gratiam praedicamus, Christi, ne quis praefracto animo sic obfirmare conetur, ut quae merito ista in re debent caute exacteque perpendi nolit, in consilium admittere. Oriuntur incendia dissensionum ex parvis initiis. At ubi earum impetu ferimur, iam scelus est ac crimen quicquid contra sentitur; monitorem non admittimus. Cur autem non faciunt pii homines quod crudelissimos tyrannos res ipsa cogit facere? Horum enim animi, dum bella magis quam aequitatem spectant, vastatis et amissis rebus omnibus, tandem compelluntur

---

1) „De genuina verborum Domini: Hoc est corpus meum, iuxta vetustissimos auctores expositio. Bas. 1525. 8., et vernacule reddita cum praefatione a Lud. Hetzero. 1526. 8.

inviti ad dissidiorum fontes redire aequitatemque amplecti. Cum vero inextricabilis in Eucharistia error e sola scripturae ignoratione defluxerit, cur, inquam, nolumus liquido videre quid in causa sit, quod tam longe a scopo aberravimus, ut tam ingens oscitantia, ne dicam stultitia aut idololatria e medio tollatur? Nolumus enim istos praestigiatores audiri, qui praestigiarum quiddam putant relinquendum esse plebi. Donetur ei alia parte, si usus sic omnino postulat, aliquid; hic donavisse crimen esto. Agnoscimus oblationes victimarum, festivitates, templi ornamenta, ritusque innumerabiles Hebraeorum imbecillitati esse condonata. Verum tamen nihil huius simile videmus crassissimae genti impositum. Quanto minus nobis qui spiritum hausimus, quibus apostolus Petrus negavit licere, quicquam imponi debet? Annon et nos spiritum dei tentamus, cum rem fidelium palato inusitatissimam obtrudimus, quam apostolos palam videmus non sic tulisse atque nos? Quin contra nulla fuit unquam religio, nulla sapientiae professio, quae missis umbris ac praestigiis veritatem et clarius proferret et acrius tueretur, quam Christiana. Quare ergo committimus, ut in tam liquidam lucem tam densam caliginem inferamus, quam neque volucris Daedalus superare neque Delius natator penetrare queat? Quot conatus in his obscuritatibus frustra insumpti sunt? Ut Scotos et Aquinates praeteream, et his similia acumina: moliti sumus omnes apud nos ipsos quiddam, et si nihil aliud, quisque tamen hoc, ut incredulitatem suam vinceret ac sopiret, ne praesumeret obmurmurare. Quamvis ipsa fidei arx sese nunquam dederet, sic ut ἀνυποχρίτως crederet se in isto pane quiddam tale edere, quod somniavimus. Equidem quotidie istos audio (satis enim altum clamant) Papae! dicentes, quanta est huius impii audacia? Ego nunquam dubitavi; at is me iudicat. Supra modum delectavit me, quoties hanc carnem comedi; rudis est ac fidei ignarus. Sed huius facio clamores istos: scio enim, si dii Momi consilium essent secuti, ut humano pectori fenestram inseruissent, per quam liceret astus eius moliminaque deprehendere, quid in istis mentibus, quae sic vociferantur, inveniremus. Est hypocrisis lubricum ac versutum malum; dici non potest, ut frontes noverit aperire, mentes autem tegere, magna, religiosa, sancta et alta hic concinnare verborum flumina, quibus paulo leviores rapiantur; sed subventanea sunt omnia dum huc torquentur, ut carnem hic te credas edere. Vera pietas non ignorat quo iacias, etiam si perpetuo iacias: habet enim solidum et infallibile iudicium, quo quidque cognoscit. Id autem columnis istis nititur fide et innocentia. Posteriorem adpellat Christus misericordiam et iustitiam Matth. 23: 23. Quaecunque ergo vela, quicunque huc venti accelerant, recte navigant, recte negotiantur: haec enim vere ditant, fides scilicet, misericordia et iustitia. Quae vero navigia alia quaedam sectantur: omni in littore haerent, omnia vidisse ut gloriari possint, ac recitare quae mireris, non quae profutura sint. Fides ergo ea modo prodest, ac in portum vehit, quae se vento credit secundo, hoc est, gratiae divini spiritus; non ea, quae credit quicquid tu de Anthropophagis commemoras; prosunt et hae merces solae, iustitia et misericordia fidei nixae. Si ergo aciem huc omnes figimus

tam magistri quam discipuli, iam facile videmus, *ἀδὲν πρὸς λόγον* esse, si non modo Christi carnem, sed etiam ossa commolias. Dum vero propter istam tumultuamur, iam iis qui solide pii sunt, manifesti reddimur quid alamus. Det deus Opt. Max. lucem ac pacem, ut cognita veritate in veram animi pacem ac tranquillitatem restituamur. Amen.

# IN CATABAPTISTARUM STROPHAS ELENCHUS HULDRICI ZUINGLII

MATTH. XI.

VENITE AD ME OMNES QUI LABORATIS ET ONERATI ESTIS ET EGO REFICIAM VOS.

Rationes, quibus ductus Zuinglius Catabaptistas denuo erroris coarguit, hoc scripto ipse indicato! Conferantur, quae adnotata sunt ad libros vernaculos adversus Catabaptistas. Eo ipso tempore quo hic liber prodiit, Tigurini in diem secundum Augusti legatos Bernensium, Scaphusianorum, Curiensium et Sangallensium in suam urbem convocarunt, quibuscum communiter de Catabaptistis consultarent. Litteris hunc in finem missis certiores facit socios Senatus, ut Tigurini Catabaptismum ex habita disputatione supplicio submersionis sanxerint, sontes verberibus vel neci dederint aliosque aliis poenis pro culpa cuiusque coërcuerint; hanc autem haeresin in aliis regionibus Confoederationis per segnitiem fortasse magistratuum increvisse, quum non in eos animadverteretur; istos homines non modo perturbare veram fidem, sed etiam humanarum rerum constitutionem et ordinem, regimen, benivolentiam civilem et morum probitatem. Ad urbes quoque Constantiam et Augustam Vindelicorum litterae missae sunt monitoriae, ut sibi caveant a Denkio, qui Catabaptistas intra moenia eorum et extra visitarit. Vid. Simmleri Mscr. Die Lunae post Mariae nativitatem urbes Tigurum, Berna, Sangallum edictum vulgarunt, quo primum errores et crimina Catabaptistarum enarrata sunt: eos a concionibus iustorum doctorum homines abstrahere et convitiis proscindere praedicatores publicos, in angulis, silvis et campis perorare, spirituales nuptias inire, quibus adulteriorum detur occasio, nomine Dei adeo scelera, ex. c. parricidium Sangalli, imperare, divinis revelationibus et miraculis

gloriari, docere, diabolum fore beatum, in sua ecclesia libidini posse citra crimen indulgeri; eos praeter catabaptismum alia foederis signa habere; gladios non gestare, usuras et sortes nefarias esse censere, omnia bona externa communia et in medio posita velle, ut nemo iure proprio in ea utatur, Christianos vetare magistratum gerere, ius iurandum dicere. „Ut ista herba rei Christianae infesta, improba, noxia, turbulenta, seditiosa eradicetur, decrevimus ita: Si quis catabaptismi suspectus sit, a magistratibus cum poenae constitutae comminatione ut desistat, admonetor. Singuli secundum fidem civilem indicanto, quemcunque norint Catabaptismo indulgentem. Qui morem non gerit dehortationi, ad sententiam magistratuum et pro re nata plectitor; doctores, concionatores baptizantes, errones et conciliabulorum duces, vel qui antea dimissi e carceribus et iurati sunt desistere his rebus, aquis suffocantor. Peregrini fide data exterminantor; si redeant, perimuntor aquis. Ne quis ab ecclesia secedat et sacram coenam deserat! Homines in fraudem inductos pro rerum et capitum conditione mitigatio castigationis maneto. Qui ex una ditione in aliam defugerit, relegator vel ad postulationem traditor. (Simmleri monimenta Historiae Eccl. Helv. I: 2. pag. 449. sqq.)

Hic Elenchus primum in lucem prodiit Turici ex aedibus Christoph. Froschoveri. Anno MDXXVII. pagg. 191. octonis; tum in Epistolis Oecolampadii et Zuinglii fol. 81 b — 113 b. et in Opp. Zuinglii II. fol. 5 b — 39 a.

---

## OMNIBUS EVANGELII CHRISTI MINISTRIS HULDRICUS ZUINGLIUS.

Gratiam et pacem a domino! Vetus dictum est, fratres carissimi, malorum uberem esse proventum, quod adeo verum est ut nihil aeque. Posteaquam enim quorundam studiis vel tantillum licet per nostram sive inertiam sive caecitatem: iam modum eis ponere sic nesciunt, ut et perire ipsi et perdere alios malint quam ab instituto revocari; cuius rei exemplum ut olim quum adhuc inter homines versaretur Christus, sic nostra tempestate quum verbi sui lucernam redaccendit, nostro nimirum bono edidit. Tunc, quum proditorem tanto tempore non modo pertulit, verum etiam aperte aut dehortatur aut terret; ille vero a praecepta malitia, quo minus et magistrum et parentem traderet, non prius destitit,

quam laqueo spiritum sisteret. Nunc autem, quum Catabaptistarum audaciam eousque progredi patitur, ut spem capiant omnia confundendi, qui tam indocti sunt, ut vel hoc nomine sese indicando pretium augeant, tam imprudentes (quum tamen Christus apostolos serpentium instar prudentes esse velit), ut confusionem, quam unice captant, imprudentiae beneficio se putent citius forte fortuna reperturos, quam arte inventuros ulla. Id inauspicatum genus hominum intra paucos annos [1] tale cepit incrementum, ut iam urbes quasdam teneat sollicitas. [2] Neque re alia quam imperita impiaque audacia. Pia enim eruditio ac disciplina hypocriseos ministerio ut nihil eget (sibi enim et per eruditionem constat, et aliis ipsa pietatis inadfectata disciplina commendabilis est): ita quum hoc hominum genus id maxime ignoret quod se unice scire gloriatur, id autem simulet a quo longius abest quam Plutonis atrium a Iovis regia, fit manifestum, non alia re quam impia indoctaque audacia praeditos hanc ordiri telam. Quoties enim cunque manifestis scripturae locis huc adiguntur, ut dicendum esset: Cedo, protinus spiritum iactant et scripturam negant. Quasi vero coelestis spiritus scripturae sensum, quae eo solo inspirante scripta est, nesciat, aut sibi ipsi sit alicubi contrarius. Si vero mores atque instituta ipsorum et iure et modeste censeas, imo si supplex preceris, ut nihil temere: iam nihil est convitiorum apud Evangelii hostes, quod in te non regerant; nihil dirarum apud furias, quod in te non iactitent. Quae omnia quid obsecro aliud sunt, quam imperitae audaciae aut impiae confidentiae signa? Istorum ergo non iam hominum (quid enim homines adpellare iuvet, qui praeter speciem nihil habent humanum?) sed immanium praestigiatorum, quum tam dives foetura quotidie proveniat, ut bono iam semini, quod pater coelestis familiae pridem admodum in agrum suum dissipavit, cavendum sit: id quaeso agamus, vigilemus, ne dormientes hostis obruat! sobrie iudicemus, ne lupum ovilla tectum recipiamus! laboremus, ne quod pessimum nascitur, nostrae negligentiae imputetur! Sunt enim, proh dolor, sunt ex nobis non admodum pauci, qui ad omnem ventum ac novitatem non aliter moventur ac stupent, quam indocta plebs, quae quanto quidquam est ignotius tanto celerius amplectitur. Intonant Catabaptistae *deus*, *veritas*, *verbum*, *lux*, *spiritus*, *sanctitas*, *caro*, *mendacium*, *impietas*, *cupido*, *daemon*, *inferi* et id genus, non tantum speciosa, sed plane si hypocrisis paulo longius abesset, magna et amplifica. Vitam quoque si censeas primo obtutu, innocens adparet, divina, popularis, imo ultramundana: augustior enim humana putatur iis etiam qui de se ipsis non illiberaliter sentiunt. At in recessum ubi penetraveris, talem invenis luem qualem pudor sit memorare tantum. Neque enim satis est illis Evangelio in quaestum abuti et alienam sectari mensam, ventrisque causa tam turpi sese, dolum ex dolo fingendi, artificio mancipare, nisi matronarum atque virginum, ad quarum vel maritos vel parentes divertunt, fidem non solum tentent, sed pessumdent. Sed neque his contenti manum quoque apud Sanctogallum atroci parricidio cruentatam sic

---

[1]) Inde ab anno 1523. [2]) Waldshutum, Tigurum, Sangallum, Scaphusium, Basilea, Curia, Constantia, Argentoratum, Wormatia, Ulma.

renuunt scelestam pronuntiare aut agnoscere, ut nullo negotio videas id ab eorum cum nocturnis tum solitariis congressibus expectandum esse, quod Romae aliquando matronae male feriatae Graeculum quendam nactae in subterraneis conventiculis designarunt. Atque ista omnia etiamsi partim tam scelesta sint ac bono viro indigna, partim tam obscoena et impura, partim vero tam immania et crudelia, ut hanc aetatem, etiamsi nulla sit alia calamitas, ad posteros infamem possint remittere — attamen quantacunque sint: levia tamen, propterea quod intra hominis contumeliam continentur, prae his sunt, quae in pietatem cum Christi tum morum publicorum perpetrant. Christum ipsum negant unica sui oblatione sanctos suos in perpetuum consummavisse. Quod quid est aliud nisi dei filium ad dexteram patris sedentem coelo detrahere? quem ubi regno exuerunt, in quo quaeso baptizabuntur? An non omnis Novi Testamenti scriptura in hoc est, ut discamus Christum nostram esse perlitationem et redemtionem? Aut quibus ex libris catabaptismi sui doctrinam hauriunt? Quum ergo summam Novi Testamenti pernegant, cur non videmus eos catabaptismo, non in gloriam dei aut conscientiarum bono, sed ad praetextum seditionum, turbarum atque tumultuum, quae sola incubant, uti? Stulte enim baptismum Christi iactat qui Christum negat. Neque enim est, quod Iudaeorum more dicant (scimus autem quosdam ex eis in hoc esse), Christum magnum aliquem fuisse prophetam aut dei hominem, at non dei filium; quum neque propheta neque dei homo esse possit, qui mendacium miseris mortalibus, quo plus satis abundant, adfe;at. Christus autem dixit se dei esse filium, et ob id mortuus est; non potest ergo mentitus esse, quum se dei filium dixit, si verus propheta est, si homo dei. Quid quod in nomen Iesu baptizarunt apostoli, cum tamen Christus in nomen patris et filii et spiritus sancti baptizandi formulam praeierit? Parem ergo Iesum esse oportet, imo idem quod pater, filius et spiritus sanctus est. Neque enim Ioannes, quantumvis magnus, et propheta et homo dei, in nomen suum baptizavit. Breviter ergo, quum Christum ipsum haud obscure negant dei esse filium natura, per malitiam de illius baptismo tumultuantur, non per zelum. Mores autem sic contaminant: Quocunque in vitio etiam *ἀντοφώρῳ* deprehendantur (sunt enim in eorum tam incontaminata ecclesia stupra, adulteria, parricidia, periuria, furta, doli mali et quicquid ferme uspiam est malorum crebriora, quam apud eos quos ipsi carnem et daemonem per contumeliam vocant. Vera dico non mentior; nihil horum est, quod non possim si res postulet abunde comprobare) — at in quocunque tandem deprehendantur, inquam, non alia ratione occurrunt, quam: Non peccavi: neque enim amplius in carne sum, sed in spiritu, carni mortuus sum, et caro mihi. Qua sua responsione quid se esse non produnt? Quomodo enim qui spiritu dei aguntur ac filii dei sunt matronalem verecundiam ad adulterium illiciunt? Qua fronte simplici virgunculae stuprum offerunt? Quae est haec oro in deum contumelia? Quae deinde ansa iis, qui iam dudum ex carnis ingenio sese omni, si pudor solus non obstitisset, impendissent vitio? An non homicida cum nepote et adultero in promtu habebit, quum arguitur, hoc verbum: Spiritualis iam sum. Quod hic admissum est, meum non est, carnis est? Quae obsecro nobis verecundia

fiet reliqua? quis pudor? Neque enim isto animo sic respondent, quo vulgo qui Christo fidimus solemus. Confitemur enim ingenue: Peccavi, erratum corrigam, ad misericordiam dei per Christum confugiam, ab ea nullatenus excidam. Christo enim non deferunt, pudorem omnem exuerunt, et quid corriget is qui se lapsum esse pernegat? O scelus, o audaciam, o impudentiam! Quis de Epicuri schola porcus sic unquam philosophatus est? Aut quid, o coelum, inter aequum et iniquum, sanctum et conscelcratum, imo hominem et beluam intererit? Pudorem ex humanis adime! nonne obscoenitatem omnem in medium theatrum admisisti? legem eliminasti? mores corrupisti? Caedis te nihil pudet, adulterii, scortationis; magis belua es quam lupus, quam leaena, quam equus, quos quiddam pudet. Adversus hoc hominum genus irremissa nobis est habenda statio, adducendae omnes tum copiae tum machinae, o fratres! eoque magis quo ipsi magis hypocrisi grassantur atque perfidia. Illa enim Empusam, Proteum, Chamaeleonta, Tarandum, et quidquid nunquam constat, superant. Ista vero pontificios quoque suppetias laturos autumant, neque obscure. Eos enim qui hodie ab Evangelio stant longe acerbius proscindunt, quam qui a Pontifice; quo satis probant in quem eos usum servent, quos tam anxie observant. Omnis autem adparatus noster aliunde peti nec potest nec debet, quam ex armamentariis Novi et Veteris Testamenti. Tu luminum pater, tenebras istas illumina, ut errorem agnoscant suum; et quod aliquando facturus es, hunc errorem ex Ecclesia tua eliminaturus scilicet, ocius praesta! Tu vero quisquis es, qui vel dei summi vel Evangelii filii eius nomine gloriaris atque ministerio, pensita quae et unde sint quae adferimus; et ubi adfectu posito herbam veritati praebueris, vale! Tiguri, pridie Calendas Augusti. MDXXVII.

---

## IN CATABAPTISTARUM STROPHAS ELENCHUS HULDRICI ZUINGLII

Hactenus praefati sumus. Nunc quo ordine acturi simus, accipe! Primo loco ad eas respondebimus calumnias, quibus confutata esse iactant nostra fundamenta. Secundo superstitionis ipsorum fundamenta subruam. Postremo de foedere iungam, deque eo quod firma manet electio dei, et supra baptismum est atque circuncisionem, imo supra fidem atque praedicationem. Auctarium deinde adiiciam, in quo errores quosdam recens ab eis exquisitos cum deo refellam. Omnia vero levi manu. In duabus primis partibus priore semper loco ipsorum verba ponam, fideliter ex Germanica in Latinam linguam traducta. Posteriore adnectam responsionem. Sic ergo ordiuntur

### CATABAPTISTAE.

Fundamentorum Zuinglii, quod infantes baptizandi sint, unum est familia Stephanae. Sic enim ait: Verisimilius est, apostolos fidelium liberos baptizavisse quam minus: quum Paulus dicat 1. Cor. 1: 14.

Baptizavi autem et Stephanae domum; secundo et in Actis 16: 15. Quum autem Lydia baptizata esset et domus eius; tertio et paulo post vs. 32: Et baptizatus est ipse et domus eius continuo. In quibus familiis etiam verisimilius est infantes fuisse quam secus. Hactenus isti.

Priusquam legitimam responsionem proferam, huius te admonitum volo lector: Elenchum stropharum ideo esse adpellatum laborem istum, quod hoc hominum genus artibus adeo tum pollet tum agit, ut nihil ipse viderim aeque aut lubricum aut versipelle. Quod tamen mirum non est; adde enim sanctitatis praestigiis, cuius concinnandi sunt peritissimi, fingendi disserendique promtitudinem! iam non simplices modo, verum etiam electi in discrimen adducuntur, divina sic suos probante providentia. Hunc enim ipsi libellum confutationis [1] nostrorum multo iam tempore per fratrum suorum manus demandarunt, qui ubique gloriati sunt Zuinglii fundamenta sic se posse revellere, ut eorum nihil fiat reliquum. Ego porro circumspicere per omnia captareque, si qua fieret obvius, deprehendere nusquam potui, donec Oecolampadius vir ut per omnia integerrimus, ita vigilantissimus quoque, eum alicunde nactus mitteret. Haec ergo prima stropha sit, quod sua ista scripta, quae per conscientiam cauterio adustam non ignorant lucem perferre nequire, clam per manus coniuratorum, qui ut ignorantia lusciosi sunt, sic adfectu ampliandae sectae caeci, transmittunt; in aliorum manus pervenire non sinunt. Sed, qui male agit non venit in lucem, ne arguantur opera eius. Aut quomodo sua Ecclesiae iudicio submitterent, qui de Ecclesia secessionem fecerunt? Nam, ne hoc ignores, piissime lector, sectam suam sic orsi sunt. Quum duces eorum fanatici plane homines iam constituissent, quam in Evangelio habemus libertatem in carnis libertatem trahere, nos qui verbi sumus apud Tigurum administri primum convenerunt [2] blande quidem, sed constanter adeo, ut quantum ex ipso vultu et actione videri poterat, adpareret inauspicatum quid in animo fovere. Conveniebant igitur hoc modo: Non fugere nos, quam sint nunquam defuturi, qui Evangelio obstent, ex his etiam qui Christi nomine glorientur. Non ergo unquam esse sperandum sic coalituros in unum esse omnium animos, ut Christianis liceat vivere. In Actis enim apostolicis eos qui credidissent ab aliis secessionem fecisse, ac deinde factum esse, ut qui crederent, ad eos, qui iam nova Ecclesia erant, concederent. Perinde ergo nobis esse faciendum; orare ut ad hunc aliquem promulgaremus modum: qui Christum sequi vellent a nobis starent. Polliceri se quoque copias nostras perfidorum exercitum multo superaturas. Iam ecclesiam piorum suis iisque piis senatum suum lecturam esse votis. Palam enim esse quam multi sint et in Senatu et in hac promiscua ecclesia impii. Ad quae in hunc modum respondebamus: verum quidem esse, perpetuo futuros qui impie viverent, etiamsi Chri-

---

[1]) E litteris Oecolampadii ad Zuinglium datis 19. Iul. 1527. admodum probabile est, scriptum, quod Oecolampadii et Zuinglii antigrammata provocavit, huius tituli fuisse: Colloquium Balthas. Hubmeieri a Fridberga, Doctoris, in Mag. Huldr. Zuinglii libellum de baptismo. De baptismo Infantum, Nicolspurgi. 1526. Quartanis. [2]) Anno 1524. Conferantur de his causis Zuinglii Opp. vernacula Vol. II, pag. 230 sqq. et 370 sqq.

stum confiterentur; omnemque innocentiam adeoque pietatem ipsam despectui haberent. Attamen quum se Christianos esse et dicerent et contenderent, factis autem tales essent, quales Ecclesia quoque ferre posset: a nobis stare. Qui enim contra nos non est, noster est. Quemadmodum Christus ipse docuit in talibus rerum primordiis, qualia tum nostra erant. Praecepisse eundem quoque, ut et zizania crescere cum tritico pateremur usque in diem messis; spem autem nos audacem habere in diem plures esse ad bonam mentem redituros, qui nunc abhorrerent. Quod si minus fieret, piissimis tamen semper vivere licere inter impiissimos. Secessionem in eo rerum statu quid turbae daturam me vereri. Apostolorum autem exemplum huc non competere: a quibus enim ipsi recedebant Christum non confitebantur; nunc autem nostros confiteri. Maximam etiam eorum partem esse futuram, qui nobiscum nollent in ullam secessionem consentire, etiamsi Christum arctius amplecterentur quam nos ipsi. Verbi continua actione istud solum promulgandum quod omnes nosse oporteret, nisi saluti suae velint ipsi deesse. Haud ambigere me futurum ut fidelium numerus citra turbam amplior atque amplior irremissa verbi administratione fieret, non corporis in multas partes discerptione. Senatum, etiamsi illis maxime varius esse videretur, at nobis non itidem, eo quod, etsi humanum ab eis nihil alienum crederemus, ingenue tamen verbo non modo non obstaret, sed aeque faveret atque Iosaphat ille, qui sacerdotes et Levitas cum ipsa lege cohortibus vallavit, quo magis libere per omnem Iudaeam verbum praedicarent. Magnopere tamen observari debere: esse decem virgines quae sponsum praestolentur, sed quinque ex eis tantum gnavas et prudentes, alteras quinque segnes et stolidas. Haec et his similia cum instantibus responderemus istique viderent ista non successurum: alia adoriuntur. Baptismum infantium miris proscindunt modis, summam abominationem, ex cacodaemone pontificeque Rom. esse. Occurrimus propere et huic incursioni, amicam pollicemur collationem. Condicitur ad quemque diem Martis per singulas hebdomades conveniendum esse. Prima congressione pugna fuit acris; veruntamen citra contumeliam, nobis maxime ipsorum convitia aequanimiter consulentibus. Deus testis esto, atque hi, qui tam ab istis quam a nobis vocati aderant. Secunda acrior: quidam enim ex eis, cum scripturis nihil possent, apertis contumeliis rem tentant. Post multam conflictationem quum se inferiores viderent, et nos eos amice dehortaremur: sic discessum est, ut plerique ex eis promitterent se nihil moturos; etiam si non pollicerentur se cessuros esse sententia. Intra triduum aut ad summum quatriduum nunciatur, eos qui huius sectae Coryphaei fuerunt quindecim fratres tinxisse. Ibi primum sentiscere coepimus, cuius causa et novam Ecclesiam colligere institerint et infantium baptismum tantopere oppugnaverint. Monemus ergo Ecclesiam, factum istud defendi non posse, ut bono consilio, nedum bono spiritu coeptum sit. His potissimum causis: tentavisse ipsos Ecclesiae divisionem ac partitionem, quod perinde ad hypocrisin pertineat atque monachorum superstitio. Secundo: Quum Ecclesiis suum arbitrium de doctrina iudicanda illibatum sit servandum, orsos esse catabaptismum citra omnem collationem: nihil enim per omnem de infantium baptismo pugnam de

catabaptismo proposuisse. Tertio: videri hunc catabaptismum seditiosorum hominum esse veluti tesseram. Protinus, ut haec resciscunt, magnis examinibus in urbem advolant, posita zona, salice aut reste cincti, in foro atque triviis, ut ipsi iactabant, prophetantes. De antiquo dracone quem me volebant, deque eius capitibus quibus reliquos verbi symmystas, omnia implebant. Iustitiam atque innocentiam omnibus commendabant, ab eis peregre nimirum profecturi; communia se habere iam omnia et gloriabantur et aliis, ni idem fecerint, ultima comminabantur. Per plateas, *Vae Vae* portentose, Vae Tiguro! clamabant. Quidam Ionam imitati adhuc quadraginta dierum inducias urbi dabant. Quid multa! stultior ero istis ipsis, si omnem eorum audaciam vel solo nomine vocare voluero. Nos autem qui a sana Christi doctrina stabamus dei munere firmiter, quum tota ferme urbs quiddam quamvis alius alio consilio pateretur: in hoc eramus, ut spiritus probationem recte doceremus. Proficiebatur hac via non nihil, quamvis sese in omnia formarent, quo minus deprehenderentur. Ubi malum aliquantulum remisisset, ut plerique viderentur absque adfectu in causa iudicaturi, congressus indicuntur. At quoties sive publice sive privatim congrederemur, semper victrix abibat veritas quae a nobis stat. Promittunt ergo se sanguine probaturos, quod scripturis non possent. Id tanta tum audacia tum iactantia fecerunt, ut sibi ipsis oneri fuisse nihil dubitem. Prosequuntur catabaptismum suum invito Senatu populoque, servis publicis lictoribusque nonnunquam reiectis, nonnunquam vero contumelia adfectis. Indicitur tandem congressio,[1] qua quisque ad satietatem seorsim audiretur; quumque per urbem sive ad praetorium e carcere ducerentur, sive ad carcerem redirent: alius dira comminatur urbi, alius commiseratur. Hic nervos intendebat hypocrisis, sed nequicquam. Ut enim ad misericordiam flecterent anilia quaedam pectora, vincebat tamen publice tractata veritas: omnibus enim toto triduo licebat toti pugnae interesse. Postremo cum neque ista congressione victa cederet impudentia, datur denuo pugnandi copia.[2] Certatur coram ecclesia in templo totum iterum triduum, tanta ipsorum iactura, ut pauci essent qui non viderent certandi gratia pugnare miseros, non veri inveniendi. Ea pugna sic accisae sunt illorum opes, ut ab eo multo tranquillius habere coeperimus, praesertim in urbe: per agrum enim noctuae vagantur et omnia pro virili infestant. Decrevit autem clarissimus Senatus post eam collationem, quae nimirum decima fuit post alias sive publicas sive privatas, aquis mergere, qui merserit baptismo eum qui prius emerserat. Haec forsan paulo fastidiosius tibi obtrudo, optime lector; sed traxit me nullus plane aestus aut adfectus, sed fidelis pro ecclesiis vigilantia ac sollicitudo. Multi enim ex fratribus sunt, qui quum nondum compertum haberent, quale nam esset hoc hominum genus, immanius fieri existimabant, quicquid cum illis ageretur. Nunc vero quum et ipsorum caulas vastare coeperunt, quotidianis tum literis tum clamoribus nos compellant, plusquam vera esse confitentes quae pridem audierant, quo vigilantiores reddantur qui malum istud nondum experti sunt. Ipsum enim orbem

[1]) Prima in XVII. Ianuar 1525. [2]) In 20. Mart. 1525.

similem hypocriseos speciem arbitror nunquam vidisse. Ut enim scientia sine caritate inflat, ita cum hypocrisi coniuncta et audacior est quam ille de plebe putet, et callidior quam nasutus etiam deprehendere possit. Crassa fuit monachorum hypocrisis, ut qui de divinis, si quando, frigidissime dissererent. Hi porro sic agunt, ut quem sibi obnoxium esse videant non persuadeant aut moveant, sed concitent atque rapiant. Protinus ergo miselli nescio quae supra vires suas moliuntur: magistratum diris oppugnant modis; Evangelii ministros devovent, undique Pseudomanteos Alexandri similes, qui Epicureos et Christianos nolebat suis interesse praestigiis. Ut enim qui in Magistratu sunt multa sapientia rerumque usu pollent: sic qui Evangelii ministerio digne praesunt sana doctrina sic instructos esse oportet, ut contradicentium contumaciam revincere possint. Nunc ergo mihi astutiam vide hominum! Utrosque ministros et ecclesiae et reipublicae in primis proscindunt, ut si unquam pro officio contra mutiant protinus dicere possint: ideo sibi esse infestos quod eorum vitia contrectaverint. Iam quisque de plebe auditor quidque prius suspicatur et de Magistratu et de Ecclesiarum ministris, quam de versipellibus istis praestigiatoribus; procedunt furioso impetu concitati ad istorum magisterium, ignari quo ruant aut quem tandem finem inventuri sint. Crescit audacia et impudentia, ut qui heri simplex auditor adstiterat, hodie magistratum in faciem contumelietur. Quumque videtur incrementum eorum quo tendat, et obsistitur: protinus e medio facessunt auctores, ac miseram plebeculam carnificibus laniandam relinquunt. Ac in universum talem speciem praebent qualem Ate: quocunque diverterint *πάντες ἀάνταs*, omnia turbant inque pessimum statum commutant. Coepit urbs aliqua paulo sanius de coelesti doctrina sentire; illo properant ac turbant: nec enim eas domino initiant quae verbum non recipiunt. Unde quis non videt a quo magistro mittantur apostoli? Proinde animos erigite, optimi fratres! Romani pontificis hypocrisis in lucem est producta; nunc res cum ipsa est hypocrisi nobis gerenda. Eoque incunctantius id facite, quo magis videtis istos cacodaemonis apostolos, quum salutem nescio quam polliceantur, nihil quam turbas rerumque omnium tam divinarum quam humanarum confusionem ac perniciem quaerere. Hactenus de illorum sectione et Ecclesiae proditione. Exierunt a nobis: non enim nostri fuerunt. Ut enim etiam hoc addam: est ecclesia Zolliconae, ubi catabaptismum isti infaustissimis avibus auspicati sunt, etsi non magna: Tigurinae enim pars est, ad quintum ab urbe lapidem, etiamnunc admirabili constantia. Iam enim ferme superarunt apud se natos catabaptistas; verbum simpliciter ac placide semper sunt amplexi. Quam isti praecipue occasionem spectarunt, sperantes eo citius homines hypocrisi suae fore obnoxios, quo maiore simplicitate et alacritate pollerent. Nunc redeo ad illorum strophas, ac sic

## RESPONDEO

Quum sic dicitis: Fundamentorum Zuinglii quod infantes baptizandi sint unum est familia Stephanae: insignem malitiam proditis. Ubi enim obsecro pro fundamento unquam posui hoc, quod hic adseritis? Nonne peculiarem librum ad Balthazarem perfidum apostatam scripsi, in quo

breviter ostendi quibus nitar fundamentis ad infantium baptismi defensionem? In eo libro nonne sic legistis:

## DE INFANTIUM BAPTISMO.

I. Christianorum liberi nihilo minus dei filii sunt quam parentes, aeque atque in vetere testamento. Dei ergo filii quum sint, quis vetabit quo minus baptizentur?

Circumcisio priscis (quod ad rationem sacramentalem adtinet) id fuit, quod nobis baptismus. Ut ergo illa infantibus data est, sic et baptismus debet infantibus dari.

II. At fortasse non legistis: in superstitione enim vestra haec prima adiuratio est, ne is, quem iam duplo vultis deteriorem reddere quam fuerat, in ecclesiam eam coëat quae infantium baptismi defensores habeat episcopos. Unde nihil ambigo et a libris nostris iamdudum istos interdixisse. Hac autem via huc ventum est, ut Stephanae domus, Lydiae, carcerisque custodis mentionem faceremus. Monebamus multa, ne adeo imperite argumentaremini: Non leginus apostolos baptizavisse infantes credentium; ergo non sunt baptizandi. Primum propter absurditatem, quod iam nobis quoque sic liceret colligere: Apostoli nusquam leguntur baptizati esse; ergo non sunt baptizati. Ad quod quum sic responderetis: verisimillimum esse baptizatos dudum fuisse, priusquam alios ipsi baptizarent; tum nos sic dicebamus: Verum nimis esse quod Christus adumbravit, quosdam scilicet videre festucam in oculo fratris, et ad trabem in suo hallucinari oculo. Quum enim aliquando dixissemus, verisimilius esse, ab apostolis infantes credentium baptizatos quam secus; quos cachinnos *καὶ χλευασμὸς* non excitavit in nos perfidus apostata Balthasar?[1] Isti sunt columnae inquit, et nullam aliam scripturam adferunt, quam futilem coniecturam: claram requirimus scripturam. En versipelles homines! In eadem causa per coniecturam ipsi respondent, et alios, quum coniecturas pro solis coniecturis vendunt, exibilant, imo apud suos mentiuntur nos coniecturis pro fundamento uti. Deinde merito ostendimus exempla, quibus liquido videretur verisimilius, apostolos baptizavisse infantes quam secus, familias Stephanae, Lydiae et Custodis carceris, quae ipsi exempla nunquam revellere poteritis, ut evidentissime demonstrabimus. Pergitis postea et ad exempla nostra sic respondetis.

## CATABAPTISTAE.

Respondemus primo. Zuinglius in libello suo sic ait: Apostolorum factum nihil potest probare, quod non est verum. Secundo: Da verum esse! non potest ergo vel suo ipsius iudicio obscurum testimonium, quod de facto Pauli 1. Cor. 1: 16. deque Lydia protulit, quicquam probare.

## RESPONSIO.

Agnosco ipse verba mea; neque patiar ut violenta usucapione vestra alio detorqueantur, quam quo dicta sunt. In hunc ergo sensum diximus,

---

1) Hubmeierus a Waldshuto. Confer. Opp. Zuinglii vernacula, II. 356 sq.

Apostolorum factum nihil probare posse. Ubique legimus eos baptizavisse: ab illo ergo facto non possumus probare, eos non esse baptizatos quos scriptura non loquitur baptizatos esse ab eis. Nam alioqui sequeretur neque divam virginem matrem baptizatam esse, quum scriptura nihil dicat de eius baptismo. Volumus ergo dicere: facto infectum probari non posse. Non enim sequitur: Christum legimus Hierosolymis, Capernaum, Nazareth fuisse; ergo non fuit in Hebron, quia non legimus eum in Hebron fuisse. Et: Christum legimus in Nazareth docuisse; ergo non docuit Bethlehemi, quia non legimus eum isthic docuisse. Rursus Apostolorum factis quis non videt facta nostra commodissime defendi? modo eodem iure iisdemque ex causis faciamus. Petrus censuit nihil externarum rerum imponendum esse iugulo discipulorum; Iacobus autem dedit quaedam posse imponi, sed hoc propter eos qui ex Iudaeis crediderant maxime faciebat. Sequitur ergo recte, si obtineri possit, ceremonias omnes quam longissime ablegandas; sin minus per publicam pacem hoc licet, eas propter infirmos modo tolerari posse quae non sint cum impietate coniunctae. Ut enim Apostoli quaedam levia admitterent, puta suffocati sanguinisque abstinentiam, nulla tamen ratione permiserunt circumcidi credentes. Qui enim circumciditur, debitor fit universae legis; non sic qui sanguinem non edit aut suffocatum. Non sequitur: Apostoli non leguntur suillam edisse, ergo non ederunt. Nostra igitur argumentatio in hoc est: non posse probari credentium infantes non esse baptizatos ab Apostolis, eo quod non legatur: infinita enim sunt facta tam a Christo quam ab apostolis quae literis mandata non sunt. Iurisperiti hoc vocant quaestionem de iure, non de facto. Iure licere potest aliquid quod tamen nunquam in factum exit. Iure licebat Paulo alimentum corporis ex eo agro demetere, in quem ipse spiritus semen dissipabat. Dixerat enim Christus, mercede sua dignos esse operarios. Nunc vero quum non usus est hac licentia, hoc est iure, iam non sequitur: Paulus non accepit alimoniam pro praedicandi officio; ergo nulli licet accipere. Ubi, ut ne hoc praeteream, iterum audacia vestra merito censeri debet. Quum enim apud simplicem popellum vociferamini contra Evangelii ministros, non licere ipsis de Evangelio vivere: Paulum enim manibus alimentum sibi et aliis parasse, per calumniam ut reliqua omnia agitis. Ipse enim, ipse inquam Paulus, ius esse docet accipiendi alimentum iis qui verbo vicissim alunt. Quod autem ipse non fecerit quod licebat, praesens rerum status monebat, ipsaque Pauli, cui et impii et pseudapostoli imminebant, conditio. Legite 1. Cor. nonum caput, et discetis quantum stili consumat in hac quaestione iuris et facti Paulus. Videbitis autem non modo stulte, sed etiam impie colligi: Hoc est factum; ergo iure factum est; et contra: Hoc non est factum; ergo ut fiat ius non est. Non ergo aliud volumus hoc verbo: Apostolorum factum nihil potest probare, quam, quod apostoli non baptizaverint infantes; ut interim demus eos non baptizavisse, non ideo sequi ut infantes non sint baptizandi, neque ad affirmativam sequi negativam. Apostoli baptizarunt adultos et credentes; ergo infantes non sunt baptizandi. Nunquam enim licet neque in divinis neque in profanis a facto ad ius argumentari; sed tunc solummodo licet factum

pro lege adducere, quam factum iure factum esse probatum est. Ut quum Tiguri per dei bonitatem externa omnia licuit citra publicae pacis confusionem abolere, iure factum quum sit, iam licet Vitoduri et Lithopoli omnia perinde abolere, si modo iudex caritas aeque permittat. Hierosolymis interdictum est a suffocato et sanguine propter teneros quosdam. Iam Bernae et Basileae aliquousque ferri quaedam quae non sunt impiissima possunt, sed si caritatis ius hoc moneat; impia, ut missa, idola, falsa doctrina, non debent. Facta igitur apostolorum hactenus nobis lex erunt et ius, si iure facta erunt. Infecta vero atque nefanda et illis et nobis erunt ista solummodo, quae ius vetat ne fiant; etiamsi ipsi idem nunquam fecerunt. Nam si iure quid licet, iam ubi id feceris recte fecisti, etiamsi nullus apostolorum fecerit. De iure igitur et facto verba nostra debent intelligi. Puta, non debere infantibus negari baptismum, quod expresse nusquam legantur apostoli infantes baptizavisse. Tum quod fieri potest, ut baptizaverint (id quod adperte demonstrabimus), literis autem commendatum non sit quod fecerint; tum quod nullius facta iuri praeiudicant, multo minus infecta. Unde si planis verbis alicubi de apostolis esset scriptum: Apostoli non baptizarunt infantes, non tamen sequeretur non esse baptizandos; sed inquirendum esset an factum solummodo omiserint, an fas non sit baptizari. Quod ad hunc modum probamus, Ioan. 4. sic habetis: Quanquam Iesus ipse non baptizaret. En vobis exemplum facti sive infecti! Christus non baptizavit. Ergo secundum vos non erit baptizandum? Id enim recte sequitur, si a facto ad ius est argumentandum; nec est cur dicatis: Ibidem autem habetur apostolos baptizavisse. Subito enim inferremus. Ergo si apostoli iure baptizarunt, etiamsi Christus non baptizaverit, nos quoque iure baptizabimus infantes, etiamsi apostoli non baptizaverint. Nulla enim est ratio diversitatis; imo causa nostra potior est, cum nos Christum habeamus qui non baptizaverit, et tamen baptizandum sit; vos apostolos tantum, etiam cum solummodo donamus non baptizavisse, qui non baptizaverint infantes; at nihilominus baptizandi sunt. Cum secundum Christum non baptizantem baptismus sit: indubie secundum Apostolos, non baptizantes pueros infantes, etiam baptismus puerorum infantium erit: ni lege aliqua vetitum sit, quo minus liceat infantes tingere. Quod autem secundo loco respondetis ad exempla factaque nostra, quae adduximus in hunc modum: Da verum esse (quod scilicet Apostolorum factis, nisi liqueat iure facta esse, nihil possit probari), non potest ergo vel suo ipsius iudicio obscurum testimonium, quod de facto Pauli protulit, quicquam probare. Recte colligitis, imo antistrephon pulchre in nos retorquetis. Si enim factis non licet probare ius, sed tueri oportet quod iure factum sit: ergo quod Paulus in familiis Stephanae, Lydiae et Custodis pueros infantes baptizaverit, non potest infantium baptismum probare. Nos enim non isthuc agimus, ut his exemplis velimus firmare tanquam fundamento baptismum infantium; sed ostendere quod temere atque mendaciter dicitis, Apostolos nunquam baptizavisse: nullum enim huius rei habetis testimonium; tum deinde ut verisimilius esse probemus baptizavisse quam secus. Fundamentum

autem id iecimus quod dictum est: pueros credentium perinde esse et intra ecclesiam et inter filios dei, atque parentes.

CATABAPTISTAE.

Tertio. Paulus ante istud Zuinglii fundamentum sic loquitur: Qui de Chloae familia sunt mihi nuntiarunt, dissidia sive contentiones inter vos esse etc. Ut hic infantes Paulo nihil vel nuntiarunt vel nuntiare potuerunt (nullius enim rei gnari esse possunt): ita infantes Stephanae familiae tincti non sunt, si modo in ea familia infantes fuerunt, quemadmodum ei Zuinglius obtrudit reclamante scripturae testimonio.

RESPONSIO.

Quis non videt Ecclesiam nunquam tales habuisse praestigiatores? Quum enim sic audent colligere: Ex familia Chloae nemo infans nuntiare potuit Paulo; ergo in familia Stephanae nemo infans baptizatus est: quid porro aliud agunt quam praestigias obtendunt iis qui colligendi ignorantes sunt? Quis unquam tam imperite malignus aut tam maligne imperitus fuit, ut sic colligeret? Fieri ergo non potest, ut ulla re alia nitantur quam hominum stultitia. Quasi ipse sic colligerem: Nullus infans nuntiavit Christo de turre quae corruerat, aut de his quorum sanguinem Pilatus miscuit sacrificiis; ergo Christus nullum infantem amplexus est. Aut: De quadam familia scribitur quod quaedam nuntiaverit; ergo qui nuntiare non potest, de familia quoque esse non potest. Quasi vero familiae inserat nuntiatio aut aliud factum. Quae obsecro haec insania est?

CATABAPTISTAE.

Quarto. Omnia testimonia, quae familiarum mentionem faciunt, infantes excludunt. Id quod re ipsa patet.

RESPONSIO.

Ergo dum Christus puer esset, non erat de domo et familia David. Cur ergo familia nutritii eius Ioseph tanta diligentia conscribitur? Num domui Zacchaei quum pax esset data, infantes si qui in ea fuerunt exsortes gratiae fuerunt? Exodi 1: 21. perhibet Moses, Dominum filiis Israël aedificasse domus, hoc est, familiam ac posteritatem dedisse, quum obstetrices praetexerent, Hebraeas feminas expediendi partus peritiam habere. Ergo infantes isti non fuerunt infantes, aut feminae adultos iam ac viros pariebant: infantes enim secundum vos non sunt de familia. Exodi 12: 30. Non erat domus in qua non esset mortuus; ergo nullus infans erat mortuus. Verum quid ago testimoniis, quasi stultissime dicta veritatis testimoniis opus sit revellere? At istud elegans est quod adiiciunt: Id quod re ipsa patet. Quasi vero asinus ullus ad lyram sic oscitaverit unquam, ut ei crederet, qui diceret nomine familiae aut domus pueros non contineri.

CATABAPTISTAE.

Quinto. Propter cogitationem, opinionem aut sententiam hominis nemo debet aut baptizare aut aliud quid agere; sed propter disertam

scripturam aut facta, quemadmodum multa testimonia divinarum literarum comprobant; et quemadmodum Zuinglius ipse contra Vicarium [1] et alios hostes dei saepenumero exclamavit, nec quicquam admittere voluit, quod humano iudicio constaret aut Patrum usu. Nunc autem id facere pergit, quod veritatis hostes hactenus fecerunt.

## RESPONSIO.

Ego in ea perpetuo sententia sum, quam ipsi de me praedicatis, neque diversum unquam sensi aut sentiam, dum spiritus hos regit artus. Quod autem id mihi imputatis quod veritatis hostes fecerint hactenus, ex eo spiritu dicitis, qui fuit mendax ab initio et in veritate non constitit. Quid enim aliud semper egimus quam scripturae testimoniis cum ista tum omnia quae traderemus firmare? non authoritate, etiamsi mediocris aliqua tamen nobis contigit, non clamore, non hypocrisi. Id quod nostra legentes agnoscent processu disputationis.

## CATABAPTISTAE.

Paulus docet, anathema esse quicquid non in Evangelio, atque sermonibus Apostolorum, contineatur.

## RESPONSIO.

Ubi obsecro Paulus hoc docet? Arbitror ad id vobis ista referri quod ad Gal. 1: 8. scripsit: Sed enim si aut nos aut angelus e coelo evangelizet vobis aliter quam nos evangelizavimus, anathema sit! Verba vestra hic paulo diligentius excutiam: simul enim patebit cum ignorantia malitia vestra. Ignorantia quod putatis, quum Paulus haec scriberet, Evangelistarum commentarios et Apostolorum epistolas iam in manibus Apostolorum atque in authoritate fuisse. Quasi vero Paulus epistolis suis (huius enim librorum novi Testamenti pars non minima est) iam tum tribuerit, ut quicquid in eis contineretur sacrosanctum esset. Non quod ipse velim non esse sacrosancta quae illius sunt; sed quod nolim Apostolis imputari immoderatam arrogantiam. Quoties enim cunque ad scripturam relegant, sive Christus sive ipsi, scripturam intelligunt, non suas epistolas aut Evangelistarum commentarios, qui aut nondum erant scripti aut sub incude sudabant, pro temporum ratione; sed legis aut prophetarum. Nec est ut elabi velitis, vos non loqui de scripto Evangelio scriptisque Apostolorum sermonibus: dicitis enim, quicquid non contineatur. En vobis *Continendi* verbum, quod ad monimenta nequit non pertinere. Hic malitiae vestrae atque inconstantiae digitus porrigitur. In hoc aliquando fuistis, ut totum vetus instrumentum negaretis, imo perinde atque apud Vangiones Denkii et Hetzeri cum Cutiis [2] nescio quibus nihil obscure plenam perlitationem per Christum negant, quod nihil aliud est quam novum Testamentum conculcare; apud nos Groningae totum vetus Testamentum negant, quod ipse his oculis vidi. Scripserunt enim ad Senatum nostratem: vetus testamentum

---

[1]) Faber, Vicarius generalis Constantiae. [2]) Vid. animadversiones in Epist. Capitonis ad Zuingl. 9. Iul. 1527.

antiquatum irritaque esse testimonia quae ex eo proferantur, atque adeo nihil posse. Hic inquam spiritum vestrum requiro, si veracem esse contenditis. Ergo simul nobis adimit et veteris et novi testamenti scripturam: aeque enim apud Groningam vetus testamentum, atque apud Vangiones novum conculcatis. Si minus veracem esse contenditis: quae ergo malum audacia divinum simulare spiritum tanta cum pertinacia atque protervia? Sed frustra istud secundum vobis membrum offero: nunquam enim dicetis mendacem esse spiritum vestrum. Arguemus ergo ipsum per virtutem eius, qui id genus spirituum quo vos abundatis compescuit, ut amplius non auderet dicere: Tu es filius dei. Perinde enim atque vos mendaciter atque non ex fide dicebant: Tu es filius dei. Quoties enim cunque Christum confitemini, de vobis Coryphaeis loquor, peius confitemini quam daemones. Istis enim dolor exprimebat: vim enim eius experiebantur atque virtutem, ut dei filium citra hypocrisin confiterentur. Vos autem si quando confitemini, simulate facitis: nam ut primum speratis copias vestras sic auctas esse, ut citra discrimen possitis contumeliam in eum dicere: subito et regnum eius et bonitatem proscinditis. Quid enim aliud dicit, qui Christum negat unica sui oblatione pro totius mundi peccatis perlitavisse, quam: Christus est mendax; Christus non est deus; Christus non est animorum nostrorum salus? De quo superius satis arbitror dictum est. Sed tempus est ut spiritum vestrum arguamus. Palam docetis felicitatem nulli posse contingere nisi per iustitiae opera. Ideo exinaniendus est vobis Christus, quem pater in hoc misit ut pro desperatis hostia fieret. Hac hostia vos minime opus habetis: fiditis enim iustitiae vestrae. Num autem vere fiditis? Minime: neque enim divinae solum literae docent omnem hominem esse mendacem, atque omnia per legem esse sub peccatum inclusa; verum etiam humana sapientium virorum ratio huc pervenit, ut nihil quam sui gratia et cogitare et facere hominem videret. Ciceronis testimonium in commentario nostro in hunc usum adduximus, quod hic longius esset ponere. Illud autem quod Apollinis oraculo tribuunt: Nosce te ipsum! satis fidei nobis faciet, hominem intus et in cute nequam ac malum esse. Non enim dictum est, ut hominem ad sese convertat, ut se contempletur cum iucunditate, sed ut in sese descendat, atque expendat tum se tum sua: iam tantam luem indubie offensurum, ut non temere, vel de se ipso magnifice sentiat, quem sic iacere videt, vel de alio male sentiat quo se nihilo videt esse meliorem. Quum ergo ne humanam quidem rationem fugiat, si modo ingenue fateri voluerit in penitissima sese abstrudens nebulo, hominem in universum esse malum: qua fronte audetis humanae innocentiae fidendum esse adserere? An forte dicturi estis nullo modo fidendum esse? Omnes ergo vestra sententia ultimae damnationi adiudicabimur. Si enim innocentia nostra comparari felicitatem oportet, et ea omnibus est negata: iam felicitas quoque nobis periit. Cur ergo vos innocentiam simulatis? Cur multi vestrum id Christi sibi sumunt et gloriantur: Quis ex vobis, dicentes, arguet me de peccato? Iam ergo confieri arbitror, ut sive annuatis homini contingere innocentiam posse, et ex innocentia (quam Apostolus iustitiam vocat) felicitatem, sive negetis, hypocrisis vestra i lucem

producatur. Nam si perhibetis felicitatem nostra opera comparari posse, iam obstat ratio communisque sensus. Quid enim vobis cum sacris literis? quas sic ἐν τῇς προσθήκης μέρει habetis, ut ubi ubi libet abiiciatis. Si negatis obtineri posse, cur ergo simulatis, quod nulli mortalium videtis posse contingere, vos iam ambabus manibus tenere? Legite iterum atque iterum hunc Elenchum oro, et vos ipsos agnoscetis, nisi estis daemone obstinatiores. Quid ergo? Apud Vangionas Christum negatis, quum ad operum fiduciam reducitis, eo quod qui isthic religionis studiosi recens facti sunt, hypocriseos artibus parum exerciti sunt, atque ideo praestigiis vestris obnoxii. Dum enim sordes vestras spectant atque simul magnifica de innocentia verba: iam sordes autumant vos induisse, quo magis deum indueritis, adeoque velut homines dei amplectuntur, ubertim quae habent suppeditant. Quae enim tam constans arca foret, ut tantae sanctitati sese non dederet? quod tam tenax marsupium quod ad tam vehementem spiritum non hiaret? Ventres! apud Groningam Vetus instrumentum negatis: circum enim regionem plurimos esse videtis, qui simulata sanctimonia nihil moventur; audaciam, qua spiritum iactatis, ubi scriptura non sufficit, detestantur. Cum ergo catabaptismum, ex quo veluti fonte speratis omne consilium vestrum derivari posse, nulla scriptura videtis probari, infantium autem baptismum veteri instrumento defendi posse: iam Vetus instrumentum abiicitis. Pars ergo Novum quum elevatis, pars Vetus, nihil reliquum facitis quam pessimos atque inconstantissimos homines vos esse proditis, imo ἀθέους. Dum enim quae ad baptismum pertinent, ex commentariis quae de Christo scripta sunt depromitis, Christum autem ipsum evacuatis: iam nulli notum non est, vos omnia ex contentione facere, quantamcunque sive sanctitatem sive simplicitatem per hypocrisin simuletis. Ac rursus: Cum Vetus instrumentum reiicitis hac potissimum causa quod, quae de infantium baptismo ex eo adferuntur, sustinere non potestis, evidenter ostenditis quod deum, qui et Veteris et Novi Testamenti deus est, pro nihilo reputatis. Ne quaeso tibi videar, optime lector, insolentior! videbis omnia esse apud istos deteriora, quam stilus noster prosequi possit. Quod autem istud ὕπουλον foveant: sed quid dico ὕπουλον, quum nihil obscure et Vetus Testamentum et Christum ipsum negent? verba eorum quae hic tractamus paulo diligentius expende! Paulus, inquiunt, docet anathema esse quicquid non in Evangelio atque sermonibus apostolorum contineatur. Vides ut aperte Vetus Instrumentum fastidiunt? Vides eos qui maxime scriptura niti videri volunt, non modo scripturam, ut hic Paulo faciunt, depravare; verum etiam eam ipsam scripturam dissimulare, quam Christus in testimonium vocavit. Et apostoli nihil docuerunt, quod non ex ipsa vel hausissent vel probarent? Bellum atque doctum scilicet verbum: Quicquid non in Evangelio atque sermonibus apostolorum continetur, anathema sit! Prophetarum atque adeo poëtarum oracula non habentur ad verbum in evangelicis commentariis atque apostolicis; ergo anathema sunt. Sic loqui debent qui se magistros omnium faciunt. Quis obsecro sic loquitur? Nonne omnes qui de isto axiomate loquuntur, sic dicunt: Quod citra sacrarum literarum Veteris ac Novi Testamenti testimonium adseritur,

anathema esto? Sed nunc increpationi modum imperabo: satis enim pellucere tibi piissime lector puto τὸ ὕπουλον.

## CATABAPTISTAE.

Ioannes iustam causam reddit 17: 20. per os sic loquentis Christi: Non pro eis, puta apostolis, tantum rogo, sed pro eis quoque, qui per verbum eorum credituri sunt in me. Apostoli sermonem suum a Christo habebant; Christus autem a patre acceperat.

## RESPONSIO.

Haec tu verba, lector, mox praecedentibus eorum iunge, ut videas quam exercitos sensus habeant in adducenda scriptura, et quam egregie quadrent, quae sic cornicantur apud imperitam multitudinem. Quid ista auctoritate Christi volunt? Num probare Christo credendum esse, eo quod quae dixerit et docuerit ex patris pectore hauserit, discipuli autem e suo? Cur ergo non credunt Christo qui proxime ante haec verba sic fatus est: Ego pro eis sanctifico me ipsum, ut sint et ipsi sanctificati in veritate, hoc est, vere atque sincere sanctificati sint? Quibus ille verbis aliud prorsus non vult quam Paulus, quum dicit Heb. 10: 10. Unica oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Cur non credunt dicenti: Non enim misit deus filius suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non iudicatur et cetera. Et: nemo venit ad patrem, nisi per me? Cur ergo non credunt apostolis eius? Petro sic dicenti: Ipsi vos superaedificamini lapides vivi in domos spirituales, in sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptas deo per Iesum Christum. Paulo: Per ipsum habemus accessum ad deum. Et: Ipse est redemptio nostra. Imo in quo versatur omnis Pauli doctrina, quam ut ostendat, per solum Christum et peccata aboleri et salutem donari? Cur non credunt Ioanni: Filioli, inquienti, haec scripsi vobis, ne peccetis. Quod si quis peccat inter vos, advocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ille est propitiatio, non pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis? Non ergo in hoc sunt, ut probent fidem Christi atque apostolorum verbis esse habendam, cum ipsi eis nullam habeant: si enim haberent, operum iustitiam non adsererent.

## CATABAPTISTAE.

Sexto. Eo iure, quo Zuinglius infantes familiae obtrudit, ego expellam, sed scriptura; quod Zuinglius absque scriptura facit: infantes enim non possunt inter familias baptizatas computari.

## RESPONSIO.

Primum quaero quo me putetis iure infantes familiis obtrudere. Nullone? Non ergo vidistis ex hominibus homines nasci, parentes liberos alere atque tueri. Vides, ut angeli isti cacodaemonis nuntii omnem humanum sensum exuerunt. Apud inferos scit princeps eorum daemonem non ex daemone nasci. Ideo iam illius mancipia facti arbitrantur apud homines exoletum esse, ut homo generet hominem, atque quod genuit

tollat. Audite ergo quid quomodoque dicamus: verisimilius esse apostolos baptizavisse infantes quam secus. In sacris enim literis habemus totas familias ab eis esse tinctas, in quibus verisimilius sit infantes fuisse quam secus. Vobis ergo non videtur hoc veri esse similius? Causam depromite, ac docete quomodo verisimilius sit non fuisse infantes in eis domibus, quarum tres adduximus. Sed scriptura, inquit, expellam. Quis es obsecro qui expellas? Expellam, ait. Oportet magnae apud vos auctoritatis esse virum, qui se pollicetur expulsurum; nihil tamen adfert, neque flagrum neque ferulam eis intentat. Utcunque enim pollicetur nihil praestat, unde auctoritati suae exigere arbitror ut credatur: *ἀντὸς ἔφη* scilicet. Infantes, inquit, inter familias baptizatas censeri non possunt. En tibi scripturam! Magister ille noster dixit censeri non posse; quis ei audebit contradicere? Zuinglius, inquit, sine scriptura obtrudit familiae liberos. Quid ergo si te, furiose onager! (nolo enim hominis nomen, quem iam inter umbras arbitror in Phlegethonte baptizari, producere; quum quod cum larvis luctari ludicrum videtur, tum quod certus non sum, etiamsi certis coniecturis adducar, quisnam sit auctor tam doctae confutationis) scripturis onerem, quibus docearis baptizatis familiis infantes accenseri? In Actis apostolicis 2: 44 sic habemus: Omnes autem credentes simul aut eodem in loco erant, et habebant omnia communia. Hic requiro: Anne credentes liberos secum habuerint necne? Si etiam, quomodo ergo non fuerunt in familia eorum? sin minus, cur ergo nusquam leguntur fuisse solliciti quod non liceret liberos secum habere ei qui credidisset? Adeon immanis spiritus fuit qui eos instinguebat ut liberos abdicandos esse dictaret? At non vultis eos non habuisse, atque aluisse apud se, sed non esse Christianae familiae accensos. Quaero ergo qui vobis nomine familiae veniant. Dicetis haud dubie: Ii qui iam sic adoleverunt ut norint quid lex sit, quid peccatum: poenitere enim oportere eum qui baptizari velit; poenitere autem infantes cum non possint, non posse nomine familiae comprehendi. Deo gratia, quod tam pulchre funem ex arena didicistis texere, mendacium ex mendacio torquere. Posteaquam enim obduruistis neminem esse baptizandum quam quem poenitere factorum possit: iure infertis infantes non debere baptizari. At hic lege opus erat quae vetaret; sed non habetis legem. Vos ergo lex estis, atque ubi leonina deficit vulpinam adsuitis. Quid ni? quis enim ex fratribus vestris expendit quam probe aut improbe colligatis? Nos autem, qui nihil adserere didicimus, quod non abunde firmum esset ac fultum divinis testimoniis, scimus, Isaac etiamnunc infantem sic esse de familia Abrahami, ut et ancillam et de ea natum parentem ipsum pellere compelleret. An vobis idem videtur? Paulus enim cum Mose ait: Non erit heres filius ancillae cum filio meo Isaac. Heres fuit; indubie ergo de familia fuit. Nam et de familia sunt, qui heredes non sunt, ut servi et liberti. Nolo hic dicere quod et Iurisperitis filius familias dicitur, quem vos hic *ἀποκηρύττεσθε*; sed huc tendo: Exodi 12: 48. sic legimus nos, qui Vetus atque Novum Instrumentum adimus tanquam duo candelabra, quo minus hallucinemur, cum interim vos vestro spiritu victitatis, perinde atque margaritae suo suctu, quum superne eis nihil illiquitur aut irroratur — sic inquam

legimus: Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, et facere Phase domini: circumcidetur prius omne masculinum eius; et tunc rite celebrabit. Cur dicitur hic omne masculinum eius? An hoc quoque ad adultos tantum pertinet? Quomodo ergo praeceptum est, ut die octavo circumcideretur omnis mas? At non sunt tamen infantes de familia. Mihi contra videntur esse: ipsi enim hereditatem adeunt. Vestrum autem est scripturis probare, eos qui pro ritu atque religione parentum ecclesiae dei signum recipiunt, de familia parentum suorum non esse. Quod quia aeque potestis atque Isthmum perfodere, aliud testimonium adduco. In Actis 21: 5. sic scribit Lucas: Et post dies aliquot proficiscebamur, deducentibus nos omnibus cum uxoribus ac liberis etc. An et hic liberi adulti modo sunt? et si adulti non sunt, de familia non sunt? Quid ergo miraculi est, aut quae propensio, si patres familias cum uxoribus et iuvenibus aut adolescentibus apostolum deduxerunt? Sed haec fuit propensio, quod patres cum uxoribus infantes secum et ferrent et traherent, quemadmodum in tanto studio fieri solet. Iam utique non trahebant secum alios sed suos liberos; de eorum ergo erant familia. Non est cur te, bone Lector, semper admoneam, quoties stropham aut dolum aliquem arguerim. Quid enim difficultatis erit, hanc esse malitiam deprehendere, quod credentium infantes non accenserentur paternae familiae? Stultitia enim esse nequit, cum et illi ipsi Denkiorum, Hetzerorum aut Cutiorum, (mirabile avitium) familiis ab ipsis unguiculis accensi sint.

## CATABAPTISTAE.

Septimo. Da infantes in his familiis fuisse; non tamen suffragatur veritas, ut infantes isti baptizati sint. Sequitur autem cum contumelia veritatis et sapientiae divinae.

## RESPONSIO.

Quis satis miretur hominis fiduciam! Donat ut fuerint infantes in familiis istis; at non esse baptizatos. Cum tamen primo loco sic sonent verba: Baptizavi autem et Stephanae domum. Secundo sic: Cum autem baptizata esset et domus eius. Tertio sic: Et baptizatus est ipse et omnis domus eius. Quomodo in genere potuit primo loco dicere, Stephanae domum se baptizavisse, quam non baptizavit, si pueri in ea fuerunt, quos non admisit? Aeque de secundo loco dicendum est. Sed ultimo loco quum perhibet omnem domum esse baptizatam: quid causae est cur non videant, hoc inter initia credentibus fuisse in more, quod Abrahamo et posteritati eius, qui omne servorum suorum genus circumcidit, tam bello captos, quam vernaculos, quam emptitios, nedum liberos, sicut paulo ante ex loco de Exodo citato patet. Ubi tantundem praecipitur, circuncidi debere omnem familiae marem, et nulla uspiam fit credendi aut cognoscendi dei, quae tamen praecipua omnium cura debet esse, mentio. Sequitur autem, inquit, cum contumelia veritatis et sapientiae dei. Cum neutram agnoscant, utramque perhibent contumelia adfici. Quae enim fuit contumelia sive dei veritatis, sive sapientiae, quod Hebraeorum infantes circumcisi sunt, et fidelibus familiis connu-

merati? sed haec sunt magnifica istorum verba; haec est eorum tam pretiosa merx, ampullae et sesquipedalia verba. Ad huiusmodi verba, quibus magnis nominibus maledicunt, imperitum vulgus aures arrigit atque applaudit.

## CATABAPTISTAE.

Octavo. Quod Apostolus pueros nec intellexerit nec baptizaverit, testatur ultimum caput huius epistolae. Zuinglius autem hoc perfidiose reticet, eo quod contra vitreum fundamentum suum facit. Paulus depingit doctis eam familiam isthic quum sic ait: Nostis domum Stephanae quod primitiae sunt in Achaia, et in ministerium sanctorum semetipsos ordinaverunt, ut sitis eis subditi atque omni cooperanti atque laboranti. Huiusmodi familiam non agnoscit paedobaptismus neque paedobaptista, sed missam faciunt: est enim contra ipsos.

## RESPONSIO.

Ut aliis locis multis, sic etiam isto facile deprehendimus auctorem frivolae confutationis huius, quamvis maximo argumento est lingua Helvetica, qua sic est scripta, ut externum aut peregrinum verbum nullum habeat. Attamen, ut diximus, cum homo iam indubie apud inferos tantum aestuet, [1] quantum hic catabaptismo perlutus alsit, missum facere duximus eius nomen. Quae ergo haec est impudentia, o umbra, quum adseris nos haec Pauli verba voluisse agnoscere? Nonne primis congressionibus duabus haec verba sunt ab Hetzero producta? Nonne ad hunc modum respondimus, synecdochicum esse sermonem, quales 1. Cor. 10: 1. sunt: Patres nostri omnes sub nube fuerunt. Fuerunt enim et infantes sub nube, at singularis eorum nulla fit mentio. Omnes mare transierunt. At infantes transire non potuerunt. Transibant ergo qui non transibant, sed baiulabantur ab his qui transibant. Sic in familia Stephanae fuerunt, qui primi crederent ex omni Achaia; fuerunt simul qui de Ecclesia essent, qui actu per aetatem nondum crederent neque ministerio sanctorum sese manciparent. Omnes in Mosen baptizati sunt. Omnia de patribus loquitur, hoc est de maioribus et abavis, quos tamen sic accipimus, ut qui tum pueri infantes essent, nunc Paulo patres adpellentur: ex his enim fuit populus Israëliticus. Non ergo soli adulti tunc in Mosen baptizati sunt, sed infantes quoque. Qui enim in maris rubri transitu infantes erant, si baptizati non sunt, non recte dixit Apostolus, omnes esse in Mosen baptizatos: fuerunt enim ipsi quoque, ut iam diximus, posterorum patres. Quo vos hic vertetis? Ne obiter hoc transeam: Infantes tum baptizati scribuntur ab Apostolo. Sed dicetis figuram esse. Recte sane! figura ergo fuit eius, quod sicut tunc infantes de familia patris tam terreni quam coelestis erant et sacramentis eorum signabantur: sic et nunc quoque qui Christianorum liberi sunt, dei quoque filii quum sint, filiorum dei sacramento utuntur. Non invenietis rimam ullam qua possitis elabi. Factis enim atque exemplis

[1]) Oecolampadius nuntiavit 19. Iul. Zuinglio falsum rumorem, Hubmeierum combustum esse, quo Zuinglius hic fortasse alludit.

stulte ad negativam argumentamini; imo a non factis, et non exemplis. Quid enim aliud agitis, quam: Apostoli non leguntur baptizavisse infantes; ergo baptizandi non sunt? An non omne robur vestrum in hoc uno cardine versatur? Nos autem non itidem, sed factis, si modo exemplis standum esset atque iudicandum, niti possemus, hoc modo: Hebraeorum infantes baptizati sunt omnes sub nube, et in mari, perinde atque nostri. Paulus enim in hoc totus est praedicto loco, ut probet eos non minus nostris esse sacramentis initiatos, quam nos ipsos. Sequitur ergo primum, quod tempestate Pauli mos apostolorum fuit infantes baptizandi: secundo, quod si quis infitietur, iam Pauli sententiam vitiat. Quid enim aliud isthic quam paria facit? nos non esse superiores illis, illos autem non inferiores nobis. Tribuit ergo eis eadem sacramenta quae nos habemus; nobis autem ista quae ipsi habuerunt, ut Coloss. 2: 11. Non possent autem prisci isti omnes esse baptizati perinde atque nos, si nos non omnes baptizaremur cum familiis. His ergo omnibus baptizatis nobisque paribus factis, fit manifestum, quod, sicuti ipsorum infantes omnes in mari baptizati sunt in Mosen: sic credentium quoque omnes tempore apostoli baptizarentur in Christum. Nunc in viam redeo, ac dico synecdochice de filiis Israel dictum esse: Omnes mare transierunt, quum tamen ad verbum ipse transitus iis modo conveniat, qui per aetatem aut valetudinem ire poterant; et omnes eandem escam spiritalem comedisse, quum ii modo ederint, qui spirituales erant; nihilo tamen secius de omnibus dici quod ederint. Sic et hoc loco, si Paulus ipse hanc vocem *omnes* addidisset quoque atque dixisset: Omnes de Stephanae familia dediderunt se ipsos ministerio sanctorum, adhuc tamen ipsa Synecdoches vi et infantes simul in familia fuisse intelligerentur, et domino sese dedisse ii qui iam credidissent. Hoc enim de natura est Synecdoches, ut quum omne aliquod corpus quod partes multas habet, easque aliqua in re similes, aliqua dissimiles: si interim de universo corpore quid praedicatur, de parte tamen intelligatur; interim vero de parte corporis praedicetur, de toto tamen corpore intelligatur. Exemplis discite quod dico. Exibat ad eum omnis Iudaea. Videtis hic omnem Iudaeam pro iis tantum poni qui exibant, atque duplicem esse Synecdochen: unam qua continens pro contento accipitur: Iudaea regio pro incolis; alteram qua dicitur: Omnes habitatores exiisse, quum bona solummodo pars ad eum exierit. Contra vero, Ies. 3: 16: Pro eo quod elevatae sunt filiae Zion. Ibi filiae pars Zion sunt; attamen pro omni populo, maxime principibus ponuntur, qui impie cristas contra dominum erigebant. Exod. 16: 2. Murmuravit omnis Ecclesia contra Mosen. At quomodo pueri murmurarunt? qui quod gereretur ignorabant. Quod si non murmurarunt, non murmuravit omnis Ecclesia: ipsi enim infantes de Ecclesia erant. Videtis qualesnam literatores sitis, λογομαχίᾳ laboratis, et quo maxime fiditis foedissime ignoratis. Literae enim soli inhaeretis, et quod ad expediendum literam inter prima pertinet ignoratis. Dicite obsecro quibus dictum sit: Non sumas in vanum nomen domini dei tui in os tuum, et: Ne fureris, et similia! nonne veteribus, qui populus atque Ecclesia dei erant? At pueris infantibus ista dici non possunt; non erunt ergo pueri de ecclesia et populo dei? Absit! erant

enim infantes membra populi dei, imo patres populorum. Genes. 25: 23. Constat ergo, ut quaecunque ad corpus aliquod aut universitatem dicuntur, atque in ea universitate pars est, cui non competit quod dicitur, nihil minus sit de isto corpore, etiamsi quaedam ad se nihil pertineant. Atque rursus: Si aliquid parti huius corporis aut universitatis dicitur, quod tamen ad eam partem minime pertinet: sic ad totum corpus pertinet, ut eas tantum partes tangat et admoneat, quae ei quod dicitur possunt esse obnoxii, ut in dictis exemplis iam nullo negotio patet. Non fureris: infantibus non dicitur, sed iis qui huic malo possunt esse obnoxii. Rursus quae Iesaias filiabus Zion comminatur, ad omnes pertinet qui violentia et fastu suo homines deprimebant. Sic tum, etiamsi non tam multis, respondebamus ad eum locum quem Hetzerus ex Paulo adducebat, quo infantes e familia Stephanae excluderet, quam tamen amplissimam, si amplifica quae de ea facit Paulus verba digne expendamus, fuisse adparet. Manent ergo adhuc infantes in credentium familiis atque baptizantur, ac dum de eis familiis mentio fit, quumque ad eas sive scribitur sive sermo fit, ad eam partem pervenit ac pertinet, quae horum capax est quae dicuntur aut memorantur. Infinita potuissemus exempla producere, quum nullo ferme tropo Hebraei utantur impensius; at his putamus gustum esse datum, quo deinde reliqua facile omnia expedias. „Hereditas mea Israel" quibus hoc dicitur? nonne posteritati Israeliticae? At pueri hoc non capiunt. Non ergo sequitur, non esse de hereditate aut peculiari populo; sed cum pars sit quae quod dicitur minus intelligit, nihilo secius ad totum corpus pertinet. Sic cum Christus dicit: Ite, docete omnes gentes baptizantes eos etc. docebant apostoli omnes quotquot ad doctrinam erant accommodi, et baptizabant quotquot ad baptismi sacramentum erant idonei.

## CATABAPTISTAE.

Nono. Paulus vir verax vult hoc primo capite ostendere se paucos Corinthi baptizavisse; Zuinglius autem et sui testes Paulum mendacii arguunt, et dicunt eum plurimos baptizavisse, quum dicunt eum infantes in domo Stephanae baptizavisse.

## RESPONSIO.

Quia dicimus in familiis haud dubie infantes fuisse, ideo sequitur scilicet: ergo Paulum mendacem faciunt, qui se paucos adserit baptizavisse; quasi si infantes quoque baptizati sint, iam intra paucorum numerum contineri ultra nequeant qui baptizati sunt ab eo. Quid, quaeso, facias huic tam stupido hominum generi? qualem putas esse Ecclesiam quae sic disserenti non dico credit, sed aurem praebet?

## CATABAPTISTAE.

Decimo. Quod sic res habeat, testatur hic textus, ubi sic loquitur: Ne quis dicat quod in nomine meo baptizatus sit, atque inde tumeat propter me. Si ergo infantes loqui potuerunt et factiosi esse (sicut Zuinglii isti compellunt), iure baptizati sunt.

## RESPONSIO.

Vide quam potentes syllogismi! Ne quis dicat, inquit: Pueri infantes non possunt dicere nec factiosi esse; ergo non sunt baptizati. Quasi vero factiosi non essent nisi qui dicerent se Apollonii esse, Cephae et Pauli. Deinde quasi per Synecdochen non dudum didicerimus, id de quaque parte intelligendum esse quod ei est accommodum.

## CATABAPTISTAE.

Undecimo. Quod Paulus Corinthiacos infantes baptizaverit, non est verum. Resp. Bona verba, quaeso! Catab. Quamobrem? quia solummodo credentes baptizavit, aut per alios baptizari curavit. Resp. Iam tandem egregie colligitis: optime enim sequitur: Credentes tantum baptizati sunt; ergo infantes non potuerunt baptizari, si modo istam exclusivam, credentes tantum baptizati sunt ab apostolis, inviolabilem custodieritis. Catab. Quemadmodum ex Actis 18. et 19. in confusionem et elenchum seductionis paedobaptistarum firmabimus.

Resp. Parturiunt montes. Catab. Et sic habetur in Actis 18: 8. Quum Paulus Corinthi esset, Crispus synagogae magister credidit domino cum tota domo sua; et plurimi Corinthiorum qui simul auscultabant (Interpretor enim summa fide ad verbum, nihil depravans, quomodocunque isti lingua etiam Germanica sive palpitent, sive balbutiant) credebant et baptizabantur. Infantes non potuerunt auscultare; non potuerunt ergo credere, multo minus baptizari. Nam attendentes fideles baptizabantur. Et hic tota domus fidelis est facta, e qua infantes excluduntur, atque sic exclusi sunt, ut nulli isthic fuerint; aut si fuerunt, non sunt in eam computati ac perinde neque baptizati; fideles autem familiae baptizatae sunt.

## RESPONSIO.

Infantes auscultare non potuerunt; sed non sequitur: ergo non sunt baptizati. Nusquam enim legimus interdictum, ut credentium infantes, nisi et auscultavissent et credidissent, non baptizarentur. Nos interdictum quod vetet requirimus. Sed pulchre adiicitis: Et hic tota domus est fidelis facta. Cedo. Pergitis: E qua infantes excluduntur. Id ipsum oro literis sacris probetis. Audio dici: Infantes excluduntur; at excludi nusquam audio divino oraculo. Tota hic vobis periclitatur disputatio. Certamen erat inter apostolos ecquid evangelium Gentibus quoque esset praedicandum, necne? quod quidem certamen partim ex falsa collectione, partim vero ex verisimili oriebatur. Fallacia collectionis haec erat: Nobis est promissus Christus; ergo Gentium non est. Quis enim tam expers sensus est, ut non experiatur sequi nulla ratione posse: Nobis Iudaeis est promissus Maschiah: ergo Gentium non est. Fieri enim potest, ut et Gentibus sit promissus: id quod sacrae literae infinitis modis testantur. Sic et praesenti loco: Testantur apostolorum scripta eos qui audissent et credidissent baptizatos esse; sed iam non sequitur: Infantes ergo non sunt baptizati ab eis. Simul enim vera possunt esse: Apostoli baptizarunt credentes, et Apostoli baptizarunt infantes; sicut simul vera sunt: Hebraei circumciderunt

adultos; circumciderunt et infantes. Adultus enim, imo decrepitus Abraham et circumcisionis sibi ipsi vulnus inflixit et infantibus Ismaëli atque Isaaco. Hallucinamini ergo o Catabaptistae, quum indefinitam propositionem exclusivam facitis. Exclusiva est utraque: Nemo debet baptizari, nisi qui prius credidit; et: Infantes non debent baptizari; sed ex istis: Apostoli baptizarunt credentes, et Apostoli non leguntur baptizavisse infantes, non possunt sequi. Non enim aequipollent: Apostoli baptizarunt credentes, et nemo debet baptizari, nisi qui prius credidit. Neque ista: Apostoli non leguntur baptizavisse infantes; ergo non sunt ab eis baptizati aut non debent a nobis baptizari. Fieri enim potest, ut simul credentes baptizaverint et infantes, atque ut aut baptizaverint infantes, illud autem literis mandatum non sit; aut non baptizaverint, nihilo tamen minus per ecclesiarum ministros sive baptizati sint sive ius baptizandi sit. Missi enim erant ad praedicandum ante omnia, non ad baptizandum. Si Sophisticam hic nobis imputetis, ut est calumniandi audacia, scitote istud vestrum logicum esse, imo paralogismum: Apostoli non leguntur baptizavisse infantes; ergo non baptizarunt, aut baptizari non debent. Unde et nos cogimur tela in vos vestra regerere. Verisimile autem quo adducebantur apostoli, ut putarent Gentibus non esse praedicandum Evangelium, hoc fuit. In priore missione interdictum hoc modo fuerat: In viam Gentium ne abieritis! Quo eis verbo licebat esse contentiosissimis, Christum ipsum in hoc esse, ut se solis Hebraeis servet. Quale si vos haberetis verbum, dii boni! qua nos dudum procacia obruissetis? Advertite igitur haec duo mandata: Euntes docete omnes Gentes baptizantes eos in nomen patris etc. et: Ite in orbem universum, et praedicate etc. dispensationem atque abrogationem huius interdicti: In viam Gentium ne abieritis, esse. Dudum enim et docuerant et baptizaverant. Qui ergo hactenus intra Iudaeae septa conclusi erant, eis iam aperit totius orbis provinciam. Quo obiter non ignoretis istos locos nunc tandem velut antithesim opponi ei: In viam Gentium ne abieritis! atque abolere. Nondum ergo exclusivam, quod nemo baptizandus veniat, quam qui crediderit, probavistis.

## CATABAPTISTAE.

Perinde Act. 16: 31. habetur: Crede in dominum Iesum! et salvus eris et domus tua. Atque ut domus eius cum eo salva fieret, sequitur ultra: Et dicebant ei verbum domini, atque omnibus qui in domo erant. Ultra sequitur: Et baptizatus est ipse et omnes qui eius erant extemplo. Verbum domini audierat; ideo baptizabatur, et omnes qui in domo eius erant, etiam audierant et ideo baptizabantur. Ubi iterum infantes excluduntur: nequeunt enim audire et credere, quemadmodum ultra sequitur: Et exultabat cum tota domo, quod deo credidisset.

## RESPONSIO.

Ut hic dissimulem quaedam non optima fide in linguam Helveticam translata esse, breviter aio: Una synecdoches bipenni totus hic nodus potest secari. Nam si infantes in ea familia fuerunt, iam quae de fide

atque doctrina dicuntur iis dabimus, qui et capere et credere potuerunt; quae vero de baptismo iis qui de familia fidelis heri erant, sed per aetatem aut imbecillitatem neque audiebant neque credebant. Quum enim deus sic intonat: Audi Israel! Dominus deus tuus deus unus est: omnibus qui de Israel erant loquitur; quod autem infantes non audiunt neque intelligunt, non eliminat eos, quo minus sint de Ecclesia populi dei, aut quo minus cum omnibus, qui et audiebant et credebant, circumciderentur.

## CATABAPTISTAE.

Duodecimo. Philippus toti civitati Samariae praedicavit, ubi haud dubie infantes fuerunt. Lucas tamen verbis insuperabilibus sic ait: Et baptizabantur viri atque feminae. Viri atque feminae, inquit Lucas. Quod si sciolus aliquis diceret, quemadmodum nuper fecit quidam Wittembergensis sophista: Feminarum nomine puellae quoque comprehenduntur, virorum vero mares: figmentum hoc erit. Ante enim haec verba sic habetur: Philippus praedicabat; ipsi credebant. Ipsi, inquam, viri atque feminae credebant et baptizabantur. Hic etiam cadit Synecdocha, Zuinglii alterum fundamentum. Quae Synecdocha comprehensivus sermo est, ut ubi scriptura de credentibus baptizatis loquitur, etiam infantes inter eos comprehendantur, quam ille ex depravatis scripturae locis, qui hoc nunquam poterunt, probare nititur.

## RESPONSIO.

Quid Wittembergensis iste tecum, o umbra, quum in humanis esses, egerit omitto. Attamen hoc certum est, neque hunc locum excludere infantes, etiamsi nullam de eis mentionem faciat. Neque enim excludit quenquam qui mentionem eius verbo non facit: aliud enim est excludere aliud omittere; omitti potest, qui tamen nulla ratione excluditur. Exclusus nunquam in rationem venire potest. Quum ergo omissi simul cum iis quorum diserta est habita mentio per Synecdocham comprehendantur, ut satis est ostensum: adhuc expectamus quando tandem exclusionem istam, qua dicitis infantes excludi, probetis: nos enim per comprehensionem (hoc est enim Synecdocha, nisi quod Latina vox non est tam propria atque Graeca) includi probavimus. Quod autem promittitis, ostensuros quomodo Synecdocham ex depravatis scripturae locis adseruerim, iterum estis pollicendo ditissimi, praestando pauperrimi. Quum enim pergitis ad revellendum Synecdocham, iam eam fortissime adseritis.

## CATABAPTISTAE.

Ut in Actis 2: 44. Omnes autem qui crediderant simul erant, et habebant omnia communia.' Hic, inquit Zuinglius: si soli credentes simul fuissent, quo quaeso relegassent infantes? si abiecissent a se, iam belle credentes fuissent qui contra domini praeceptum pueros extruderent. Numerantur ergo et liberi credentium inter credentes, atque cum eis baptizantur. Ad quae sic respondemus: Zuinglius recte loquitur, quum dicit, non esse credentes futuros, si liberos a se propulissent. Qui enim fieri potuisset, ut hi qui omnia habebant communia liberos quoque

non habuissent communes, neque in commune educavissent, iuxta praeceptum domini? Infantes ergo non connumerantur aut reputantur inter credentes, sed huic connumerantur, quod credentes habebant omnia communia.

## RESPONSIO.

Vides, optime Lector, quo se vertat mendacium. Potius connumerant liberos credentium eorum iumentis atque sarcinis quam parentibus ipsis, ne scilicet cogantur eos per Synecdocham sub nomine credentium comprehendere. Nolunt enim eos in his verbis comprehendi: Omnes qui crediderant simul erant; sed in his: Et erant eis omnia communia. Apud ipsos ergo liberi non ultra sunt cara pignora, non sunt caro nostra et sanguis. Quid enim aliud sibi volunt, quum negant eos comprehendi sub credentibus, sed sub re quam omnes communem fecerant? Quae obsecro tigris tam immanis est? Huc scilicet insaniae pervenire debent, qui sensum non modo pietatis, sed humanum quoque omnem exuerunt. Hic te pium pectus testor, ne iis quae dicturi sumus offendaris: huc enim iure debent poni, non quod adfectui tantum deferamus, sed quod quae isti clam designant sic non debent ab omnibus ignorari, ut quae Alexander *χαλκεὺς* in divum Paulum admiserat, quo facilius a tanta lue nos ipsos custodiamus. Ero in describendis eorum facinoribus liber et brevis. Uxores isti sic communes habent, ut aliena matrimonia invadant, sua deserant; liberos autem sic, ut eos deserant atque aliis alendos relinquant. Belli homines, dum libido suadet, communem faciunt fratris uxorem, imo filiam virginem. Cum vero ipsa naturae vis requirit, ut liberos vel cum sudore foveant, iam aliis communes faciunt. Figellae cuidam nomen est apud nos ad primum ab urbe lapidem. Is eorum doctrinam contumacissime tuebatur, commeatum autem pro domo contraxerat quo hiemem transmitteret; et quoties edendum esset, iam inertes muscae aderant, magnifice de deo prophetantes: sic enim blateramenta sua vocare dignantur prophetiam. Tenentur paterfamilias, uxor atque liberi his praestigiis, donec annona absumeretur. Arbitratus ergo homo quod minime contingebat, se praesentibus comesis illorum opera et auxilio alia comparaturum: monet nunc esse operi instandum quo paretur victus. Surdo fabulam narrat: quum enim aut stamen tendere (textor enim erat) aut subtegmen convolvere cogeretur illorumque opem aliqua in parte expectaret: isti laudare deum, eius providentiam vehere omniaque de illo tanquam *ἄσπαρτα καὶ ἀνήροτα* polliceri, manum operi nulli admoliri. Interim ex coniuge discit adulterium quoque oblatum ei esse pietatis praetextu. Iam domo pellit sceleratos hospites atque oculos recipit, videtque ventres esse quos paulo ante angelos crediderat, atque ad ecclesiam Christi redit. En tibi ut publica velint esse omnia! Perditi homines mediocrium bona communia volunt esse, sua vero si quae habent nullatenus. Si nulla habent sic communia faciunt omnia: laborem partiuntur aliis, ipsi ne nihil faciant otium colunt, deinde in commune edunt. Uxores quoque, ne Platonis rempublicam vitient, communes faciunt non suas, sed aliorum. Quod alio facto patebit: Fuit ex Coryphaeis praecipuus in vico ab urbe ad quintum lapidem cum

non contemnenda pecunia. Ad eum properabat uxor, ut liberis abiens aliquid relinqueret. E pumice aquam postulabat. Manet interim uxor nocturnis fors sperans se blanditiis aliquid emuncturam; quumque iam hora esset, lectum mariti petit, cui spiritualis homo occurrens: Nonne dixi tibi, non aliam ob rem te venisse quam libidinem? a se repudiat ac mox puellam catabaptistam ad se advocat. Quod quum uxor male ominans arguit, diris eam devovet. Caro es, inquit; ideo carnalia cogitas et suspicaris. Maledicta eris in aeternum. Cum autem nullis ei posset suspicio maledictis eximi, tandem ad nos venit ac narrat quae maritus, libidinis alioquin impatientissimus, eis imposuerit credenda — de matrimoniis spiritualibus puta; quum suspicione carere non posset, quod cum eadem puella vicibus aliquot Sanctogallum perrexerat solusque cum sola non tantum nemora et aestivas umbras transierat, sed noctu in eodem cubili cubuerat. Iam tandem aperit mysterium, connubia inter eos esse spiritualia, quibus tamen uxor parum dabat fidei. Sic ille uxorem aliis reliquisset communem, ne nihil in commune referret (nunquam enim posthac eam attigit), nisi meliore fide quam ipse connubium custodivisset; ac puellam communem usurpat, imo communem facit. Iam aliud quoque exemplum narro. Fuerunt et alibi qui haec spiritualia matrimonia consimilem ad modum sic contraherent, ut ab argentariis coëmptis annulis puellares matronalesque spiritus sibi devincerent. Quales in schola Valentini fuerunt, quemadmodum Irenaeus libro primo testatur. Sanctogalli publice animadversum est in puellas duas, quae donec ad Catabaptistas desciscerent inculpatae pudicitiae fuerant; sed simulatque corpus in catabaptismum demerserunt, naufragium passa est virginitas. Desponderi enim se spiritualibus maritis acceptis annulis tulerunt; nocteque tandem una unoque in lecto zonam virginalem sic solverunt duo Catabaptistae, ut sponda diu gemens, oneris tandem impatiens, humi fuderit uno crepitu nuptias duas. Ibi qui casum audierunt, sancte iurant, spiritus istos *κτύπον* haud alium edidisse quam si corpora quatuor de sublimi in terram decidissent. Ne hic temere abeas quaeso lector, ni prius consideres hypocriseos vim superare libidinis etiam impetum. Quo sibi minus placeant ii, qui etsi casti fuerunt, quod ipse non credo, ideo tamen fuerunt ut hanc sibi gloriam apud mortales reponerent. Fuerunt enim hae puellae antea quoque stupri adpellatae, sed nequicquam. Potentior ergo carne est hypocrisis: spiritus enim praetextu ac simulatione deceptae virginitatis arcem prodiderunt. Quid autem hinc inde admissa commemorem adulteria, quae etsi multa pauca tamen sunt prae his, quae arte celata sunt, quo minus deprehenderentur. Immane autem parricidium, quod germanus in germanum fratrem admisit [1] in Sanctogallensium agro, quis commode poterit memorare? Quae enim erit verborum vis, quae tantam possit atrocitatem digne exponere? aut quis tam hebes, ut non videat deum omnium bono id exemplum edidisse, quo magis a perniciosa secta deterreat? Advocat frater fratrem nihil tale cogitantem, in patris, matris, sororum familiae-

[1]) Thomas Schinker in suum fratrem Leonhardum.

que totius consessum, iubet ut in medio genua deponat. Paret fanaticus homo, ratus aliquid praestigiarum fratrem editurum. In eadem nimirum parentes quoque fuere sententia: quotidie enim apud istos perinde atque in Africa novi quid nascitur. Ut autem iste in genua sese demisisset, corripit latro ensem, quem in hoc attulerat atque per fratris iugulum protinus adigit, caputque detondet, quod parentum pedibus advolutum pectora exanimat. E reliquo corporis trunco magna cruoris vis emanat. Concidunt atque amentia emoriuntur quotquot adsunt. Parricida ipse: voluntas dei, inquit, impleta est. Abit in urbem furioso similis; Consulem sic adfatur: Annuntio tibi diem domini. Id enim tum omnes agebant, ut dicerent diem domini ad eum ascensionis dominicae diem adfore qui ante biennium praeteriit. Non possum hic μυκτηρίζειν parricidalem sectam: factum enim ipsum atrocius est, quam ut hilaritatem ullam admittat. Christianum adserunt cum aliis multis, tum ista potissimum ex causa, magistratum gerere non posse, quod Christianus neminem possit occidere. Atque simul omnes negant, se id facinus iudicare posse. Parricidium ergo apud ipsos non arcessitur, homicidium arcessitur.

Sed iam tandem ad rem redeo: Non sine causa nolunt credentium liberos, qui cum ecclesia versabantur, inter credentes comprehendi, sed inter res quae illis erant communes: tanti enim faciunt hominem quanti beluam; imo belua arctius amplectitur cognatam beluam quam hic parricida germanum fratrem. Quid iam mirum est virginum atque matronarum usuram non aliter sibi sumere quam iumentorum et subiugalium? Nefas non est apud istos parricidali manu fratrem trucidare; quanto minus accusationem adulterii ac stupri audient? Horum sese iungunt Ecclesiae qui retinguntur, quae scortationem et adulterium, si ipsi admittant, negat esse peccatum. In istam enim mihi faciem aliquando dixit Umbra, quum sese iactarent immunes esse a peccato: protinus enim ab ecclesia sua excluderent, si quis quid admitteret; et ego eum obiicerem qui Vesenii admiserat adulterium: sic inquam dixit: Etiamsi moechatus est, non peccavit. Qui enim in ecclesia nostra sunt, peccare non possunt. Non est ergo, inquam ego, adulterium peccatum apud vos? Non est, inquit, adulterium apud nos; mitto dicere peccatum sit necne, sed non est adulterium quod vos putatis esse. Quum enim unum eundemque spiritum habeamus, nihil potest apud nos fieri quod peccatum sit; ut enim unum habemus spiritum, ita et unum corpus sumus. Quam nunc sententiam nihil obscure praedicant. Huic item retincti sese iungunt Ecclesiae, quae non novit parricidium iudicare. Sed clarissimus Senatus Sanctogallensium urbis, Christi gloriam unice admirantis, parricidam capite plexit ad preces parentum et cognatorum; subindeque dato a domino signo adeo prudenter malum hoc pressit, ut nullibi sint pauciores Catabaptistae, ubi tamen tantus eorum inter initia numerus fuerit. Fuit enim tota ista familia retincta; et ipsa domus Catabaptistarum receptaculum, in qua parricidalem manum frater fratris sanguine contaminavit. Unde non immerito quis diceret eam, quum propter familiam tum propter Catabaptistas ipsos, divino iudicio funestam esse factam.

## CATABAPTISTAE.

Alioqui cogeretur Zuinglius concedere propter sequentem textum, infantes etiam bona sua vendidisse atque distribuisse, quod impossibile est, neque ad eos pertinet, quum res credentium parentum essent. Aeque ex textu sequeretur, infantes, qui inter credentes censerentur et ob id baptizati fuissent, coenam quoque domini celebrare coactos esse, propterea quod baptizati essent. Similiter oportuisset eos cum reliquis credentibus orare. Sic enim tum ante, tum post haec verba habetur: Perdurabant autem in doctrina apostolorum et communione fractionis panis et oratione. Quis perdurabat? Omnes qui credentes erant facti. Si ergo infantes inter credentes sunt numerati aut credentes facti: panem quoque fregerunt, id quod ratione veritatis nulla fieri potest; perinde atque non baptizati sunt. Nam si baptizati sunt, etiam panem fregerunt, quod Zuinglius ipse non admittet. Nunc mihi vide ut Synecdocha constet!

## RESPONSIO.

Cur mihi vitio vertitis argumentandi peritiam, quam ipse mihi nunquam sumpsi, sed dolo ab his tribuitur qui eam vim veritatis, qua nitimur, sustinere non possunt, quum tota ista pericope nihil sit quam vitiosa argumentatio? Quum enim Synecdocham oppugnatis, simul proditis vos ipsos nondum videre quidnam sit Synecdocha. Nondum enim intelligitis ibi non esse Synecdocham, ubi verba secundum simplicem genuinumque sensum accipiuntur. Ubi enim hoc fit, ibi non est tropus. Tropicus enim sermo is est, qui non ingerit nobis eum sensum quem verba primo adspectu promittunt. Synecdocha tropus est; ergo ubi Synecdocha est, ibi alius latet sensus quam primo adpareat. Quum ergo sic colligitis: Si infantes inter credentes numerati sunt: ergo fregerunt panem, orarunt, res divendiderunt atque opus habentibus distribuerunt etc. ad literam ipsam omnia exigitis. Quid ergo? vultisne Synecdocham de isto loco profligare? Cur ergo non dicitis: Locus iste Synecdocham non recipit, atque hoc ipsum testimoniis et argumentis confirmatis? Id quod fieri nequit: satis enim superque superius probavimus, infantes esse de parentum familia, et vos non tantum impie sed etiam immaniter facere, quum infantes credentium mavultis sub sarcinarum rerumque nomine comprehendere quam credentium. Si autem in hoc estis, ut synecdochicum sermonem istum confiteamini quidem esse, sed hoc requirere Synecdocham, ut quicquid de aliquo toto corpore dicatur id verum fiat de omnibus partibus, ut nulli dubium est vos sentire, qui vestra tam docta propius inspicit: iam toto erratis coelo. Non enim est Synecdocha, ubi, ut diximus, id quod praedicatur de singulis verum fit partibus: tunc enim tropus non est. Sed tum est Synecdocha, quum vel corporis alicuius pars pro toto corpore accipitur, vel totum corpus pro parte. Exemplis id ostendimus manifestissimis; attamen ut vobis adfatim omnia suppeditemus, sic habete! Exod. 23: 17. scriptum est: Ter in anno adparebit omne masculinum tuum coram domino deo tuo.

Videtis mihi hoc Omne? Dicite igitur, num et infantes in cunis ex tota Palaestina ter in anno Hierosolymam baiularentur? Si etiam, ergo infantes quoque, secundum argumentationem vestram, septem diebus azymos edebant, agros seminabant et primitias omnium fructuum offerebant. Id autem quum nullatenus fecerint, sequetur masculos non comprehendi. Si non adferebantur, iam non erit verum quod omne masculinum ter in anno adparuerit coram domino. Est ergo Synecdoche: *Omne masculinum;* et quamvis prima fronte speciem praebeat quod omnis mas iubeatur adesse ad tres panegyres: hi tamen soli tenentur lege qui vel eo adulti erant ut doctrinam capere aut primitias offerre aut arborum frondes circumferre possent, pro festorum varietate atque rituum ratione. Quemadmodum enim Deuter. 31: 19. scriptum est de comparendo ad legis lectionem in celebritate tabernaculorum, adparet eos advenisse pueros, qui iam intelligere quod legeretur incipiebant. Sicut autem Luc. 2: 42. de Christo, qui iam duodecim annorum erat et in Paschatis solemnitate conviva fuerat, adparet eos comparuisse, qui et iter ipsi facere aut quod ageretur cognoscere potuerunt. Ad festum Pentecostes adparet eos modo ascendisse qui primitias offerrent, quod patrumfamilias proprie erat aut eorum qui ipsorum nomine mittebantur. Hic igitur est Synecdocha. Rursus Exod. 34: 19. *Omne masculinum quod vulvam aperit*, meum erit, tolerare Synecdocham nulla ratione potest. Sic enim ad omne primogenitum pertinet, ut nullum relinquatur in lege exlex. Videtis nunc arbitror quam incondita et indocta sit argumentatio vestra, quum non negatis Synecdocham in praesenti loco: *Hi qui crediderant simul erant;* attamen simul contenditis omnia oportere vere praedicari de quaque parte, quae sub isto corpore de quo Synecdocha sumitur continetur, non attendentes qua compositione coierit ipsa vox, nempe a *συν* cum *ἐκ* et *δέχομαι;* quasi tu dicas: quum totum corpus accipio, aliquid seorsim intelligo ex eorum numero, quae simul in eodem corpore comprehenduntur. Aut: quum aliquid de toto corpore accipio, totum corpus intelligo. Unde Latina vox *Comprehensio* Graecanicae non de integro respondet. Deinde quum sic contenditis: Si ergo infantes inter credentes sunt numerati, aut credentes facti, panem quoque fregerunt, id quod nulla veritatis ratione fieri potest; perinde atque non sunt baptizati. Nam si baptizati sunt, etiam panem fregerunt etc. Adeo misere colligitis, ut indubitatum fiat omnibus, qui vestra cum iudicio legunt, omnes vos esse impostores. Quum enim qui Coryphaei estis, non sic indocti estis, ut non videatis pessime sic colligi; sed quum nihilominus vitiosos syllogismos rudibus proponitis: iam salvari, quo minus impostores sitis, ne per ipsum quidem salvatorem potestis. Quid enim hic cogit sequi, ut qui baptizati sint panem quoque frangant? Annon fuerunt apud veteres circumcisi infantes, qui tamen agnum perinde non laniabant, ut neque azymos edebant? An quod ter in anno frequentes non adessent, eo magis non erant de populo dei? Discite igitur, et infantes inter credentes esse censos atque baptizatos, et ex credentibus eos actu credidisse, oravisse, res divenditas distribuisse, panem dominicum fregisse, qui iam huc aetatis aut captus venerant, ut ad ista essent idonei atque ad servandum obnoxii, sicut ex supe-

rioribus de Exodo ac Deuteronomio depromtis exemplis liquet. Iubetur omnis mas adesse ad panegyrim; inbentur feminae ac pueri adesse ad lectionem legis; at utcunque litera habeat, per Synecdocham intelligitur quodque genus pro sua ratione atque captu. Quid enim vagientibus cum lectione legis, aut quid ephebis etiam cum primitiarum oblatione, ni pater iussisset?

Cogit me tandem, bone lector, ipsa res, velim nolim, Catabaptistarum tam vana verba intermittere atque in compendium contrahere. Sic ergo posthac agam: Omnem nodum dissolvam, et quicquid ab eis dictum est, quod roboris aliquid habere putant, ea fide adducam, qua hactenus ad verbum in Latinam linguam traduxi. Id autem hac maxime ex causa, quod quae isti contra Synecdochicos sensus attulerunt maxima parte confutata sunt. Quae vero de testamento argutantur, tunc a nobis et tractabuntur et revellentur, quum ad testamentum pervenerimus.

Quae igitur contra Synecdocham huius loci 1. Cor. 10: 1. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, omnes mare transierunt, omnes in Mosen baptizati sunt, omnes eandem escam spiritualem ederunt — quae inquam contra istas Synecdochas latrant, usque adeo stolida sunt atque impura, ut non sint magnopere curanda. Aiunt enim scire se eos edisse, bibisse, mare transivisse, cacavisse urinulamque reddidisse, at nobis esse probandum clara scriptura, infantes baptizatos esse; atque post multa sic nobis insultant: Vide ergo quomodo nunc Zuinglius cum Synecdocha sua consistat, quam sua calliditate atque sophistica finxit, ne veritatem agnoscendo persecutionem crucis Christi patiatur. Quid his facias hominibus? Nos ut Synecdocham probe exponeremus, haec attulimus exempla, quae tam abest ut revellere possint, ut eis etiam uti qui volet merito debeat non tantum pro exemplo Synecdoches, sed pro exemplo quoque, tempore apostolorum infantes credentium tinctos esse, quemadmodum superius attigimus. Isti autem amarulentia, quum acrimonia verbi dei nihil possunt, rem adgrediuntur. Calliditatem atque sophisticam obprobrant, quas sic abominor ut omnia mea scripta me ab hac suspicione melius liberare possint quam ulla in hoc ipsum parata oratio. Veritatem autem et agnosco et colo; neque mihi quicquam erat patiendum si sententiam vestram secutus essem, nisi vos estis mendacissimi, qui saepius quam dicere possim promisistis felicissime omnia cessura, si partes vestras sequar. Sed ad clamores et calumnias fugiendum vobis fuit, cum receperatis vos Synecdocham eversuros, id autem videretis esse impossibile. Sunt ergo Synecdochae perpetuoque manebunt: Patres omnes baptizati sunt; patres omnes eandem nobiscum escam spiritualem ederunt, ut superius satis est ostensum, atque in sequentibus iterum tractabitur. Hactenus ad confutationis vestrae partem primam respondimus, ad alias processu disputationis idem faciemus; nunc ad secundam partem accedimus.

## SECUNDA PARS.

Ista pars subruet fundamenta vestrae superstitionis, quae ut omnia nunquam in publicum dedistis, sed nemo ferme omnium vestrum est qui

tam bene conditarum legum vestrarum exemplar descriptum non habeat. Quid oro causae est cur non vulgetis quae tam divina tamque salutaria sunt? Sed lucem timent male conciliata, doctorum piorumque hominum iudicium verentur; id tandem in causa est cur superstitionis vestrae constitutiones prematis. Nos ergo eas ad verbum atque ex fide in Latinam linguam traductas mundo propinamus, atque ut in superioribus Vestra proponam, dein revellam.

## TITULUS CATABAPTISTARUM CONSTITUTIONIS AUT SECTAE.

Articuli, quos tractavimus et in quibus consensimus, hi sunt: Baptismus, Abstentio, Fractio panis, Devitatio abominabilium pastorum in Ecclesia, Gladius, Iusiurandum.

Ad hunc articulum dicimus, quod Apostolus ad Col. 2: 20. Si mortui estis cum Christo elementis mundi, qui fit ut decreta sive dogmata constituatis tanquam in mundo sitis? Sed scio quid dicturi sitis: haec non esse humanas constitutiones sed divina oracula. Ad quae nos: Cur ergo dicitis vos ista tractavisse atque consensisse? Si divina sunt cur articulos adpellatis vestrae conjurationis? cur humanum stercus vestrum ori dominici verbi oblinitis? Si minus, cur nova decreta imponitis cervicibus fratrum vestrorum? Vultis igitur dominari in sorte domini et furtim in captivitatem abducere laqueumque iniicere fratrum libertati. Nam quocunque vertamini nihil habetis opus novis articulis, nihil habet opus divina providentia isto vestro consensu, quae nihil aliud est quam conspiratio. Sed sic omnia disponit coelestis sapientia. Quotiescunque nomen sectae obprobravimus, eo quod ab ecclesiis Christum confitentibus et amplectentibus descivissetis: protinus respondebatis, vos sectam nullam fovere; nunc ipsi producitis bellum hunc foetum vestrum. Quomodo haereticus non est, qui in certos articulos conspiravit, quod vos *consensum* honestiore vocabulo adpellavistis? Sed nunc ad fundamenta articulorum vestrorum revellenda convertimur, ut quae vos divina esse iactatis mundus videat esse fanatica, stolida, audacia, impia. Nihil nimis dicam.

## CATABAPTISTAE.

Primo discite de baptismo! Baptismus debet dari omnibus qui docti sunt poenitentiam atque mutationem vitae, atque in veritate credunt peccata sua per Christum esse abolita, et omnino qui ambulare volunt in resurrectione Iesu Christi, quique cum ipso sepeliri volunt in mortem ut cum eo possint resurgere. Omnibus itaque, qui baptismum ad hunc modum postulant et nos per se ipsos requirunt, dabimus. Hoc pacto excluduntur omnes infantium baptismi, Pontificis Romani summa abominatio. Huius articuli habemus testimonium atque robur scripturae; habemus etiam apostolorum morem, quae nos simpliciter ac simul firmiter servabimus. Certi enim facti sumus.

## RESPONSIO.

Expende optime Lector, quot modis praestigiatores isti simplicium iudicio imponant. Primo, quis ignorat baptismum dari debere omnibus

in Christo, cum poenitentibus, tum peccatorum remissionem inveniri confitentibus? Certamen de hoc nullum est; sed de illo, num solis istis dari possit, et eorum infantibus liberis minime? Secundo, celant iustitiam operum; et remissionem peccatorum per Christum hic confitentur quum alias manifesto negent. Qui enim operibus fidunt, Christum evacuant. Si enim ex operibus legis iustitia: iam frustra Christus est mortuus. Tertio, neque tamen sic celant, ut nullo signo sententiam suam prodant. Quum enim dicunt, omnium remitti peccata, qui in resurrectione Christi ambulare quique cum eo sepeliri in mortem volunt: iam liberum arbitrium et proxime istud operum iustitiam erigunt: si enim nostrae est vel electionis vel potestatis ambulare in resurrectione Christi aut cum eo in mortem sepeliri, iam liberum est cuique et Christianum esse et optimum; falsoque Christus dixisset: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit illum. Deprehenditur hic denique summa eorum malitia: quum enim negant iusiurandum Magistratui exigenti, causam adducunt istam: quia non possit homo, iuxta verbum Christi, ne pilum quidem capitis sui tingere, ut vel niteat albore aut sordeat nigredine. Hic autem: Qui volunt, inquiunt, secundum eum ambulare; ac deinde: Qui ipsimet nos requirunt, posteaquam scilicet promiserunt se ambulaturos secundum Christi resurrectionem. Poterit ergo, qui sic promittet, ambulare iuxta condictum necne? Si etiam, cur ergo non iurabit se istud aut aliud facturum quum possit? sin minus, iam aeque non debetis exigere, ut dicat se iuxta Christum ambulaturum, ne mendax fiat, atque iurare vetatis quo minus fiat periurus. Quarto, ubi scripturarum legistis nulli esse baptismum dandum, nisi qui ipsemet hanc confessionem faciat atque requirat? Ex vobis igitur ipsis loquimini: nam circumcisio multo saepissime data est eis, qui neque confiteri neque postulare poterant. Sed totum vetus instrumentum reiicitis. Id quod in superiori confutatione nihil obscure proditis. Qui locus a nobis tractari debuerat, sed excidit; commodum ergo huc succurrit, ubi sic aitis: Neque opus est ut baptismum in veteri testamento quaeram. Quo verbo, quid vetus testamentum non contemnitis? cum tamen Christus et se et doctrinam suam eius iudicio submiserit; apostoli vero alia scriptura usi non sint, imo ne uti quidem potuerint, quum post principia praedicationis eorum nulladum esset scriptura, quam ex eo petita. Hic igitur error vester, quo analogiam sacramentorum non consideratis, quod tamen apostolus Paulus sic prima Corinthiorum decimo et Col. tertio facit, ut eius exemplum negligere merito nulli debeamus — error inquam facit, ut foederis signum absque omni scriptura negetis ulli esse dandum, quam qui de vestra sententia confessus sit atque postulaverit. An autem isthoc non est dogmata aut constitutiones decernere? Quinto dicitis: Huius articuli habemus scripturae testimonium ac robur. Quis mentitur? ut Germanico scommate utar. Producite ista vestra scripturae testimonia! et certamen erit omne sublatum. Sexto: Ubi habetis hunc apostolorum morem, quod neminem voluerint baptizare, quam qui confessionem hanc vestram et fecerit et subinde baptismum petierit? Septimo: Quae nos simpliciter, inquiunt, ac simul firmiter servabimus. Certi enim facti sumus. Cur promittunt se facturos, quod in potestate sua non est?

Quod si ad baptismum referunt, se scilicet hoc ritu baptizaturos, iterum *δογματίζουσιν*, id est, decreta faciunt. Quod ipsi quoque agnoscunt, quum addunt: Certi enim facti sumus. Si enim huius constitutionis suae possent robur ex scripturis habere, indubie adducerent. Cum autem nequeunt, iam ad revelationem et spiritus confirmationem recurrunt: certi facti sumus, inquientes, *ἀυτὸς ἔφη*. Obiter hic quoque non praetereundum est, errori eorum de resurrectione id maxime occasionem praebuisse, quod non vident Paulum Rom. 6: 4. ab externo signo epichirema decerpere quo ad imitationem Christi adhortetur vehementius. Sed ubicunque baptismi nomen inveniunt, etiamsi isthic de baptismo sacramentali non agitur, renitente veritate, ad aliquod incommodum detorquent.

## CATABAPTISTAE.

Secundo: Quod ad abstentionem sive excommunicationem adtinet, sic consensimus. Excommunicari debent omnes, qui posteaquam sese domino dediderunt ut eum in praeceptis suis sequantur, quique in unum Christi corpus baptizati sunt et fratres aut sorores adpellantur, dum labuntur aut cadunt in peccatum atque imprudentes praecipitati sunt. Debent ergo huiusmodi admoneri bis in occulto; tertio publice pro ecclesia debent corrigi iuxta praeceptum domini. Hoc autem fieri debet iuxta ordinationem aut imperium divini spiritus ante fractionem panis, ut omnes unanimiter et in eadem caritate unum panem frangere atque edere possimus et de uno calice bibere.

## RESPONSIO.

Videbor, si ad hanc legem tacuero, eam adprobavisse; si vero quaedam attigero, carpendi aviditate aegrotare. Quum autem omnia sint tam rustica, ut nihil plane quam triduanum theologum redoleant: patiar et ipse hoc loco ignorantiam simplicitatem adpellari; et paucula ad quae connivendum non est paucis adnotabimus. In hoc errant igitur, quod dicunt: Tertio debent publice pro concione corrigi. Nam tertio debent admoneri ab ecclesia, nondum corrigi. Tum deinde si monitricem ecclesiam non audierint, pelli coetu debent. Secundo loco, quum id debere tradant ante fractionem panis, iterum errant. Nisi denuntiationem, quae apud veteres fiebat, intelligas, quae nihil aliud quam excommunicatis, qui dudum abiecti erant, interdicebat ne simul panem frangerent; non quod tum primum excommunicarentur, nisi occasio sic coëgisset, sed quod excommunicatis aditus ad ecclesiae convivium negaretur. Quod ideo dicimus, quod Catabaptistae in ea sunt sententia, ut coenam negent se peracturos, nisi qui acturi sunt prius confiteantur aut testentur, se excommunicationem aut relegationem laturos esse. Quod ipse non arbitror ex Apostolorum more fieri, qui coenam domini celebravisse videntur citra huiusmodi interdicta. At ubi quis ingens flagitium designavisset, iam relegabatur. Indeque usu venisse arbitror, ut sic excommunicatis aut relegatis ante communionem publice interdiceretur a convivio dominico. Nam quod quidam in more olim et nunc habent, ut sic praelegant: Ne accedat homicida, foenerator,

adulter, ebriosus etc. non ex instituto Christi arbitror fieri. Si enim adulter aut ebriosus aut alii vitio obnoxius ecclesiam contaminet, moneri debet ex praescripto Christi, et testibus si infitietur coram ecclesia convinci, atque sic tandem contumax vitari aut ab ecclesia relegari. Si vero fama solummodo circumvolat quae nonnunquam mendax est, aut is qui in suspicione est iure tergiversari potest, ut qui palam honeste se gerat; excommunicari temere non debet, nisi cum compertum est id cuius causa excommunicatur. Haec autem a me ipso non dico, sed domini Iesu verba sibi mutuo comparans et expendens in hanc sententiam eo. Quum enim Petro dicat septuagies septies esse condonandum; et alio loco iubeat zizania sinere usque in diem messis, plane ostendit quaedam esse ad quae fraterna caritas connivere possit. Quum autem contra post contemptam ecclesiae monitionem protinus relegare praecipit, ea nimirum intelligit quae et manifesta sunt et ecclesiam contaminare possunt. Sunt enim in utramque partem, proh dolor, quidam nimis propensi. Uni, qui nihil putant adhuc ad istam pervenisse mensuram ut relegari debeat, ex eo nimirum quod eodem aut pari saltem morbo laborant; alteri, qui si adfectus aliquis suadeat protinus exclamant: Cur non excommunicatur iste? Moderamen igitur hac in re summa cum diligentia, quod et precibus a domino impetrari debet, observandum est. Verum quid est, cur nobis Catabaptistae quicquam de excommunicatione dicant, quum nondum deliberaverint, parricidium, quod in agro Sanctogalli perpetravit Catabaptista in Catabaptistam, frater in fratrem, iudicandum, aut quomodo iudicandum sit?

## CATABAPTISTAE.

Tertio: In fractione panis sic consensimus atque unaniniter statuimus: ut, qui unum panem frangere volunt in commemorationem fracti corporis Christi, et de uno poculo bibere in commemorationem effusi sanguinis, prius in unum coierint, puta in unum corpus Christi, hoc est in ecclesiam dei, in qua Christus caput est. Id autem signanter per Baptismum. Nam, ut divus Paulus docet, non possumus simul esse participes mensae domini et mensae daemonum; neque possumus simul esse participes calicis domini et calicis daemonum. Hoc est: Omnes qui communionem habent cum mortuis operibus tenebrarum, nullam habent communionem cum his qui ad deum ex hoc mundo vocati sunt. Omnes qui in malo desident, nullam partem habent cum bono. Sic ergo sequi oportet, ut qui non habeant vocationem dei sui in unam fidem, in unum baptismum, in unum spiritum, in unum corpus cum omnibus filiis dei, hi non possunt in unum panem coire. Ut procul dubio fieri oportet, si modo panem ex praecepto Christi frangere quis velit.

## RESPONSIO.

Huc scilicet omnis tendit superstitio, ut rudis plebs, quae ad omnem novitatem sese erigit, in Catabaptismum et cacoecclesiam abducatur. Neminem admittitis coenae dominicae, ni baptismo prius in unum corpus Christi coierit. Ergo baptismo veluti glutino quisque huic corpori

coniungitur? Cur igitur tantopere digladiamini ne quis baptizetur, ni prius crediderit et confiteatur suo ipsius etiam ore? Videte ut vobis constetis! Sed non vultis hic de baptismo loqui ecclesiae, sed de baptismo haereseos, hoc est sectae vestrae, qui ut est extra ecclesiam natus, pseudo-sive catabaptismus (quidam anabaptismum malunt) merito vocatur. Quum ergo rebaptismum aut contrabaptismum nolitis agnoscere, quum tamen contra perpetuum ecclesiae Christi morem et contra divinam legem retinctione vestra Christum iterum crucifigatis (ut enim semel est mortuus et sepultus et a morte excitatus, ita semel tantum baptizari amat, qui Christum amat): non audetis inquam retinctionem vestram catabaptismum adpellare, sed baptismum vocatis, quod rebaptismus est. Et cum verba vestra hanc speciem habeant, quasi nolitis quenquam ad coenam domini admittere, nisi qui baptizatus sit: istud vultis quod nemo in cacoecclesia vestra debeat se coenae domini sperare participem fore, ni retinctus sit. Id inquam vultis. Vide mihi strophas impostorum, o Lector! Simpliciter de baptismo loquuntur qui de simplici baptismo nolunt intelligi, sed de duplici. Id quod huius legis confirmatio testatur, cum sic addunt: Nam, ut divus Paulus docet, non possumus simul esse participes mensae domini et mensae daemonum. Qua nihil aliud volunt, quam daemoni esse initiatos qui pueri sunt baptizati; quem errorem hic belle celant, ne novam quaestionem, quam non possunt, expedire cogantur. Puta, an baptismus unus, in quem pueri mersi sumus, non sufficiat. Hunc enim baptismum quum ex Romano Pontifice ac perinde ex daemone esse aliquando proclamarent, a nobis victi sunt. At nihilominus in ecclesia sua longum circumferunt catalogum, in quo ex decretis pontificiis docent infantium baptismum imperio Pontificum esse coeptum, nequissimi homines, cum dudum ex nobis didicerint Origenis tempestate, qui paululum supra centum et quinquaginta annos post Ascensionem Christi viguit, baptismum in frequenti usu fuisse; atque postea tempestate Augustini, qui post quadringentos annos floruit: nam uterque testatur baptismum infantium, ex more Apostolorum, ad sua dimanasse tempora. Quibus temporibus Papae nomen et in ecclesias sive monarchia sive tyrannis non fuit. Revincebamus autem (ne quid tibi desit nostrae sententiae, Lector) opinionem eorum, qua dicunt baptismum pontificis non esse baptismum Christi, sed daemonis, hoc modo: si baptismus solius Pontificis esset, me nihil morari quo minus dicant baptismum Pontificis esse aut non ex Christo aut ex daemone. Nunc autem baptismum Christi non esse Pontificis baptismum, etiamsi Pontifex Cacodaemon ipse esset ac baptismo Christi uteretur: nam cum daemon Prophetae uteretur testimonio, Christum tentans, iam Prophetae verbum non factum esse daemonis verbum; atque iterum, cum daemones clamarent: Tu es Christus filius dei vivi, iam salutaris confessio nihilominus erat salutaris, etiamsi daemon ipsa usus erat: sic cum Pontifex baptizaret in nomen non suum, sed patris et filii et spiritus sancti, baptismum vitiare nullo pacto potuit quo minus esset ecclesiae Christi baptismus. Secundo, Christum ipsum dixisse: Qui non est contra nos, nobiscum est. Pontifex ergo cum vel hoc boni haberet, ut non in aliud nomen baptizaret, quam in quod ipsi baptizaremus: hac in re nobiscum esset, perinde

atque hic, qui daemonem virtute nominis Christi, Christum tamen nihil sequens aut colens, depellebat. Postremo nobile exemplum nobis tum in ista causa, tum in aliis quae ad externorum disputationem pertinent, nobis reliquisse Apostolos in matrimonio. Ut enim coivissent matrimonia apud Gentes, antequam apostoli salutarem ad eas attulissent Evangelii doctrinam, sic ea intacta reliquerunt. Id quod vel unius Pauli 1. Cor. 7: 13. testimonio pateret, qui fideli coniugi praeciperet, ut cum infideli, si modo gratum ei faceret, habitaret. Quid hoc aliud fuit quam matrimonii leges quas gens quaeque habebat, imo ea matrimonia quae in idololatria coierant, confirmare? Aeque igitur nobis quoque eum baptismum non esse repudiandum, qui non modo non esset Pontificis ingenio vel authoritate inventus, sed Christi ipsius et Apostolorum authoritate atque more. Neque enim Pontifices in alium, quam in patrem et filium et spiritum sanctum baptizasse. In quo autem putarent matrimonia apud idololatras coivisse? At Apostoli ea permittebant integra atque intacta, quibuscunque tandem legibus aut diis coivissent. Quanto magis nobis intactus erit baptismus, qui in nomen id datus est, in quod nos damus, etiamsi Pontifex Romanus dederit? Iam obiiciebant odiose nimis, salem, butyrum, salivam, lutum, et id genus, imo ipsas quoque orationes quae super infantibus fiunt, neque Ioannem, neque apostolos legi orationibus baptismo praeivisse. Ad quae sic respondimus, primum ad ceremonias: Christum interim caecos quosdam visui restituisse mediantibus tactu aut luto, interim solo verbo: *respice*, neque tamen eos minus vidisse qui tactu vel luto mediante aciem recepissent quam qui solo verbo. At nihil morari nos externa ista si ecclesia iubeat rescindi, factumque est ut protinus iuberet, non ignorantibus nobis qui verbo praesumus, iam inter exordia ecclesiae horum fuisse usum, tametsi eis non tantum tribueretur, atque his nostris temporibus; unde et citra negotium recidimus. Ad orationes quas itidem rescindere conabantur, sic respondimus: ipsum dominum Iesum bene precatum esse super infantibus ad se comportatis. Quae ergo malum insania, nolle ut super infantibus bene precemur? Vicimus hac parte nos, altera Catabaptistae. Haec inquam omnia et norunt et celant apud cacoecclesiam, imo coniurationem suam. Atque ut redeam unde digressus sum, quum his rationibus atque scripturae fundamentis sciant non esse Pontificis baptismum, sed Christi quo nos baptizati sumus, et eum nihilominus contemnant: fit manifestum id eos nullo iure aut ratione facere, sed violentia et furore, quo rebaptismum suum baptismum adpellare si non vere, at verisimiliter possint atque rudium corda ad retinctionem pertrahere.

Postremo, ne in verbis eorum deprehendi possit quo tendant, huius baptismi sui atque separationis tandem expositionem adferunt; hoc est, inquiunt, omnes qui communionem habent cum mortuis operibus tenebrarum, nullam habent communionem cum his qui ad deum ex hoc mundo vocati sunt. Considerabis hic Lector omnia diligenter, et scio invenies quibus strophis ac sutelis ad coniurationem suam imperitos homines allicient. Nonne vides eos hac expositione videri velle, quasi nihil aliud intendant quam ut qui impudentissime peccent, non debeant ad

coenam domini convenire? Cum autem hoc clarissime videas, nonne idem proxime praecedenti lege relegationis aut excommunicationis agunt? Quorsum ergo attinet duabus constitutionibus unam eandemque causam tractare? Colligis ergo iam nullo negotio, eos hac constitutione velle, utcunque verborum seriem concinnaverint, quod qui coenam domini cum eis velit adire, in catabaptismo quoque suo retinctus sit; et quod eos, qui infantes baptizati sunt, de mensa daemonum esse putant. Est ergo hic expositionis ipsorum sensus: homines, qui ad proditionis et coniurationis suae concesserint ecclesiam, ex eis esse qui a deo ex mundo vocati sint; qui vero nolint ecclesiam Christi prodere cum eis, ex eis qui cum mortuis operibus communicent. Nam ipsorum verba et quotidiana obprobria hoc testantur. Cum enim aut nuptias aut publicas epulas inter nos celebrari vident, protinus exclamant: Gentiles, deque mundo esse, non de ecclesia. Et neque satisfactionem istam quod Christus et Apostoli ad nuptias comparuerint, neque istam quod filii Israël hilariter tribus per annum vicibus convivati sint; quodque ipsa domini coena perpetuo amicum convivium mansisset ni Corinthii fuissent abusi, recipiunt; neque ullam aliam. Vides iam ex una parte, quam iniqui iudices sint, qui protinus ut ea vident apud nos fieri, a quibus ne Christus ipse abhorruit, traducunt, devovent ac damnant. Ex altera vero quam candide faciant cum de se ipsis tam magnifice sentiunt, ut se istos esse glorientur, qui de mundo sint ad deum vocati. Quasi vero stupra, adulteria, parricidium, invidia, odium, arrogantia, hypocrisis, in quibus ipsi mortales omnes antecellunt, mundana non sint. Non loquimur de immoderatis nuptiarum et conviviorum impensis, deliciis ac petulantia; sed laetitiam tolerabilem tam abest ut damnemus, ut qui eam piis auferat non dubitem cum detrimento redditurum. In summa igitur hac istud volunt lege, ut coenam suam ne adeat, nisi qui retinctus est, nisi qui de mundo ad deum vocatus est, hoc est, qui de Catabaptistarum ecclesia et haeresi est. Quicquid agunt et dicunt coniuratio est, iuxta prophetae verbum Iesaiae octavo, et simulatio pessima. Quae enim par est iniquitas ei qua se homo propter innocentiam suam aliis praefert, et qui septuagies septies ignoscere debet ad nullum fratris casum connivet? etiam si is qui sic se gerit vere sit innocentissimus. Sed quid ago? Ex nostris non fuerunt; ideo a nobis abierunt.

## CATABAPTISTAE.

Quarto: Sic constituimus de defectione, separatione aut devitatione, quae fieri debet ab isto malo quod diabolus plantavit, ita ut cum eis nihil commercii habeamus, neque cum eis concurramus in communicatione abominationum ipsarum. Hoc est: Quandoquidem omnes qui in obedientiam fidei nondum concesserunt, quique nondum domino nomen dederunt se voluntatem eius facere velle, vehementer abominabiles sunt coram deo: nihil ab eis fieri potest quod non sit abominabile. Nunc autem in mundo plane aliud nihil est, neque in universa creatura, quam bonum et malum, fideles et infideles, tenebrae et lux, mundani et qui extra mundum iam sunt, templum domini et idola, Christus et Belial, et nullum ex *iis* partem potest cum altero habere. Notum quoque nobis

est praeceptum domini, in quo iubet ut separati simus a malis: tunc enim velle deum nostrum esse, nos autem et filios et filias eius futuros. Iterum praecipit ut e Babylone terrenaque Aegypto exeamus, ne malorum atque poenarum fiamus participes, quae dominus in eos adducturus est. Ex quibus omnibus discere debemus, quicquid non est cum deo nostro et Christo coadunatum, nihil aliud esse nisi abominationem quam devitare debemus. Hic intelligimus omnia papistica et secundopapistica opera et idololatriae contentiones, ad ecclesias profectiones, domus conviviorum, civitates et foedera infidelitatis, et alia multa his similia, quae a mundo in pretio habentur, cum tamen ex diametro contra praeceptum Christi et pugnent et fiant, secundum mensuram iniustitiae quae in mundo est. Ab his omnibus debemus esse alieni et separati: sunt enim merae abominationes quae nos Christo exosos reddunt, qui nos liberavit de servitute carnis, et reddidit idoneos servitio dei per spiritum dei quem dedit nobis. Vigore huius constitutionis decident a nobis diabolica arma violentiae, ut sunt gladii, arma et huiusmodi, et omnis usus eorum sive pro hostibus sive pro amicis, in virtute huius verbi Christi: Vos non debetis resistere malo.

## RESPONSIO.

Quid sibi tam incondita oratione velint, quae adeo et discerpta et consarcinata est, ut sanum atque integrum in ea nihil sit, non facile divinares, ni prius in operis titulo dixissent se tractavisse super devitatione abominabilium pastorum in Ecclesia. Prima igitur ista, ut nihil sit in mundo quam bonum et malum, Christus et Belial, ac reliqua iuga quae divini homines in hoc coacervarunt, ut nusquam non essent magnificentissimi, ac veluti rationem reddant cur in ecclesias nostras non conveniant. Atque ne putes hunc eos horrorem habere de pontificiis pastoribus! in nos ad hunc modum debacchantur: cum pontificiis enim conveniunt neque a congressu ipsorum abhorrent. Qui ab Evangelio stamus hic petimur. Causa est, quod soli catabaptismum et seditionem rerumque omnium mixtionem et prodimus et pro virili cavemus. Adpellamur ergo a pontificiis haeretici, a catabaptistis autem secundopapistae, ut qui baptismum infantium et quaedam alia nescio quae, quae isti nollent, servemus in Ecclesia. Sic ad domini gloriam exercemur, ut victoriam ei reportemus eo clariorem quo a pluribus petimur. Prodam itaque brevibus fraudem quam in his huius constitutionis verbis celant. Quae de separatione ex scriptura proferunt, non sunt ad hunc sensum quo ipsi torquent dicta: nam alioqui non modo e mundo, quemadmodum Paulus loquitur, sed etiam de ecclesia exire cogeremur: nihil enim est in rebus humanis tam sanctum et inculpatum quod nulla in parte deficiat. Separari ergo debemus primum ipsi a nobis ipsis, de quo et Christus loquitur. Qui odit, inquit, animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Haec separatio fit cum quotidie ordimur emendationis studium, ac pro virili fratres et exemplo et oratione ad idem hortamur; sed secundum hanc considerationem non quaerimus separari ab his, qui nobiscum infirma habent omnia. Res quoque ipsa monebit, si modo vere pii atque cultores dei sumus, quousque quidque

sit ferendum; imo pietatem solam, in hoc casu abolendi aut recedendi, sic audire debemus, ut lex alia poni nec possit nec debeat. Secundo separamur ab his, qui iam non infirmi sunt, sed maligni, quod ipsum quoque sive caritas sive pietas docebit. Nam et Christus ipse contumacem ac impudentem scelerosum tunc tandem vitari iubet, quum eo pervicaciae pervenerit, ut ecclesiam quoque non revereatur. Sed scio quo tendat hoc supercilium devitationis. Ut primum aliquem ad factionem suam pertraxerunt, ante omnia vetant ne ad mensem saltem, si omne tempus aut diutius obtineri non potest, ad nullam concionem conveniat, ubi is doceat qui sectae suae adversetur. Quod praeceptum inter initia valde suspectum est iis, qui nondum sunt in universum dementati: multi enim qui ad bonam mentem redierunt hoc testantur. Continuo enim respiciunt ad illud Apostoli: Omnia probate! Ut ergo per anthypophoram istam cogitationem stolidis hominibus amputent, tantum diligentiae absumunt in inculcanda separatione. Conventiones ergo damnant, ut cum in urbium curiis honestissime convenitur: semper enim inveniuntur qui hominum audaciam arguant; atque mirum est eos hic omisisse quod alias post prima semper obiectabant: in curiis saepe homicidia esse facta, quasi eadem non saepius in foro et agro acciderint; in agrum igitur et forum conveniendum non esset? Ad ecclesias item profectiones damnant; id autem ea verborum forma, quasi votivas istas profectiones, quales olim instituebamus ad idolum quod Laureti est, Aquis, Oetingae atque aliis locis, intelligant, cum tamen statutas certis diebus ad ecclesias profectiones damnent. Hae dolent eis: malunt enim istas, ubi aut multi in silvam aliquam conveniunt nocte potius quam die, ut quum deinde per densas tenebras puellis et matronis paulo formosioribus est domum palpitandum, spiritualia connubia consumant carnali copula; aut ubi duo vel tres in hominis paulo habentioris aedes conveniunt, edunt, garriunt, captivas mulierculas abducunt, ac deinde reliqua quae tu vix cogitare audes faciunt. Hac venatione multo maiorem praedam inveniunt, quam si in ecclesiarum concionibus audirent ipsorum auditores quae contra doctrinam eorum sunt. Quis enim stultas tum puellas tum feminas et viros agricolas ac simplices ab huiusmodi lupis tuebitur, quum nunquam adperte grassentur neque apostolorum more primum ad synagogas veniant, et doctrinae suae fontes ex scriptura aperiant; sed ubi per menses aliquot apud male feriatum aliquem delituerunt, et familiam universam non tantum errore, sed scortatione quoque contaminarunt, iam tandem aliqua parte adparent; quumque ad doctrinae suae rationem postulantur, ipsi avolant atque implumes pullos milvio relinquunt. Ideo abhorrent a Christi tum verbo tum instituto, qui et dixit: In occulto locutus sum nihil; et praecepit, ut quae in aurem audirent, praedicarent super tecta. Hic mihi verpos vide! Nacti ergo ex villis aliquot hominum in tecta quoque ascendunt et cornicantur se nunc implere, quod Christus dixit: Praedicate de tectis etc. Quumque viator aut lictor de longinquo prospicitur, demissa cauda faciunt quod vulpeculam apologi narrant. Iam civitates quoque damnant, quum non videant Paulum hac una se exceptione a violentia servavisse. Num obscurum ultra est, quod in hoc uno sunt, ut omnia misceant, omnem tum amicitiam,

tum coniunctionem solvant? Quis quo minus civis sis unquam vetuit? Foedera infidelitatis pro foederibus infidelium Hebraico schemate dixerunt docti homines. Foederibus ergo renuntiandum erit, nisi nolimus in istorum baptismo naufragium facere. Vides quo tendant? Addunt enim meras esse abominationes quae nos Christo exosos reddant, qui nos liberavit de servitute carnis etc. Quae est haec servitus de qua hic loquuntur? nimirum ista, ubi paretur ecclesiae Christianae, ubi convenitur cum honestate tam in publicos quam privatarum sodalitatum coetus, ordinis ac tranquillitatis causa, ubi foedera, quae et iure facta sunt et sine iniuria solvi non possunt, atque similia servantur. Horum, inquam, atque debitorum omnium liberationem, pii hac in re interpretes, Christo acceptam nunc quidem ferunt obscurius, sed palam praedicabunt, ut primum tantam erunt nacti ecclesiam, cuius viribus fidere se posse putabunt. Unde novae nobis tragoediae denuo sunt expectandae. Arma quae domi gentes quaedam, ut Germanicae atque Helveticae, ex more gestant non magnopere damnamus,[1] sed homicidia detestamur; ea vero non semper ferro, sed nonnunquam sparro aut saxo perficiuntur. Quocirca iubetis montes ac silvas efferri: ex his enim tela petuntur. Acino uvae passae quidam interiit, alius pilo caprino in lacte poto. Ipse vidi qui apud Doggios meos uno unius apis aculeo moreretur; eliminandae ergo uvae, caprae, apes? Sed et hoc scio quo pertineat. Vis omnis praesertim magistratus eis infesta est; neque hoc contenti sunt, quod Apostolus praecipit: Vis non timere potestatem? quod fas atque ius est facito! Verbum Christi: Nolite malo resistere, sic non est magistratui dictum, ut nec istud: Vos autem non debetis dominari! quod ad solos pertinet apostolos et episcopos atque privatum quemque: nam potestas a deo est. Rerum omnium confusionem qui quaerunt, primum est metuere legitimam potestatem. Unde et isti nobis perpetuo de ponendis armis nescio quam frivola ogganniunt. Non quod ipse magnopere vel probem vel adcusem hunc ferri gestandi morem; quamvis animum ad caedem propensum supra omnes mortales sic damnem ut nullicunde maiore premar odio.[2] Docemus et nos ponenda esse arma, sed hunc gladium docemus erigendum esse, quo feriuntur qui iniuriam fecerunt, redimuntur qui passi sunt, collaudantur qui negotia recte gesserunt.

## CATABAPTISTAE.

Quinto: De pastoribus ecclesiae dei sic statuimus, ut pastor sit de grege unus aliquis iuxta Pauli ordinationem per omnia, qui bonum habeat testimonium ab his qui extra fidem sunt. Huius officium esto legere, monere, docere, discere, hortari, corrigere sive communicare in ecclesia, et omnibus fratribus et sororibus bene praeesse tam in oratione quam fractione panis; et in rebus omnibus corporis Christi vigilare, quo et fulciatur et augeatur, ut nomen dei per nos colatur et

---

[1]) In Helvetia gestare gladium moris erat in senatum, forum civile, comitia populi, adeoque ad baptismum. [2]) Studium eius, quo militias peregrinas vituperare et condemnare solebat.

laudetur, blasphemis autem os obstruatur. Isti vero alimentum, si quid huius ei deerit, de ecclesia suppeditari debet, quae ipsum elegit. Qui enim Evangelio servit, de Evangelio vivere debet, quemadmodum dominus ordinavit. Si vero pastor quid accusatione dignum admiserit aut correctione, iam contra eum non debet agi, nisi duobus testibus aut tribus. Cum peccant, publice debent argui, ut reliqui metum habeant. Si autem pastor aut pulsus aut domino per crucem adductus erit, debet e vestigio alius succenturiari, ne populus aut grex dei dispergatur, sed per exhortationem servetur, consolationemque accipiat.

## RESPONSIO.

Vidimus superiori constitutione quam perplexe et confuse, quam difficulter et obscure de separatione abominationum egerint, eo quod causam haberent parum aequam. Hi cautem habemus quam dilucidi sint, ubi de sua Ecclesia, quam mirum est qua fronte audeant ecclesiam vocare, deque suis pastoribus agunt. Isthic unum hoc agebatur, ut proditionem suam iure fieri ostenderent, quum propter mores hominum tum propter Episcopos, ubi varie distringebantur, et quod dicitur, lupum auribus tenebant. Si enim fidelium mores supra modum calumniabantur, maledicentiae ac mordacitatis discrimen incurrebant; si mediocriter de eis sentiebant, periculum erat ne non satis concitarentur ad defectionem ii, quos iam ad eam induxerant. Libere ergo loqui quum non auderent, cum propter metum et cautionem, tum propter iniquitatem causae et malitiam, obscure ac suspiciose loqui statuerunt, ut nemo aperto Marte adoriens facile comprehenderet lubricum ac versipellem adversarium. Utcunque enim dicturus eras: Cur secessionem paratis a fidelium ecclesiis? in promptu haberent quod responderent nihil aliud quam separationem a pessimis docuisse; id autem non sine lege. Cum autem contra obiiceres te nihil morari separationem conscleratorum, sed ipsos videri de eorum separatione loqui quorum vita per omnia tolerabilis esset: hoc responderent, quod defendere nullo iure cum possent tragice praemuniendo exaggerarunt: mundus, extramundani, malum, bonum, deus, daemon, Christus, Belial etc. Quibus tu mox ad sic ratiocinandum inducereris: Verum est quod aiunt: omnia enim quae videntur, aut divina sunt aut mundana; ac deinde protinus si quid mundanum in te offenderes, te ipsum damnares, etiam si quidquam cum rebus mundanis haberes commercii, et sic concitus ad proditores deficeres, minime considerans, cum ad ipsos concessisses, te humanam inventurum miseriam perinde atque apud istos, qui cives faciunt quod lex iubet, in curiam coëunt, in nuptiis ac epulis publicis adsunt, qui arma ferunt reliquaque faciunt quae isti tanquam pessima proscindunt; imo maiorem, cum ipsi flagitiis abominabilibus, ut eorum proprio vocabulo utar, adobruti sint. Nulli suum reddunt, uxores conspurcant, parricidium non iudicant, magistratum tollunt, obedientiam eliminant. Quid postea, obsecro, tutum erit in rebus humanis? Sed ad propositum redeo. Cum, inquam, ad defectionem superiori articulo cohortarentur, de industria reddebant omnia obscure, his potissimum quas adsignavimus causis. Nunc autem ut plani sunt atque dilucidi, quum de suae loquuntur

ecclesiae pastore? Haereticae igitur ecclesiae pastori hac lege alimentum concedunt, quod Christianae ecclesiae episcopo negant. Ubi nunc sunt istae voces? Ipsi comedunt de mensa Iezabel; ipsi devorant domos viduarum, quum eo tempore nullus ex nobis haberet supra septuaginta aureos, omnesque diceremus, multo satius esse ut ex his bonis, quae prius apud Ecclesias erant sive ex decimis sive reditibus colligerentur viveremus, quam ut ista nescio quibus relinquentes denuo gravaremus ecclesias nova victus emendicatione. Sed gratiae deo! pulchre nimis hic Coryphaei sese aperiunt. Iam victum destinant episcopo ecclesiae suae. Unde quaeso accipient? nonne plus satis degravatos clamatis, et hoc fors iure facitis, innumeris contributionibus, vectigalibus, dationibus atque aliis exactionibus? Sed hoc suave est, quod in destinatione alimenti addunt: Si quid huius pastori deerit; quasi vero omnes isti coryphaei non sint perditissimi errones, qui aut animam cum deberent pedibus redemerunt, aut adeo ignavi ac desides, ut manibus alimentum parare noluerint. Quid ergo putas illis deesse? partem alimenti? qui tam inertes ac pigri sunt, ut cum alimentum omne suppeditavisti, vix hanc operam ferre possunt ut vivant; melancholici homines: bilis enim est, non spiritus quo se venditant. An ignoramus ex bili nasci ac mala commixtione, ut phrenetici mortem sibi consciscant? Et melancholicos istos, qui sua ipsorum impatientia laborant, non agnoscimus, sed spiritum mentientibus credimus? Scio omnia non sponte sua ferri, sed dei providentia gubernari atque disponi; sed simul video eius providentia ad probationem nostram, quo scilicet adpareat an vere fideles simus necne, haec monstra immitti tanquam liquidos in fontes apros. Quod deinde consarcinarunt hanc suam constitutionem ex multis in scriptura locis in unum centonem, non arbitror admonitu esse necessarium.

## CATABAPTISTAE.

Sexto: Consensimus aut constituimus de gladio in hunc modum: Gladius est dei ordinatio, extra perfectionem Christi, quo malus punitur et occiditur, bonus autem defenditur. In lege ordinatur gladius contra malos ad vindictam et mortem, et ad hunc usum constitutus est mundi magistratus. Sed in perfectione Christi utimur excommunicatione tantum ad commonefactionem et exclusionem eius qui peccavit, ad interitum carnis solummodo, ad commonefactionem et commendationem ne amplius peccet. Hic quaeritur a multis, qui non agnoscunt Christi erga nos voluntatem: an Christianus possit aut debeat gladio uti contra malum ad defensionem boni, aut ex caritate. Revelata est ergo nobis unanimiter responsio ista: Christus docet nos ut a se ipso discamus: ipsum enim mitem esse et humili corde, et esse nos requiem inventuros animabus nostris. Dixit ergo Christus mulieri in adulterio deprehensae, non ut lapidaretur iuxta legem, qui tamen dixerat: Quemadmodum mandavit mihi pater, sic loquor; sed loquebatur cum ea ex misericordia et indulgentia, et admonitione ne ultra peccet, et ait: Vade! noli amplius peccare! Istud nobis aeque observandum est iuxta regulam excommunicationis.

## RESPONSIO.

Nolumus hunc articulum propter prolixitatem eius simul interpretari, sed in partes dividere, atque eas quam fieri potest brevissime revellere. Cum ergo sic dicunt: Gladius est dei ordinatio extra perfectionem Christi etc. cupio scire quo perfectionem Christi referant, an ad caput an ad corpus. Hoc est, an velint dicere: Christus ipse tam perfectus est ut gladio, hoc est magistratu, nihil opus habeat qui se aut emendet aut puniat; an quod Christiani nihil egeant gladio aut magistratu. Si primum: adsentior dominum dominantium et regem regum tam abesse ut magistratu egeat, ut ne magistratus quidem sint quibus officium non sit ab eo superne datum. Si secundum: quod scilicet Christiani nihil opus habeant magistratu, nervis omnibus renitor. Do enim istud, ut facile sit eis dicere: Christianus, qui vere Christianus est, magistratu non habet opus: ex fide enim nihil omittit eorum quae facta oportet, neque quicquam admittit quod fieri nefas est; sed quae nostra est calamitas nondum invenimus inter homines tam absolutam perfectionem, nec sperandum est unquam fore, ut omnes qui Christum confitentur sint ex omni parte beati, quamdiu istud corporis domicilium circumferimus. Est ergo in hunc sensum vere dictum: Gladius est dei ordinatio extra perfectionem Christi; hoc est: ubicunque membra Christi non perveniunt ad mensuram perfectionis capitis sui, isthic opus est gladio. Sed ipsorum sensus aliud vult, nempe quod haeretica retinctorum ecclesia gladio nihil egeat, ut quae sit intra perfectionem Christi: sumunt enim sibi stolidi homines, quod olim monachi, videlicet se esse in statu perfectionis, etiamsi non eisdem verbis utantur. Quum enim sese de mundo separant, clamantes: Exite ab eis! ad suae farinae fratres, quid aliud quam sese custodiunt, ne a nobis aliqua labe aspergantur? Postea quum dicunt: Sed in perfectione Christi utimur excommunicatione tantum etc. vides ut Christi perfectionem intra ecclesiam suam se tenere iactant, cum dicunt *utimur*? Volunt ergo seditiosissimi homines tollere gladium quo liberius possint omnia confundere. Non est enim quod dicas, tantum esse impiorum, ut non sit metuendum tolli posse gladium per praedicationem eorum: ipsi enim ad impios non veniunt; sed quum vident eorum, qui Evangelium receperunt, tantum etiamnunc esse numerum, ut si hoc facere pergerent quod hi faciunt qui Pontificem defendunt, superiores futuros omnium sperant, et si istos ad factionem suam pertrahant, omnem magistratum atque omne debitum abolitum iri. Nota est vox quam is Catabaptista reddidit, cum ad Christum rediisset: Si nos tanto superiores vobis fuissemus, quanto vos nobis fuistis: vidissetis an habuissemus gladios, et iusiurandum necne. Et cum nos vellent omni metu liberare ac pollicerentur omnia ex sententia eventura: quo quaeso spectaverunt quam ad multitudinem, quam ubi nacti essent iam in portu navigarent? Hos ergo qui evangelium iam receperunt circumvenire ut gladium ponant cupiunt. Apud istos enim valet auctoritas verbi; aliis puta tyrannis ac impiis pontificibus si sexcenties Christi verbum intones, nihil moventur. Volunt ergo in perfectione Christi, hoc est in cacoecclesia sua gladium tolli, quo liberius scortentur, matronas conspurcent, blandiloquio mulierculas seducant, omnem statum

turbent, imo urbes et contubernia humana diruant. Sic enim poterit latronum parva manus eorum bona qui in commune ferre nolunt, vi, ut publica faciant, compellere. Unde quanto magis negant gladium inter Christianos ferri posse, tanto magis conservari debet, vel ob istos ipsos, qui tot insidiis publicam pacem tentant. Cum ergo ad Christum nos ducunt, qui se nobis exemplum proposuerit et mansuetudinis et humilitatis, recte fecisse videri volunt; imo recte nostro quoque iudicio fecissent, si fides apud istos esset. Nam si esset: pergerent ipsi, etiamsi nemo sequeretur, mites esse atque humili corde; nunc autem cum nihil sit eis amarius atque praefractius, palam fit mansuetudinem non aliter doceri ab eis quam temperantiam audivimus aliquando ab avidissimo helluone doctam esse. Is cum quid edulii inferretur cuius ipse esset cupientissimus, convivas monebat, ne raptim aut immodice haurirent sed civiliter contrectarent, diutine commanducarent ac voluptatem longa comminutione caperent, quo sibi liceret uberius ingurgitare. Sic cum istis nihil sit truculentius: (quae enim aetas talem maledicentiam unquam vidit!) alios ad Christum relegant ut mansuetudinem discant; ipsi longissime ab eius exemplo recedunt. Adducunt deinde Christi exemplum, quod in adulteram edidit, quod scilicet non tradiderit eam ut lapidaretur, sed misericordiam impenderit, ac dixerit: Vade et noli amplius peccare! Delicate quidem omnia ista scribunt, quo facilius deprehendas, spiritus istos etiamnunc adulteris esse propitios. Verum quid, ignavi ac molles homunculi! non legistis Christum pro diversitate occasionum alia atque alia edidisse exempla? quoties legistis crudelissima? Isthic ergo discite divinam iustitiam vindictamque agnoscere. Quoties contra mitissima? isthic agnoscite misericordiam! Tum deinde hoc discite, cuius adventus ille prior nihil acerbum habuit, apud eundem quoque esse summam iustitiam; cum autem isto priore adventu non venisset ad iudicandum aut damnandum, sed ad salvandum: iam decorum huius missionis servavit. Nisi mihi ostendatis eum sibi aliquando in hoc adventu iudicis auctoritatem sumsisse: nunquam movebitis isto exemplo, ut Christiano viro non liceat esse magistratui. Illud autem non potestis: cum enim vellent eum aliquando regem facere, fugit. Veruntamen cum ad dexteram patris perfuncta legatione consedisset: videte an non crudeles homicidas male perdiderit et vineam suam aliis locaverit agricolis. Non est mirum quod nobis tot sectae quotidie nascuntur; sed mirum est non multo plures nasci, posteaquam tam prudentes scripturarum interpretes habemus, qui nondum discriminant inter Christi omnipotentiam, providentiam atque divinitatem, per quam omnia perpetuo gubernat; et inter eam legationem qua hic functus est. Cum enim hoc vident quod pro statu functionis huius fecit, iam et in leges eius impingunt. Hic non est iudicis officio functus: non enim ideo venerat. Nemo ergo iudex esto! Minime! hoc enim est et divinum et humanum ius confundere.

## CATABAPTISTAE.

Secundo quaeritur de gladio: an scilicet Christianus pronuntiare aut sententiam dicere possit in causis secularibus, inter vim et vim, inter

litem et litem, in quibus infideles dissident. Ubi istam responsionem damus: Christus noluit decidere inter fratres, qui de hereditate contendebant, sed a se reiecit. Perinde igitur nobis faciendum est.

## RESPONSIO.

Iam satis patere arbitror cur Christus hanc causam a se reiecerit: non enim in hoc venerat, ut regnum in hoc mundo sibi compararet, sed ut qui dominus omnium erat sese omnibus subiiceret. Quod nos dicimus, ipsa verba salvatoris testantur. Nam quis, inquit, me constituit iudicem ac divisorem inter vos? En, ut iudicis officium a se depellit! Christus enim etsi dominus erat omnium, attamen in dispensatione humanitatis nunquam se gessit pro rege. Quum ergo negat se esse iudicem, negat hanc causam ad se pertinere; at interim, oblata etiam occasione, non disserit de non reddendo ius suum cuique? id quod ferme nunquam omittit. Si qua praebetur ansa de rebus necessariis disserendi, semper a crassis ad spiritalia transit. At hic huius nihil faciens palam docet, aliquem esse iudicem, ad quem isti causam suam possent referre; se non esse eum; ergo se non pronunciaturum. Itaque iudicis officium potius videmus confirmare quam aboleri, etiam inter pios. Quod apud Paulum admonemur, ut iniuriam potius feramus quam cum fratre litigemus, non huc facit quod non liceat Christianum esse iudicem; sed ne simus litium avidi. Quemadmodum et Christus periculo deterret a litibus, saepenumero usu venisse clam insinuans, ut qui se speraret victorem a tribunali rediturum, in nervum coniectus sit, donec dependeret universum debitum. Hoc autem supra modum Christianum est, cum sic loquuntur: Inter lites in quibus infideles dissident, per infideles omnes eos intelligentes, qui non sunt de sua haeretica ecclesia. Negant iudicis officio fungi posse Christianum virum in rebus externis, quod tamen divina res est, si modo recte fungatur; cum ipsi interni hominis iudicium sibi vendicent (omnes enim infideles vocant, qui et deum verum atque unum Christum Iesum ex integro corde colunt); si solum non sequantur ipsorum errantem gregem. Atque hoc palam: saepe enim numero iam duo aliqui ex eis bonos ac pios homines praeterierunt, atque alter ex eis de industria altero paulisper abire permisso cum nostris aliquid fabulae miscuit. Tum is qui praierat reversus clamavit: Quid facis apud incredulos frater? Exi ab eis! Mites scilicet homines, qui quoties datur, iniuriam aliquam concinnant. Utri vero tibi videntur, o Lector, esse aut mitiores aut humiliores! Iine qui nihil quam vim atque iniuriam cogitant; an ii qui audaciam omnem suavitate superant?

## CATABAPTISTAE.

Tertio quaeritur de gladio: an Christianus officium aut magistratus esse debeat cum ad eum designatur. Ad quod sic respondetur: Christus rex futurus erat, sed fugit, et non respexit ad ordinationem patris sui. Sic et nos facere debemus, eum sequi scilicet, et non ambulabimus in tenebris. Nam ipse quoque dicit: Qui me sequi vult, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Interdicit etiam a potestate gladii, et sic denunciat: Reges gentium dominantur; vos autem

non sic. Ultra dicit Paulus: Quos deus praenovit, hos quoque praedestinavit, ut sint conformes imaginis filii sui. Sed et Petrus dicit, eum esse passum, non dominatum, nobisque exemplum reliquisse ut eius vestigia sequamur.

## RESPONSIO.

Quod Christus ni fugisset rex futurus erat, superius discussum est. Non enim venerat ut coleretur aut ministraretur more tyrannorum, sed ut ministraret; non ut totum mundum pro pelle sua redimenda daret, sicut vos Catabaptistae, fratres omnes ubi periculum imminet prodentes, facitis; sed ut animam suam daret pro universa multitudine. Ad hoc inquam venerat. Neque unquam vetuit quo minus vir Christianus et imperio dignus rex etiam fiat. Quod ait: Qui me sequi vult, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me: sic non est in hunc sensum ab eo dictum, quasi nemo possit esse officium, propterea quod ipse non fuerit; ut reges etiam multi se ipsos contempserint, ac dominum secuti sint, servata in finem regia auctoritate. Quod si Saul fecisset non reddidisset Gelboë montes casu suo illustres. Reges gentium dominantur eis; vos autem non sic, eodem modo non est ad interdicendum a Magistratu dictum. Consideranda enim nobis est occasio per quam sit in hanc sententiam ductus. Contenderant de primatu apostoli. Apostolis ergo dictum esse agnoscamus. Ut enim ipse venerat non ad regnandum, sed ad redimendum: sic et discipulos mittit: Sicut pater, inquiens, me misit, eodem vos modo mitto, ad praedicandum scilicet, non ad imperandum. Vices ergo Christi cum gesserint Apostoli, debuerunt a regnando ad exemplar archetypi sui Christi cohibere adfectus. His ergo imperatur ne imperent; imo privato cuique ne sese efferat. Id ipsorum apostolorum testimoniis comprobabimus. Petrus iubet ut servi pareant dominis suis, non tantum bonis et humanis, verum etiam perversis. En vobis, ut bonis et humanis perversos opponat! Eos ergo intelligit bonos, qui fideles erant; perversos autem non duros et inmites, sed a fide alienos. Erant ergo fideles domini. Cornelium item centurionem baptizavit idem Petrus. Dynasta Candaces Aethiopum a Philippo baptizatus est. Quod si ex vestra sententia Christianus magistratum gerere non potest, et poenitentia cum fidei confessione requiruntur antequam quis baptizetur: inique fecerunt Petrus et Philippus, quod eos baptizarunt antequam sese abdicarent magistratu atque officio; aut in gentili magistratu constitutus baptizari etiam potest ac intra Ecclesiam recipi. Apud Paulum habemus quaestorem Christianum, et fideles dominos. Ephesiis etiam scribens: Servi, ait, qui fideles habent dominos. Et ad Colossensium potentes scribit, ut domini quum sint servis tamen quae sint aequa praestent. Sergium Paulum praetereo. Iam neque Petrus neque Paulus cum ad magistratus atque dominos scribunt, a dominando dehortantur. At quum ad episcopos scribunt, quoties quaeso omittunt, ne in sorte, hoc est hereditate domini regnum ambiant, ne fratres circumveniant, ne laqueum iniiciant, ne violenti sint atque similia? Patet ergo istud Christi verbum: Vos autem non sic! etiam apostolos ipsos non alio quam in se tortum esse intellexisse.

Quod de conformitate imaginis filii dei ex Paulo citant, aeque regibus atque mendicis est accommodum; imo conformiores redduntur imagini filii dei, quum in summitate positi ad ima sese demittunt, sicut dei filius fecit, quam nos qui humi repimus. Petrus, inquiunt, tradit eum esse passum, non dominatum. Id fecit ad quod missus erat, ut iam sexcenties dictum est.

## CATABAPTISTAE.

Postremo discitur quod Christianum non licet magistratum esse ex his quae sequuntur: Magistratus officium est secundum carnem; Christianus autem est secundum spiritum. Domus illorum atque habitatio corporalis est in hoc mundo, Christianorum autem omnium in coelo est. Civitas illorum in hoc mundo est, Christianorum in coelo. Arma illorum carnalia sunt et contra carnem, Christianorum spiritualia contra munitiones diaboli. Mundani magistratus armantur aere ac ferro, Christiani vero armis dei induti sunt, veritate, iustitia, pace, fide, salute, ac verbo dei; in summa: Quemadmodum caput nostrum erga nos animatum est, sic per omnia debent membra corporis per eum animata esse, ne dissidium in corpore sit ullum quo perdi possit. Omne enim regnum contra se divisum perit. Quum ergo Christus talis est, ut de eo scribitur, necessario debent membra quoque talia esse, ut corpus maneat cum integrum tum unum, ad sui conservationem et aedificationem.

## RESPONSIO.

O stupidi seductores! quibus enim verbis iustius ipsos alloquar? Magistratus officium est secundum carnem, inquiunt. Dicerent saltem: Potestas illorum versatur circa carnalia aut externa. Haeccine enim secundum carnem sunt, quae Exodi 18: 21. scribuntur? Provide tibi ex omni plebe viros sapientes et timentes deum, in quibus sit veritas et qui oderint avaritiam. Oportet ergo iudicem supra omnes recte animatum esse et constantem, ut in gratiam nihil, nihil ex odio pronuntiet, nihil metu, per violentiam nihil. Id autem quis melius praestabit quam qui est piissimus? Quod autem in eos animadvertit qui secundum carnis impetum faciunt quidquid lubet: iam isto non est minus spiritualis, quam qui sibi ipsis maxime videntur. Usu venit ut pater in filium animadvertere cogatur, quod Saulo, Bruto, Manlio aliisque contigit. Qua igitur re putabimus iudicem in hoc articulo maxime opus habere? Constantia nimirum. At caro eam non suppeditat, sed aut gloriae cupiditas atque contentio, et iam non est constantia, sed pervicacia, qualis est vestra livida contumacia; aut iustitiae amor, qui a solo deo esse potest. Magis ergo spiritualis est huiusmodi iudex, quam omnes molliculi isti, qui nobis nescio quam muliebrem mansuetudinem praedicant; praesertim quum tantum sit inter mortales malorum. Plus quoque prodest huiusmodi iudex ad gloriam dei pacemque publicam ampliandam, quam tota Catabaptistarum haeresis, etiamsi in mille myriades excresceret. Iudicem ergo vel magistratum cum primis oportet esse Christianum ac divinum hominem. Unde et deus ipse dignatur eos suo nomine *Elohim* adpellare, quod deo quam simillimos esse oporteat, iustitiae, aequitatis,

constantiaeque antistites. Domus eorum, iudicum scilicet, atque habitatio, inquiunt, corporalis est in hoc mundo; Christianorum in coelo est. Quasi ista nobis de coelo detonent. Ubi quaeso estis quum ista dicitis? in mundo arbitror. Ergo et vos estis in hoc mundo. Si ergo Christianus non potest esse magistratus, ideo quod habitatio eius est in hoc mundo, iam vos non estis Christiani: in mundo enim estis. Quomodo autem Christianorum habitatio est in coelo? Dum hic degunt contemplatione, dum huc migrant possessione aut fruitione nimirum. Iudex ergo dum nunquam non versatur in dei contemplatione, dum omni momento et de populi subditi salute et de iure cuique reddendo cogitet, crebrius in coelo versatur contemplatione quam omnes Catabaptistae, qui si deum timerent nunquam tam stulta et audacia inirent consilia. Ascendetque tandem dei metuens iudex post hanc vitam ad eum cuius nomen ac vices hic gessit, quum seductores isti omnes in profundum erunt mersi in suo cacobaptismo. Hic interim, o iudices atque magistratus! officii vestri estote memores: aliunde enim horror vestri non nascitur, quam quod adeo rari sunt inter vos qui ius suum cuique reddant, praesertim hac tempestate, qua vi et crudelitate omnia redundant; sed istud instituti huius non est nunc prosequi. Ad hunc modum respondemus ad ista magnifica: Civitas illorum in hoc mundo est, Christianorum in coelo. Nam et Catabaptistae nullam adhuc habent hic civitatem, nullam ecclesiam in qua versari possint atque vigilare, quemadmodum episcopum decet atque pastorem; sed luporum instar, qui in silvis insidiantur, rapiunt et fugiunt, incendunt ac deserunt. Arma illorum carnalia sunt, inquiunt, et contra carnem; Christianorum spiritualia contra munitiones diaboli. Hic istis me monitore non esset opus: videmus enim plane ipsis non esse bella contra carnem quum ei per omnia obsequantur. Mundani ergo magistratus, inquiunt, armantur aere atque ferro; catabaptistae hypocrisi et maledicentia, mendaciis, iniuria, dissidio, perfidia, pernicie, et verbo diaboli, ut per omnia suas illis dotes opprobem pro his quas sibi tribuunt. Debemus per omnia Christo adsimulari: quis hoc negat? Sed num quid obstat quo pius iudex minus possit per dei bonitatem et gratiam Christo similis fieri quam catabaptista? imo, ut diximus, magis potest, quanto illi similior fit, in alto quum sit constitutus humilia cogitando; catabaptista autem pro sua protervia summa praesumat. Neque dividitur regnum Christi, quum Christianus magistratum gerit, sed instauratur atque iungitur. Quod vel uno exemplo, et toties in sacris literis iterato, ubi servorum cohortes leguntur dominorum fidem esse amplexae; et hac nostra tempestate a tam multis urbibus edito, patet, quae, ut primum Evangelii gustum ceperunt, populo sibi a domino credito, non aliter quam fidelis Iosaphat, legem olim per sacerdotes atque Levitas, cohortibus aliquot munitam, per omne regnum suum exponi iubebat, eius copiam fecerunt, publicis mandatis et Evangelio et ministris eius ostium aperientes; lupis autem et pseudapostolis, sive de Pontificis aula sive Catabaptistarum cubilibus et antris prodiissent, viam praecludentes. Quo facto, deo gloria, mirabile incrementum Evangelii protinus est visum. Sed, ut diximus, inter Christianos haec perversa dogmata de non gerendo

magistratu et non praestando iureiurando mussitant, ut si fieri possit errores suos impune ac intrepidè disseminare liceat.

## CATABAPTISTAE.

Septimo: Consensimus aut constituimus I. de iureiurando in hunc modum. Iusiurandum confirmatio est inter eos, qui litigant aut promittunt. Et in lege praeceptum est, II. ut fiat per nomen dei solius vere, non fallaciter. Christus autem qui legis perfectionem docet, vetat omnem iurationem suis, ne vel recte vel falso iurent, neque per coelum neque per terram neque per Hierosolyma neque per semet ipsos. Et hoc ista ex causa, III. quam subdit: Quia non potestis, inquiens, pilum album aut nigrum facere. Attendite! ideo omnis iuratio prohibita est, quia nihil eorum praestare possumus quae iurando promittimus, quum minimum quod nobis adest mutare non possimus. Sunt autem quidam, qui simplicibus praeceptis dei non credunt, sed dicunt: IV. Quum deus ipsi Abrahamo iuraverit per se ipsum, qui deus erat, quum scilicet ei promitteret ipsum benevoléntem ei et deum eius esse, dummodo praecepta eius servaret: cur non ipse quoque iurarem quum quid cui promisero? Respondemus: Audi quid Scriptura dicat: Quum deus vellet heredibus supra modum praestare promissum, ut consilium suum non vacillaret, iusiurandum interposuit, ut spem habeamus. Sententiam huius scripturae sic accipe: Deus potestatem habet faciendi ius, quod tibi prohibet: ipsi enim omnia sunt possibilia. Deus praestitit iusiurandum Abrahamo, inquit Scriptura, ut ostenderet consilium eius non vacillare; hoc est: quod potestati suae nemo potest resistere, ideo necesse fuit ut iusiurandum servaret. Nos autem non possumus, ut superius ex Christi verbo ostensum est, iusiurandum servare, aut quod iuravimus praestare; ideo non debemus iurare. Iterum sunt, qui dicant, in novo Testamento non esse vetitum ne per deum iuremus, sed in vetere; hic autem vetitum, ne per coelum, terram aut Hierosolyma iuretur. Ad quod respondemus: V. Audi scripturam: Qui iurat per templum aut coelum, per solium dei iurat, perque eum, qui in eo sedet. Vides, ut iurare per coelum prohibitum est, quia solium dei est; quanto gravius est per deum ipsum iurare! O stulti et caeci, utrum maius est solium an qui in eo sedet? Adhuc tamen sunt, qui dicere audent: Si nefas est iurare, etiam quum dominicum nomen ad veritatem adsciscitur, peccaverunt Petrus et Paulus apostoli: ipsi enim iurarunt. Quibus sic respondemus: VI. Petrus et Paulus id modo testantur, quod a deo ipsi Abrahamo per iusiurandum promissum erat; ipsi autem nihil promittunt, quemadmodum exempla dilucide continent. Testari autem et iurare distant. Quum enim iuratur, promittuntur res futurae. VII. Seni Abrahamo Christus promissus est, quem nos longo post tempore accepimus. Quum autem testatur quis, iam testatur super re praesenti, num vera bonaque sit necne. Quemadmodum Simeon ad Mariam de Christo dicebat atque testabatur; Ecce hic ponitur in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël, et in signum cui contradicitur. Ad hunc modum docuit nos Christus, quum diceret: Sermo vester sit etiam etiam, non non; quod enim super haec additur a malo est. Sic monet Christus:

Sermo vester debet esse non non, ne sic velimus eum accipere, quasi admiserit iurationem. Christus simpliter est *etiam* et *non*. Et omnes qui eum simpliciter quaerunt, invenient eum *amen*.

## RESPONSIO.

Hactenus de iureiurando, quae constituistis, disseruistis. Volumus ergo pro numerorum signis, ne vestra semper cogamur repetere, responsionem cuique adsignare errori. 1. Quis, quaeso, hanc definitionem iurisiurandi vobis indicavit? Usum quidem nonnihil attigistis; sed quod essentiale in sacramento est, aut ignoratis aut per malitiam tacetis: solum enim dicitis quo iureiurando utamur, sed quid sit aut quomodo fiat, tacetis. Nam si id candide traderetis, non magnum horrorem adferret hominibus iusiurandum; sed non faceret ad consilium vestrum, quo et magistratum ipsum et eum nervum quo consistit pergitis dissolvere. Iusiurandum autem tolle! iam omnem ordinem solvisti. Vocabit consul senatorem; non parebit. Dices: Lictori praecipiat, ut eum vinciat! Quomodo parebit lictor? Videt consul catabaptistam in hoc esse, ut plebem ad perduellionem trahat; curare volet ne quid mali respublica patiatur; interdicit ne in occulto doceat: palam enim docentem revicerunt qui ab Evangelio sincerius intellecto stant. Hic iterum vetat quo minus doceat sive publice sive privatim, catabaptistam omne imperium contemnentem prehendi iubet; non paret lictor. Quis prehendet? Consul ipse? At catabaptista robustior est. Vides, optime lector, ut omnis ordo nobis pereat, quum iusiurandum ereptum erit. Quod si divinae literae hoc vellent, nihil morarer; is enim cuius providentia cuncta gubernantur domui Israël nunquam defuturus est; sed non vult hanc confusionem. Da enim iuxta catabaptistarum consilium in aliqua civitate iusiurandum, ac subinde magistratum tolli et de eorum sententia geri omnia! Dii boni! quae confusio, rerumque omnium mixtio? Nemo enim aeque destitutus est omni consilio, si quid inciderit, quam hoc hominum genus: clamoribus mederi rebus omnibus volunt, ei medico, aut potius simulacro medici, qui unico pharmaco morbis omnibus occurrebat, simillimi. Sed ut ad rem accedamus: Est iusiurandum dei contestatio ad aliquid decidendum aut praestandum. Haec definitio non est nostra, sed huius per quem iuramus. Exodi enim 22: 10. sic praecipit: Si quis dederit proximo suo asinum aut bovem aut pecudem aut quamvis beluam ad custodiendum, et ea moritur aut perditur aut a praedonibus (nemine vidente) rapitur; iam iusiurandum domini inter ambos istos, eum ad quem deposita est belua non misisse manum suam in rem proximi sui. Et iusiurandum istud accipiet dominus beluae, neque is ad quem deposita erat quidquam restituet. Hic videtis iusiurandum dei esse contestationem. Dicit enim: Iusiurandum domini aut dei. Est enim יהוה. Haec autem contestatio nihil aliud est nisi, sui ipsius ad ultima supplicia divinae vindictae, si fallat, devotio. Cum enim advocat testem cuius solius se cultorem confitetur quique falli minime possit, etiamsi homo possit: per eius, cuius et cultor sit unice quique solus novit corda nostra, amissionem testatur, sese non fallere neque falsurum esse. Haec ergo Exodi auctoritas ad decisoriam partem adtinet iurisiurandi. Habemus

et in Genesi 21: 23. verba Abimelechi ad Abrahamum ad hunc modum: Iura ergo per deum ne noceas mihi, et posteris meis stirpique meae, et reliqua. Ac postea dicit Abrahamus: Iurabo; et paulo post: Ibi iuravit uterque etc. Hic iterum habemus contestationem dei ad aliquid praestandum. Iurat enim Abrahamus, se non nociturum esse, quod et praestitit. Hoc, inquam, est iusiurandum, si definias. Catabaptistae solum decisionem vocant et dei contestationem omittunt, ne simplices sic apud se reputarent: Qui fit, ut non sit deus in testem advocandus, ubi proximi salus periclitatur? Divina ergo res est iusiurandum: sacra enim ancora est ad quam confugitur, quum humana sapientia ultra progredi non potest. Quis enim novit quid sit in homine nisi solus deus? Hunc ergo prodit qui falso per illum peierat: creditur enim per fidem et religionem, quam in deum habet, vel dixisse vel servaturus esse; ille vero per illum fallit. In usum ergo proximi iusiurandum a domino praeceptum est. Quum autem omnis lex et prophetae de his duobus praeceptis pendeant: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex toto animo tuo et ex omni mente tua; et: Diliges proximum tuum sicut te ipsum; et ipsum iusiurandum dei, quem unice diligas et observes, contestatio est, inque proximi commodum datur: quis audebit praeter omnem scripturae auctoritatem iusiurandum de populo dei tollere? Iureiurando deus offendi non potest: vocatur enim testis, ut si nobis minime credatur, at ideo credatur, quod propter quamcunque rem non simus illum prodituri. Laudabuntur enim omnes qui iurant in eo. Proximus quoque non offenditur: in eius enim usum datur iusiurandum, ut aut cognoscat verum esse quod prius ignorabat, aut certus sit, sibi a proximo vel non irrogatum iri quod deprecatur, aut fieri quod optat. Tam abest igitur ut pius non possit iusiurandum dare, ut impius futurus sit qui neget, dum res postulat hoc teste digna.

Omnis autem erroris occasio hinc serpit, quod Christi sententiam Matth. 5: 33. non vident, imo ipsa rerum vocabula ignorant. Ea enim vox Germanica cui putant Graecam ἐπιορκεῖν, Latinam autem *iurare*, ſchwören esse similem, aliam significationem habet atque ipsi considerent. Cum enim Germanice dicimus: Der ſchwört, hoc est, *hic iurat*, incertum est an iusiurandum rogetur, an deieret: ita patet significatio illius verbi ut ad utrumque sit aeque proprium. Latinus *iurandi* verbo in bonam partem semper utitur, hoc est pro sacramento rogandi. Sed *deierandi* verbo utuntur pro ea iuratione, quae vel vero vel falso fit extra sacramenti rogationem, quod Germanice nova voce possemus zůſchwören vocare, ad quam significationem etymon Graeci verbi probe quadrat, ἐπιορκεῖν. Habent itaque Latini tres voces, *iurare*, *deierare* et *peierare*: prima significat sacramento rogare, secunda temere ad quamvis rem sive vero sive falso adiurare, tertia falso iurare. Vult ergo Christus non vetare quo minus iuremus, sed ne unquam deieremus. Hoc dum isti non vident aut videre nolunt (saepe enim eis exposuimus), volentes ac videntes labuntur. Quod autem hic sit verborum Christi sensus, volumus ipsa verba expendere. Sic ergo loquitur: Audistis dictum esse priscis: ne ἐπιορκήσεις, id est *deieres*. Ubi nostra interpretatio habet: *Non periurabis*, non adeo pessime. Peierandi

enim verbum, ut nunquam in bonam partem accipitur, sic non semper accipitur pro iusiurandum violare, transgredi, aut simulate praestare, sed nonnunquam pro deierare, quum deierare in malam partem accipiatur: accipitur enim nonnunquam in bonam quoque *deierare*, ut aliquando observavimus. Quum ergo sic habent verba Christi: *Non periurabis*, dictum esse priscis, nusquam invenies apud Hebraeos hoc *periurii* interdictum, sed neque apud Graecos. At sic invenies Exodi 20: 7. Non sumes nomen domini dei tui temere; ubi noster interpres dixit *in vanum*. Secundo invenis Levitici 19: 20. Non iurabitis in nomine meo ad mendacium; ubi Graecus sic est interpretatus: *ἐκ ὀμεῖσθε τῷ ὀνόματί μου ἐπ' ἀδίκῳ*, id est: Non iurabitis nomine meo ad iniquum aut falsum. Ubi Latinus sic est interpretatus: Non periurabis in nomine meo. Vides, ut hic divus Hieronymus eleganter est *periurandi* verbo usus pro *falso deierandi*, non pro *iusiurandum violandi*. Fuit ergo II. priscis interdictum, ne temere nomen dei adsumerent; hoc est, quemadmodum Levitici dicto loco exponitur: ne ad mendacium deierarent. Nata est enim eis ex hoc intellectu haec opinio: si nomen dei adsumeretur ad verum, nihil officere etiam in familiari ac quotidiano sermone, sed ad rem levem, vanam, falsam, fictam aut ementitam non licere adiurare vel deierare. Hanc itaque opinionem hic revellit Christus, censens, neque ad verum neque ad falsum in familiari sermone deierari debere, sed sic omnia vere tum loquendum tum agendum esse, ut si quis dicit *ναὶ*, hoc est *etiam*, iam proximo sic sit de eo persuasum, ut sciat verum esse quod alius dixit; si dicat *Non*, contra sciat, non esse; atque de iureiurando hic prorsus nulla fit mentio. Sic enim habet: Audistis dictum esse priscis: Non peierabis. Ubi hoc dictum est? ibi scilicet ubi non agitur de periurio, sed de deierando sive deiurio. Ibi permittebatur ad rem veram nomen dei tui deierando adsumere. Sequitur: Sed reddes domino iuramenta tua. Quorsum hoc attinet? Si de iureiurando loquitur nunc, ubi ergo prior locus: Non periurabis, habetur in hunc sensum: Non falles iusiurandum? Confit ergo, ut de eis deierationibus loquatur, quibus sese quisque temere recipit aliquid facturum, quasi dicat per parenthesin: Sunt enim domino reddenda quae iuraveris, recte scilicet aut iure, ut hoc pacto a deierando vel adiurando deterreat, quasi periculum sit, dominum imputaturum etiam si temere recipias. Sequitur: Ego autem dico vobis: Ne iuretis omnino! Ecce de qua iuratione loquitur? De ea nimirum, quae priscis erat per legem permissa, quum liceret ad rem veram atque dignam deierare per nomen dei; quod scilicet neque ad rem veram et quantumvis magnam debeamus nostra, hoc est privata, auctoritate adiurare, deierare aut polliceri. Ubi iterum nulla fit iurisiurandi quod publica auctoritate rogamur mentio. Quam sententiam quae sequuntur firmiorem faciunt, quum ait: Neque per coelum: nam thronus dei est; neque per terram: est enim scabellum pedum eius; neque per Hierosolyma: civitas enim summi regis est; sed neque per caput tuum iurabis: nam non potes unicum pilum album aut nigrum reddere. Per haec exempla fit manifestum, nullam iurisiurandi mentionem hic facere Christum. Quis enim Hebraeorum unquam per coelum, terram, Hierosolyma aut caput suum

*iuravit?* Contra vero quis non *deierat* per ista? Alius pollicetur munus per crucem dei, alius per coelum et terram deierat. Haec ergo vetat Christus. Ad idem facit ipse totius sermonis colophon: Sit autem sermo vester talis, ut si dicatis *etiam*, etiam sit; si dicatis: *non* est, non sit. Ecce vobis sermonem! Non ergo locutus est de iureiurando: nihil enim attulit aut de foro aut de tribunali aut magistratu, sed de sermone quotidiano, quo inter nos familiariter utimur. Videbor forsan alicui nimis languide sententiam hanc tueri; sed is, ubi toties atque nos, quae Exodi 20. et Levitici 19. scribuntur, expenderit, quum apud Hebraeos tum apud Graecos et Latinos, nobiscum scio sentiet. Vide nunc, quum Catabaptistae geminum huius loci sensum non expenderint, sed perperam intellectum sui erroris fundamentum fecerint, an dici satis in illos possit!

Neque III. ea iusta causa est cur non debeamus iureiurando rogari, quod nihil possimus ne pilum quidem mutare: si enim ista legitima esset causa, iam ne ipsum *Etiam* vere poterimus proximo respondere. Dixi multis, qui me interrogabant an essem in Catabaptistas exercitum educturus? *Etiam;* at quum nullo momento securus sim ab eo qui aequo pede omnium fores pulsat, num recte dixi *Etiam*? Recte dixi. At incertus eram quod viverem, nedum quod scriberem; nemo propterea mendacii arguet. Dicit frater fratri se crastino adfore *etiam*. Non venit febre occupatus; non arguitur mendacii, neque ei quicquam imputatur: necessitatis enim deus excusat. Sic etiam quum ad rogationem a magistratu vocatus iureiurando respondet, non sic respondet, ut dei summi potestas non iure quoque possit excipere. Quum autem iuraret Abrahamus ipsi Abimelecho, nonne iurabat se aliquid praestiturum? Cur ergo fecit? quum Catabaptistae negent eum quicquam posse, imo contendant Christum id voluisse? Sub lege, inquiunt, licebat iusiurandum praestare. At Abrahamus ante quadringentos triginta annos hoc sacramento respondit, et non fuit sub lege, sed sub fide. Apostolus enim patrem nostrum eum facit propter fidem. Patet ergo, Christum contra insaniam istam agere qua plerique adeo frivole iurant proprio motu, et sua auctoritate vel quaeque pollicentes, vel quae fugere nequeunt abiurantes; tum denique ad quaevis non iam coeli terraeque nomina, sed dei quoque vivi, advocant, non sine contumelia dei et sua pernicie.

IV. Cum exemplum istud, quod deus ipsi Abrahamo iuravit, infirmare moliuntur, quid nisi se ipsos infirmant? Quoties enim in superioribus dixerunt, nos quae Christum fecisse videamus iure facturos esse? Sed iungunt hic deo esse possibile, ut id praestet quod promittat, nobis non tantundem. An non idem sentiendum est de Christo? Dicam igitur: Christus potuit diligere inimicos suos; ego non possum. Ergo non debeo diligere. Vides, optime lector! quod etsi multa movent ac tentent, nulla tamen in re non deprehendi, quod errorum suorum fundamenta ex aliqua insigni aut arrogantia aut malitia aut saltem ignoratione produxerint; quomodo hic deprehenditur. Ex suasoriis enim est: Quia non potestis pilum unicum mutare, et illi eo trahunt quasi Christus hoc verbo voluerit sacramentum iurisiurandi tollere.

V. Colligunt per locum a minore: Si per solium iurare non licet,

quanto minus per deum ipsum qui in solio sedet? Sed non inepte colligunt, si de periurio aut deiurio loquuntur: si enim deus vetat quo minus deieremus per solium suum, eo quod suum sit: quanto minus debemus per ipsum deierare? Sed si de sacramento loquantur: iam non recte colligitur, si *per solium dei* non est sacramentum praestandum, ergo per deum ipsum non esse praestandum. *Per omnem* enim *creaturam* non redditur iusiurandum legitime atque ut oportet, sed *per deum*. Iusiurandum species religionis est: qui enim sacramentum praestat, ad summam religionis sese religat; in religione summum est adoratio. Sicut ergo inepte colligitur: Solium non est adorandum; ergo deus non est adorandus: ita nihilo minus ineptum est: Per solium non fit iusiurandum; ergo neque per eum, qui solium insidet, fieri debet.

VI. Quum de Petri et Pauli testimoniis loquuntur, nesciunt quid ganniant. Nondum enim didicerunt *testandi* verbum Hebraeis in elegantissimo esse usu, nempe pro intrepide et constanter praedicandi verbo. Quod autem testimonium dicere liceat, 1. Timoth. 5: 19. patet: Adversus presbyterum accusationem ne accipias, nisi sub duobus aut tribus testibus. Hic quaero primum, an de Christianis testibus loquatur Apostolus, an infidelibus? Si de infidelibus, ergo periclitabitur omni momento episcopus et cum eo Ecclesia. Quanto enim quisque est sanctissimus et innocentissimus, tanto infestius imminent perfidi, videbiturque Paulus male consuluisse et Ecclesiae et episcopo, quum testandi copiam incredulis fecit. Sin autem loquitur de testibus qui intra Ecclesiam sunt: ergo licet Christiano testimonium dicere. Quaero igitur secundo, an qui testimonium dicerent iuratos intelligat an iniuratos. Si iniuratos, iterum periclitabatur Episcopus: sunt enim multi falsi fratres; sunt multi, qui quanto diligentius advigilat Episcopus, tanto infensius ad eius depositionem penetrant. Et in summa sic est in rebus humanis, ut paucis credere iniuratis possis, quod apud Romanos Catoni soli usu venisse aiunt, ut scilicet iniurato crederetur. Imo non est verisimile, ut intra Ecclesiam testes unquam iniurati accepti sint: nam pro ea prudentia et spiritu quo tum pollebant facile viderunt, ut si iniurati consuessent dicere contra Episcopum, quotidie vanae adcusationes ac motus contra Episcopum excitarentur. Id si testimonium paulo diligentius expendissetis, o mersores non tantum corporum sed animarum quoque, non docuissetis iusiurandum non esse praestandum; sed quid boni de vobis spero? quum omnia, quae adseritis, volentes et videntes contra scripturam adseratis?

VII. Cum iuratur, inquiunt, promittuntur res futurae. Quae ergo res futurae promittuntur, cum is ad quem depositus erat asinus proximi iuraret se manum non admovisse ad rem proximi? Videte quam docte atque prudenter digeratis naenias vestras! Prius erat iusiurandum decisio tantum inter litigantes; nunc est promissio tantum. Quid hoc aliud est nisi ut quicquam in buccam inciderit deblaterare? Cum autem quis testatur, inquiunt, testatur super re praesenti, num vera et bona sit, quemadmodum Simeon testabatur: Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in Israël etc. Quid si apostoli testati sunt de re praeterita, puta de Christo crucifixo, per omnem orbem? Et eritis

mihi testes non modo per Iudaeam et Samariam, sed usque ad ultimum terrae. Testabantur ergo apostoli super re praeterita; deinde et de futura testatur hic Simeon, cum dicit: Christum signum futurum cui contradicetur. Ipse quoque futurum nunc vobis testor, quod πιζὸς ὁ λόγος, hoc est, indubitatum est: Testor vobis, sive monitorem accipiatis sive minus, futurum, ut cum ii, qui nunc per vos seducuntur, oculos receperint, non aliter in vos concitentur, quam in lupum pastores aut in rabidum canem. An non et ego quoque nunc testatus sum? Cur non constituistis inter has leges vestras aliquid de vestra suavi contestatione? Hanc, ne tu lector ignorares, sic habe: Abbacellae his utuntur praestigiis. Deiicit se aliquis aliquo Catabaptista perinde atque epilepticus esset; spiritum quam diutissime potest retinet, ac se in extasi esse simulat. Horrendam praebere speciem aiunt qui viderunt. Tandem evigilanti similis testari incipit super his quae in extasi viderit aut didicerit. Viderunt omnes cum primis Zuinglium errare in catabaptismo, quam sententiam alius initius alius atrocius pronuntiant. Viderunt iudicii diem adfore ante biennium. Viderunt catabaptismum iustam sanctamque rem esse et id genus nugarum suarum. Nec est cur has praestigias putes a simplicibus eorum fingi; ipsi antesignani auctores sunt, quod hoc exemplo disces: Sanctogalli puella Catabaptistis fuit duodecim annorum aut paulo supra, patris, ut aiunt, recte animati filia, quem ad convehendum annonam sese accingentem (est enim frumentator) filia monet ut istum diem domi se retineri patiatur: visurum ipsum esse miranda, atque paulo post ad eum quem diximus modum concidit. Cumque evigilasset, itidem fanatica ista sua garriebat. Vides ut ista scivit quando casura esset. Cur autem non cecidit protinus, ut patrem vidit proficisci? nondum docta erat omnia quae sibi restituta redderet, neve quibus ad hanc rem opus erat imperata fuerant. His immanibus praestigiis passim etiamnunc apud Abbacellanos utuntur. Et contestationem vocant, quae et ipsa est de rebus tum praeteritis tum futuris, ne vani isti vetularum seductores dicere possint: Cum autem quis testatur, testatur super re praesenti. Aha, quam dulciter et suaviter omnia digerunt! Dii Deaeque omnes, superi inferi ac mediastini, eis sint propitii!

VIII. Recte monent Christum docuisse, ut sermo noster sit etiam *etiam*, non *non*, quod tamen ipsum nobis non videntur dilucide intelligere, aut si intelligunt non facere. Cum enim multis locis saepe *Etiam* dixerint, nunquam tamen fuit *Etiam*. Cum relegantur Coryphaei isti, contra quos potissimum scribimus et sacramento rogantur, nolunt respondere; sed per fidem quam in deum habeant recipiunt, se nunquam redituros; ac mox ubi redierint: Pater, inquiunt, per suam voluntatem me reduxit. Ego mendacii patrem adprobe esse scio qui eos facit reduces; ipsi autem caelestem se intelligere simulant. Sed hoc memoratu dignum est: Cum Georgius ille, quem omnes alterum Paulum vocant, de domo Iacob,[1] virgis apud nos caederetur usque ad portam infernam, et ad respondendum sacramento levandumque manus a servo senatus adpellaretur, primo renuit, quod prius etiam saepe fecerat atque obti-

1) *Blaurockus* cognomine.

nuerat; imo se semper sic gesserat quasi prius mori vellet, quam iusiurandum praestare. Iubet ergo servus senatus, aetutum manus levet ac sacramento rogatus respondeat; aut vos lictores, inquit, eum in nervum reducite! Levat, virgis nunc persuasus, in coelum manus ac praeeuntem sacramento magistratum sequitur Georgius de domo Iacob. Hic vobis oritur, Catabaptistae, quaestio, in legem inciderit Paulus iste vester necne. Lex vetat, quo minus iuretis; iste iuravit. Legem ergo transgressus est. Hic ergo nodus nectitur: Vultis separari a mundo, a mendacio, ab his qui non ambulant iuxta resurrectionem Christi, sed in mortuis operibus? Qui ergo factum est, ut apostatam istum non excommunicaveritis? Non est ergo Etiam apud vos *Etiam*, neque Non *non*; sed contra: *non* est apud vos etiam, et *etiam* non. Neque Christum neque constitutiones vestras sequimini.

IX. Haec de iureiurando dicta sint, quod isti non alia causa conantur ex humanis rebus tollere quam seditionis ac tumultus. Libertatem enim carnis, quam neque Christus neque apostoli praedicaverunt, rudibus pollicentes his artibus rebaptizandi, separandi et iusiurandum negandi utuntur; quum interim non considerent quod Paulus Hebr. 6: 16. dicit, iuramentum esse tum confirmationem, tum finem omnis controversiae. Quo verbo adparet divinum Apostolum non locutum esse de iis qui non sunt intra Ecclesiam, quod iuramentum apud eos omnia aut confirmet aut decidat; sed de his, qui non sunt extra Ecclesiam. Apud istos ergo perhibet iuramento et firmari et decidi omnia. Neque etiam ut monuimus considerant, quod superius de testibus contra episcopum testantibus dictum est; sed neque istud, quod neque Christus neque apostoli istud verbum, quod in ore duorum aut trium testium stet aut cadat omne verbum, nunquam docuerint antiquatum esse, ut Matthaei 18: 16. et Hebr. 10: 28. facile videtur. Ex quibus discere potuissent iusiurandum nunquam esse abolitum, etsi aliud verbum non haberent, nisi: Reddite quae Caesari debetis Caesari, et quae deo deo. Quicquid ergo tum Caesari debebant reddere iubentur. Debebant autem et iusiurandum. Iubet ergo Christus ipsum quoque reddi. Sed antequam hinc abeamus, moneri debent tyranni huius mundi, qui ut Christi nomine falso gloriantur, sic omnia ad evangelii eius conculcationem faciunt, ne ex hac nostra iurisiurandi defensione putent sibi crudelitatis suae munimentum petendi datam occasionem, propterea quod hactenus nihil dictum sit de atrocitate abusus iurisiurandi. Ipse ut nostrae sententiae summam breviter expediam, iusiurandum non arbitror exigi debere aut citra conscientiae molestiam exigi posse, nisi tum cum aut humana obtestatio omnis cessat, aut proximi salus graviter periclitatur; atque super haec omnia, quum in nulla re, quam iuraturi sumus, nomen dei blasphemetur. Quam nostram sententiam ex praedictis facile discuties. Hactenus igitur putamus non pessime confutatas esse Catabaptistarum nugas. Nunc ad alia pergemus.

## TERTIA PARS.

In hac parte duo recepimus acturum, de foedere sive testamento, et de electione, quod firma maneat. Ubi certis quoque cum testimoniis

tum argumentis docebimus, apostolis morem fuisse credentium infantes baptizandi. De foedere igitur ad hunc modum disserimus: Etsi summus opifex immane illud mundi domicilium in hoc excitaverat, ut hominem cultorem exciperet: attamen priusquam ulla ullam in partem colonia deduceretur, imo antequam nati essent futuri coloni, deficit unica generis totius spes, pater humani generis, a conditore suo. At melior deus, quam ut in proditorem iuxta commissi magnitudinem animadverteret, ac simul iustior, quam ut tam audax facinus relinqueret inultum: quem funditus abolere ac perdere iure potuit, miserum et calamitosum reddidit. Paradiso igitur pulsum patrem fieri non vetat, sed generis ac posteritatis non perinde ingenuae, atque fuisset si fidem non prodidisset. Sic ergo factum est, ut qualis qualis esset progenies, in omnes tamen terrae angulos cultor propagaretur. Verumtamen utcunque sobolesceret atque multiplicarentur, inque gentes varias dividerentur homines: divina providentia unam tamen peculiariter designat, quae inter omnes populos perinde sacrosancta esset, atque apud omnes venerabile erat sacerdotium. Eam gentem in hoc elegit divina providentia, ut quandoquidem erat mundum filii sui morte expiatura, corpus quo mori posset ex ipsa sumeret. Quam et ingentibus beneficiis omni tempore prosecuta est; imo sic coluit atque per omne discrimen servavit, ut vel ista sola observatione discere liceat, deum rem supra modum admirandam per eam facturum fuisse. Ut enim cunque ad paucitatem redigeretur, subito repullulabat; utcunque adfligebatur, semper restituebatur. Credebat Adamus nato sibi filio eum esse natum, quem non adeo pridem deus dixerat diaboli caput comminuturum, unde et mater: Possedi, inquit hominem ipsum per deum, hoc est: Eum iam indepta et nacta sum hominem quem deus promisit. Cumque alter nasceretur, eum *Haebel*, hoc est supervacaneum adpellavit, non ex fastidio, sed gratulatione, quod abunde redderet deus quae promitteret; quasi diceret: Plus praestat munificus ille deus quam promiserit. Sed brevi quae se plusquam felicem liberis putabat orba redditur: insurgit enim is, qui ut primogenitus erat, ita in eo omnes spes suas locabant parentes, ac fratrem nihil tale opinantem aut meritum opprimit. Concidunt hic iterum omnia, et ad unum redeunt: Haebel occisus erat, Cain parricida conscientiae trepidatione nihil obscure ostendebat, ex se nasciturum non esse qui parentum casum sarcire posset. Succurrit et huic malo bonitate sua deus, atque alium illis filium ponit tanquam surculum de quo posteritas floreret; unde et nomen ei imponitur *Seth*, id est positus vel datus: vicissim enim utuntur Hebraei dandi et ponendi verbo, quasi tu dicas *a deo datus*. Ab eo dein posteritas derivatur in Noam, qui prae omnibus tum viventibus iustus erat ac innocens. Cumque humanum genus cupiditate ac violentia ferretur, et per audaciam nihil fecisset reliquum: diluvio, quum Noam a deo missum non audirent, omnes mergit. Ipse autem Noachus solus cum suis in arca enatat. Renovatur cum illo foedus, a quo deinde humanum genus postliminio nascitur, atque in omnes orbis partes ad colendum terram diducitur. Interea tamen non est immemor consilii sui deus, ac missis omnibus, non modo gentibus ac populis, sed optimis quibuscunque, Abrahamum amplectitur,

eumque de omnibus in hoc eligit, ut de eius posteritate nasceretur, qui non modo Iudaicum, sed universum genus humanum salvaret. Cum illo foedus quod cum Adamo pepigerat renovat, et clarius reddit: quanto enim propius accederet tempus adventus filii sui, tanto apertius cum illis loquebatur. Promittit ergo ei primum bonitatem suam, quod sit deus eius futurus, atque ab eo vicissim requirit, ut ἀριστεύσῃ, hoc est recte sese gerendo coram eo ambulet. Deinde promittit se ei semen istud benedictum daturum, quod et serpentis antiqui caput contunderet et depressi ab eo hominis caput ad infallibilem salutis spem erigeret. Promittit posteritatem quoque innumerabilem, quae ei non tantum secundum carnem, sed secundum spiritum quoque nascitura esset. Postremo promittit Palaestinam. Et huius foederis signum circuincisionem mandat. Crescebat itaque vir peregrinus ac nomas ad eum modum, ut facile viderent qui hominis notitiam haberent, deum esse cum eo. Omnia quaecunque promiserat praestitit deus. Quumque posteritas eius ad monstrosam multitudinem in Aegypto excrevisset: iam non uti prius unam solummodo gentem secrevit, aut unum solummodo hominem, quo cum foedus servaret initum; sed etsi Iudas filius Israël designaretur ex quo nasciturus esset salvator, reliquae tamen gentes quae de Abraham erant non sunt foedere pulsi aut amicitia, quam cum omnium patre Abrahamo inierat. Quemadmodum neque cum his qui postmodum de Iuda erant nec tamen de domo David, qui et ipse peculiariter in patrem venientis Christi designabatur, quicquam mutavit; sed erant in foedere omnes qui de Abraham progignebantur. Hic inquam, ut ad me redeam, est populus iste sive Hebraicus sive Israëliticus, quem dominus ex omnibus gentibus et populis sibi in peculiarem populum designavit, ut supra omnes populos non aliter emineret, quam sacerdotum collegia, quum apud istam gentem tum apud reliquas omnes, antecellebant, quod verbis suis ipse testatur Exod. 19: 5. Nunc ergo si audiendo audieritis vocem meam, et foedus meum custodieritis, eritis mihi λαὸς περιούσιος, hoc est proprius, peculiaris aut quaesitus populus ex omnibus populis, etiamsi mea est universa tellus. Et eritis mihi regnum ex sacerdotibus et gens sancta.

Habent et hic Catabaptistae universi erroris sui medelam et emplastrum, si saltem imponi patientur: Si audiendo audieritis vocem meam et foedus meum custodieritis, ait. En vobis deum synecdochice nobiscum loquentem! Cum enim omnem populum adloquatur: Si audieritis et custodieritis etc. quae ad eos tantum referri possunt, qui et audiunt et custodiendi studium habere possunt, infantes tamen non magis excludit, eo quod nondum audiunt neque quid custodiendum sit sciunt, quam eos qui aut somno aut mente capti sunt. Qui enim unius corporis sunt, pro uno reputantur. Infantes autem quum sint de corpore populi dei, non ideo excluduntur quod nondum audiunt et intelligunt. Quod autem sint membra unius eiusdemque corporis populi dei, hinc patet, quod signum foederis circumcisio eis data est. Quod suo ore deus et foedus et signum foederis adpellavit, eo quod qui in foedere esset hoc signo signaretur. Paulus 1. Cor. 12: 13. In uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, ait. Quin et ipsi Catabaptistae perhibetis, si

quis ad mensam domini accedere velit, necesse esse, ut prius per baptismum in unum Christi corpus coaluerit. Haec non ideo dicimus ut nunc vel postea docere velimus, aut circumcisione aut baptismo Christo inseri; sed ut, qui baptizantur aut circunciduntur, in corpore ecclesiae dei sint ostendam, quamvis orationis alloeosin nihil morer: In unum corpus baptizati sumus, pro: qui unius corporis sumus, uno baptismo tingimur: natura enim prius est de corpore esse, quam signum corporis ferre. Unde et Paulus: In uno spiritu, inquit, omnes in unum corpus baptizati sumus. Prior est spiritus gratia qua in ecclesiae consortium allegimur, quam consortii signum: nemo enim signatur nisi qui prius in exercitum aut militiam scriptus est. Huc ergo tendimus: Si qui uno baptismo baptizati sunt, in unum corpus coierunt: indubie qui una circumcisione foederis signo signati sunt, in unum quoque corpus colliquati sunt. Hebraeorum infantes sunt circumcisione foederis symbolo signati; ergo fuerunt in foedere. Cum ergo in foedere sint et deus cum isto corpore loquatur, quod secum est in foedere: velimus nolimus cogimur synecdochem esse fateri: Si audieritis et custodieritis; per quam infantes non excluduntur, etiamsi ad eos quaedam non pertineant. Aliud exemplum do, si quo modo veritatis possint faciem intueri. Docet Plutarchus nimirum in libro: cur deus tarde puniat, unam gentem, unam civitatem aut unum populum perinde atque unum hominem esse. Nihil ergo referre, si non plectantur gentes, urbes, populi, protinus cum peccant: neminem enim numinis manum effugere posse. Sic ergo fieri ut populus aliquis post multos annos, cum eorum nemo in humanis est qui peccaverant, plectatur. Id autem perinde esse ac si illi ipsi punirentur qui peccaverant; eo quod unum corpus aut unus homo sit gens, urbs, populus. Sic et hoc loco vobiscum reputate, tam Hebraeorum quam Christianorum liberos eiusdem corporis esse cum parentibus; et quum dicitur: Audi Israël, et infantes nequeunt audire, nolite dicere, eos non esse de corpore populi dei. Nam quod hodie minus possunt, aliquando facient, audient et intelligent; nec ideo minus computantur a deo ipso inter filios regni, qui modo ad hoc destinati sunt, si dum ad maiores eorum loquitur ipsi non intelligunt. De qua re in sequentibus, quum ad electionem ventum erit.

Sequitur: Eritis mihi populus peculiaris proprius aut quaesitus, *περιούσιος*. Latinus interpres dixit: In peculium eritis mihi; Petrus populum acquisitum vel acquisitionis Hebraico schemate dixit. Hic est ergo populus dei singularis, quem in humeris suis portavit, quem supra omne periculum elevavit, non aliter quam aquila extra omne periculum volat. Quibus metaphoris hoc volunt divini vates, hunc populum semper fuisse prae omnibus terrae populis domino adamatum, servatum atque cultum, non aliter quam vel parens liberos suos in humeros levet ac baiulet, aut gallina pullos sub alis foveat. Sed hoc non sic est accipiendum, quasi Hebraeorum infantes non sint de corpore populi dei, quum eiusdem corporis signum non iniussu eius, qui foederis auctor est, ferant.

*Ex omnibus populis.* Hoc verbo deus electionem occulte insinuat. Non enim alligavit deus electionem suam aut voluntatis suae libertatem,

ad ullum externum sive signum sive opus: in omni enim gente qui deum timet, atque quod iustum est, operatur, acceptus aut gratus est ei. Act. 10: 35. Unde quod Israëliticum ex omnibus populis elegit, non est in hoc factum, ut nemo nisi de isto populo salvus futurus esset: semper enim libera est electio dei; sed quod propter gloriam filii sui istum prae omnibus admirabilem reddere voluit et peculiarius amplecti.

*Nam mea est universa tellus:* sive: *Etiam si mea sit universa tellus.* Itidem ad huius populi privilegium atque splendorem pertinet, et electionem adserit. Quamvis enim omnes populi universae terrae domini sint: Israeliticum tamen ex omnibus elegit, ut esset pars, hereditas ac sors domini. Ies. 19: 25. Benedictus populus meus Aegypti, et opus manuum mearum Assyrius; hereditas autem mea Israël.

*Et eritis mihi regnum sacerdotale*; vel, ut nos interpretati sumus: *Eritis mihi regnum ex sacerdotibus.* Hebraeus enim habet *regnum sacerdotum*, sed ad declinandam ambiguitatem recte eruitur sensus ea forma quam nos sequimur. Quemadmodum enim, nescio an Pyrrhi an alterius tyranni, legati senatum Romanum ex regibus esse dixerunt propter et gravitatem et maiestatem senatorum: sic et universum regnum populi Israelitici ex sacerdotibus vel sacerdotum regnum dicitur quum propter ceremoniarum ordinem tum propter legis ac prophetarum praestantiam, tum denique propter amicitiam ac foedus quod dominus cum hac sua gente habuit. Antecelluit igitur populus Israeliticus omnes terrae populos, sive in his quae ad deum pertinent, sive quae ad generis nobilitatem. Ex uno enim ut omnes nati sunt: ita ex eis natus est qui unus ac solus rex et imperator gentium omnium est factus. Qua quae maior nobilitas aut quae par gratia invenitur?

Fuit ergo non postremae gloriae si quis de gente ista natus esset, quum et deus eam prae omnibus coleret, suam fecisset ac foedus cum ea haberet. Quae omnia etsi per omnem scripturam sint celeberrima et nusquam non tractata: Paulus tamen supra omnes brevibus sed claris exponit Rom. 9: 3. Opto ipse, inquiens, anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui secundum carnem cognati mei sunt, puta Israëlitae, quorum est cooptatio in filios, gloria, testamenta, legislatio, cultus, promissiones; quorum sunt patres et ex quibus est Christus quod ad carnem adtinet. Qui est super omnia deus benedictus in secula. Ecce ut Israëlitas in filios dei perhibeat cooptatos, quum tamen ex eis domino plurimi displicuerint. Eorum dicit gloriam esse: quae enim par maiestas quam dei populum esse, filios dei esse et salvatorem omnium ex eis natum esse? Testamenta quoque eorum sunt: quicquid enim testatus est cum hominum genere dominus, per hanc gentem factum est. *Quorum est legislatio:* non enim contentus fuit summus ac optimus testamentum aut foedus cum eis inivisse, nisi populum suum divinis ac iustis legibus munivisset. Horum quoque *cultus* fuit: ostendit enim eis deus quibus potissimum rebus coleretur, iustitia, aequitate, innocentia. Sed neque credendus est beluinarum hostiarum cultus ei displicuisse, quem ipse monstravit; etsi ad nullam aliam rem quam ad disciplinam sive

cautionem et significationem. Disciplinam huius cultus apud eos esse voluit, quo non deessent eis ritus, quoque minus ad idolorum cultum deficerent, quam si nullum ipsi habuissent. Significare autem voluit hostiis pecuinis, hostiam aliquando venturam esse quae animos expiaret. Corporeis enim victimis assuefacere voluit ad perfectionis animorumque hostiam, ut quum viderent beluinas ad carnis hoc est externam mundationem praeceptas esse, discerent aliquando adfore, quae animos quoque mundaret: scire enim omnes potuerunt deum primam animorum nostrorum curam gerere, corporum postremam. Horum ergo cultus fuit, sive is qui adumbrabat verum sive verus ipse: ex eis enim natus est, per quem omnes veri adoratores et cultores ad deum accedant. *Promissiones* quoque his solis factae sunt: nihil enim Sibyllina moror carmina; sive enim apud eas nata sint sive eis obtrusa. Haec tamen gens, quae populus dei erat, in hoc erat, ut quicquid boni donare humano generi vellet, per hanc veluti sacerdotem aut daret aut promitteret. Praecipua igitur est, cuius promissiones sunt; etiamsi quaedam per Sibyllas fatidicas ex Gentibus foeminas, quo libertatem voluntatis suae ac electionis agnosceremus auctoritatem, praedixerit. Sed et *Patres* horum sunt, viri deo pleni scilicet, quorum alii universo ferme mortalium genere bestialem vitam vivente (ubi enim non colitur deus, quid discriminis est inter hominem et beluam?) ac furiosos adfectus sequente soli deum timuerunt, eius verbo crediderunt ac se ad eius voluntatem composuerunt; alii quae vel bona viderunt per spiritus sancti instinctum usu ventura obedientibus ac dei metuentibus, vel mala rebellibus, impiis et contumacibus, intrepide nunciarunt. Hi inquam Patres, quos Patriarchas et Prophetas adpellamus, quibus factae sunt promissiones, ex Israelitis, dei populo, fuerunt.

In summa (quid enim in re tam aperta pluribus uteremur testimoniis?) id volumus: Israeliticum populum dei populum esse, quocum foedus iniit, quem peculiariter suum fecit, cui et foederis sui signum dedit a minimo usque ad summum, eo quod et supremi et imi in foedere eius, de populo eius, de ecclesia eius essent. Atque dum universum populum istum alloquitur aliquid praecipiendo aut vetando, non ideo infantes excluduntur, quod eorum quae dicuntur aut mandantur nihil intelligant, sed synecdochicis sermonibus utitur, quibus tam abest ut ea pars, ad quam pro tempore vel aetate eorum quae fiunt nihil pervenit, excludatur, ut etiam includatur, non aliter quam quum quis cum uno homine agit iam cum omni familia eius ac posteris actum est. Unde et crebro universum populum tanquam unum hominem adfatur: Audi Israel! et: Domui Iacob dicito etc.

Idem ergo foedus, quod olim cum populo Israelitico, in novissimis temporibus nobiscum pepigit, ut unus essemus cum eis populus, una ecclesia, et unum foedus quoque haberemus. Non dubito hic futuros qui nequiter vociferentur: Ecce iste vult nos Iudaeos facere, quum semper sit de duobus populis dictum, de duabus ecclesiis deque duobus testamentis; ut est Gen. 25: 23. et Galat. 4: 22. Ad quae sic respondemus: Quotiescunque de duobus populis in scriptura habetur distinctis aut diversis, iam alterum ex his necessario non esse de populo dei.

Sive enim cum olim Iudaei populus dei essent, et qui gentes eramus essemus non populus; sive cum nunc gentes populus dei sumus, et Iudaei excisi sunt: adhuc tamen unus tantum est populus dei, non duo. Cum Gen. 25: 23. dicitur: Duo populi ex ventre tuo dividentur, non sic debet intelligi, quasi uterque esset populus dei simul unoque tempore futurus. Sed Iacobum dilexerat; Esavum vero odio habuit, priusquam in utero conflictarentur. Semper ergo unus idemque populus est is, qui deum unum verum ac solum colit, ex quibuscunque tandem prognatus sit parentibus. Ac rursus diversi sunt qui diversum cultum sequuntur, etiamsi eos unus idemque nixus effuderit. Quum itaque olim dicebatur de duobus populis, unus erat Iudaicus; alter gentilium. Iudaicus dei summi cultor erat, Gentilis autem impius. Nunc quum *Gentilium* ecclesiam dicimus, iam ea ipsa est quae olim Iudaeorum erat, et Gentilium sive impiorum populus Iudaei. Nos enim in illorum locum, posteaquam excisi sunt, inserti sumus; non in alium aliquem isti proximum. Duo vero testamenta dicuntur, non quod duo diversa testamenta sint: nam sic oporteret non tantum duos diversos esse populos, sed duorum diversorum populorum duos quoque deos. Quod dum non viderent quidam apud veteres, diversos docebant esse deos, alterum veteris, alterum novi testamenti: istum crudelem, hunc civilem et humanum. Loquitur ergo Paulus de duobus testamentis quidem, sed alterum *καταχρησικῶς* testamentum vocat, cum eos vult intelligi, qui etsi in uno isto aeterno foedere ac testamento fuissent: propter externa tamen, quae mordicus retinebant, lucem atque adeo Christum ipsum prodebant. Horum ergo viam testamentum vocat Paulus, non quod testamentum vere esset, sed per ethologiam aut mimesin istorum qui sic vocabant. Hoc enim testamentum est: ut summus ille sit deus noster, nos autem populus eius. Iam ante adventum Christi multae fuerunt umbrae, quae ipsae quidem non erant testamentum, sed lucis ex ipso testamento oriturae hypotyposes.

Qui ergo umbras, ut crassum est hominum ingenium, tenacius amplexi sunt quam par esset, lucem maluerunt amittere quam umbras, ei furioso non perinde dissimiles, qui graviter querebatur quod amici laboravissent ut sibi restitueretur. Ad horum ergo morem dicit Paulus duo esse testamenta: unum in servitutem generans, alterum in libertatem. Sic enim quorundam erat opinio, ut factis et ceremoniis putarent salutem comparari posse. Alii tamen videbant una misericordia ad deum accedi per eum qui venturus erat. Hoc autem testamentum erat, illud adpendix testamenti ad eum deumbrandum qui veniret. Sic ergo adpendicem testamenti testamentum vocat Paulus. Idem enim testamentum et foedus, hoc est eadem dei misericordia mundo per filium eius promissa, salvum facit Adamum, Noam, Abrahamum, Mosen, Davidem, quod et Petrum, Paulum, Ananiam, Gamalielem et Stephanum salvos fecit. Sed nunc ad testimonia scripturae accedamus, quibus omnia liquescent.

Matth. 8: 11. ait Christus: Dico autem vobis, fore ut multi ab oriente et occidente veniant et recumbant cum Abrahamo, Isaaco et Iacobo in regno coelorum. His verbis aperitur nobis, quibusnam

iungamur. Eis videlicet, quorum sunt promissiones, testamentum, foedus, patres, prophetae, omnia, sicut et nostra per Christum sunt omnia. Confit igitur una ex istis ac nobis ecclesia.

Huc tendit luculentissima patrisfamilias parabola, qui ad vineae suae cultum operas conduxit, quorum alii mature, alii tempestive, alii post lapsum ferme iam diem venerunt. Ubi unam videmus esse vineam, unum patremfamilias et (quod admiratione cooperarios quoque adfecit) unam aequamque mercedem omnium. Quae quid aliud nobis quam unum patremfamilias coelestem, unam vineam ecclesiam, unam mercedem Christum, hoc est salutem per ipsum significant?

Sed ne cui obrepat, Veteres non per Christum, sed legis observationem ad deum accessisse! Quod quidam ideo sentire videntur, quod duo testamenta sint, unum quod in servitutem generet, alterum quod per Christum in libertate spiritus sit. Vetus ergo putant ad salutem requirere legis observationem, non Christum, parum videntes etiam servatam legem non salvum fecisse. Si enim per legem iustitia: iam gratis, hoc est frustra Christus esset mortuus. Servaret mea quidem sententia lex (est enim spiritualis), hoc est, salvi redderemur: si legem de integro atque pro voluntate divina impleremus; sed hoc impossibile est omni carni. Discimus ergo per legem solummodo damnationem nostram: per eam enim concludimur in peccatum et tenemur ad poenam. Unde iam facile colligitur, eos quoque qui sub lege fuerunt nullo negotio vidisse, una salute per Christum et se et mundum universum salvari. Quod Christus ipse nihil obscure docet, quum Io. 8: 56. sic legis hypocritas adfatur: Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum. Vidit, et gavisus est. Nihil igitur tantopere desiderabat Abraham quam adventum eius quem, ut promissus erat, ita non dubitabat suo magno bono adfuturum. Hactenus tamen non venerat. Cum ergo tempus impletum esset et Christus in mundo adesset: iam exultabat Abraham. Salvatorem igitur unum eundemque nobiscum habentes unus nobiscum atque nos cum illis populus sumus, una ecclesia: etiamsi prisci isti dudum ante nos in vineam venerint. Iam et hoc patet, quid sit sinus Abrahami, de quo multi anxie quaerunt. Nihil enim aliud esse potest quam ea sodalitas fidelium primitivorum, quae ubicunque tandem servaretur in adventum Christi. Perinde atque Abrahamus, cum per fidem essent iustificati, cupiebant diem salvatoris Christi videre. Qui nunc nobis sinus (si quando lubet hac uti voce) coeleste est consortium cum filio dei et omnibus qui cum illo sunt.

Paulus sic est in hac sententia, ut ubicunque quaestio de discrimine Iudaeorum et Gentium, qui scilicet fidem habuerunt, incidat, anxie comprobat unum populum unamque ex utrisque ecclesiam esse factam. Romanorum undecimo *electionem* huius rei fundamentum facit: olim Iudaeos fuisse per electionem populum dei, nunc Gentes; neque tamen ita, ut ex Iudaeis ultra nemo sit intra electorum consortium (cum et ipse sit Israëlita et tamen in salutaris Evangelii praedicationem missus sit minister), sed aliquousque substituros donec gentium multitudo ingrediatur. Quod et Christus voluit, cum dixit Dominum vineae locaturum eam esse aliis agricolis; sed eandem vineam. Non sunt ergo

diversae aut duae ecclesiae, non duo populi. Duo quidem sunt nomine, sed nisi idem in uno spiritu facti sint populus, non sunt populus dei. Ad Ephesios 2: 11. sic ait: Ideo memineritis, quod vos qui aliquando iuxta carnem Gentes eratis et praeputium dicebamini a circumcisione, quae et ipsa circumcisa erat manibus, quod inquam eratis eo tempore absque Christo et a civitate Israëlis alieni; peregrini quoque a testamento promissionis, spem nullam habentes, imo ἄθεοι, hoc est, anumines in mundo, nunc autem in Christo Iesu estis, qui aliquando longinqui fuistis, nunc propinqui estis in sanguine Christi. Ipse enim est pax nostra qui ambos unum fecit, soluto qui medius erat pariete septi, inimicitiam in carne sua tollens evacuatione legis mandatorum cum decretis, ut duos sibi conderet in unum novum hominem, factaque pace ambos per crucem reconciliaret deo in uno corpore, abolita in se ipso inimicitia. Veniens enim praedicavit vobis pacem qui longe aberatis, et his quoque qui prope erant. Nam per ipsum ambo habemus aditum ad patrem in uno spiritu. Non ergo estis ultra hospites et advenae, sed cives sanctorum et domestici dei, aedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, Christo Iesu summo angulari lapide existente etc. Quibus verbis Paulus per omnia id docet quod in praesentia volumus: unum videlicet populum ex ambobus esse factum per unum Christum Iesum, qui et eos qui prius prope aderant, et nos qui longissime aberamus, in unum conglutinavit. Tu, bone lector, Pauli verba diligenter expende, et invenies adfatim quod hic adserimus: non est enim cur tam sancta et aperta pluribus tractemus.

Item Hebr. 12: 22. Accessistis ad montem Zion et ad civitatem dei viventis, nempe ad coelestem Hierosolymam et concionem sive panegyrin multorum millium angelorum, et ad ecclesiam primogenitorum qui in coelis descripti sunt, et ad deum iudicem sive dominum omnium etc. Quibus item verbis Paulus docet, nos ad populum dei per Christum adglutinatos esse.

Fuerunt autem omnes apostoli in hac sententia, ut testamentum unum sit, unus dei populus per omnia, hoc est a maximo usque ad minimum intra populum dei censeantur, quodque una sit ecclesia dei ex omnibus populis, per unum spiritum in unum compacta. Petrus enim Act. 2: 30. Certissime, inquit, sciat ergo omnis domus Israël, et dominum et Christum eum fecisse deum, hunc Iesum, quem vos crucifixistis. Ut hic Iudaeis Iesum dicit Christum, hoc est Maschiach, salvatorem esse factum? Ergo et Iudaeorum salus est. Et paulo post: Vestra enim est promissio et filiorum vestrorum, atque omnium qui longe sunt, quos dominus deus noster advocabit. Hic perhibet promissionem non tantum eorum esse, qui tum audirent, sed filiorum quoque suorum, qui vel nati vel nascituri essent scilicet. Et inde 3: 25. Vos, inquit idem Petrus, estis filii prophetarum et testamenti, quod disposuit deus ad patres vestros, dicens ad Abrahamum: Et in semine tuo benedicentur omnes familiae terrae. Hic Christum *Iudaeorum* facit; per eum ergo solum perinde atque nos salvi fiunt. Iudaeis enim primum venit, deinde gentibus quoque Rom. 1: 16. Posthaec Act. 10: 34. In veritate, ait, comperi quod non est personarum acceptor deus etc. ut superius

quoque attigimus. Hic gentium quoque Christum esse probat Petrus. Habemus ergo unum eundemque salvatorem. Et deinde Act. 11: 18. cum Petrus exposuisset ut ei res omnis apud Cornelium esset gesta, sic habetur: His auditis tacuerunt et glorificaverunt deum, dicentes: Ergo et gentibus poenitentiam (accipitur autem hic *poenitentia* per Synecdocham pro ipso Evangelio, quemadmodum alibi ostendimus) dedit deus ad vitam. Videmus igitur, gentibus hic traditum quod prius Iudaeorum dixit esse ac filiorum suorum.

Item 1. Pet. 2: 9. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus in possessionem, ut virtutes adnuncietis eius, qui vos e tenebris vocavit in admirabile lumen suum; qui aliquando eratis non populus, nunc autem populus dei, et non misericordiam assecuti, nunc autem misericordiam assecuti. His Petri verbis videmus Christianorum populum nunc id esse genus electum quod aliquando Hebraei erant, quemadmodum de Exodo 19. superius adduximus. Esse itidem regale sacerdotium, quod nunc ex omnibus gentibus, quae dei quoque sunt (est enim eius universa tellus) dominus in honore ac pretio habet, haud secus quam olim Iudaeorum gentem sacerdotii numero universarum gentium habuit. *Gentem sanctam*, ex qua non excluduntur infantes: pertinet enim ad gentis nomen posteritas perinde atque parentes; *populum*, Christi sanguine et quaesitum et partum. Qui populus erat aliquando non populus (alludit enim ad id quod Hos. 1: 9. est), nunc autem populus dei est. Ergo ii sumus qui olim fuerunt Abraham et similes ei.

Haec omnia, ut vela in hac disputationis parte colligam, huc faciunt, ut sciamus unum atque idem esse testamentum, quod deus cum mortalium genere habuit a condito mundo usque ad eius dissolutionem. Neque enim est deus *πρόσφατος*, id est recens factus, aut precariae sapientiae, ut quae tempore sarciat quod primo sit inconsultius coeptum. Hominem qui sua culpa periit periturum sciebat, et medelam Iesu, id est, salvatoris composuerat, priusquam iste sibi vulnus infligeret. Non ergo iniit cum hoc misero hominum genere unquam foedus aliud deus, quam quod iam concinnaverat antequam homo esset formatus. Semper igitur viguit unum atque idem testamentum. Unus enim atque idem incommutabilis deus semper est, unus ac solus salvator est Iesus Christus, dei non adoptione sed natura filius, deus aeternus ac benedictus in secula. Non potuit ergo unquam aliud esse testamentum, quam quod per Iesum Christum salutem praestabat. Per eum enim solum itur ad patrem, unde nec Abrahamus per alium quam qui promissus erat ad deum venit. Una via, una veritas, una vita, unus mediator dei et hominum Christus. Per hunc ergo solum acceditur ad deum. Unum ergo ac solum testamentum est: neque enim foedus cum deo alio tendit, quam ut pacem aeternam atque laetitiam habeamus.

Attamen priusquam ad conclusionem penetremus, volumus ei quaestioni respondere, quae forsan non perinde curiosa est atque adparet. Huic videlicet: Quid ergo discriminis est inter vetus ac novum testamentum? Plurimum, respondemus, atque minimum. Minimum, si principalia ista quae ad deum et nos pertinent spectes; plurimum, si ea quae ad nos tantum. Summa in hac re sunt: deus deus noster est;

nos populus eius sumus. In his duobus minimum atque adeo nihil est discriminis. Eadem enim summa hodie est quae olim erat. Sicut enim Abrahamus Iesum benedictum semen amplectebatur atque per ipsum salvus est factus: sic et hodie per eum salvi reddimur. Quod autem ad humanam infirmitatem tantum, multa contigerunt illis in figura, ut et istos erudirent et nobis essent testimonio. Haec ergo sunt quae vetus testamentum videntur a novo distinguere, quum re ipsa vel quod ad summa pertinet nihil differant. Primum: Christus nunc est datus, quem olim non sine magno desiderio praestolabantur. Testis est Simeon. Secundum: Qui tum in fide moriebantur coelos non conscendebant, sed sinum Abrahami; nunc qui Christo fidit, in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam. Tertium: Umbrae ablatae sunt; ut in Hebraeis habetur. Quartum: Lux clarius lucet, quod ad intellectum illuminandum pertinet: ceremoniae enim, ut per se nihil redderent obscurius, quia tamen ex eis plurimum accedebat sacerdotibus, non tam strenui fuerunt ad inculcandam religionem ac innocentiam, atque fuissent si ceremoniis non coëgisset avaritia parcere. Quintum: Testamentum iam omnibus gentibus praedicatum atque expositum est, quo prius una tantum gens fruebatur. Sextum: Prius nunquam fuit vivum vivendi exemplar mortalibus datum, quod nunc per Christum est propositum. Potuisset enim sanguis Christi, innocentium sanguini et caedi mixtus, pro nostris perlitare delictis; sed sic exemplari caruissemus.

Nunc conclusionem ponimus: Cum ergo unus sit atque immutabilis deus et unum solummodo testamentum; nos autem qui Christo fidimus in eodem testamento simus: sequitur quod deus perinde est deus noster sicut fuit Abrahami deus, et quod nos perinde sumus populus eius, sicut Israëliticus populus eius fuit.

Obiiciunt hic Catabaptistae, quod Gal. 3: 7. scriptum est Paulo: Cognoscite ergo quod qui ex fide sunt hi sunt filii Abrahae, et similes ex scriptura locos, quos fastidiosius esset huc omnes ponere. Sed, si vel disputationem Pauli quam isthic prosequitur vel synecdoches vim recte perpenderent: nihil horum obiicerent. Certamen est Paulo: legis operibus salutem paremus an gratia contingat. Atque ipse in hoc est, quod gratia contingat per fidem, non ex factis. Quae ipsi omnia per synecdochen dicuntur, quemadmodum et omnia per omnem scripturam quae ad hoc argumentum pertinent. Abrahamus ex fide iustificatus est. Ecce synecdochicus sermo est. Nam nisi esset, sequeretur quod Hebraeorum infantes non fuissent de populo dei, quod falsum esse ostensum est: non enim credebant ac propterea secundum Catabaptistas non erant filii Abrahami. Credebant ergo, qui ad hoc destinati erant a deo cum aetas suppeteret, et erant de populo dei; crescebant et proficiebant qui circumcisi erant, donec intelligerent et crederent; et interim erant de populo dei. Non ergo tantum credentes de ecclesia et populo dei sunt, sed horum quoque liberi. Quod autem Catabaptistae admittunt, carnales quidem filios Abrahami intra populum dei fuisse censos, sed nostros carnales filios non censeri, iniquitatem summam produnt. Quomodo enim idem est testamentum et foedus, si nostri non aeque atque isti de ecclesia et populo dei sunt? An durior est nobis Christus quam

Hebraeis? Absit! Reliqua quae obiiciunt aut in sequentibus diluentur aut nullius momenti sunt, quale est quod dicunt: Oportet igitur mares tantum baptizari et octavo tantum die. Sublata sunt enim haec elementa, ut neque ad genus neque tempus neque ad ullam circumstantiam simus alligati, hac lege, ut ne quicquam contra pietatem in his faciamus. Fuerunt enim apud veteres feminae non minus in testamento quam mares, etiamsi non circumciderentur.

Relinquitur ergo post haec omnia, ut sicut Hebraeorum infantes, eo quod in foedere populi dei cum parentibus essent, signum foederis meruerunt: ita et Christianorum infantes, eo quod intra Christi ecclesiam et populum censentur, baptismo foederis signo nullatenus destitui debeant; et argumenta Catabaptistarum, quae ex ignorantia figurarum atque troporum valida putant, nihil contra nos pugnent: satis enim probavimus synecdochicis sermonibus omnia plena esse in divinis literis. Neque nos nostra ignorantia cogemus spiritum sanctum suum loquendi morem ponere. Perpetuo locutus est ad omnem ecclesiam quaedam, quae magnae parti non conveniebant; at ea pars propterea non eiiciebatur de Ecclesia, de populo, de foedere dei. Et quod sacramenta, quantum ad externam speciem adtinet, non fuerunt eadem, itidem non pugnat cum veritate: nam quantum ad signationem prorsus erant eadem. Ut enim circumcisio foederis signaculum est, sic et baptismus; ut *Paesach* fuit commemoratio transitus, ita et eucharistia est gratiarum actio mortis Christi. Unde et divus Paulus 1. Cor. 5: 7, 8. 10: 18. et Col. 2: 11. illis baptismum et eucharistiam sive spiritualem Christi manducationem, nobis autem Paesach et circuncisionem tribuit, ut undique omnia paria fiant. Hactenus de uno eodemque testamento, ecclesia, populoque dei.

## DE ELECTIONE.

Electionem nunc, nisi promissa praestare nolimus, tractare cogimur, non quidem quantum ipsa exigit: id enim supra vires et extra institutum nostrum est; sed electionem docebimus esse firmam, hoc est liberam ac minime alligatam et supra baptismum esse ac circuncisionem, imo supra fidem atque praedicationem. Id autem brevibus. Plerique dum Pauli epistolam ad Romanos legimus, paulo indiligentius ponderamus, quid causae sit, cur in mentionem electionis aut illam sequentis praedestinationis ingrediatur. Evicerat fide contingere salutem, fidem autem non esse humanarum virium sed divini spiritus; qui ergo fidem haberent, simul habere divinum spiritum. Qui hunc haberent, filios dei esse, neque iuxta carnem ambulare, sed quicquid agerent eis auxilio esse ad bonum. Iam suboriebatur quaestio: Cur ergo adcusantur aut damnantur qui non credunt? In eam ergo cum, velit nolit, incidit, digne tractat hoc ferme ordine ac modo: Fide servamur non ex operibus. Fides non est humanarum virium, sed dei. Is ergo eam dat eis quos vocavit; eos autem vocavit quos ad salutem destinavit; eos autem ad hanc destinavit quos elegit; elegit autem quos voluit: liberum enim est ei hoc atque integrum, perinde atque figulo vasa diversa ex eadem massa educere. Hoc breviter argumentum et summa est electionis a Paulo tractatae.

Ait ergo Rom. 8: 28. Scimus quod diligentibus deum omnia cooperantur in bonum. Iam ne tu dicas: Qui ergo diligunt deum aut quibus bono fiunt omnia? anteoccupatione praevenit ac respondet: His qui secundum propositum ex vocatis sunt. Hic cave propositum humanum intelligas, sed dei; ut sit sensus: Qui ex dei proposito sancti sunt: *vocatum enim esse* isthic pro vere sanctum esse accipitur. Ut cum dicitur: Filius altissimi vocabitur: ibi *vocabitur* Hebraico more pro *vere erit* ponitur. Sed ad propositum redeo. *Propositum* Paulo dicitur deliberatio ista liberrima, qua deus ad eligendum accingitur, quemadmodum cap. 9: 11. videmus, cum ait: Ut iuxta electionem dei propositum maneat. Est igitur propositum supra electionem, hoc est: natura prius. Fieri enim apud homines potest, ut quid eligatur, sed habita ratione eius quod eligitur; puta: si adparet utile honestumque futurum, eligitur. Hic propositum sive deliberatio non est libera, sed ab eo pendet quod eligitur. Volens ergo Paulus ostendere, dei electionem ex libero proposito enasci, non ab ipsis quos electurus est, liberum propositum dicit in causa esse cur eis, qui deum diligunt, omnia bono cedant; nihil hic adscribi hominis merito. Addit enim: Quia quos pronunciavit etiam definivit, ut conformes fiant imaginis filii sui etc. Pronunciavit diximus ex προέγνω, quae vox perinde valet atque tu si dicas: *praedecrevit* aut *praecepit*. Est ergo hic Apostoli sensus: Dixi eis bono omnia futura, qui ex dei proposito ex vocatorum numero sint. Quod sic volo accipi: Deus libere apud se constituit, pronunciat ac praecipit (hoc enim verbo exponitur proponendi verbum) quos velit, etiam anteaquam nati sint. Quos autem sic praecipit, *praedefinit* quoque, hoc est: destinat ut sint conformes imaginis filii sui. Quasi dicat: Nemo conformari Christo potest, nisi qui ad hoc destinatus est. Prosequitur Paulus: Quos autem destinavit, hos et *vocavit*. En nobis antequam vocemur destinationem aut praedefinitionem. Quos autem vocavit, hos et *iustificavit*. An non fide iustificamur? Etiam! sed fidem vocatio praecedit. Monet enim Christus quoque, neminem ad se venire, nisi quem pater traxerit. Trahere et vocare hoc loco eandem vim habent. Quos autem iustificavit, hos et *glorificavit:* qui enim crediderunt, aeternum cum eo in quem crediderunt summo honore adficiuntur. Hic ergo nodus est: Quomodo fides beat, aut quomodo iustificat? Videmus enim primum esse dei deliberationem sive propositum sive electionem, secundum vero destinationem aut definitionem, tertium vocationem, quartum iustificationem. Quum ergo dei haec omnia sint, et fides quartum vix tandem locum obtineat: qui fit ut fide salutem parari dicamus, quum ubicunque fides sit, isthic et iustificatio sit, imo dudum sic sit apud deum constituta ac praecepta salus cuiusque, ut impossibile sit quenquam sic electum damnari? Sed levi Synecdoches ictu quicquid insolubile videtur dissilit. Accipitur enim *fides* pro dei electione, finitione, vocatione, quae omnia fidem antecedunt, sed in eodem ordine. Si enim dicas: Dei electio beat, Dei destinatio aut definitio beat, Dei vocatio beat, semper recte dices. Quamobrem? quia eiusdem ordinis sunt atque concentus, atque sic connexa, ut unum sine alio accipias quidem, sed alia propterea non excludas; praesertim cum fidem accipias,

quae et inferior et posterior est electione, destinatione, vocatione. Cum ergo vocationem proxime iustificatio quae fidei est sequatur, iam nullo labore videmus fidei salutem tribui, eo quod qui fidem habent, vocati, electi ac praecepti sunt.

Cur autem fidei prae aliis salus tribuitur? aut cur ea Paulus potissimum ex tota catena ista usus est? Respondemus: quod ea nobis est notissima. Quisque enim conscientiam interrogat ac scrutatur iuxta Petri verbum. Ea si recte respondet, hoc est, si cum πληροφορίᾳ, hoc est indubitata persuasione, recte sentit de deo: iam certissimum signum habet aeternae salutis. Fidem enim qui habet, vocatus est; qui vocatus est, destinatus est; qui destinatus est, electus est; qui electus est, praeceptus est. Manet autem dei electio firma. Qui ergo fidem habent, iustificati sunt. Haec est enim iustitia, pietas, religio cultusque summi dei. Unde et nihil eos damnationis manet: non enim ex istis sunt qui dicunt: Peccemus igitur quo magis gloria dei clarescat! sed ex iis qui quoties per infirmitatem lapsi sunt, ad dominum redeunt, orantes: Remitte nobis debita nostra. Neque ex istis, qui cum peccaverunt, tantum abest ut ad bonam mentem redeant, ut etiam in impietatem concidant et dicant: Non est deus; sed ex iis quibus non adeo dolet, quod omnem creaturam offenderint, atque quod solum deum, cor suum et animum ac mentem suam; et dicunt: Tibi soli peccavi et malum coram te feci. Haec, inquam, est fidei iustificatio, his bono sunt omnia; impiis vero contra. Bono fuit David adulterium cum parricidio: iustus enim erat per fidem. Facti enim ipsum et poenituit, et a spe non excidit. Malo fuit ei qui non erat sicut reliqui hominum, quia fidem non habebat. Vocatus ergo non erat, neque destinatus aut electus.

Haec arbitror, sicut promisimus, brevia esse, sed clara et firma. At in quem usum? In hunc ut Catabaptistis respondeamus. Sic enim contra nos argutantur in eo libello quo se putant nostra confutavisse: Quomodo infantes Hebraeorum sunt de populo, de filiis aut ecclesia dei? Electos credimus quidem esse de populo dei qualis fuit Iacob; sed abdicatos aut repudiatos minime. Quum enim, ut est Rom. 9: 11 – 13. in utero parentis essent, neque mali quid aut boni operati, dixit deus: Iacobum dilexi, Esavum vero odio habui. Quomodo poterit ergo Esavus esse de populo dei? Falsum ergo est quod Zuinglius adserit, Hebraeorum infantes esse de populo et ecclesia dei. Ad quae nunc arbitror eo commodius respondemus, quod de electione destinationeque paucula ista praemisimus, in hunc fere modum: Certum est apud deum neminem esse de populo suo deque filiis eius, nisi quem elegerit; rursusque hoc certum est omnem eius esse quem elegit. Sed sic labitur vobis, o Catabaptistae, omne fundamentum vestrum. Non enim soli credentes (sicut vos credentes actu vultis intelligere) filii dei sunt, sed ii, qui electi sunt, filii dei sunt anteaquam credant, quemadmodum ipsi quoque Iacobi exemplo probatis.

Quid ergo isti verbo faciemus: Qui non crediderit, condemnabitur? Infantes enim non credunt; ergo condemnabuntur. Rursus electi eligebantur antequam in utero conciperentur; mox igitur ut sunt filii dei sunt, etiamsi moriantur antequam credant aut ad fidem vocentur. Videte

ergo vobis catenam istam et ordinem! Fides in isto ordine praeter glorificationem ultima est; quae ergo supra eam sunt non minus certa sunt quam ipsa fides. Ut enim verum est: Credit; ergo salvus fit: ita quoque non minus verum est: Vocatus est; ergo salvus fit. Non loquimur autem hic de ea vocatione qua Christus dicit: Multi sunt vocati; pauci vero electi. Isthic enim vocationem externam qua multi verbo praedicantis vocantur intelligit. In praesentia vero internam vocationem intelligimus, quam Christus tractionem vocat. Aeque verum est: Destinatus est; ergo salvus fit, atque: electus est; ergo salvus fit. Num non videtis, quaecunque in hac catena sunt, ac supra fidem sunt, aeque salutem ad ea sequi atque ad fidem? Non enim minus verum est: Qui electus fuerit, salvus erit; quam: Qui crediderit, salvus erit. Contra vero a superioribus ad fidem arguendo non possunt paria fieri, nisi fidem aliter accipiamus quam pro ea re atque certitudine animi quae invisibilia ista spectat, de qua paulo post. Neque enim sequitur: Electus est; ergo credit. Electus enim erat Iacobus cum nondum crederet. Sed neque hoc sequitur: Non credit; ergo electus non est. Electi enim semper sunt electi, etiam anteaquam credunt. Cum ergo dicitur: Qui non crediderit, condemnabitur: necesse est aut fidem isthic accipi pro catena iam dicta: ut sit sensus: Qui non est electus, non salvabitur etc. aut pro eo, quod est *intra populum fidelium esse*, aut, quod nostrae sententiae maxime probatur, ut synecdochice iis solummodo dictum sit, qui iam ad eam venere mensuram, ut capere verbum possint: qui non crediderit, condemnabitur. Est enim fides non omnium eorum qui electi sunt, ut iam de infantibus electis patuit, sed electionis, destinationis ac vocationis fructus tempore suo redditus. Sicut ergo istud verbum: *Qui crediderit*, *salvus erit*, non excludit eos qui electi sunt, et antequam ad fidei maturitatem veniant eo concedunt quo electi sunt, quo magis damnentur: ita istud verbum: *Qui non crediderit damnatur*, non includit eos qui electi sunt et ad fidei tempestivitatem non perveniunt, quo minus salventur. Colligitur ergo his verbis: Qui crediderit, et qui non crediderit, neque istos teneri qui per aetatem audire nequeant, neque istos ad quos Evangelii mentio nulla perveniat. Deinde id quoque colligitur, verba ista: Qui crediderit etc. et: Qui non crediderit etc. non antecedentem habere sensum, quasi fides necessario praecedat omnia, puta electionem, destinationem et vocationem. Nam si sic: iam non esset prima ista deliberatio sive propositum sive praeceptio dei ἀφ' ἑξίας libera, sed tunc tandem sequeretur electio, quum fides commendabilem reddidisset hominem ut eligeretur. Neque possent eligi nisi qui iam credidissent, cuius tamen contrarium iam patuit. Sed consequentem habent haec verba sensum, puta istum: Qui crediderit, hunc scitote a patre electum, destinatum et vocatum esse. Credit igitur, quia ad aeternam salutem electus ac destinatus est; qui non crediderit, hunc scitote repudiatum esse a libera dei electione. Atque hic aperitur nobis plane clavium vis, quatenus apostolis sunt traditae. Cum quis dicit se credere, iam apostolus sic pollicetur: Si ex corde credis, indubitatum tibi sit quod ad salutem aeternam vocatus, destinatus atque electus sis. Hic ergo noster absolutus est et iustificatus, de quo supra

diximus. Cum vero apostolus videt nihil fidei adesse, iis qui verbum audiunt, certus fit repudiatos esse. Iubentur ergo pulverem de pedibus excutere, hoc est propere ab eis recedere, non tanquam nunc primum mereantur vitari, sed quod apostoli nunc primum ab ipsa fidei aversatione certiores fiunt abiectionis eorum; et contra ubi fidem esse vident, electionis. Sic ergo sunt haec verba dicta, quomodo ista: A fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor bona malos fructus, neque mala bonos facere. Qui crediderit indubie salvus erit: est enim fides electionis fructus, ne scilicet, o apostoli, nullum habeatis signum profectus. Qui vero non crediderit, dummodo ad eam maturitatem pervenerit, ut doctrinam vestram possit capere, electus non est: arbor mala est, ne scilicet ignoretis apud quos frustra insumatis operam.

Ex his omnibus duo necessaria colligimus. Unum, ut qui ad eam maturitatem perveniunt quae iam fructum electionis ferre debet, fidem si ferunt: certi simus de eorum salute; si non ferunt, ut contra certi simus de eorum repudiatione. Ecce ut fide istorum solummodo electorum aut repudiatorum sive salutem sive naufragium deprehendimus, qui iam eo adoleverunt, ut fidem, electionis fructum, de eis expectemus. Unde infantes ex his natos, qui in foedere populoque dei sunt, ad fidei normam Lydiumque lapidem exigere non debemus. Alterum vero, quod ex supradictis colligimus, hoc est: Cum soli isti qui audierunt, ac deinde vel crediderunt vel in perfidia manserunt, nostro sint iudicio obnoxii: sequitur nos vehementer errare in iudicandis eum Gentilium tum Christianorum liberis infantibus. Gentilium, quia nulla eos lex damnat: non enim incidunt in istam: Qui non crediderit etc. Deinde cum electio dei sit libera, impium est, si eos ab illa excludamus, quos istis signis, fide et perfidia, deprehendere non possumus, intra eam sint nec ne. Christianorum autem, quod non modo temere nos ingerimus in electionem dei; sed ne verbo quidem eius credimus, quo nobis eorum electionem manifestat. Cum enim nos Abrahami foederi inserit, iam hoc verbum nihil minus nos certos reddit electionis eorum, quam olim Hebraeorum. Verbum enim istud, quod in foedere, testamento ac populo dei sunt, electionis eorum nos certos facit, donec dominus quid de aliquo aliud nunciet. Ubi et ista obiectio excutitur: Quomodo ergo de Esavo certi eramus quod esset electus, quum dominus dicat: Esavum odio habui? Sequimur enim in omnibus legem: quod si quid dominus extra ordinem agat, iam per hoc non abrogatur lex. Privilegia enim non faciunt legem communem. Quamvis, mea quidem sententia, omnes qui in testamento sunt infantes indubie per testamenti leges de electis sint. Cumque dicitur: Quo ergo ponis Esavum infantem? In testamentum. At reiectus est. Respondeo duplici ratione: una, quod omne iudicium nostrum de aliis incertum est! quantum ad nos; quantum autem ad deum et legem eius, certissimum. Exemplum, cum apostolo dicitur: Credo in Iesum Christum filium dei: iam apostolus putat eum qui sic dicit de electis esse propter verbi dei certitudinem. At nonnunquam fallunt qui sic ore confitentur, quemadmodum Simon Magus fecit et falsi fratres, qui clam subintroierant ad prodendum Evangelii libertatem. At deus ipse non fallitur neque lex ipsa fallit: nam et deus cor

scrutatur et renes, hoc est intima; et lex, si omnia sint aequa et recta, itidem non fallit, sed est aeterna. Fit ergo, ut nos semper secundum legem iudicemus, quemadmodum est dictum; neque lex propter unum aliquem aut multos etiam minus universalis haberi debet. Altera ratio talis est, quam fortasse non omnes recipiunt; at apud me indubitata est. Quotquot ex his infantibus moriuntur, qui intra populum dei sunt, omnes electi sunt. Causam huius meae sententiae istam habeo, quia perfidiam cum in aliquo non deprehendo, nihil habeo cur ipsum damnem; sed contra, cum indubitatum promissionis verbum habeam: Venient et recumbent cum deo Abrahami, Isaaci et Iacobi, impius ero, si de contubernio dei populi eiiciam. Quid ergo Esavus? si infans fuisset mortuus: an tuo iudicio itidem esset inter electos receptus? Etiam. Non manet igitur firma electio? Manet. Manet et abiectio firma. Sed audi! Si Esavus fuisset infans mortuus: indubie fuisset ex electis. Nam si tunc esset mortuus, signum fuisset electionis: non enim ab aeterno repudiasset eum dominus. At cum vixit et de electis non fuit: ideo vixit, ut perfidiae fructu videremus eum a domino abiectum. Error noster omnis hinc provenit, quod cum a consequente omnia vix tandem discamus, iam in providentiam quoque irrumpimus. Disponit illa omnia, ut non modo Esavus, sed ne bulbus quidem in pelago, non corchorus in horto, non culex in aëre citra ipsam aut vivat aut moriatur. Quale autem vas sit Esavus, aut in quem usum culex tam acrem tubam habeat, vix tandem per ea quae ab his fiunt discimus. Cum ergo a ferali tandem Esavi mente discimus virum a deo repudiatum esse, iam frustra dicemus: Utinam infans mortuus esset! mori enim non potuit, quem divina providentia in hoc creavit, ut viveret atque impie viveret. Vides igitur, o homo, ut nobis omnis ferme scripturae ignoratio ab ignoratione providentiae venit. Sed ad me redeo. Manifestae sunt ergo ex superioribus omnibus collectiones istae ambae. Quod ista duo: Qui crediderit etc. et: Qui non crediderit, non sunt Lydius lapis ad quem infantium salutem exploremus; et quod impie non modo Christianorum, sed Gentilium quoque infantes damnamus. Hi enim soli sunt nostro iudicio obnoxii, de quibus habemus verbum, secundum quod iudicare possimus. Satis quoque factum arbitror iis qui dicunt: Si per electionem ad deum itur, ergo evacuatus est Christus. Haec enim est electio, ut quos dominus ad aeternam salutem destinaverit ante mundi constitutionem, aeque ante mundi constitutionem praeceperit per filium suum salvos fieri, sicut Eph. 1: 4. Paulus admonet.

Colligitur secundo loco aliud par necessariorum. Unum, quod incaute docent, qui dicunt baptismum infantium tolerari per caritatem posse, nisi cum caritate intelligant omnia fieri inter Christianos, non imperio aut vi legis, quemadmodum Paulus: Nemini, ait, quicquam debete, nisi ut invicem diligatis. Si vero caritatem pro venia aut indulgentia accipiunt, ut cum Paulus per caritatem capillitium totondit et se voti damnatum simulavit (hoc enim per indulgentiam qua infirmis parcebat fecit): iam perniciose errare arbitror, qui dicunt per caritatem debere infantes baptizari. Quid enim hac sententia aliud volunt, quam nunc quidem per publicam pacem intermittere non licere, quod aliquando

intermittendum sit cum liceat? Illi ergo sic nostram sententiam accipiant post consideratam caritatis distinctionem, quam praemisimus! Ceremonias nobis a Christo paucas, nempe duas aut ad summum tres, esse relictas, baptismum, eucharistiam et manuum impositionem. Prima in genere ad omnes qui de Christi ecclesia sunt pertinet. Secunda ad eos modo qui se de fidei certitudine possunt interrogare. Apostolus enim: Probet, inquit, se ipsum homo! Tertia ad paucos, puta, ad istos qui verbi ministerio praeficiuntur. Hae autem ceremoniae quum manifestas leges habeant: improprie dicuntur ex caritate fieri, quum ex praecepto fiant, etiamsi tibi per pietatem gratissimum sit quicquid deus praecipit. Cum itaque dicitur: Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomen patris et filii et spiritus sancti: legis formam habet perinde atque: Circumcidatur ex vobis omne masculinum! Non potest ergo indulgentiae adscribi quod lex iubet; sed hoc ex indulgentia fit, cum quibusdam infirmis cum Eucharistiae celebratione parcitur, aut si mos baptizandi infantes postliminio reduceretur ac deinde quibusdam infirmis parceretur; ne cogerentur pro ritu ac more baptizantium baptizare infantes. Hoc, inquam, ex caritate fieret. Eucharistia igitur non celebratur hoc modo ex caritate, sed intermittitur ex caritate a multis. Sic esset de baptismo. Hic vos moneo, carissimi fratres, ut nostram sententiam etiam atque etiam expendatis: videntur enim quidam huius verbi astutia vestrae simplicitati velle os oblinere.

Alterum necessarium ex secundo pari est. Quod sive sententiam nostram de electione, destinatione, vocatione ac fide recipiant Catabaptistae aut alii, quae profecto mea non est, sed apostoli Pauli, imo dei ipsius, si dei providentiam non tepide expendas; sive, inquam recipiant, sive minus: adhuc tamen infantibus perinde non est propter dei electionem aut repudiationem negandus baptismus, atque nec Esavo aut cuiquam repudiato circumcisio negata est. Unde Catabaptistarum argumentatio in universum, arbitror, iam eversa est et demonstratum, electionem supra baptismum esse, circuncisionem, fidem atque praedicationem.

## QUOD APOSTOLI BAPTIZAVERINT INFANTES.

In superioribus diximus de eo, quod dum Christus ipse et apostoli ad scripturam remitterent, ad nullam aliam remiserunt, quam legis et prophetarum. Nondum enim erant Evangelistarum commentarii conscripti aut Apostolorum epistolae comportatae. Quod non ideo dicimus, quasi Canonicae novi Testamenti scripturae quicquam derogatum iri velimus, cum et veteris Testamenti libri sint non uno tempore scripti, nec tamen ideo posteriorum auctoritas est minor; sed ut ostendam, literatores Catabaptistas in hoc errare, quod putant apostolos baptismum omnino ad eam literam direxisse quae nondum scripta erat; imo quod in his postea scriptis ex Hebraicae linguae schematismo, verbo est omissum, sed vi sermonis comprehensum, id omittendum esse iubent: cum interim res ipsa aliud moneat, et illi ipsi qui novum Testamentum scripserunt testentur, se omnia quae Christus ipse egerit aut docuerit

non potuisse exequi. Suscepi ergo rem arduam probaturus, ut Catabaptistae putant, sed facilem si veritati aurem praebeamus. Argumentis ergo primo utemur, deinde testimoniis. Argumenta vero nullicunde quam ex ipsa scriptura petemus, hoc modo:

Nemo nescit quam acre fuerit inter credentes certamen de circuncisione, de quo Actorum decimo quinto habetur, aliis circuncidi contendentibus oportere eos qui iam Christo initiati erant; aliis obstantibus. Cumque negotium ad multum venisset dissidium, legatos Antiochenos, apostolos atque totam ecclesiam, divino spiritu instinctam, decrevisse, ut circuncisio et reliqua omnia ex lege externa, praeter pauca quae infirmis donabant, abrogata essent. Hic ergo Catabaptistas percontor, num credant discipulos minus fuisse sollicitos de baptismo rite administrando quam circuncisione? Si dicant eos nihil fuisse sollicitos, iam aliud suadet parentum pietas quae pro liberis sollicita est, aeque ac pro semet ipsis. Cum igitur pars solliciti essent ne omitteretur circuncisio, pars ne baptismum confunderent: adparet eos nihil minus fuisse anxios pro liberis quam pro se ipsis; praesertim cum inter initia infantes eorum haud dubie circuncisi essent. Ideoque fieri nequit, ut si apostoli noluissent infantes baptizare, non fuisset aliquid turbae oriturum. At de hoc nihil habetur; nulla fuit igitur turba. Ex credentium ergo sententia baptizati sunt infantes, atque ea de causa huius nulla diserta habetur mentio. Sin autem admittant parentes fuisse sollicitos de infantium suorum baptismo, ergo vicerunt ac baptizarunt: vicit enim baptismus quoque ac mansit antiquata circuncisione. Nam si certamen aut consideratio incidit, nec tamen vicit eorum sententia qui baptizandos censebant: iam firmata fuisset circuncisio et infirmatus baptismus. Atque hoc argumentum ad coniecturas et signa pertinet, veruntamen ex scriptura desumta.

II. Secundum autem insuperabile est, ex collatione scripturarum collectum. Abrogata est circuncisio Ecclesiae, in spiritu congregatae, decreto. Fuerunt infantes cum parentibus intra Ecclesiam. Si ergo iuxta Catabaptistarum sententiam infantes isti aut parvuli non fuerunt baptizati, attamen circuncisi: iam sequitur Ecclesiae decreto Christianorum infantes de Ecclesia esse eiectos, et circuncisioni adiudicatos. Qui enim circunciditur, debitor fit universae legis servandae. Nec est, cur hic causemur temporis habendam esse rationem. Apud Antiochiam enim ortum est certamen de circumcidendis credentibus, non Hierosolymis, ubi aut circuncisionem constat viguisse aut baptismum.

III. Tertium iterum ad coniecturas pertinet: ut scilicet consideretur ex qua gente fuerint credentium primitiae. Ex ea enim fuerunt, quae externis adeo haereret, ut apostoli crederent, etiam post resurrectionem Christum corporaliter regnaturum. Non est igitur verisimile, quod infantes suos reliquerint non baptizatos. Alia tibi relinquo Lector: possunt enim multa ex his fundamentis educi.

IV. Quartum est quod superius attigimus: videlicet quod Paulus 1. Cor. 10: 1, 2. nos atque Hebraeos pares facit. Omnes, inquit, baptizati sunt, omnes ederunt eandem escam spiritualem; cumque infantes eorum omnes in mari baptizati sint et nebula, iam paria non fierent, si

nostri infantes non baptizarentur, ut dictum est. Quod autem Catabaptistae hic ogganniunt: Si ederunt eandem escam spiritualem: nostri igitur infantes eucharistiam quoque celebrabunt, pondus non habet: nam per synecdocham cuique parti quod suum est tribuitur. Cum autem in eucharistiae celebratione praeceptum habeamus: Probet autem se ipsum homo; atque pueris ista exploratio non competat; baptismus autem perinde ac circumcisio competat: fit manifestum Paulo quoque in usu fuisse infantium baptismum, non etiam infantium eucharistiam. Hic quoque id dissolvitur quod ex Col. 2: 11. obiiciunt, infantes non posse circumcidi circumcisione non manufacta neque deponere posse corpus peccati; non ergo baptismum venisse in locum circumcisionis, cum circuncisio externa et corporalis fuerit, haec autem interna et spiritualis sit. Discimus enim hic quod Paulus quoque externa nostra Hebraeis tribuit, cum interna solummodo habuerint, et externa non in eadem, sed in alia specie. Escam spiritualem nemo negat illos edisse, quemadmodum et nos: per solum enim qui venturus erat salvi facti sunt, sicut et nos. At panem et vinum in coena non circumtulerunt, sed aliis externis usi sunt horum loco, Manna et aqua de petra. Vides, ut hic per analogiam externa paria facit? cum sint alia atque alia; sed interna erant eadem. Sic et baptismum illis tribuit, internum quod aeque atque nos per Christum abluti sint; externum iterum per analogiam e mari et nebula exprimit. Nobis vero circumcisionem internam, eo quod in eodem cum illis foedere simus eodemque spiritu renascamur ac circuncidamur: synecdochice videlicet loquens pro cuiusque aetatis ratione. Externam autem nullam invenit aliam quam baptismum: nam quid alioqui causae esset, cur baptismi et circumcisionis per analogiam collationem faceret, quum citra sensum allegoricum potuisset loqui de spiritu renascente, nisi hic eodem modo voluisset tam interna quam externa paria facere, atque 1. Corinth. 10: 1 sqq. fecerat? Sequitur ergo Paulum in hac fuisse sententia, ut circumcisio nostra sit baptismus; quod nunquam sensurus erat, nisi suo tempore vidisset infantes Christianorum aeque baptizari atque olim circumcidi viderat.

Quintum est, non tres tantum, de quibus supra, sed multas familias ab apostolis esse baptismo tinctas, in quibus verisimilius est infantes fuisse quam secus. Atque hoc ad verisimile pertinet, de quo satis superius est dictum.

Nunc ad testimonia ventum est. Concinnabis igitur huc, optime lector, quicquid de uno eodemque testamento, populo et salvatore dictum est. Atque simul hoc considerabis isto loco, cum apostolorum tempore nemo alia scriptura uteretur quam vetere, imo Christus ipse alia non sit usus, quicquid huius controversiae de baptismo fuisset natum, auctoritate veteris scripturae compositum iturum fuisse; at ea cum aliud ne suaderet quidem quam baptismum, foederis signum, perinde infantibus esse dandum atque circumcisionem; non fuisse igitur haesitationem ullam apostolis, quo minus infantium baptismum adprobarent.

Origenes in epistolam ad Ro. lib. V. sic testatur: Ecclesia ab apostolis traditionem suscepit etiam parvulis baptismum dandi. Augustinus idem perhibet in libro de baptismo parvulorum ad Marcellinum.

Quos non in hoc adduco, ut eis auctoritatem tribuam scripturae, sed propter historiae fidem (Origenes enim post centum et quinquaginta annos ab ascensione Christi floruit), ne vetustatem baptismi infantium ignoremus, simulque possimus adsequi indubitatum esse, quod apostoli citra omnem controversiam infantes baptizaverint; nihil igitur in universum Catabaptistas agere, quam quod olim pseudapostoli, de quibus Paulus sic pronunciat: Iubent vos in hoc tantummodo circumcidi, ut in carne vestra glorientur. Sic isti gloriantur de turbis et seditiosa, imo haeretica ecclesia. Vere enim adsero, nostra tempestate nullum dogma, quantumvis inauditum, ita iure posse haeresin adpellari atque hanc sectam: sese enim separarunt ab ecclesiis credentium, denuo baptizarunt et peculiaria habent conventicula. Sed iam auctario manum aperiemus.

## AUCTARIUM.

Quum eam parvitatem quam dominus tribuit semper liberalissime erogemus, cogimur in auctario imperare manui, non ex tenacitate; sed quod te iam dudum, optime lector, tantae prolixitatis piget, et quod nundinarum urgentium importunitati cedere cogor. Stulta igitur, impia et absurda quae docent, adsignatis paucis scripturae locis, sed talibus ut eis tota Catabaptistarum caterva non possit resistere, convellemus *σὺν τῷ θεῷ*.

1. Catabaptistae docent mortuos dormire, et corpore et animis usque in diem iudicii, propterea quod *dormiendi* verbo ignorant Hebraeos pro *moriendi* verbo uti. Deinde non considerant animum esse spiritum, qui tam abest ut dormire possit aut intermori, ut omnium spirantium vita non aliunde sit quam a spiritu; sive crassus ac sensibilis iste corpora vegetet ac surregat, sive coelestis ille in corpore peregrinetur. Coelestis ergo spiritus, quem nos animum, Graeci *ἐντελέχειαν* vocant, tam vivax, constans, robusta, tenax ac vigilans substantia est, ut natura sua non possit in perpetua tum operatione tum perduratione non esse. Natura enim sua incessans operatio aut motus est. Unde tam abest ut dormire possit, quantum a luce aut sole abest ut obscurum corpus sit. Quocunque solem abigas, splendet ac incendit, id quod Phaëthon expertus est. Sic anima, quocunque detrudas, animat, movet ac impellit, adeo ut corpore devincta, dum ipsum quae eius est inertia, dormit, ipsa tamen non dormiat. Meminimus enim eorum quae in somno vidimus. Quanto magis corpore liberata dormire nequit, cum sit substantia ad perpetuam operationem, quae defatigari non potest, concinnata. Dormit ergo corpus, anima nusquam; sed cum corpore liberatur, iam corpus noctem aeternam dormit. Postremo ignorant Catabaptistae, resurrectionem mortuorum Hebraeis non semper accipi pro carnis ista suprema resurrectione quam olim videbimus; sed interim pro hac, interim vero pro constantia aut perduratione animi, qua corpore solutus in vita constat ac durat, non somno aut morte depressus; neque enim potest deprimi.

Iosuae 7: 12. sic loquitur dominus: Non poterunt filii Israel surgere

coram hostibus suis; et paulo post: Non poteris surgere ante hostes tuos. Hic utrobique ponitur surgere pro consistere ac perdurare. Nam et Hieronymus stare transtulit. Matthaei 22: 31. sic loquitur Christus: De resurrectione mortuorum non legistis, quod dictum est a deo, dicente vobis: Ego sum deus Abraham, et deus Isaac, et deus Iacob? Non est deus mortuorum, sed viventium. Qua responsione nihil aliud docet quam vivos esse Abraham, Isaac et Iacob, etiamsi essent mortui. Quos Sadducaei aut prorsus negabant resurgere, hoc est vivere; aut saltem Catabaptistarum more adserebant dormire. Non enim quadrat responsio Christi ad resurrectionem carnis, sed ad hoc quod Abraham, Isaac et Iacob, etiamsi mortui essent, viverent. Hebr. 11: 35. sic loquitur Paulus: Alii vero distenti aut crucifixi sunt, nullam recipientes redemtionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Ecce, ut hic *resurrectio* pro vita animorum, quam soluti corpore habituri sunt, accipitur. Ad hunc sensum sic vitam istam quae hanc sequitur amplexi sunt, ut praesentem nollent, etiam cum offerretur, recipere. Tam constans enim erat fides, ut certi essent eam quae sequeretur meliorem esse. Unde et Christi verbum, quod Ioan. 6: 40. habetur: Ego resuscitabo eum novissimo die, non debet in alium sensum detorqueri, quam: Ego, dum is moritur qui me fidit, in vita servabo; ut vel insinuet, eos nunquam intermorituros qui se fidant, vel nunquam non iucundissime pervicturos. Novissimus autem dies isthic non tam est ultimus ille omnium rerum praesentis mundi quam postremus cuiusque, dum ex hoc mundo demigrat. Id quod Ioannis 5: 24. facile deprehenditur: In iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam. In 1. Cor. XV. de resurrectione loquens Apostolus hanc, quae pro perduratione et consistentia in vita capitur, tanquam superiorem facit, de qua in genere loquitur, donec ad hunc locum veniat: Quomodo resurgunt mortui, aut quali corpore incedent? Ibi tandem eius, quae aliquando ventura est, carnis resurrectionis disputationem ingreditur. Tu lector, quo videas nos nihil temere adserere, dictum locum nunc his missis adi! Vides ut istud: Ex homine mors, et ex homine resurrectio mortuorum: nam sicut in Adam omnes moriuntur, sic et in Christo omnes vitae restituentur, non solum ad carnis resurrectionem pertinet, sed ad istam vitam, quae hanc protinus sequitur: Per Adam enim morimur, sed per Christum in vita servamur. Ait enim: Qui in me credit, etiamsi moriatur, vivit. Deinde istud considera quod sequitur: Nam alioqui quid facerent hi qui pro mortuis baptizantur, si mortui non resurgunt? Cur, inquam, pro mortuis baptizantur? Vides, ut sese pro mortuis tingendi mos fuit apud priscos istos, non quod hunc morem vel Paulo vel nobis dicamus probari (stulta quidem res fuit quaeque fideles ex incredulitate secuta est usque ad fidem: adhaerent enim quaedam quae speciem pietatis, maxime in parentes ac necessarios, habent pervicaciter); sed commode abusus est Apostolus stulto tingendi abusu, qui meo iudicio non fuit alius, quam cum lustrali aqua quidam hodie monimenta suorum perluunt, contra eos qui negabant animos protinus ut a corpore solvissent vivere, sed tum tandem quum ad iudicium excitarentur. Et sic eos capit: Si ergo dormiunt animi, cur humectatis et vos etiam demortuorum sepulchra baptismali aqua? Quid

refectionis praestabit iis qui non vivunt, sed aut nihil sunt aut dormiunt? Id quoque hic obiter adnotes lector, argumentum hinc commode pro baptismo infantium peti. Nam si baptismali aqua sive lustrali putabant se quiddam facere defunctis, quanto minus negabant eam liberis? quum hoc iuxta verbum domini facerent, istius documentum nullum haberent. Tertio istud considera, quod iungit: Et nos cuius causa in horam periclitamur? Quotidie morior etc. Huc enim et istud pertinet. Vult enim Paulus: Si aut nulla vita istam sequitur, aut somnus plusquam Epimenideus: stultus essem quotidie discrimen omne subiens. Sed longe aliter habet res! Hanc vitam aeterna e vestigio sequitur: nam alioqui huiusmodi periculis me haud temere exponerem. Quarto, quod ait: Edamus etc. et: Corrumpunt mores sanctos commercia prava, etiam huc pertinet. Nihil enim aeque mores corrumpit, atque docere animos intermori; aut, ut nunc Catabaptistae blasphemant, dormire usque ad postremum diem, ac deinde adserunt et daemonem et omnes salvari. Quae igitur poena perfidos ac sceleratos manet? Quae corruptio non tam large sequeretur, si isti solummodo negarent carnem revicturam. Quinto ista quoque consideres: ἐκνήψατε δικαίως, hoc est, evigilate recte! Resipiunt enim haec verba Paulinam acrimoniam. Cum enim isti somno ignorantiae pressi putarent quod lupus, qui omnia credit animalia crudis vesci, eo quod ipse vescitur, animos dormire: Evigilate! ait. Cum autem propter acumen sibi doctuli viderentur ac ideo minime dormire: recte ait: Evigilate! Putatis enim vos vigilare et rem acu tetigisse, quum somniculose de somno somnietis. Post haec sequentia quoque expende, lector; et ubi videris, in genere primum loqui Apostolum de animorum post hanc vitam vita, ac deinde ad carnis resurrectionem descendere: huc redi; et videbis Catabaptistas non tam somno quam nequitia depressos tradere quicquid inciderit.

11. Catabaptistae et hoc docent, tam daemonem quam impios omnes beari. Cur igitur nobis aeternam damnationem comminantur nisi mergamur? Vide ut illorum dogma constet! Dum morimur, dormiemus usque ad ultimum diem; isto deinde iudicio absolvemur. Sublati sunt igitur inferi? Gehenna? ignis inextinguibilis? flamma quae zizania in manipulos colligata lambet? Sed docti sunt, לעלם, id est, in aeternum, Hebraicam vocem, non significare aeternitatem interminabilem; qua in re perinde faciunt atque in omni. Unum aliquid cum didicerunt, iam quae aut ignorant aut videre nolunt aversantur ac reiiciunt. Habeant igitur sic, Lucae 1: 31. Et regnabit in domo Iacob in aeternum. Dicite an hic *in aeternum* accipiatur pro aliquot saeculis! Aliud testimonium Matthaei 25: 41. Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Dicite hic, quando finem sit ignis iste habiturus, si aeternum semper seculare tempus est! Quot, quaeso, secula erunt, quum seculum hoc finitum erit? ut dicere possitis aliquousque duraturum esse ignem ac deinde extinctum iri? Sed quid rogo? quasi vero aliud dicatis quam quod vanissimum est. Tu itaque lector audi: In ultimo isto iudicio, post quod nullum aliud erit, post quod nullum seculum erit, sed mera aeternitas, dicturus est Christus: Discedite hinc a me in ignem aeternum. Quem ergo finem habebit hoc quod

finem invenire nullum potest? Nam si istic aeternum temporarium esset, quod fieri nullo pacto potest (tunc enim desiit omne tempus): iam et beatorum salus esset temporaria; sed stultus stulta loquitur.

III. Catabaptistae sumunt sibi omnes praedicandi officium, atque de aliis qui legitime a Christianis ecclesiis inaugurati sunt sciscitantur: Quis te elegit? quum isti ne a sua quidem cacoecclesia mittantur. At hic non curant scripturam; hic non valet. Non legimus aliquem ex veris apostolis sibi sumsisse verbi ministerium; ergo nemo debet sibi hoc sumere. Cum Paulus interrogat: Quomodo praedicabunt, nisi mittantur? audiat: Catabaptistae. Qua porro auctoritate? Patris mendacii ac dissidiorum.

IV. Catabaptistae, ubi ubi lubet, scripturam negant et spiritum suum iactant. Scimus autem quod cum spiritu interpretandae sunt scripturae, non contentioso isto atque temerario quo Catabaptistae exagitantur; sed illo veraci, aeterno, pacifico ac sibi constante. Scimus itidem Christum ideo ad scripturam provocasse, qui tamen signis ac doctrina satis experimenti dabat, num ex deo loqueretur, quo minus quum Catabaptistae tum quisquam alius sibi credi postulare auderet, cum citra scripturae auctoritatem loqueretur. Unde vehementer mirum est, qua fronte audeant baptismum infantium ad scripturam exigere, imo ad non scripturam. Nihil enim habent quo fidant in scripturis, sed solam negativam fundamentum suum faciunt, cum dicunt: Non legimus apostolos baptizavisse infantes, ergo non sunt baptizandi; cum omnem scripturam umbone iactati spiritus eludant pessimi. Prophetiam, inquiunt, nolite spernere, neque spiritum extinguere! Recte sane. Sed quid subditur? Omnia probate! Probabimus igitur spiritum: monet enim et divus Ioannes, ne cuivis spiritui credamus, sed probemus num ex deo sint. Vos negatis Christum esse natura dei filium, propitiationem pro totius mundi delictis; spiritus ergo vester ex deo non est iuxta Ioannis exploramentum. Spernemus ergo prophetiam vestram, non aliter quam quum se Saulus prophetantium choro inseruisset. Spiritum autem ipsi retinctione vestra extinguitis. Quomodo enim non extingueretur qui toties mergitur? Non enim est ille spiritus qui in mundi conditione super aquis ferebatur; sed qui cum porcis tanto vicinorum damno sese praecipitavit, ipse nimirum enatans relictis in stagno Genesarae, qui paupertinorum hiemem solari debuerant. Intendite ad allegoriam!

## PERORATIO.

Non dubito, piissime lector, te iam dudum id Pauli in nobis desiderare: Ferte vos mutuo in dilectione, studentes servare unitatem spiritus in vinculo pacis! quod ut tu desideres, nos qui a vero baptismo stamus, in culpa non sumus. Nihil enim nobis aeque dolet ac istorum audacia. Cum enim, ut istic prosequitur Apostolus, unum corpus simus, et una anima sive spiritus, eo quod in unam eandemque spem vocati sumus, isti monitorem apostolum audire noluerunt. Clam enim docuerunt quod non oportet, nimirum et istud ignorantes: Unus dominus, una fides, unum baptisma. Unde mirum non est eos a nobis exivisse: qui

enim ista non vident, ex nostris non sunt. Tuum interea est in timore domini proficere, et ab hypocrisi malignorum hominum te ipsum custodire. Vale, et victoriam veritati precare! Nos enim ad Badensem disputationem, quam omnes de industria chalcographi perhibent depravatam, convertimur, quam hactenus legendi non fuit otium, ut si quid confutatione nostra egeat reddamus. Omnia acito, cum excuderentur, calamo esse e faucibus erepta.

# RESPONSIO BREVIS HULDRICI ZUINGLII
## AD EPISTOLAM SATIS LONGAM
### AMICI CUIUSDAM HAUD VULGARIS
### IN QUA DE EUCHARISTIA QUAESTIO TRACTATUR

Litterae Zuinglii ad M. Iacobum Edlibachium, qui Canonicus Tiguri et Zofingae, atque Wernero Steinero auctore 1532. Praepositus Certiaci fuit, de Sacra Coena occasionem huic dederunt amplioris responsionis, quam Zuinglio hac epistola diluere pretium videbatur. Primas litteras Zuinglii ad Edlibachium non potuimus reperire. Edlibachii responsio superest inter Manuscripta Bibliothecae Tigurinorum urbanae cum brevibus marginalibus Zuinglii manu adspersis. Simmlerus quidem eam indicavit, sed exordium tantummodo exscripsit. Quae quum partim summam litterarum Zuinglii priorum contineat, partim responsio Zuinglii vestigiis persequatur istam Edlibachii epistolam, attamen plerumque huius dicta compendiose nonnisi laudet, atque etiam rati, Edlibachii epistolam ad Zuinglii rem nonnihil referre, editores officio duxerunt, argumentum eius praecipuum communicare atque numeratis particulis responsionis Zuinglii propria Edlibachii verba adiicere. Ille quidem huic pollicitus erat, si datum responsum publici iuris faceret, se nomen eius celaturum esse. Fidem servavit. Iam vero hac notitia Edlibachio bono nihil nocetur coque minus, quum pro suo loco non ita ineptus appareat, licet Zuinglius suo de statu quoque satis aequum iudicem agat. Edlibachius destinatus fuit, attamen non acerbus, adversarius reformatoris. Talem se gessit in prima et secunda disputatione Tigurina atque in disputatione Bernensi (Opp. I. 142, 143, 487. II. 98, 103). Lis, quam Edlibachius habuerat cum Zuinglio iam ante primam disputationem, apud Conventum Canonicum composita erat, cuius ad arbitrium uterque provocabant.

Haec responsio Zuinglii ad Edlibachium illico in vulgus exiit apud Froschoverum, uno folio cum dodrante, atque etiam inserta habetur collectis operibus Vol. II. 319 a — 323 b.

## N. AMICO SUO HAUD VULGARI HULDRICUS ZUINGLIUS. *)

Gratiam et pacem a domino. Oras ac facile impetras etiam, ut simplicitati sermonis veniam dem; vel, ut tuis verbis utar, magis perpendam quid, quam quomodo scribas. Idem ipse quoque abs te requiro: nam verborum facilis est lapsus, neque adhuc tam cautus orator inventus est, qui verbo nullo offenderit; etiamsi bona pars eorum fuerit qui a veri cognitione parum abfuerunt. Si ergo optime N. orationis suppellectilem agnoscis tibi deesse (quae et hercle tibi usque adeo deest, ut si ipse id prius prospexissem, nunquam ad conferendum te provocavissem) tam diu cum in scholis, tum, ut videri velle videris, in literis versato: cur quaeso non itidem tecum reputas, simili modo tibi negatum esse de rebus arduis ac eruditionem multam requirentibus disserere? Ego enim nunquam ita mei amans fuero, ut si et disserendi et scribendi mihi facultas praeclusa esset, invitis canibus gravissima quaeque tractare pergerem. Tua, deum testor, hactenus manum nostram non exierunt, neque exibunt, nisi, quod non spero, quid inconsultius vel audacius praesumeres. At ea tam sunt infantia et amara, tam indocta et ieiuna, tam plena soloecismis, et id genus morbis, ne dicam vitiis, ut si prius aliquid stomachi habuissem, quadam veluti misericordia decoxissem. Decet igitur te quoque orationi nostrae ignoscere, quae posthac nihil habebit nigri salis, si ostenderimus palam, te ad intelligendum et colligendum haud magis idoneum quam ad scribendum. Venio nunc ad id, quod agimus. Tuis ergo scriptis sic respondebo: Ostendam brevibus in quibusdam locis ubi halucineris; in aliis oro, ut nostros libellos legas quos ad te mittimus. Nec enim gravioribus et utilioribus occupatum desiderabis ad ea non respondisse, in quibus cardo rei non versatur. Ad quaecunque ergo tibi nunc ista epistola non respondetur, in libris excusis adfatim invenies. Unde et moneo, ut nunc missa epistola ad libros nostros convertaris, alterum quem Germanice scripsimus idque recens de eucharistia; alterum quo respondemus Billicano et Regio, Suevis, atque ubi istos perlegeris, huc redeas.

1. Iam te puto rediisse. Cum ergo dicis, nihil ad rem facere: Hoc facite in meam commemorationem, de quo ego verbo dixi, notam esse quo deprehendas sermonem esse tropicum: docere enim Christum

---

*) Ex *Edlibachii* Tractatu de Eucharistia ad Zuinglium: „Gratia et pax a Deo omnipotenti, qui idem faciat nos sentire in Christo ete. Mi dilectissime Uolrice. Cum proximis diebus mihi propinaveras litteras per *Hilarium* amicum tuum, quibus perspectis cognovi aliud nihil quam quod contulimus una de eucharistia, et quod uterque praepeditus abeundi caussa neuter pro animi sui voluntate quod habebat prodere. Quare statuisti me adire et ad omnia mea respondere si quomodo (quoniam) eundem spiritum iactitantes idem sentiremus, sed quia traxerunt te occupationes alio (ut multa omittam) commodius esse duxisti, ut id litteris fiat. Amande frater, cum ea perspexissem gavisus sum supra quam dici potest, cum saepius idem praetendissem, ut te scriptis invitarem ad conferendum sacras litteras; nunc autem data occasione id mihi evenit, quod semper optavi. Rogo te, ut magis quod scribam, quam quomodo, perpendas, qui paulisper nutritus sum bonis litteris, nec ea existimes fieri contentionis sed informationis gratia.

his verbis, quam ob causam coena sit agenda. At ego id plurimum momenti habere arbitror, quod causam ac finem rei indicat, neque temere sentio. Si enim coena commemorationis causa instituta est, iam commemoratio praestantior est coena. Quicquid enim alicuius causa fit, iam illud potius est in cuius gratiam aliquid fit, quam id quod fit. Co[illegible]r enim tecum agendo a philosophicis nonnulla petere: cum enim maxi[illegible] vis videri alienissimus esse ab argutiis, nihil tamen aeque videmus tibi scribendi materiam suppeditavisse atque sophisticam. Breviter si coena fit commemorationis causa, iam commemoratio colophon est huius coenae, non carnei corporis Christi manducatio. Porro si corpus Christi hic ederetur, praestaret nimirum corpus, quod tanti fit a quibusdam, etiamsi Christus nihil unquam promiserit iis qui car[illegible]n eius corpoream ederent. [1]

11. Scribis, aliquid *significative* acc[illegible] *dupliciter* posse intelligi etc. Infantiora sunt omnia ista, quam ut responsionem mereantur. Sic enim cape, verbum, dictionem, orationem, toties aliter atque aliter significative aut tropice accipi, quot sunt troporum genera, et ultra etiam: plures enim sunt tropi quam grammatici hactenus adsignaverint; sed de his paulo plura in posterioribus. Vis autem in universum, nuspiam esse tropum, nisi ubi tropum discamus ex sacris literis. Ego idem volo. [2]

---

[1]) *Edlib.* ibid. Quantum ergo ad rem attinet, scribis me tibi duo obiecisse. Unum videlicet, quod agebam, id esse, ubicunque in scriptura ista vox *Est* accipienda sit pro significat, ibi sequi certas notas, quibus id apprehendi queat; at in istis verbis salvatoris (hoc est corpus meum) Est non posse accipi pro significat vel pro figura: nihil enim sequi quod ad hunc sensum inducat. Mihi perinde respondisse asserebas, hunc sermonem (hoc facite in mei commemorationem) satis docere quod est pro significat accipiatur. Dico certe mihi non constare de ista voce est fecisse mentionem; sed de tropis, ut quandocunque quis vult asserere tropicum sensum in aliquo sermone, eum oportere evidentibus notis ex scripturis demonstrare. Cum tamen ista parum distánt accedo ad tuam obiectionem. Cum enim dicis (hoc facite in meam etc.) satis docere quod est significative accipiatur, dico certe nihil facere ad rem, quia haec verba (hoc facite etc.) referuntur ad totam dominicam coenam. Docet enim Christus quomodo et ob quam causam agenda sit coena. Modum quomodo peragenda sit, habes ad Cor. prima XI. Accepi a Domino quod et tradidi vobis quod dominus Iesus in ea nocte etc. Propter quod instituerit, habes ibidem: accipite, edite hoc est corpus etc.; hoc facite in mei commemorationem — Ad eundem modum etc. iterum habes modum institutionis: Et calicem peracta coena dicens: Hic calix etc. habes iterum, qua re instituerit: Hoc facite quotiescunque bibetis in mei commemorationem; quare illa obiectio nihil facit ad rem. [2]) *Edlib.* ibid. Aliquid denique accipi significative, potest dupliciter intelligi. (Uno modo ut pro illo quod sibi institutum est a primo institutente ut homo hominem, leo leonem, est, est. Matth. V. sit sermo vester: est, est, non, non. Et hoc iterum dupliciter.) Uno modo communiter, ut homo accipitur pro quovis homine, leo pro quovis leone. Alio modo discrete singulariter seu personaliter, ut Iohannes, Petrus per terminum communem cum pronomine demonstrativo (privativo, speciei) ut: iste homo, vel terminum communem cum termino restrictivo, ut cum dico: homo albus currit, corpus album nitet, ibi corpus restringitur per album et cum dico corpus meum nitet, corpus quod est terminus communis restringitur per meum. Fit denique restrictio per relativa, ut cum dico corpus meum, quod, — claudicat, quia

III. Sed cum subito dicis, in ista oratione: *Ioannes est Elias*, tropum esse ideo, quia Zachariae dicitur: Ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae: quaero ubi utraque oratio scribatur. Dices nimirum: Prior Matth. 11: 14, posterior vero Luc. 1: 17. Licebit ergo et nobis ex Io. 6: 63. *Caro non prodest quicquam*, ad edendum scilicet, haurire, quo deinde temperamento cruenta ista: *Panis est corpus, vinum est sanguis*, misceamus; etiamsi in verbis Christi nulla penitus nota deprehenderetur: quas tamen habemus manifestissimas, ut postea latius patebit. [1]

IV. Hoc quoque praetereundum non est, Christo hunc tropum: *Ego sum ostium*, per alium tropum explicari: *Per me si quis introïerit, pascua inveniet:* quo verbo aliud non vult, quam isto quoque: *Qui credit in me, habet vitam aeternam.* Vide quam dissimilia verba et quam concors sensus! [2]

V. Putas in tropis oportere esse aliquam similitudinem. Hoc debes de metaphora tantum intelligere: nam non omnis tropus est metaphora, sed omnis metaphora est tropus. Videris strenue ignorare, tam quid significet tropus quam metaphora. Tropus genus est, ad omnem orationem, quacunque ratione mutatam aut mutuatam, pertinens. Eius species sunt: onomatopoeia, catachresis, metaphora, metalepsis, synecdoche, metonymia, et cetera troporum genera. [3]

VI. Concedis tropos admitti debere, ubi notae sint manifestae; sed in his verbis: *Hoc est corpus meum*, non esse tropum. Quid oro causae est, cur non liceat tropum in hoc verbo Christi expedire, non minus quam in: Ipse est Elias; etiam si in eodem loco nulla esset nota, qua tropum deprehenderemus? Sed iam ostendam tibi in ipsis Christi verbis indubitatam notam esse, qua deprehendas tropicum esse sermonem. Sic habet Lucas: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.

---

ibi est duplex restrictio, videlicet per pronomen meum et relativum, quod. Sic isto loco: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, corpus non potest aliter accipi, quam pro corpore Christi, qui dixit: hoc est corpus meum, quod etc. quia corpus restringitur per meum et relativum quod etc. Hoc satis declarat, ibi non posse esse tropum. Alio modo accipitur significative et hoc secundum diversas figuras ut in his verbis: Vicit leo de tribu Iuda etc. Ibi constat leonem non accipi praecise, pro leone, sed tropice accipitur pro Christo, et hoc propter aliquas conditiones seu proprietates leonis convenientes Christo. Sicut enim leo est animal forte et audax, sic Christus fortiter et audacter vicit et mundum et diabolum. 1) *Edlib.* ibid. Sic Iohannes dicitur Helias. Luc. I. angelo dicente ad Zachariam: Et ipse procedet ante illum cum spiritu et virtute Heliae — quare palam est, ibi esse tropum. a) 2) *Edlib.* ibid. Similiter: „Ego sum hostium“ — non quod Christus fuerit hostium, ut solet communiter hostium aut ianua accipi. — Praeterea cum Christus dixit: „Ego sum vitis, vos palmites,“ ibi esse tropum clarum est quoad Christum et quoad discipulos. 3) *Edlib.* ibid. Patet ergo tropos elici ex comparationibus seu similitudinibus evidentibus — ut: cum aliquid assimilatur vulpi, quia astutus et callidus dicitur vulpes. Sic Christus appellavit Herodem vulpem.

a) Nota Zuinglii: „Ipse est Elias,“ tropus est; sed: „ipse procedet ante illum,“ — non est tropus, sed expositio tropi.

Vide nunc collectionem demonstrativam; neque enim ex singularibus aliter licet syllogizare.

| | |
|---|---|
| Med. Corpus Christi. | Corpus Christi est quod pro nobis traditur. |
| Maior extremitas: Pro nobis traditum. | Panis est Corpus Christi. |
| Minor extremitas: Panis. | Ergo: Panis pro nobis traditur. |

Dissolve quaeso hanc demonstrationem! Cum ergo non possis, cede quaeso veritati, et dic: *Quod pro vobis traditur* certam notam esse, qua deprehendatur tropicum esse sermonem: *Hoc est corpus meum;* nam panis non est pro nobis traditus. Instabis forsan aliquid dicere, sed frustra. [1]

VII. Tertullianum et Oecolampadium sic non intelligis, ut me tui pigeat. Imo video te non intelligere posse, cui tam curta supellex est in lingua Latina. Tertullianus figuram non accipit pro forma aut dispositione, sed pro significatione, symbolo aut repraesentatione, ut latius ad Billicanum scripsimus. Cum ergo dicit (quodam loco, ut tu ais, quasi aliquando eum auctorem de integro legeris, cum tibi nimirum interdicto non sit opus, ne ipsum legas): Figura non fuisset, nisi veritatis corpus esset, nihil aliud vult quam: Panis non esset figura, repraesentatio aut symbolum, neque esse posset, nisi verum corpus habuisset Christus. Marcionitae enim calumniabantur veram humanitatem Christi. Ibi noster Tertullianus probat verum corpus esse oportuisse, quia reliquerit nobis eius symbolum. Quae tu isthic de sensu allegorico scribis et mystico, nempe quod literalis sensus sit prior aut negligi non debeat, etiamsi alicubi fingatur allegoria, vehementer placet; sed heus tu, memineris huius sermonis! veniet enim occasio, ut eius te simus commonefacturi. [2]

---

[1]) *Edlib.* ibid. Nobis autem non licet ex hoc temere seu frivole iudicare, ut si quis diceret: vidi vulpem, non liceret frivole iudicare et asserere eum vidisse astutum seu callidum hominem, cum tamen uterque sensus posset esse verus: videlicet eum vidisse naturalem vulpem aut hominem callidum et astutum; quare semper inhaerendum est communiori sensu seu naturali vocabulo nisi evidentibus notis possimus cognoscere tropicum sensum. — Ex quibus omnibus colligo non de facili admitti tropos in S. Scripturis, nisi probentur eisdem Scripturis per evidentes et manifestas notas. Sic possem infinitos tropos in S. Scripturis adducere; tamen in istis verbis: Hoc est corpus meum etc. non potest esse tropus. [2]) *Edlib.* ibid. Diceret forsan quis in hoc sermone: hoc est corpus meum etc. fieri comparationem unius ad alterum et per consequens ibi esse tropum seu figurativam locutionem, ut *Oecolampadius* ostendit, Tertullianum voluisse, cui Marcion obiecit, dicens: Si de pane ideo dixit quod sit corpus quia figura est corporis, poterat idem de pepone, vel caseo, vel pomo affirmare. Sicut enim panis frangitur, editur, alit et in hoc sit figura corporis, ita et caseus, vel pepo, vel pomum poterant esse figuram corporis: nam et illa franguntur etc.; quamquam Tertullianus minime voluit panem solummodo dici corpus quia praefiguraret corpus Christi: dicit enim aliquo loco: Figura non fuisset, nisi veritatis corpus esset; quare figuram vult accipi pro forma seu dispositione, quia sub figura, hoc est forma — dedit corpus suum discipulis. Sic Lucae ultimo apparuit duobus discipulis euntibus ad Emaus in figura i. e. forma peregrini. Quare Tertullianus dicit panem figuram corporis sui i. e. formam corporis. Sic dicimus hominem

VIII. Iam satis diximus te troporum esse ignarum, cum putas nullibi tropum inveniri, nisi ubi aliqua similitudo aut comparatio intercesserit; quod tamen perpetuo inculcas. [1]

IX. Locus quem ex Ieremia producis: *Mittamus lignum in panem eius*, nihil facit ad rem, cum quod Ieremias non habet ex Hebraica veritate, quomodo nos habemus; tum quod secundum tuam legem non debeas allegoricum sensum aedificare, antequam literali fundamentum ieceris. Tum quod si maxime panis ibi capiatur pro corpore, tropicus tamen sermo est: nam panis non est carneum corpus. Nam si esset, panis esset pro nobis cruci adfixus. Sic habet Ier. 11: 19. Corrumpamus veneno cibum eius. [2]

X. Quod Lucas ista verba: *Non bibam de generatione vitis*, ante coenam sacramentalem posuit, dei munere factum est. Voluit enim divinus Evangelista Hebraeorum more summam rei inter initia ponere, ne quod sequebatur, videretur ad verbum esse intelligendum: quemadmodum in libro nostro Germanice scripto docuimus. Quod autem dicis: Videtur mihi Christus apostrophasse a figura ad figuratum etc. cur tu hic allegoricum sensum tantummodo explicas? Memineris literalis, ut vos loquimini! Deinde quod hic dicis, alii quoque dudum mihi dixerunt, sed nequicquam: ignorant enim Hebraici sermonis idioma, qui solet summam rei ab initio ponere, ac deinde rem gestam ex ordine narrare. Et in hunc usum tam ad agnum, quam ad vinum dicit se posthac non fruiturum esse, donec novo modo edat in regno, id est regnans, qui iam a tyrannide premebatur, quod deinde ipso

---

pulcram staturam i. e. figuram seu formam, non, quod non aliud sit nisi figura seu statura aut forma hominis, sed homo sic formatus. Vera metonomia i. e. transnominatio, ubi forma accipitur pro formato. Sic corpus illi dicitur figura corporis, quia corpus assumsit formam i. e. figuram panis. — Admittuntur quidem sensus allegorici, sed non ideo scripturam praecise astringi ad illum mysticum seu allegoricum sensum, quem quis adducit, ut per hoc destruatur sensus litteralis. Ut cum Abraham Gen. 22. volebat offerre Isacum — posset illi elici mysticus s. allegoricus sensus, videlicet Isacum nobis praefiguraisse divinitatem Christi, quae non potuit immolari i. e. mori; agnus vero humanitatem Christi quam divinitas assumsit, qua redimeret genus humanum. Si quis iam vellet asserere nihil aliud esse nisi mysticum seu allegoricum sensum: faceret vim scripturae. Voluit enim Deus tentando probare Abraham et de post dare benedictionem, videlicet: in semini tuo benedicentur omnes etc. [1]) *Edlib.* ibid. In istis ergo verbis: Hoc est corpus meum etc. non potest esse tropus, quia in S. Scripturis non invenitur aliqua comparatio aut similitudo unius ad alterum, quia Christus locutus est sine omni parabola aut similitudine; quare nihil possumus hic notare nisi rem gestam. [2]) *Edlib.* ibid. Si quis autem adduceret Ierem. XI, dicentem: Venite: coniiciamus lignum in panem eius i. e. corpus in crucem etc. illud recte est pro nobis: ibi enim panis accipitur pro corpore Christi, quod corpus Christi idem Christus dedit discipulis suis sub speciebus panis, de quo pane i. e. corpore Christi facit Ieremias mentionem indicans panem i. e. corpus Christi, quod dedit discipulis suis in lignum i. e. crucem coniici. a) Sic Paulus ad Cor. prima XI dicit: Quotiescunque manducabitis panem hunc i. e. corpus etc.

a) Nota Zuinglii: Nihil! nam Hieremias non sic habet.

resurrectionis die implevit: in eo enim novo modo edit et bibit. Origeni et Hieronymo iniuriam manifestam facis. Lege istum in Leviticum, hunc in Matthaeum 26. capite, et videbis eos nobiscum sentire. [1]

XI. Ais me tibi imputare, quod ad hunc modum dixeris: In isto sacramento non fieri memoriam corporis Christi, sed passionis. Ego vero non video quid dicas, nisi epistolam meam male intelligas: prorsus non agnosco in hoc sensu verba. Nam si ad hunc modum dixisses: non usque adeo peccatum esset. Hoc autem dixisti: corpore Christi memoriam fieri corporis sui. Unde enim nobis aliunde orta esset disputatio, quomodo corpus nonnunquam accipiatur pro morte Christi? Atque hoc bellum est: dum maxime negas, maxime simul probas te recte dicere. [2]

XII. Cum dico corpus et passionem coniuncta esse: sic intelligo, quod Christus pati ac mori non potuit, nisi corpore. Dico ergo iterum, carnem Christi pro morte accipi, ut Ioannis 6: 51. Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Mors ergo hic per carnem significatur, haud aliter, quam cum dicit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur; ubi per corpus etiam mortem aut passionem intelligit, in hunc sensum: Hoc symbolum est corporis mei pro vobis occisi. Ecce, ut iterum corpus pro passione capitur. Neque tu istam expositionem a nobis recte intellexisti: nam alioqui non finxisses

---

1) *Edlib.* ibid. Te dicis et aliam te potuisse notam addere quam quam nunc addideris, videlicet istam: Non bibam posthac etc. Denuo igitur cum vitis generationem adpellet, Christum satis patefecisse, vinum esse quod praebuerat. Cum ergo vinum dixerit esse sanguinem suum ad hunc modum: hoc est sanguis meus, negari non posse quod Est significative accipiatur. Cum primam probationem satis frigidam fuisse perspicuum est, redeo ad secundam. Dicendum praeterea, Matthaeum et Marcum ista verba (non bibam posthac etc.) posuisse post institutionem dominicae coenae quae Lucas posuit ante institutionem dominicae coenae. Lucas enim recitat aliqua quae Matthaeus et Marcus omiserunt, videl. ista: Desiderio desideravi hoc pascha etc. (v. 15—18.) De post autem instituit dominicam coenam, et non dixit: ultro non bibam etc. Quare constat Matthaeum et Marcum hoc voluisse quod Lucas, videlicet de vino dixisse quod discipuli bibebant, antequam instituerat coenam dominicam, et non dixisse de calice, quem Christus postquam coenavit dixit: hoc poculum s. hic calix novum etc., quamquam ipse post posuerit ista verba: Non bibam de genimine vitis. a) — Mihi tamen videtur in his verbis: non bibam — non edam — donec etc. Christum minime dixisse de naturali cibo aut potu, sed apostrophasse a figura ad figuratum h. e. ab agno paschali ad agnum, de quo Iohannes dixit: Ecce agnus Dei quod tollit etc. Palam est, cum non dixisse de vino vitis naturalis: dicit enim Matth. XXVI. Cum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei. Constat ergo non dixisse de vino. Sic sentiunt Origenes, b) et Ieronimus; quare tuae obiectiones nihil probant. 2) Alterum quod me dixisse scribis, videlicet, in isto sacramento non fieri memoriam corporis Christi sed passionis, quod tibi argutum potius quam solidum videtur. Qua enim parte dicitur Christus passus est? Nonne corpore? Quum ergo mortem domini commemoramus, non aliam revocamus in memoriam quam eam quam in corpore passus est.

a) Nota Zuinglii: Idem sentiunt Evangelistae. b) Nota Zuinglii: Origenes adversum sentit.

tam insulsam distinctionem. Ibidem cum sic arguo: Certum est nos Christi morte vivificatos. Cum autem pati et mori non potuerit, nisi secundum carnem, fit ut caro isto loco pro morte sive passione accipiatur. Ad hunc modum respondes: Dico breviter argumentum non valere, quia ex puris particularibus nihil sequitur: medium etiam non debet poni in conclusione. Vide an satis perspexeris quidnam dicas! Nam ista non sunt syllogismus, ut tu es arbitratus, sed perpetuae quaedam sequelae, ad hunc sermonem Christi: Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Sed nunc tibi omnia ista in brevem syllogismum exegeticum, hoc est, expositivum, quem demonstrativum esse oportet, cogam.

Christus vivificat nos sua morte:
Christus vivificat nos sua carne.

Ergo, Caro et mors accipiuntur pro se mutuo, sive convertuntur, ut vos dicitis. Mirum est cur te in istas symplegadas conieceris, cum tantopere contentionem depreceris. Qui aliter sentiunt, dicunt quidem, sed non quicquam. Ex puris particularibus nihil sequi, adeo dudum scivi, ut ferme scire desierim. Sed hae propositiones singulares sunt;; et syllogismus demonstrativus est et expositivus, qui hoc exigit, ut singularibus constet. Quae autem de Christi morte, vivificatione dicuntur, sic singularia sunt, ut universalis ex eis nulla formari possit: nulla enim caro nisi Christi, nulla mors nisi Christi vivifica esse potest. Unde ex his alios syllogismos cudere nequimus, quam singulares, aut demonstrativos, quemadmodum in omnibus quae de Christo demonstramus. [1]

---

1) *Edlib.* ibid. Divinitas enim nec pati, nec mori potest; coniuncta sunt enim corpus et passio, sic ut nonnunquam unum accipiatur pro altero. Dico ad eandem obiectionem quod me ais dixisse, non ego, sed Christus dixit: Hoc facite in mei commemorationem i. e. passionis et mortis. Hoc Paulus declarat ad Cor. prima XI. dicens: Quotiescunque — mortem domini annuntiabitis. Annuntiare ibi non pro praedicare s. prophetisare, ut in umbone fit, sed pro: indicare, demonstrare seu in memoriam revocare accipitur, ut in Psalm. XVIII: Coeli enarrant gloriam Dei etc. et Psalm. XCVI: annuntiaverunt coeli iustitiam eius. Sic populus Israheliticus celebrans solennitatem asimorum, annuntiavit quae bona egisset Deus cum patribus eorum in Egypto Exodi XII: Habebitis autem hunc diem in monumentum, i. e. memoriam et celebrabitis eam solennem. Fit ergo, ut cum peragimus dominicam coenam eius corpus manducando et sanguinem bibendo, mortem Domini annuntiamus i. e. eius passionem et mortem in memoriam revocamus; quare hoc tibi minime videatur argutum. a) Quantum ergo ad rem attinet, dicis, coniuncta esse corpus et passionem. Fit ut nonnunquam unum accipiatur pro altero, ut cùm Ioh. VI. dicit: Panis quod ego dabo, caro mea est pro mundi vita, quod probas tali argumento: Certum enim est, passione sive morte eius vivificatos. Cum autem pati et mori non potuerit, quam secundum carnem, fit, ut caro isto loco pro morte sive passione accipiatur. b) — Dico breviter: argumentum non valere, quia ex puris particularibus nihil sequi: medium

a) Nota Zuinglii: Id nunquam dixi, sed hoc tu dixisti. Nam et hodie dicis corpore fieri memoriam passionis: nam et ipse scio, hoc sacramento memoriam passionis fieri. b) Nota Zuinglii: Hic coniuncta sunt mors et passio, quia mortem corporis et passionis meminisse hoc loco idem est.

XIII. Cum hunc sermonem Christi: Cum videritis filium hominis ascendere ubi erat prius, sic intelligis, quod tunc essent increduli visuri, ipsum esse deum et hominem: non videris mihi male intelligere, sed quid hoc ad rhombum? Deinde, cur es ausus aliter exponere hunc locum, quam pontifex Romanus exponat ex Augustino? Vide de Consec. Di. 2. ca. Prima. [1]

XIV. Quae deinde in verba Christi comminisceris Ioan. VI, adeo sunt aliena et inepta, ne dicam impia, ut me tui haud mediocriter pigere coeperit; at cum te ad collationem invitaverim, tuo ut spes erat bono, debeo et hic non transilire, ubi tam improvide loqueris: Quia passio et mors non dantur pro mundi vita, cum sint accidentia etc. Ecce tua verba quam belle niteant. Si ergo caro Christi datur pro mundi vita citra passionem: igitur mundus confestim, ut natus est Christus, vindicias obtinuit; supervacanea igitur fuit passio. Sed in malam rem hi sermones abeant, qui cum tam apertis scripturae verbis dissident. Io. XI. habes Caiapham prophetasse quod Christus moriturus esset pro populo. Cur divinus spiritus non dixit, nasciturum pro populo? Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, et apud Paulum, frangitur. Cur Christus non dixit, quod pro vobis natum est? si pretium carnis est, et non potius passionis ac mortis. 1. Pet. 2: 21. Christus passus est pro nobis. Cur non dixit: Natus est pro nobis? Scio quid hic gestias dicere. Sed huc solummodo mi N. tendo, ne tam incaute vim veritati aspergas contendendi impetu: nihil enim hoc tuo dicto nisi contendis, ne admittas corpus aut carnem Christi pro illius passione isto loco Ioannis sexto accipi; cum symbolum sic habeat: Natus ex Maria virgine, et deinde crucifixus etiam pro nobis, non natus pro nobis. Iterum canebamus aliquando: Qui mortem nostram *moriendo* destruxit, non nascendo. Et tota epistola ad Hebraeos hoc docet, olim remissionem peccatorum citra sanguinem fieri non potuisse, unde et Christi sanguinem pro nobis fundi oportuisse. *Passio est accidens*, dicis; ergo Christus non sua morte, sed carne redemit. Bella argumentatio! omnis cultus, servitium, passio, quae propter deum in hac vita vel ferimus vel facimus, accidentia sunt. Ergo quod homines sumus, numerus et fruges consumere nati, ideo propitius est nobis deus. Sic

---

etiam non debet poni in conclusione. Illud autem bene sequeretur: Certum est omnes Christi fideles vivificatos passione seu morte Iesu Christi. Sed pati et mori non potuit quam secundum carnem, ergo non nisi carne Christi passibili seu mortali constet nos esse vivificatos, et non sequitur ergo: caro isto loco pro morte sive passione. Cum quaeris: qua parte Christus passus sit, tu pensa, cum pependerit, qua parte pependerit; eredimus enim divinitatem pati non posse. [1]) *Edlib.* ibid. Praeterea cum Christus aperte loquitur: „Ego sum panis unicus, qui de coelo descendi. Si quis ederit de hoc pane vivet in aeternum," et: „Panis quem ego dabo caro mea est, quae datur pro mundi vita — declarat se non esse tantum hominem, ut Iudaei putabant, dicentes: „Nonne hic est Iesus filius Ioseph" etc. Si videritis filium hominis ascendentem ubi prius etc. tunc enim videbunt eum non hominem solum, sed Deum et hominem, quem iam purum hominem putabant. a)

a) Nota Zuinglii: Aliter exponit Pontifex Rom.: De consecrat di. 2. c. 1.

de oratione, intercessione, vigiliis, aliisque rebus ac obsequiis omnibus dici posset, nihil horum causa dari a deo, quod accidentia sint. Ubi ergo meritum vestrum manebit? Sunt enim omnia secundum te accidentia, quae actione continentur et passione. Mittamus igitur ista plane contentiosa et ficta, et veritati cedamus: nempe quod Christus passione et morte sua nos redemit et vivificavit, quamvis ista in corpore pertulit. Nunc vides quomodo dixerimus in epistola, carnem et mortem coniuncta esse sic, ut alterum pro altero accipiatur. Addo: Sic sunt coniuncta, ut redemtio amborum simul sit, principaliter tamen mortis. Da enim carnem Christi citra mortem, et non sequitur redemtio: alioqui mundus esset redemtus, cum in praesepi ipsum esset mater virgo enixa. Contra da passionem citra corpus: iam marcionissabimus. Attamen pati et mori sunt pretium; sed hoc pretium per carnem et in carne depensum est. Quod pulchre Augustinus in Io. VI. his verbis exponit: Caro, inquit, vas fuit quod *habebat*; attende, non quod *erat*. Si autem caro pretium nostrae redemtionis fuisset, animus omnino attendendus erat in carnem tanquam in pretium. Habebat autem caro mortem et passionem: haec sunt attendenda. Vide nunc, qui plus Christianis auctoribus tribuat aut deroget. Lege omnia mea scripta, et talem errorem nunquam iuvenies; tametsi crebro inculces me dissentire ab ecclesia catholica sive universali; et doctores veteres a vobis stare, cum sancte iurare possim, te veterum nullum pervidisse. Nam etiamsi legas fortasse veteres, quod ipsum quoque obscurum est apud me, intelligere tamen eos per inopiam Latinae linguae non facile potes. Verbo absit invidia! Cur toties nobis insultas, veteres a vobis stare? Dic quem ex omnibus veteribus in solidum legeris? [1]

xv. Cum oppugnas istud: Caro non prodest quicquam, ais: Per se verum est, sed adiuncta divinitate plurimum prodest. Cur non hic quoque dicis: Per se nihil prodest, sed per accidens plurimum? Si ergo per se nihil prodest, quomodo potest esse pretium? de qua re iam certavimus. Sed missa faciamus haec! Probas Christi carnem plurimum prodesse: nam profluvio sanguinis laborantem foeminam fide, quam in fimbriam habebat, sanatam esse. Quae sunt haec monstra contentionum mi N? Primum, quo ruis, ut dicas fimbriae fidem habuisse foeminam? deinde, an et fimbria caro Christi est? Hoc enim agis, ut probes carnem prodesse, et adducis fimbriam. Iam non est mirum te a corporea carne tam graviter avelli, cum etiam fimbriam carnis loco

---

[1]) *Edlib.* ibid. Cum dicit (Ioh. VI.): „Si quis ederit ex hoc pane vivet in aeternum etc. potest et dupliciter intelligi: primo de verbo cum sit verbum patris, qui dixit: non in solo pane vivit homo etc. Alio modo de carne sua quam assumsit Ioh. I. Verbum caro factum etc. Ecce duo disiuncta habes et carnem et passionem, quare unum non potest accipi pro altero. — Si enim caro ibi acciperetur pro morte et passione, frustra dixisset: quae datur pro mundi vita, cum sint accidentia. — Subsequentia verba satis declarant, eum dixisse de carne sua, cum Iudaei iam decertarent inter se, dicentes: quomodo potest hic nobis etc., quare etiam sic intellexerunt. Similiter Christus affirmans superiora de carne sua dicta; dixit enim: Amen, amen, dico vobis, nisi manducaveritis etc. ubi planum est, eum dixisse de carne sua.

habeas, imo dei, cum dicis foeminam fimbriae fidem habuisse. Sic enim tu loqueris pro *fimbriae fisam esse*. Postremo, ut maxime superes, Christi carnem et fimbriam plurimum profuisse, adde si vis, etiam cum patrem putatitivum adiuvaret in incidenda materia: adhuc tamen ara inconcussa stat ac immota, nempe carnem ad edendum nihil prodesse. Caesa plurimum prodest; comesa penitus nihil. [1]

XVI. Putas non esse mirum, si Christus nos dupliciter alat, verbo et corporali praesentia: est enim verus deus et homo. Quaero igitur, quidnam possit alere corporalis praesentia mentem, an corpus? Si mentem: non erit verum quod dixit Io. 6: 35. Qui credit in me, non sitiet iterum; cum sanguinem corporeum secundum vos sitiamus, etiam posteaquam credidimus seu fisi sumus Christo. Quod absit! Si corpus: dicemus cum Iudaeis: Da nobis semper hunc panem, ne manum stivae cogamur implicare; aut cum Samaritide: Da nobis hunc potum, ne cogamur antliae machinam sursum deorsum trahere. Mens vesci corpore nequit; unde corpus nullum potest mentem cibare. [2]

XVII. Tactu Helisaici corporis, non Heliae (is enim sic ablatus est, ut nemo sciat quo pervenerit) revixit qui a latronibus erat occisus. Christus quoque capulum tetigit modo, et revixit viduae filius. At nemo Helisaici corporis esu ad vivos rediit; sed neque Christi carnei corporis esu legitur quisquam aut revixisse aut excitavisse quemquam. [3]

XVIII. Cum diu multumque contendisses, ne admitteres corpus pro morte nonnunquam accipi, tandem sic ipse scribis: Similiter: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hic corpus accipitur pro memoria corporis; non quatenus corpus tantum est, sed quatenus corpus accipitur pro morte et passione, quam in corpore tradidit etc. Ecce cum dicis, corpus pro memoria corporis accipi, quatenus corpus accipitur pro morte et passione, prorsus videris oblitus esse, quod paulo ante negabas, corpus aut carnem pro morte et passione accipi. [4]

---

1) *Edlib.* ibid. Cum ergo adducis: „Caro non prodest quicquam;“ dico: Verum est per se; sed adiuncta divinitate plurimum prodest, ut Luc. VIII. de muliere obnoxia profluvio sanguinis, ubi tactus fimbriae tantum profuit. Quanto plus corpus eius? Dixit enim: tetigit me aliquis: nam ego novi, virtutem a me exisse. Diceres hic: per fidem quam habuit fuit sanata. Dico ego: per quam fidem? Nonne illam fidem: si saltem tetigero fimbriam, salva ero? Vides ergo, quod per tactum fimbriae sanata est. Non est ergo mirum, si digne accipiendo corpus Christi, ut Paulus inquit, virtus exiens alat animas nostras, ut efficiamur membra eius, et fiat quod Paulus dicit ad Ephes. V: quoniam membra sumus corporis eiusdem, ex carne eius et ex ossibus eius. Si enim umbra Petri sanavit infirmos divina virtute, quanto plus corpus Christi adunatum divinitate! 2) *Edlib.* ibid. Non est mirum, cum panis ille, qui de coelo descendit, duplicem habeat naturam, videlicet divinam et humanam. Christus enim dixit, verus Deus et homo: ego sum panis, qui de coelo descendit etc. Sic etiam duplici modo nos alit, videlicet verbo et corporali praesentia, quae unita est divinitate, qua nos virtualiter incorporat, ut efficiamur membra eius. 3) *Edlib.* ibid. Si enim tactu Heliae corporis revixit a latronibus interfectus, quanto plus prodest corpus Christi digne sumentibus? 4) *Edlib.* ibid. Similiter: „Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Hic corpus accipitur pro memoria corporis,

XIX. Quae de speciebus panis et vini adfers, nempe Paulum panem pro speciebus utrisque usurpavisse, fortiter quidem dicis, sed citra omnem scripturam, rationem aut legitimam collectionem ex sacris literis depromtam. [1]

XX. Quae de Cypriano adfers, incognita sunt tibi. Metonymice locuti sunt prisci isti, quemadmodum et hodie facimus, sensum eundem nobiscum tenentes. Quod ubique legentibus occurrit. [2]

XXI. Beati qui non viderunt Christum carnaliter et tamen fidunt Christo, sensus est verborum Christi. Nusquam dictum est illi: Beati qui non vident panem esse corpus meum aut in pane, sed credunt carneum corpus isto cum pane edi. [3]

XXII. Quae de invisibili et incontrectabili Christo attulisti, in responsione ad Billic. et Reg. dissoluta sunt. Nusquam fuit simul in diversis locis Christus corporaliter, etiamsi se ipsum inter hostium manus invisibilem redderet ac impalpabilem. Sic et Mosis virga, quae in colubrum transibat, tam abest ut in omnibus simul locis, in quibus dicitur: Virga Mosis convertebatur in colubrum, esse possit, ut ne in pluribus quam uno esset. Sic Christus de virgine natus est, sed non

---

non quatenus corpus tantum est, sed quatenus corpus accipitur pro morte et passione." — Ego revera nego corpus sic accipi, ut tu asseris. *Est* accipitur hic pro corpore eius, qui dixit: hoc est corpus meum. Non ab re dixit corpus meum: ibi enim excluditur omnis figurativa locutio. Cum enim dicit: Corpus meum, non potest accipi, corpus pro memoria sed pro suo corpore, quod magis declarat, cum dicit: quod pro vobis tradetur, quia memoria corporis non potuit nos liberare, sed corpus pro nobis in mortem traditum. — Christus enim non dixit: Accipite hoc; accipitur pro memoria corporis mei, ut tu vis accipi; sed dixit: Accipite, comedite! hoc est corpus meum; et non dixit tantum: meum, sed praecise: illud, quod videlicet pro vobis tradetur. Quid clarius dici potuit? Ibi excluditur omnis figurativa locutio. Adducis denique Paulum dicentem seu explicantem hunc sermonem: Quotiescunque manducabitis etc. mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Ego tamen cum perspicio Paulum, nihil video eum velle quam Christus. Dicit enim: Ego accepi a Domino quod et tradidi etc. deinde explicat in quem modum seu finem corpus et sanguis debeantur sumi, dicens: Quotiescunque etc. [1]) *Edlib.* ibid. Non ab re dicit panem; sed ad differentiam enim alterius panis communis et propter species panis adhuc remanentes appellat. Panem dicit enim Divus Cyprianus. Panis iste, quem dominus discipulis porrigebat, non effigie sed natura mutatus etc. Cum quo concordat Tertullianus; ideo nominat panem figuram corporis i. e. formam, cum tantum natura mutata sit panis non effigies. [2]) *Edlib.* ibid. Diceres forsan: Cum etiam Cyprianus tibi non satisfaciat, ubi Paulus aut Christus dixerunt remanere species. Respondeo: Satis patet ex verbis Christi, qui dixit: hoc est corpus meum; et tamen adhuc apparent species panis remanentes. Non est iam necesse probare quod video. Video inquam species panis et credo intuitu verbi Dei, ibi esse corpus Christi, quod si totum converteret (ur) in corpus Christi, non esset necesse credere. [3]) *Edlib.* ibid. Christus voluit nos credere, non experire. Beati enim qui non viderunt et crediderunt. — Habes denique Luc. IV. „Quum eiecerunt Christum e civitate — transiens per medium illorum ibat.

simul omnibus locis erat carneum Christi corpus, aut saltem in pluribus. Solius divinitatis est ubique esse, et praeterea nullius creaturae. Unde nobis diligenter cavendum est, ne confusione naturarum aut Marcionitis aut Arrianis respirandi ansam praebeamus. [1]

XXIII. Quum te negas dixisse, quod corpore dominico gratias agamus, paulo post te ipsum redarguis, cum ais: Sed hoc volui: Cum manducamus corpus eius etc. in eius commemorationem facimus, qui dixit: Hoc facite etc. Parum iustam excusationem adfers, nisi quod dixisti: Corpus eius, ubi nos diximus: Corpus dominicum. Quid enim discriminis est, si ego dico: Corpus dominicum secundum vos edi ad commemorationem corporis Christi; vos autem: Nos edimus corpus Christi in commemorationem corporis Christi? Nam quomodo in memoriam passionis edatur, visum est antea. [2]

XXIV. De ecclesia toto erras coelo. Nescis adhuc quae sit universalis ecclesia, de qua re nunc disputare locus non est. Id breviter attingemus, nullum mortalium, etiam qui est intra ecclesiam universalem, qui in peccatis conceptus est, unquam venire posse extra peccandi periculum. Mirum ergo non est, si pius homo in multis erret, sed leviоribus; inter quae adorationem eucharistiae ipse non ponam. Nam et Petrus sic erravit, posteaquam spiritum sanctum hauserat, ut ei Paulus acriter obstiterit. Videant ergo, qui piissimi videri volunt, quomodo se tueantur, cum panem et vinum adorent pro deo, imo deum esse dicant. Quod spiritus sanctus docturus sit nos omnem veritatem, facile admitto, imo scio et sentio; sed docet nos falsitatem stultitia et ignorantia nostra; quas ubi mirari coepimus, de rebus sanctissimis aliter sentimus, quam spiritus sanctus dictet. Arriani aliquando divum Hilarium in exilium abiecerunt, recte de Christo sentientem, quum pontifex Rom. ac concilium ferme totum blasphemi essent in Christum. Veritas semper est incontaminata, etiamsi nos eam minime perspiciamus. [3]

---

1) *Edlib.* ibid. Ecce, quem iam duxerunt is facit se invisibilem et impalpabilem et tamen transibat per medium eorum. Non est ergo magnum, si corpus suum det nobis ad manducandum sub speciebus panis ut nihil aliud sentiamus nisi panem. — Sic non videatur tibi magnum, si Paulus appellat panem, quod iam erat corpus Christi, vel quod debebat transsubstantiari in corpus Christi. 2) *Edlib.* ibid. Cum ergo dicis: Corpore dominico agimus gratiarum actionem passionis, nihil dicis. Non enim dixit Christus: Accipite et comedite corpus meum, ut isto gratiarum actionem referatis mihi, quod pro vobis mortem patior, sed: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Aliter me intellexisti in hac parte, quam dixerim. Non enim dixi, corpore dominico agimus gratiarum actionem. Hoc fuit meum intentum cum audio quosdam dicentes: Si Christus dedit discipulis corpus suum ad edendum, quid denique opus fuit, eum dicere: hoc facite in mei commemorationem, cum iam corpus eius esset praesens — ad impugnandum hoc dixi: Cum peragimus dominicam coenam, non peragimus in memoriam corporis sed in memoriam passionis et mortis Christi. 3) *Edlib.* ibid. Si ecclesia male sentiret de eucharistia, quomodo mansisset, qui dixit: mittam vobis paraclitum qui docebit vos omnem veritatem; quare minime credendum est, Ecclesiam in tanto articulo errasse, videlicet idolatriae, ut tu asseris. Quomodo enim mansisset cum ea? Et tamen mansit. Ergo minime erravit.

xxv. Quae ibidem de Augustino sentis, parum aeque facis: eodem modo non intelligis admirabiles eloquentiae allusionumque Origenis flores in Homilia in Matth. super his verbis de quibus certamus. De Tertulliano non est obscurum ex superioribus quid sentiendum sit. Cyprianus itidem nobiscum sentit, quamvis rudibus diversus videatur; similiter Ambrosius, quemadmodum in Oecolampadii nostrisque hinc inde scriptis facile queas deprehendere. De Hieronymo dictum est. [1]

xxvi. Cum hoc deprecaris, ne videare petivisse principium, dii boni! ut sudas, ut magnum spiras? Et adhuc ignoras, aut quid sit petitio principii, aut saltem qua parte dixerimus te in hac re peccare. Sic igitur habeto: Cum quid probamus per id quod controvertitur, iam petimus principium. Exemplum dedimus: Si quis contendat hunc locum Matth. 16: 19. Et tibi dabo claves regni coelorum, sic esse intelligendum, ut Petro isthic datae sint claves, negantique probet hoc modo: quia Christus dixit: Tibi dabo claves: an is tibi non videtur idem per se ipsum probare? Tu dicis: Ibi manifeste ponitur: *Dabo*. Neque ego ignoro hoc ipsum; sed istud exemplum adduxi docendi, non de clavibus loquendi gratia. Perpetuo ergo petunt principium, qui idem per se ipsum probant. Sic et in praesenti certamine, controversia est de intellectu verborum domini: Hoc est corpus meum, an tropicῶς, an substantive sint intelligenda. Ibi tu adseris substantive intelligenda; et cum probas, ais: Quia Christus dixit: Hoc est corpus meum. An adhuc non vides hoc esse principii petitionem? Quid ergo tam multis opus fuit? [2]

xxvii. Dicis Christi ista verba esse clarissima, quae tamen secundum vestram sententiam sunt obscurissima; quod ipse quoque negare nullo modo potes. Ad fidem enim provocas, et mones credendum esse; nimirum non alia ratione, quam quod intellectu nullo capi possunt. Cur ergo clarissima vocas? Deinde istum locum de fide Io. 5: 24. Qui sermonem meum audit et credit ei qui me misit, audacter torques, huc videlicet: hominem, qui credat hic panem esse corpus, aut in pane carneum corpus edi, habere vitam aeternam, quum Christus hoc minime omnium velit, sed eum qui deo fidat aeternum vivere. [3]

---

1) *Edlib.* ibid. Cyprianus et Augustinus, Hieronymus, Ambrosius et communiter omnes doctores Ecclesiae, saltem authentici et omnes Christi fideles. — Vide, quaeso, in quas latebras te praecipites! Christus dixit, veritas dixit: Hoc est corpus meum, et tu audes dissentire, dicens te scire, hoc non esse corpus domini. — Paulus dicit: „Cum bibimus de calice benedictionis, iam communicamus nos sanguine Christi," quod non posset fieri si ibi esset vinum. — Si ergo ibi esset vinum, ut tu asseris, non posset esse communicatio sanguinis Christi sed vini solummodo. — Sic panis quem frangimus participatio corporis Christi est, quia sumimus de corpore Christi. Haec satis clara sunt, tamen contendenti nihil clarum. 2) *Edlib.* ibid. Possem alia adducere, de quibus forsan velles contendere et de post dicere: ibi est petitio principii. Ut si fiat quaestio: Utrum Christus Matth. XVI: „Tibi dabo claves regni etc. isto loco Petro tribuerit claves et aliquis probet ibi traditos quia Matth. XVI: 19. sic scriptum est: Tibi dabo claves, frustra insinuat operam, cum igitur constabit corpore dominico. 3) *Edlib.* ibid. Stultum est, movere quaestionem, ubi verba sunt adeo clara, ut dubium

xxviii. Attingis quod pro publica concione doceam, Christum sedere ad dexteram patris; unde fieri non posse ut hic caro eius edatur. Sic doceo inquam, neque me pudet. Imo non dubito, qui aliter sentiunt, nescire probe quid sentiant. Obiicis deinde Christum in Actis Paulo humi iacenti sic dicentem: Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Quid isto loco vis? Num quod Christi caro tum adfuerit? Quasi vero ubicunque Christus sit caro eius sit? Ubi enim sunt duo vel tres in eius nomine congregati, ibi est in medio illorum. Igitur caro Christi est isthic? An adhuc ignoramus communionem idiomatum? [1]

xxix. Dexteram patris non esse circumscriptam, nemo negat, sed humanam Christi naturam circumscriptam esse oportet; de qua re plura ad Billicanum et Regium. Quod autem inde putas colligi posse: Ergo Christi caro quoque incircumscriptilis est, non probe ratiocinaris: nam et divinitas omnia permeat quae circumscripta aut finita sunt, cum ipsa sit infinita. In homine deus est. Homo circumscribitur, deus minime gentium. [2]

xxx. Io. 3: 13. scripta Christi verba: Nemo ascendit in coelum, nisi filius hominis, qui est in coelo, haud pure tractas. Si enim putas Christum secundum humanam naturam tum fuisse in coelo, erras; et Marcionitis iterum non modo fenestram, sed portas omnes aperis, ut

---

nullum potest oriri. Sic in istis verbis: hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur, non movenda est quaestio, utrum ibi sit corpus Christi, sed est credendum. Dicit enim Christus Ioh. V. „qui sermonem meum audit et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam. Non dixit: qui movet quaestionem de sermone, sed qui credit etc. Abraham credidit (Gen. XV.) Deo et reputatum est ei ad iustitiam; non movit quaestionem cum iam esset centum annorum et Sara nonaginta, quomodo hoc fieri possit, sed credidit. Qui enim vult contendere cum Deo, vult eum facere mendacem, quia non credit ei. — Si autem credimus Deo, et nobis reputabitur ad iustitiam. a) Dicit Paulus ad Tim. II, 2. Stultas et ineruditas quaestiones respue, sciens eas parere pugnas; porro: Servum Domini non oportet pugnare. [1]) *Edlib.* ibid. Moves et aliam quaestionem et hoc in ambone: Cum Christus sedeat ad dexteram patris, quomodo possumus hic corpus suum manducare? Dico breviter: Si dixit, potuit. Quid tum, quod nos nostro intellectu non possumus apprehendere? Crede et noli pensare. Nostrum est credere, non digladiare et perquirere, quae Dei sunt: an corpus glorificatum possit eodem modo esse in diversis locis. Iam enim videmus in aenigmate; tunc autem facie ad faciem. Audi unum tantisper. Habes in Actis IX quod Christus vocans Paulum dixit: Saule, Saule, quid me persequeris etc. Fuitne ad dexteram patris cum loqueretur cum Paulo? — Qui sedet ad dexteram patris et locutus cum Paulo in via. [2]) *Edlib.* ibid. Non enim sic sedet ut in loco aliquo circumscripto permaneat ut non possit alio pervenire, quia sedere ibi accipitur pro regnare ut ad Cor. XV: Oportet eum regnare donec posuerit omnes inimicos etc. Psalm. 139. Quo ibo a spiritu tuo et quo a facie tua etc. Sicut Deus est undique totus et perfectus sic Christus. Si enim Christus est verbum patris et humanitas est unita verbo ita quod non possunt separari sed sunt unus Christus — ergo sicut verbum eodem momento est in diversis locis sic Christus, cum Christus est verbum patris. Tamen haec a casu adduxi, cum nostrum non sit contendere sed credere.

a) Nota Zuinglii: Quid oportet credere?

Christi veram humanitatem inficientur; sin minus id putas, nihil faciunt ad propositam quaestionem. Scito igitur ethologiam esse istam vocem *Filius hominis*, eo quod Iudaei frequenter dicerent eum filium Ioseph etc. Dicit ergo se, quem omnes putent purum esse hominem in coelis esse, non alia ratione, quam qua Deus est: Christus enim nondum erat glorificatus. Ioan. 7: 39. Sed haec omnia vobis eveniunt, quod non probe inter naturas Christi distinguitis et argumentorum summam parum curatis. Taceo figurarum, troporum ac locutionum formulas haud omnino a vobis perspici. Quae ergo malum audacia, si de rebus arduissimis invita Minerva Mercurioque disserere, sed cur dico disserere, pronuntiare etiam, ausim? [1]

XXXI. Ridiculosum dicis tibi videri, cum dico Christum dixisse: Hoc est corpus meum; non: Hoc est caro mea, cum constet corpus hominis constitutum ex carne et ossibus. Sic enim ferme rhetoricaris. Vis ergo non modo carnem, sed et ossa hic edi? Facis ergo ex hominibus *καρχαρόδοντας*, ne dicam lupos, ossifragas, struthios, canes, ursos et id genus feras. Equidem nunquam non dicam aliud esse corpus, aliud carnem. Qui dicit corpus edi, carnem, cutem, venas, nervos, pilos, ungues, dentes, ossa, medullam, gulam, stomachum, ventriculum, lactes et quicquid in istis est vorari perhibet; qui carnem, non tantundem desipit. Carnes animantium edimus, non corpora. Volo igitur hoc docendo huc inducere, ut absurda omnia, quae vestram sententiam sequuntur, uno momento proponam. [2]

XXXII. Quaestiones inutiles non sunt, quum quaerimus an verborum Christi hic sit intellectus, ut carneum corpus aut naturale in isto pane coenetur: nullus enim intellectus ab hac quaestione abhorret; sed hae non modo inutiles, sed etiam praestigiosae sunt quaestiones, quibus quaeritur, num, ut in praesepi vagivit, ut in cruce mortuum est etc. corpus Christi edatur, praesertim cum videamus Christum, Apostolos, veteres non sic intellexisse de Christi corpore. [3]

XXXIII. Cum dicis me sensum istum verum, quem de eucharistia

---

[1]) *Edlib.* ibid. Habes Ioh. III. ubi Christus dixit: Nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit, filius hominis qui est in coelo. Ecce qui loquitur cum Nicodemo dicit, se esse in coelo. [2]) *Edlib.* ibid. Moves aliud dubium et itidem in ambone. Cum Christus dixit: Hoc est corpus, nimirum non fuit caro, quia dixit: corpus. Quod videtur mihi satis ridiculosum, cum constet corpus hominis constitutum ex carne et ossibus. Christus enim Luc. ultimo dixit: Tangite quia spiritus carnem et ossa non habet sicut me videtis habere. [3]) *Edlib.* ibid. Aliud dicis, si recte intellexi. Cum Christus dedit discipulis corpus suum ad edendum sub forma panis, cur non est crucifigi voluit sub forma panis? Forsan habes illud a Tertulliano, quod huius modi proposuit Marcion: Sed non est simile, quia Marcion dixit: Christum habere putativum seu phantasticum corpus, et in pane verum corpus. Ideo Tertullianus dixit: Si propterea Christus panem corpus suum finxit, quia corporis carebat veritate: ergo panem debuit tradere pro nobis. Possem tamen haec dicere arguta et quaestiones inutiles. — Quantum autem ad rem, dico: Christus sic voluit, sic congruebat, sic erat conveniens, qui est panis ille coelestis ut se nobis daret sub forma panis et mori et pati propria forma.

habemus, nullis sacris literis probavisse, tam audacter quam impudenter agis. Vide nostra. [1]

XXXIV. Hi tentant deum, qui dicunt miraculum isthic dei virtute fieri, ubi nemo sentit miraculum. Cumque deus nullo unquam miraculo errorem istum dignatus sit, fingere tamen ipsi miracula audent, qualia apud vestros infinita narrantur. Ego miraculum nullum penitus requiro: fide certus sum Christum pro me passum et unicam salutis spem esse. Petrus dicebat eos tentare deum, qui fratribus importabilia imponerent onera. Sic isti, qui naso circumducunt simplicem plebem, ut se putent hic carnem edere, non modo deum tentant, sed onera mentibus humanis obtrudunt, quae nullus intellectus capere potest. [2]

XXXV. Deo gratias retulimus, cum hoc tuum argumentum legeremus: Christus redemit nos ab omnibus caeremonialibus; ergo panis et vinum

---

1) *Edlib.* ibid. Miror, amande Ulrice, quibus denique modis oportere probare, panem istum esse corpus Domini, ut tamen tibi sufficeret, an miraculose, an verbo Dei — si verbo Dei habes dudum probatum: dicit enim Christus Matth. XXVI. cum fregisset panem: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur etc. Dices praeterea, te ista iam centies audivisse et idem velle probare per se ipsum, quare sit petitio principii, quia nobis est ibi controversia. Obsecro, mi frater ac observandissime Ulrice, quae controversia illa fortassis? quia ego credo verbis Christi, tu vero de his contendis et vis introducere alium sensum, quem nulla S. Scriptura probasti (rarias rogo, mihi, si licet dicere saltem veritatem): quaecunque enim adduxisti (distant ex diametro a suo sensu) ex sacris saltem quare hactenus nihil probasti. Omnia enim verba Christi in hac parte sunt adeo clara et aperta, ut quivis puer potest intelligere, hunc esse sensum verborum, ut Ecclesia hactenus sensit. Si enim alius fuisset sensus verborum Christi tropicus videlicet, quod tamen minime probasti, Evangelistae nunquam praeterissent, quin aliquis hunc tuum sensum aperuisset seu indicasset, sicut in aliis locis fecerunt. 2) *Edlib.* ibid. Credendum est ergo verbis Christi; veritas enim dicit: Edite, hoc est corpus meum. Si autem vis, ut tibi miraculose probetur, panem esse corpus Christi (quia non credis ut supra scribis) hoc nimirum est tentare Deum, ac si non possit id quod dixit perficere. Sic Thomas noluit credere. Cum autem asseris, evidentius hunc esse sensum verborum domini: hoc est symbolum corporis mei, dicendum: Minime! nisi velimus vim facere scripturae. Christus enim ibi reliquit nobis sub forma panis corpus suum et sub forma vini sanguinem suum in aeternam rei memoriam (ut omnes doctores Ecclesiae senserunt et verba Christi indicant). Quod denique potuit nobis carius relinquere, quod faceret nos recordationem suae passionis et mortis, quam cum reliquit nobis et corpus et sanguinem suum? Cum enim agnus pascalis Veteri Testamenti fuit figura novi agni pascalis videlicet Christi, sic re vera, ut praecepit eis agnum pascalem manducare in aeternam rei memoriam aegyptiacae liberationis, sic nobis reliquit verum agnum pascalem et etiam sanguinem agni pascalis in aeternam rei memoriam. Quare Christus Luc. XXII. dixit: Desiderio desideravi hoc pasca manducare etc., ut iam aboleret figuram et institueret figuratum, h. e., verum agnum pascalem seu verum pasca, ubi nos iam alit et corpore et sanguine suo, cum iam umbra recessit, et veritas in locum processit. Hoc credit et tenet fidelis ecclesia ut Christus dixit: Non enim dixit: hoc est symbolum corporis mei, sed dixit: hoc est corpus meum, quare non licet evangelium tueri velle humanis figmentis, cum per se sint satis clara.

non tantum sunt symbola: sic enim cæremonia essent. An vero tandem? Quot quaeso bella depugnavimus, antequam huc trahereris, o strenue externarum rerum propugnator? Ego id nunquam sic docui. Tam abest ut caeremonialia in novo Testamento damnem, quae Christo auctore sunt instituta. Caeremoniae veterum sublatae sunt; Christianorum vero, ut sunt paucissimae, sic nunquam aboleri debent. Dicitur enim: Mortem domini adnuntiabitis, donec veniat; et: Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen patris etc. An baptismus non est caeremonia, quae ad omnes pertinet? an manuum impositio, quae ad paucos, non aeque est caeremonia? [1]

XXXVI. Caritas, quae a Christo dicitur symbolum aut signum, quo Christianus cognoscatur, res potius est, quam symbolum. Perinde enim potest hic sermo, ac si dicas: Non omnes qui sceptrum gestant reges sunt, sed qui consulendo, benefaciendo, tuendo, ius cuique reddendo, cunctos demerentur, hi demum regum symbolum habent. Hic vides etiam rem symboli nomine adpellari. Videris hic ignorare quid distent signum et symbolum. [2]

---

1) *Edlib.* ibid. Si praeterea Christus nihil aliud dedisset nisi panem et vinum pro symbolo i. e. signo, novum instituisset ceremoniale, quod Christus minime voluit, quia liberavit nos ab omnibus ceremonialibus. 2) *Edlib.* ibid. Ostendam tibi verissimum symbolum i. e. signum Ioh. XIII. Ubi Christus dixit: In hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si caritatem habueritis inter vos mutuam.“ Hoc est verum symbolum i. e. signum christianum. Aliud ad Philipp. II. dicit Paulus: Omnia facite sine murmuratione ac disceptationibus, tales ut nemo de vobis queri possit etc. — Habeas aliud symbolum Matth. V. Luceat lux vestra coram hominibus ut etc. a) „Quasi (sunt verba Zuinglii) perpetuo tales latebras quaeramus in quibus tuti ab exploratore esse non possumus — haec, mi Iacobe, coëgit me hac in re fervor ad te clare, ut si fieri possit, te iuvem, ne frustra te in re aperta maceres. Mittamus, oro, contentionem et verum ipsum liquido intueamur, ne longum istum funem texamus, ex quo nihil quam amaritudo nascitur. Tropum“ etc. Miror denique, mi Ulrice, quod te concitet, ut dicas, nos nescio quas latebras quaerere, qui versamur in sola luce evangelica, in quibus tenebrae esse nullae possunt, nisi lucem evangelicam relinquamus, seu lux evangelica tropis seu fictitiis et figurativis locutionibus alio trahatur, eradicetur, obtenebretur. Quare maxime consulendum est, ut desistamus ab huiusmodi sinistris, calvis seu pestiferis interpretationibus, in quibus tuti esse non possumus, sed imitemur sponsam Christi, h. e. universalem Ecclesiam Christi fidelium, spiritus sancti flatu congregatam, quae hucusque semper idem sensit de Eucharistia. Cum enim tanta septi sumus nube testium, qui idem senserunt cum luce evangelica: qua ratione volumus nos subducere a communi sensu seu intellectu Ecclesiae, quae sic intellexit verba evangelica ut sunt, et secundum eorum genuinum sensum; et Paulus dicat I. Cor. I. Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut idem loquamini omnes et non sint inter vos dissidia, sed sitis integrum corpus eadem mente et eadem sententia. Sequitur abunde eum versare in latebris et longum istum texere funem, ex quo nihil quam amaritudo nascitur, qui quaerit scissuras Ecclesiae, h. e. se subducere, subtrahere a communi sensu seu intellectu Ecclesiae. Meum profecto non est contendere, nec me frustra macerare, sed idem cum fideli

a) Nota Zuinglii: Nescit quod intersit inter symbolum et signum.

XXXVII. Cum veteres auctores, quos in libro Oecolampadii, fratris in domino amantissimi, exoravi ut legeris, pronuncias omnes in tua esse sententia: miserabilem te mihi plane facis. Cum enim non ignorem, quam ampla tibi sit supellex, quodque eos auctores e vestibulo vix salutaveris, nisi quantum apud Oecolampadium illorum nomina vidisti, sententiam vero legisti: haud obscurum mihi fit, quo quaeque iudicio legas, scribas, disseras. [1]

Hactenus ad tua respondimus, sed ea, in quibus videris aliquid spei locavisse; reliqua quibus interdum sive quiritaris, sive suades, quorum ingens vis est ac rudis, boni consule, dum responsione non referio. Quis enim brevibus tot querimoniis ac suadelis obviet?

Quae vero post finem catastrophes vice annectis, responsione indigna non duximus, quod etiam in istis haud mediocriter caecutias. Debemus enim inimici etiam asinum sub onere collapsum fulcire. Quanto magis fratrem in viam ab errore, ad benedicendum a maledictione reducere? Cum ergo nos a veri adsertione ad hunc modum terres, quod qui hanc rem unquam adgressi extincti sint, parum moves. Nondum enim nos piget Christi, ne et ipsum nostri coram patre angelisque suis pigeat. Is quoque mortuus est, non pro veritate modo, sed ipsa veritas. Quid tibi apostolos obiectem? quum innumeri sint, non solum ex Christianis, sed etiam philosophis ac gentilibus, ausi pro veritate mori. Neque ideo quod occisi sunt, verum non fuit quod docuerant; sed sunt ista ultima carnis subsidia: quum veritatem nequit vel ferre vel superare, iam ad manus spectat, ferrum acuit, omnia miscet. Ego vero dudum didici pium hominem his terreri non debere, beatumque fore qui in hoc mundo proscindatur: quanto enim plus contumeliarum pro Christo tulerimus, tanto nos manet gloria maior. Dominum oro ut me confortet; rari enim admodum fuerunt qui ad finem perseveraverint. [2] Quod porro mones,

---

ecclesia secundum tenorem evangelicae doctrinae sentire et credere. „Tropum enim si admittimus, omnia nuda sunt et adperta; citra vero tropum omnia obscura, inexplicabilia, inenodabilia, imo ineradicabilia etc.“ Dico: Tropi admittendi non sunt, nisi evidentibus notis cognoscantur; quare quicunque admittit tropum, ubi non est tropus, facit vim scripturae et reddit omnia obscura et intelligibilia (sic?), ut in isto sermone Matth. III. Hic est filius meus dilectus. Si velles ibi admittere tropum, ut esset sensus: Hic significat filius meus Dilectum, sequeretur: Messiam nondum venisse. Quanquam sunt infiniti tropi, tamen de facili potuerunt apprehendi seu cognosci ab omnibus doctoribus Ecclesiae; sed mirum est, in isto loco omnes ecclesiasticos doctores esse obcoecatos, ita quod nullus in isto loco potuit cognoscere tropum, nisi tu solus cum paucis tibi consentientibus. [1]) *Edlib.* ibid. Ut demum tibi obtemperarem, perspexi *Ioh. Oecolampadium* scribentem de (ut verba sonant) genuina verborum Domini: hoc est corpus meum etc., qui me maxime confirmavit in meo proposito. Cum enim video vetustissimos doctores idem sensisse de verbis Christi cum Ecclesia, quomodo denique possum avelli et quivis a communi sensu Ecclesiae, quae sic verba intellexit ut sunt. — Adducit quidem Origenem, Augustinum, Ambrosium, Chrysostomum, Cyprianum, Tertullianum, Cyrillum, Irenaeum, Hilarium etc. qui si recte inspiciantur sentiunt, ut Ecclesia hactenus sensit et intellexit. [2]) *Edlib.* ibid. Favorabilis, nec non amicissime Ulrice, haec censui ad te scribere, ut per-

ne meae scientiae nimium fidam, nescio quomodo debeam accipere: nam si fidei certitudinem scientiam dicis: sic ei fido, ut sciam veritatem superaturam esse, etiam ubi ossa mea in favillam erunt redacta; tametsi videam plerosque sic armis fidere, ut nihil non sibi polliceantur. Occiditur quidem Christus, sed brevi resurgit ac de hostibus triumphat. Si vero scientiam pro eruditione accipis, non ignoro mihi eam adeo mediocrem evenisse, ut ei fidendum non sit. Fuerunt multo plurimi, qui ut eruditione nihil polluerunt, ita fide ac veritatis scientia adeo clari fuerunt, ut nunc inter superos non aliter luceant, quam in firmamento astra. [1] Habere me adseris multos adulatores, qui mihi adhaereant. Qui te sermo ut deceat, equidem excusare nequeo. Quis enim ego sum aut quantae sunt res meae, ut mihi merito quisquam aduletur? Quod si tibi amicos meos recenserem, invenires mihi amicos esse qui tibi et tuis omnibus tanto sunt ornamento, ut nisi eos haberetis, nesciam quanta esset vestra claritas. Atque hi cum virtute, fide, sapientia, honore, opibus omnes ferme antecellant, meque ut oculos suos custodiant: quomodo adulatores ex eis facis, qui unica sunt constantiae exempla? An non optimi quique ac innocentissimi, cum senatores, tum plebeii, sic me colunt atque tuentur, ut nisi id constantissime perpetuoque facerent, minor esset publica tranquillitas, quae urbi nostrae hac procellosa tempestate, quamvis cum infinitis sudoribus, felicius tamen accidit, quam temere alii alicui urbi toties petitae. Ne tu ergo amicos meos adulatorum nomine respergas oro. Tu adulatores habere potes, qui opibus polles ac genere; ego, cui Christus persecutionem addixit sic, ut ne ulla quidem hora ab insidiis tutus sim, quo pacto inveniam qui adulentur, etiamsi maxime cuperem? Videntur vero tibi mores mei

---

ciperes non a casu aut amaro animo, seu quadam invidia has novas doctrinas respuere (sed gravi quodam iudicio omnia perspexisse), quas revera meo iudicio non reperio fundatas supra firmam petram seu fundamentum apostolorum et prophetarum. Licet habeant specimen quoddam evangelicae doctrinae, tamen si recte inspiciantur ex diametro distant, ita quod nunquam poterunt stare, quia nihil nisi ligna, foenum et stipula. Quandocunque enim sunt introductae in Ecclesiam, nunquam potuerunt diu durare, sed semper extinctae sunt. [1] *Edlib.* ibid. Quare rogo, obsecro, deprecorque te quantum potero, ut omnia mea velis aequo animo acceptare, quia fideli animo ad te missa sunt et velis quaeque perpendere et tuae scientiae non nimium confidere, quia scientia inflat. Non ut hoc — queam, quasi te talem existimem, sed ut cautior fias in tuis negotiis et singula bene examines, ne tibi contingat, quod pluribus contigit, qui se voluerunt opponere Ecclesiae catholicae, quia durum est recalcitrare contra lapidem illum angularem et contra Ecclesiam contra quam portae inferorum non praevalebunt. Vides quam saepius etiam doctissimi ducti sunt in errorem. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; subtrahit aliquando gratiam doctis, ut humilientur, ut Pharisaeis fecit, qui fuerunt docti in lege domini et tamen maxime aberrarunt. Hoc et nobis potest contingere, si doctrinis seu scientiis nostris nimium (confidimus) et antecessores nostros quasi ignaros contemnamus. Est enim satis temerarium dicere, antecessores nostros omnes errasse, quorum tamen (numerus) excellit arenam maris et stellas coeli; cum etiam aeque habuerint et N. et V. Test. tanquam lucernam ante oculos eorum.

adulatorum esse cupidi, quo nihil simplicius aut stultius invenias. [1] Promittis autem te mihi firmum amicum. Si praestas, non immerito facis: ego enim de te semper sum meritus, quomodo me decebat. De te vero, ut ingenue tibi dicam, nunquam audivi, quod bene vel de nostra doctrina vel de nobis unquam senseris. Beneficia abs te nulla requiro, quoniam reddendo non sum. Adhuc tamen amicitiae sanctissimum nomen veneror, etiamsi videam quosdam inania iactare nomina. Ego solidos amicos semper habui, qui si tu quoque esse vis, certabo tecum uter alterum candore superet. Quemadmodum contestatus es, ut omnia boni consulam, sic te quoque obtestor. Si hanc epistolam vulgabo: fiet praeterito nomine tuo. Vale in domino, observandissime frater. [2]

Cum hanc responsionem celerrime scripsissem, veritus sum ne notulas nostras legere posses; describi ergo curavi. At is qui descripsit, nonnunquam quod ei scribendum erat, ne legere quidem potuit. Hinc factum est, ut omnia plena sint lituris et annotationibus, etiamsi iam sensui nihil deesse putem. Tu omnia aequi bonique consule! Et si hac responsione tibi satis fieri ad tua denuo neges, committam te gratiae dei. Plura enim tam operose tecum agere statutum non est: cum quod aliis longe utilioribus vacare cogit dominus; tum quod sapientes monent manum esse retrahendam, ubi nequicquam omnia moliare. Quod vero tam sero tandem mittitur nostra haec responsio, in causa sunt variae occupationes, quibus me alligatum esse non ignoras. Vale iterum. 14. Augusti MDXXVI.

---

[1]) *Edlib.* ibid. Cum enim video antecessores nostros scripturas intellexisse ut ego intelligo et communiter Ecclesia et inveniam tantam nubem testium, illa revera me stabiliunt, ut non potero de facili moveri, ut idem tecum sentiam, nisi probabiliora adducas, quam hactenus adduxisti. Sed quia mentem meam tibi adeo impavide aperio, nec tibi consentio aut saltem dissimulo, sicut tui adulatores, quorum magnus est numerus, non iactantia, aut contumeliose seu arroganter me fecisse credas, sed amore et affectu amicissimo, ut demum me lucrifacias aut ego te. Habes nimirum, haud dubito, multos adulatores, qui tibi adhaerent, te denique extollunt; cum autem tempestas adversariorum ingruerit: et derelinquent et stabis nudus ab eorum auxilio. [2]) *Edlib.* ibid. Quare haec ad te scripsi ut optimus fautor, quem cum putas esse inimicum, experies eum tibi amicissimum. Credo enim te omnia facere probo et iustissimo animo, si etiam supra modum aberres. Non quia aliter sentio quam tu, illud in me parere inimicitiam credas. Si denique mihi in te aliquid displicet, scias mihi nihil in te displicere, quam quod in me, h. e. si nobis aliqua insint vitia, quare meum tui potius est sicut mei miserere, quam in odium prorumpere. Si denique quid minus modeste scripsi, meae ascribas inscitiae. Tua enim, ut bono animo scripsisti, sic benignissimo animo suscepi; haec et tu bono animo suscipias: bono enim animo ad te missa sunt. Deus optimus faciat nos idem sentire in Christo Iesu. Amen.

*Iacobus Edlibach*, ex corde tibi deditus.

# AMICA EXEGESIS

## ID EST EXPOSITIO EUCHARISTIAE NEGOTII

### AD MARTINUM LUTHERUM

### HULDRICO ZUINGLIO AUCTORE.

Occasionem ad hunc librum scribendum Zuinglius ipse tum in praefixis litteris ad Lutherum, tum in prima parte exposuit omnem. Conferantur quoque adnotationes ad librum, qui inscriptus est de coena Domini brevis institutio (Vol. II. 426 sq.) Eodem tempore quum Zuinglius tanta cum moderatione infestos, quos antea Lutherus vulgaverat, libros et epistolas exceperat: in lucem exiit (Mart. 1527) Lutheri cum effreni acerbitate exaratum scriptum: Quod haec verba Christi: Hoc est corpus, adhuc firma perstent contra spiritus erraticos. Mox Zuinglius novos insultus defendit, animis eo usque temperans, duobus postremis in Lutherum scriptis vernaculi sermonis. (Vid. Vol. II. P. II.) Praecipui vero momenti est Zuinglii declaratio ad Lutherum de Amica Exegesi in epistola ad eum missa 1. April. 1527.

Amica Exegesis prodiit ex officina Froschoveri paginis 177. quartanis, postea in Opp. II. 324—366.

MARTINO LUTHERO HULDRICUS ZUINGLIUS.

Gratiam et pacem a domino! Solet omnium curator ac dispositor Deus sic humanas frustrari spes aut saltem ludere, Luthere doctissime, ut qui victoriam se putent ambabus alis tenere, saepe tamen evolet; et contra ubi minimum erat spei, isthic subitam adparere salutem. Quae me varietas consiliorum eius aliquamdiu retinuit, quo minus ad te nostram istam exegesin darem. Quoties enim materiam reputarem, nihil visum est planius, aut unde tutius victoria reportari possit; quoties autem illius voluntatem, semper terruit eventus sic cogitantem: Quid, si hanc lucem prodere nondum statuit? Quid, si ex hoc certamine dissidium oriatur, non amica collatio? Hinc factum est, ut non modo ipse mihi, sed aliis quoque, ne in vel ad te scriberent, intercederem;

quicquid tandem in nos iaceres. [1] Ubi vero tot velitaribus pugnis feliciter pugnatum esset; tuque iam non esses contentus, quod impune tibi liceret in nos invehi, sed quae contra sententiam vestram dicuntur dicereris ne in considerationem quidem admittere: iam satis experimenti dedisse dominum, quid fieri velit, arbitrati sumus. [2] Non enim ambigimus omnem ei contumaciam esse invisam, tum eam maxime, quae verbo eius manuduci non vult, quumque prophetae propheta non vult ad horam expositionis eius subiici ac cedere. Tam diu itaque omnia circumspiciens atque expectans, piger ac pene invitus, cunctationem rumpo, non uno excitatus stimulo. Primum, quod iam pridem adversa pars, quae ab Evangelio stat, sese huiusmodi medelis solaretur: I. Quum ad triarios ventum erit, hoc est, ubi Lutherus humeros oneri supponet, vos terga vertetis. II. Deinde quod pontificiorum, qui omnes angulos hac gloriatione implebant: Lutherus dissidet in eucharistia cum Oecolampadio ac Zuinglio, res iam satis accisae viderentur, quo minus nobis causam discutientibus ac in unum coeuntibus noxium aliquid moliri auderent. III. Tertio animabat summa in ecclesia libertas, qua licere Paulus docet singulis in ea prophetare, etiam ei qui in subselliis sedet. Si enim veri simus prophetae, nobis mutuo auscultaturos esse; ac sicubi erremus, causa cessuros. Quae quidem potestas usque adeo mihi videtur, ne in novam aliquam incidamus tyrannidem, custodienda, ut nullum tantopere debeamus suspicere (etiamsi volentes ac lubentes cui debemus honorem impendamus; imo in offerendis honoribus alius alium praeveniamus), ut sicubi errat nostro malo eius auctoritati cum veritatis iactura cedamus. Ad hoc enim Paulus Petro intercessit, et Christus bonum se adpellari nolebat ab eo, qui hoc non recte faciebat, quo magis ac liberius obloqueremur iis, qui produnt aut defendunt, quod non probe norunt, salvo semper horum certaminum spectatricis ecclesiae iudicio. IV. Postremo monebat pietas (quam tu nobis quam pie adimas videris), veritatis causam ne desereremus. Parum enim feliciter pergit pius videri, nedum esse, qui cum veritate non modo copias non iungit sed periclitantem etiam prodit ac victoriam eis credit, qui scripturae vim faciunt. Nemo enim lucernam incensam sub modium retrudit, sed supra candelabrum ponit; et servus, qui domini sui voluntatem novit nec facit, plagis vapulat multis. Sed et Paulus quam acriter eos increpet constat, qui docti erant et idolothyta inter indifferentia numerabant, donec fratrum simplicitatem in ruinam ferme traherent. Quanto magis hic oscitandum non est, ubi fidei non infima pars in controversiam ac periculum vocatur? Si enim sola fides non absolute beat citra omnem exterorum vim, iam ad opera reciditur; ubi tot prodeunt, qui scripturae vi, cui tamen vim interim non parvam faciunt, se perfecturos promittunt, quod si efficerent, de nobilissima novi testamenti parte actum esset. Tolle enim Ioannis evangelium, solem mundo abstulisti. Porro qui

---

1) Iam a Luthero aliquot minuscula et maiuscula scripta et epistolae contra doctrinam ipsi tam odiosam Carolostadii et Zuinglii de Sacra Coena in vulgus exierant. 2) Zuinglii *Brevis Institutio de Coena Domini* iam in Lutherum conversa erat, licet eum haud nominasset.

naturas in Christo confundunt, non iam per alloeosin, naturarumque et idiomatum commutationem, sed vere de humana praedicare volentes quod divinae modo est; et de divina, quod humanae tantum, hi Ioannis evangelium non iam obscurant et foedant, sed conculcant, quemadmodum processu ostendemus. Non inquam in re tam seria connivendum erat. Qui enim fiet, ut a veritate quae Christus est agnoscatur, qui veritatem deserendo agnoscere noluisse probatur? Accedebat ad hos stimulos et aliud calcar, sed infirmius quam ut expergefacere posset, fratrum inhortatio, quorum alius de adversariis victoriam promittebat, alius ad discrimen pugnae aureis Glauci armis tegebat, alius aereis. Hoc est, ne uspiam sim obscurus: monebant alii, ut acriter ac constanter tecum congrederer, alii vero suavitate ac lenitate confici tecum plus pollicebantur quam robore. Quid autem fecerim, aut quem potissimum secutus sim monitorem, ipse haud dubie vides multo melius, quam ego possim ostendere: sequimur enim ingenium ac Minervam, hoc est, nisi te offendat, spiritum: quibus invitis iacet ac friget quicquid egeris. Arbitratus ergo neque te adeo esse contumacem et implacabilem, ut si modo nostra leges offendi possis; neque me adeo tenerum atque impatientem pugnae, Deo gloria! ut si acriter occurras locum deserturus sim: bonis avibus non bellum decrevi, aut ad singulare certamen in arenam descendi, sed fecialem tibi mitto librum; non qui res repetitum, sed compositum veniat. Unde et expositionis ei nomen praefiximus, quo tibi sententiam nostram ac scripturae fundamentum, quo nitimur, amice exponat, ne ad manus veniatur: quod pontificii et mordaces quidam, sed mali poetae aliquamdiu anxie optarunt. Quantum enim tua video, adparet nostra tibi esse ignotissima: nam eis, quae iam dudum in medium attulimus, verbo absit invidia! omnia quae tu in contrarium producis nullo negotio possunt dilui. Quod si tibi perspecta sunt ac de industria praeterita: vereor ne te ullus Aiax tegere possit, quo minus publici hostes calumniatoris tibi nomen impingant. Verumtamen, utcunque res habeat, ingenue te appello ut, quae liberrime, sed simul candide apud te acturi sumus, benignam aurem praebeas, et aliquo ablegatis adfectibus expendas; vel Alexandri Macedonis exemplo induetus, qui intervallo tridui aequior factus esse proditur ei, qui ab ipso irato provocaverat ad eundem placatum ac tranquillum. Visus es plerisque (nondum eo stomacho perfunctus quem in quosdam gerebas) rem arduam in medio fervore tractavisse; neque bonis interim et innoxiis viris cum pro tua tum pro illorum dignitate pepercisse. Quod si ita est, adpellabit et hic liber abs te irato ad placatum et conciliatum. Non enim te fugit, quam periculose in consilium admittantur ira, procacitas, contumacia, simultas et similia, quae audacter et impudenter se pro iustitia, fortitudine, constantia, gravitate venditent. Te ergo liberum et placidum brevi tempusculo exhibe et tecum cogita, quam solliciti semper fuerint pii homines in confutandis erroribus, quantumque profuerint gregi dominico, quum citra passiones omnia expenderint; ac contra, quantum malorum ab his datum sit, qui adfectibus mersi videre non potuerunt, quid liquido in quavis causa esset. Omnibus notum est quantam malorum vim ecclesiae conciliaverint avaritia et ambitio, dolus

et hypocrisis; et odio, invidia, contentione, aemulatione, atque adeo amaritudine, ira, impetu nihil mali putabimus oriturum? an haec adfectus non sunt? Quin acriores sunt prioribus. Non est ergo, ut magnopere de spiritu gloriemur, si his adobruti erimus. Missis ergo factis, iucundi ac hilares, Carneadisque instar ἐλλεβορισάμενοι, collationem ordiamur! Adspira vero et tu rerum omnium conditor, domine ac pater, et omnes ignorantiae passionumque nebulas ab utraque parte sic discute, ut aliquando grassantes aquas adducto vehementi vento in fugam vertisti atque almae telluri fecisti pullulandi germina sua copiam. Satis sit oro dissensum, satis tumultuatum, satis saevitum! Orere, gratissime Lucifer! protinus iustitiae sol emica! Cum enim contenditur, negligitur sanctimonia, quam unice a nobis requiris. Vides ut a contentione nunquam redeamus meliores: est enim carnis opus, a qua nemo regredi citra maculam potest. Contra, qui ab ea sunt alieni, nunquam non fuerunt optimi. Ab eo igitur nos abstine, ut nervos omnes, quos alioqui ad certandum intendimus, ad virtutis opus accingamus! Tu vero mi Luthere, id velis esse quod audis, purus, καθαρὸς ac serenus. Adferemus enim non acerba, sed aequa; non frivola, sed deo fortia: quae si recipies, tum de integro profligabitur error, Antichristus corruet, qui te nunc non alia ratione vehit, quam quod veretur, si opinione cesseris, omnia sua collabi. Quod et alias secuturum esse nihil ambigo, etiam si laboriosius. [1] Candide scripta candidius pro tua eruditione interpreteris oro; et ubi omnia in dei gloriam cogitaveris ac egeris, ut hactenus fecisse videris. Vale et ne quid temere! Tiguri pridie Calendas Martii. MDXXVII.

## AD LECTOREM.

Non sum tam hebetis animi, quantumvis alioqui simplicis, optime Lector, ut non praesentiam quid passurus sis, quum hanc expositionem nostram, etiamsi non contra sed ad Lutherum, intuitus eris. Vereberis enim crudele aliquid inter nos oriturum, et hostibus Evangelii calumniandi ansam praeberi. Sed metum pone! sic orationem temperabimus, ut et Lutherus nihil possit aegre ferre et Pontificii nihil spei recuperandarum rerum invenire. Dissentiebat a nobis palam Lutherus, ac maledicta in omnia pacis gratia ferentes congerebat. Nemo ex nobis muttibat; ac ne nunc quidem convitiis aget. Quid ergo novi factum erit, ubi nominatim expositionem nostram ad eum damus? Quandoquidem ille prius sic a nobis dissentiebat, ut non esset contentus sententiam nostram reiicere, nisi nos inter fanaticos quoque et praestigiatores connumerasset: idque libris editis, ut est in epistola ad Rutlingenses et Carolstadii revocatione. [1] At nos sine intermissione ipsius argumentis, sed prae-

1) Quarto Ianuarii 1526 scripsit Lutherus illam contra Zuinglium eiusque socios infestam et superbam epistolam ad Rutlingenses, quorum cum Praedicatore, Matthaeo Albero, Zuinglius suam de S. C. sententiam 16. Nov. 1524 litteris communicaverat. Ex uno istius epistolae loco totius indoles cognoscitur: Si Papa ea, qua non pridem formidini fuit potentia adhuc — valeret: tam tacitos isti scriptores et Spiritus gloriatores sese praestarent ut mures.

terito eius nomine, responderamus et ad ea, quibus fidebat, perinde atque nunc facturi sumus. Scribebat ergo et antea contra nos nominatim etiam Lutherus, nos contra ipsum, sed tacite ac intacto eius nomine. Nunc ad eum scribemus nominatim, sed citra contumeliam. Si ipse nobis iratus erit, nihil novi fiet. Si nos benigne feremus, utpote malis iam durati, quae in nos iaculabitur, iterum novi fiet nihil: prius enim ad eadem tela stetimus inconniventibus oculis. Certus ergo sis, nisi dominus hoc pectus eximat, quod hactenus nostra rexit, nihil immane aut Christianis indignum hominibus hinc nasciturum. Veritatem triste erat Lutherum non agnoscere: nam et nonnunquam magnus dormitat Homerus; sed tristius erat veritatem eius causa deserere. Aequi ergo bonique factum nostrum facito: hoc enim negotium istud adgressi sumus eo animo eaque spe, ut et omnia experiri, quam a tam clara et plana verborum Christi intelligentia (quae ubi superabit, tum primum dicere possimus, Evangelium denuo instauratum esse) recedere malim; et ut summam quoque expectationem habeamus, Lutherum, ubi nostra viderit, lite cessurum esse. Quod si spe nostra frustrabimur: at non causa usque adeo certa et indubitata. Tu interim domino fidito, non Paulo, non Petro, non Luthero, non Zuinglio; et cura ut sis in Christo veste tua, si modo eum induisti, innocentissimus, et quod ad hanc collationem pertinet, securus: nam si Christi carnem nunquam, quatenus caro est, edas, nihil de beatitudine cadet. Inter superos est Noachus, Enochus, Abrahamus, Moses, Baptista, et dii boni, quot myriades Patrum, qui tamen Christi carnem corporaliter nunquam degustarunt. Tenerae fidei est, ne dicam languidae, quiritari: Quo me vertam dum isti inter sese dissentiunt? Nos enim qui sumus, ut a nobis nemo dissentiat? Num iam non est verum: Omnis homo mendax? Domino igitur adhaere, ac illius opus impigre facito; et noli quantumvis doctos aut etiam sanctos assuefacere, ut nefas audeant esse putare, si quis ab eis dissentiat. Bene et age et senti, optime Lector!

---

## AMICA EXEGESIS
### ID EST EXPOSITIO EUCHARISTIAE NEGOTII.

Initium ergo libri reditus ad te sit, o Luthere, quo primum dicendorum ordinem proponemus. Quum ergo in quibusdam scriptis tuis testatus sis, non opus esse ut ruenti opinioni succurras, eo quod ista fundamenta, quae tu adversus Carolstadium iecisti, tam absit ut quisquam labefactaverit, ut nemo concusserit etiam: volumus exegesin sic ordinare, ut quibus niteris ante omnia respondeamus; mox fundamenta

---

Palinodia quae fertur Carolostadii eo redit, ut hic declaraverit; id quod ipse scripserit de Sacramento, disputationis tantum causa propositum esse. Periculosa sua conditione quum in suspicionem venisset super bello Rusticorum, Lutheri patrocinium ac deprecationem efflagitavit, suumque scriptum cum praefatione ut vulgaret oravit. Lutherus gratificatus est utrumque.

nostra subiiciamus, ac verborum domini intellectum. Quanquam interim fiet, ut inter ea quae respondeamus, magna pars fundamentorum nostrorum spargatur. Tertio loco post epilogum diserte exprimemus, quae vos citra scripturae auctoritatem in hac causa adfirmatis. Postremo de confessione ac imaginibus pauca pro auctario adiiciemus. Nam in quodam sermone videris non leviter esse lapsus, ubi docuisti ea, quae apud Mosen sunt, ad istum solummodo *βάσανον*: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, exploranda esse. Quumque in epistola, quam non admodum nuper ad Hervagium dedisti,[1] occurrat hunc locum: Caro non

---

[1]) Acta ad illustrandam litem, quam Lutherus in Bucerum intulit, scripto continentur, quod separatim editum est a Bucero itaque inscriptum: Praefatio *M. Buceri* in quartum Tomum Postillae Lutheranae, continens summam doctrinae Christi. Eiusdem Epistola explicans locum I. Cor. IX: 24. cum annotationibus in quaedam paucula Lutheri. Epistola *Lutheri* ad *Ioh. Hervagium* superiora criminans. Responsio ad hanc *M. Buceri*. Item ad *Pomeranum* satisfactio de versione Psalterii. „Probate omnia, quod bonum est, tenete." 1 Thess. V: 21. Ao. 1527. 6 foliis in 8. Hic sequuntur aliquot excerpta, quae necessariam lucem fundunt in Buceri defensionem a Zuinglio susceptam. „Rogatu (inquit Bucerus in praefatione) Ioh. Hervagii Typographi (Basileae) et hortatu M. Lutheri Theologi, Postillae, quam vocant, ab hoc vernacula lingua scriptae, III Tomos, pro mea facultate, latinos feceram, quum IVtur obtruditur, habens quaedam, meo quidem iudicio, humana, quae Ecclesiis *Galliarum* et *Italiae*, quibus meus vertendi labor desudabat, pro germanis scripturae Dei enarrationibus offerre non audebam. Est enim commentum humanum inter verba Dei, quod herba noxia inter salubres. Cum itaque ut verterem et huc adductus essem, uno et altero loco, quae ab homine nata videbantur, indicavi, idque quam potui summa modestia et praecipuo candore. Simili modestia et candore scriptam ad fratres *Italiae* praefationem, summam doctrinae Christi continentem, operi a me verso praemisi. Haec *Lutherum*, certe praeter opinionem meam, adeo irritarunt, ut epistolam ad *Hervagium* miserit, qua in hostes veritatis vix queat scribere iratiorem. Praefationem criminatus diram et sacrilegam, annotationes virulentas, quibus opus suum crucifixum, petiit ut Hervagius, si IVtus Tomum denuo esset excusurus, eam vice antidoti adderet." Bucerus epistolam per Heervagium cum documentis ad rem facientibus in hac collectione vulgandam curavit. „Transissem," inquit porro, „autem haec silentio, novit Christus, nisi huius sanctum Evangelium hinc in nobis blasphemaretur. — Conferant haec inter se, qui Christum amant, et iudicent; agnoscant autem et deprecentur Dei in virum illum, alioqui magnum, iram, qui eiusmodi scandala nascenti religioni obiicere non veretur. Obsecro autem, et per gloriam Christi obtestor, quotquot hanc amant, ne ob hoc Lutherum in aliis, in quibus vere Christum docet, quod ubique fere extra hanc contentionem facit, contemnant. Ita veritatis gloriam sibi Deus usque vendicavit, ut nemo unquam mortalium fuerit, qui non alicubi insigni lapsu hominem esse se prodiderit, mirum igitur non est, si idem et *Luthero* usu veniat." De S. C. Bucerus h. l. plane ex mente et sententia Zuinglii disserit, a quo postea deflectebat concordiae cum Luthero impetrandae causa. Deinde *Lutherum* respiciens hunc in modum idem: „Si qui de Eucharistia nobis repugnant, dummodo illi Christum, unicum nobiscum servatorem, in quem qui credit habeat vitam aeternam, agnoscant, scripturam in omnibus veram confiteantur, denique Eucharistiae usum, ut Christus instituit, pie et religiose observent: eos nequaquam a nostra amicitia abalienamus. Dum hic vivimus, erroribus'

prodest quicquam, tractandi occasio, eam inter principia excutiemus; sed hac lege ut summa tantum carpamus, quae tu quoque summa putas. Nunc ad tua accedimus.

In ea epistola, cum Buceri laborem mediocriter probavisti, sic exclamas: Sed, proh dolor, in mediis his laudibus et laboribus (permissu dei) lapsus est in monstrum illud blasphemum sacramentarii spiritus; et donum illud facundiae et intelligentiae contaminatur, imo perditur pestilenti illo veneno etc.

Hic mi Luthere non est animus neque Bucerum excusandi (non enim vidi quid ille tuis addiderit) neque maledicta tua diluendi: quae iam omnibus nota sunt quam vere in nos iactentur. Sed hoc agere volumus,

---

et peccatis sumus obnoxii omnes, neque est, qui ansit se iactare scripturae omnia intelligere. — *Lutherus* noster, per quem certe incomparabilia nobis Dominus praestitit, et hodie praestat, hic admodum vehemens est, — sinceritatem scripturae, negata praesentia Christi in pane, violari non dubitat. Iam quantum pro scripturae sinceritate decertare, quamque pugnaci stylo, ut ipse nonnunquam lenitatem in suis scriptis desideret, solitus sit, et in aliis dogmatis fecit pridem orbi testatissimum: huius styli acerbitatem quidam strenue imitantur, quos utinam eadem caussa moveret. *Zuinglio* et *Oecolampadio*, in quibus Christus, quod nemo iure inficiabitur, admodum potens est, quorum lucubrationes legistis — scribendi hac de re caussam fuisse gloriam Christi et fidei puritatem, ut nimirum omnia a Christo sedente ad dexteram patris peteremus, non ab elementis mundi, et animis eo subveheremur, non in sacramentis frustra, ne dicam irreligiose, defixi haerentes, quantum vero simul et scripturae sinceritati studeant, ipsi legistis. Igitur, si nos audietis, utrosque diligentes et fidos Christi ministros agnoscetis et amabitis, deinde legetis, quae ab utrisque aut aliis in utramvis partem, tam in hac, quam in rebus nostrae religionis aliis, praesertim si sit, de quo sit — iudicabitis quid scripturis et fidei analogiae magis respondeat, fidem dilectionemque certius augeat, — id tum retinebitis, neque cum quoquam contendentes. Haec ipse secutus, cum quaedam *Lutheri* nostri mihi non satis facerent, adiecta annotatione, qua potui de iis modestia, lectorem admonui, indicans simul, qua ratione secundum scripturam existimem humanas lucubrationes a christianis censendas.

In Epistola ad Heervagium (Id. Sept. 1526) laudat Lutherus primo, quantum adhuc de versione suae Postillae Bucerus ediderat „Sed, ita pergit, proh dolor in mediis his laudibus et laboribus (permissu Dei) lapsus est in monstrum illud blasphemum sacramentarii spiritus, et donum illud facundiae et intelligentiae contaminatur, imo perditur pestilenti illo veneno. — Ita non sunt contenti miseri homines, suum virus propriis et iam infinitis libris sparsisse, nisi et alienos libros eo veneno illito perdant. Sic mihi et mihi insanus quidam *Leopoldus* (de quo infra) fecit, edito libello, contendens, *Erasmum*, *Lutherum*, *Melanchthonem*, *Pomeranum* et totam *Wittembergam* cum illis sentire. — Significatistas confutavi, antequam ullus cogitaret, eos futuros esse, idque argumentis adhuc invictis. Deinde acerrimo libello (ipsis etiam testibus) adversus *Carlstadium* anno proximo toti orbi notum feci sensum et dogma meum. Necdum video ullum prodire, qui eum librum confutare possit, cum alioqui tam sint verbosi, ut libros pluere possint. — Cupiebat *Oecolampadius* Syngramma confutare, sed non est alia cogitatione hoc aggressus opus, quam: Satis est contra scribere; argumenta diluere non

ostendere tibi ut per totam epistolam adfectuum vi feraris. Nam si Bucerus adeo fideliter ac eleganter tua vertit, cur tam malignam gratiam reddis? Neque enim, etiamsi non errares in hac causa toto coelo, practexere spiritum potes aut zelum. Nam si Bucerus omnia digne faciebat et hac tamen in re cadebat, linum fumigans erat quod Christus extingui vetat, et exemplo exhibet. Cum enim Philippus tamdiu apud eum versatus esset, ac tandem diceret: Domine ostende nobis patrem! non sic in eum irruit, Deus in hominem, magister in discipulum, ut tu mortalis in mortalem, frater in fratrem. Adparet te aut salutis summam in edendo corporaliter Christi corpore locare, aut adfectibus vehementer efferri. Si enim salutis summam in edendo non poneres: indignus esset

---

est opus. Vulgus denique nobis credet, contentum quod audierit, librum esse contra illud editum. — Semper aliquid occinunt, quam quod quaerimus. Quaerimus: Quae? ipsi reddunt Blae. Sentit ille spiritus, fidem non perdi, si non Christus mendax in verbis suis blasphemetur, quo argumento satis declarat, qua aestimatione dignetur Christus cum toto suo regno. Tam acute scilicet videt ille spiritus, ut rem tanti momenti pro re levicula et innoxia habent. Atque hoc est, ut semper dixi, Sacramentarios illos haereticos habere Christum pro ludo, et serio nunquam esse ab eis cognitum, aut doctum, quantumlibet magnifice iactent, Evangelium et gloriam Dei sese quaerere.“ Heervagius iussus est hanc epistolam quarto volumini versionis Buceri praefigere.

Bucerus 19. Mart. 1527. in hoc respondit Luthero: Patres quoque cum animadversionibus editos, eorumque verba explicata esse; ipsum ecclesiae iudicium omne permisisse, et summa cum reverentia de Luthero locutum esse. Sed vero, sic pergit, „si Lutherus exigit, ut ne quis a se ulla in re dissentiat, probet, se Deum esse! Nos solis canonicis scriptis hunc habere honorem didicimus, etiam ipso praecipiente. — Vocem „Sacramentum“ cum scriptura Dei ignoramus, malentes panem, calicem, coenam, mensam domini, communicationem corporis et sanguinis Domini dicere cum Christi apostolis, quam cum Christi hostibus sacramentum et missam, quanquam et in his voculis nemini volumus suam ademtam libertatem, modo utatur ea ad aedificationem. — Videant, ne ipsi monstruosa doceant et blasphema. Profecto haud dissimile monstro est, quod affirmant, Christum dicendo: hoc est corpus meum, effecisse, ut panis quidem non esset Christi corpus, sed panis maneret, attamen in pane esset corpus Christi realiter et corporaliter. — Si lucrari debemus, per Christi spiritum et verbum id fiat oportet. Atqui spiritus Christi non est immitis et convitiator, neque verbum Christi maledicum et vanum, neque pugnat denique minister Christi sola sua autoritate et diris adeo execrationibus. Surdi sumus ad convitia, sermoni Christi lubentissime auscultaturi. — Orandus Deus est, ut gravissima hac tentatione *Lutheri* animum liberet. Sed est hoc tempus, quo Deus *Lutherum* hominem declarat. — Quid autem causae putes multis videri, cur nobis sis tam iniquus? Certe sunt, qui existiment hanc esse, quod non dicimus ad omnia: *αὐτὸς ἔφα*. Evangelium primus in orbem *Lutherus* revexit, in maioribus non erravit; credendum ergo ei est in omnibus. Sive autem haec postules, sive rapit alias te ab aequo tentatio: scio nos pluris Christo constitisse, quam ut carni et hominibus nos addicamus. — Nobis nihil impossibile nihil absurdum adeo, quod Deo tribuere verebimur, si quis doceat, id per scripturam ei tribuendum. — Peccamus et erramus in multis omnes; at fides stat, dum non reiicitur Christus. — Mendax blasphematur Caesar, dum legum eius alii alios sensus esse contendunt? Mendax pater, cuius de verborum ipsius intellectu filii

hic nodus, ut eum tam truculenta bipenni secares; indignus Bucerus, in quem sic excandesceres. Si reliqua tua, quae Bucerus transtulit, non sunt in re Christiana summa: merito laudas hominem; si vero summa, praeter dignitatem stomacharis. Hic te moneo inter initia, ne constantissima argumenta velis convitia per calumniam vocare: nihil enim durius in te iaciemus. Sed quae ignoranter, incaute aut impurius dicta erunt: dilucide ac citra stomachum protrahemus. Iubet divus Ioannes explorare spiritus; sic ergo recte excutiemus an rem te dignam feceris, sic in fratrem invehendo, quum rei amplitudinem ac vim probe expenderimus. At nunc adparet salutis summam non in edendo contineri: nam alioqui discipuli Christi colophonem iam tenuissent, quum

variant? Et quot tu, Luthere, mendacia, si ita, res habet, impegisti Deo, qui multa adeo vel te ipso iudice, scripturae loca pravo sensu enarrasti? Neque enim pauca sunt, quae omnino contraria ratione in posterioribus tuis lucubrationibus interpreteris, quam interpretatus fueras in prioribus; et quot locis tu et *Pomeranus* tuus in psalmos ex diametro dissentitis? Sed cur hic verba prodigo? Nihil enim videre eum oportet, qui hic non videat, te animi morbo extra te fuisse raptum? Nam si haec tua vera essent: mendacem Deum in verbis suis blasphemarent, indeque Christum negarent, quotquot non universa scripturae germano sensu intelligerent, Patres, tota Ecclesia. Christus et apostoli in longe gravioribus errantes tulerunt et ut Dei filios excoluerunt. Quam rudes erant apostoli, quam aegre qui ad Christum ex circumcisione venerant libertatem Christi admittebant, quam multa denique contra eam et docebant et agebant! nequaquam tamen ob haec Paulus, aliique veritatem plane consecuti, ita in illos, ut in nos Lutherus cum suis, desaevierunt. — Filio suo, Christo, non tibi, Deus iudicium, cui et corda patent, dedit, et ne dubita! tuum de nobis iudicium falsum declarabit. Vocas haereticos, qui nullam tamen sectam aut secessionem unquam fecimus aut facimus, sed in eadem vobiscum ecclesia esse, eundemque vobiscum Christum adorare volumus. Unum duntaxat scripturae locum vos corporaliter, nos spiritualiter intelligimus, Christum tamen vere praesentem suis et ipsorum cibum potumque esse agnoscimus. — Tantula causa est, ob quam periculosum adeo dissidii incendium excitastis, ab Ecclesia nos repellitis, Christianorum nomen aufertis, haereticum tribuitis, Satanae denique traditis, neque dirum adeo comminisci quicquam potestis, quod in nos palam cum dicere, tum scribere dubitatis. — In his, quae proprie ad gloriam Christi faciunt, placet, quod certissime omnia affirmas; sed quod iactas, tua universa quae scribis et doces oportere iusta veraque esse, profecto parum pudenter facis, extantibus tot et tantis lapsibus, cum in vertendo, tum in enarrando S. Scripturas. Taceo, quae peccas in charitatem I. Cor. XIII. — Utinam propius cognitus tibi esset *Zuinglius*, et ecclesia cui ministrat; item *Oecolampadius*! de nobis ipsi tacemus. Aut Spiritum S. blasphemare te oporteret, aut Christum in illis adorare. Vere fert apud istos arbor Evangelii fructus praestantiores, quam ut inficiari possit habitare apud eos gloriam Domini. — Scitote, quanquam egregie vos suspiciamus, attamen tanto exactiore nos iudicio ad Scripturas Dei vestra exigere, quanto celebriore vos nomine mundus celebrat. Non est ignota nobis fiducia ingenii humani, quod autoritatem paulo ampliorem nactum, nihil non definire et statuere audet. — Per homines mortales, non per immortales angelos evangelium nobis praedicari, et antehac Deus fecit, et in multis delinquimus omnes.“ Ceterum ad primam huius scripti partem Zuingliani generatim eius litterarium commercium e primo semestri anni 1527. conferri debet.

Christi corpus coenassent, neque habuissent opus cruciatibus crucis. Relinquitur ergo alterum, videlicet, quod sis adfectibus evectus extra πρέπον. Atque id nobis magnopere dolet, non tantum tuo, sed miserorum mortalium nomine, quod nihil tam absolutum ac compactum est, quod non alicubi hiet. Nihil est ex omni parte beatum. Connivemus autem ad has contumelias eo libentius, quod cuivis contingere posse videmus, quod cuiquam: satis multa sunt, quibus imprudenti morbum istum obrepsisse coniectamus: fanatici, quos tu Suermeros, nos Spiriteuseros verbo graecolatino, vocamus, malum aeque nobis ac vobis infestum; importuni ac praecoces magistri, qui docere pergunt quod probe nunquam didicerunt; vulgi protervia, quae ad omnem novationem non aliter stupescit ac tumultuatur, atque Phaeaces ad Ulyssis fortunam, neque dissimili rerum exitu; principum ambigua fides, qua qui maxime fidunt gravissime cadunt. Haec inquam, aliaque (quorum ut mentio hic non est facienda, ita penitius in memoriam revocanda sunt) in causa fuerunt, quo intempestivius maledicentiae frena laxaremus. Venia debetur imprudenti ac nulli frugi utili, dummodo stultitia peccat non malitia; quanto magis Evangelii προμάχῳ, qui et si quid humanum passus est (nam te non arbitrari arbitror eo esse loco ut cadere aut offendere nequeas): aciem tamen non prodit, nec si voluisset potuit: dux enim, quo spectatore geritur res, habet quos in desideratorum locum succenturiet. Facile igitur venia dabitur agnoscenti: nam transgressionis causae non ignorantur. Sed errorem nolle agnoscere magisque ac magis furere a bono viro debet esse alienissimum; multo magis a Luthero innocentiae pietatisque magistro. Non ergo debuisti in fidelem interpretem tam atrociter invehi. At fecisti. Humanum ergo passus es. Indigne feres hunc ἔλεγχον nostrum? Non vis ergo audire monitorem? Haec paucula de re. De sermone iam tuo dicemus, qui mihi, ut ingenue dicam, sermo citius esse videtur, quam mens. Nam si mentem tibi crederem esse tam amaram atque impotentem, ut verborum odor prodit: nunquam concepissem vel pilum spei reditionis in gratiam; imo non expectarem quicquam viro dignum, si istud tuum, proh dolor, ex vero sensu prodiisset. Vulnus exhibe, dicerem, ut videam quam atrociter laesus sis! Aeger animus est qui ad quemvis tactum aut iactum exclamat. Si ergo Lutherus exclamat οὐκ ἐν καιρῷ, aeger est. At quomodo potest homini tam absolute pio ac docto aegritudo animi adesse? Passus est ergo aliquid. Putavit vulnus infligi, ubi umbra dabatur ac refrigerium. Ignoscendum ergo est. Mittamus quaeso acerba ista et clamosa, et scripturis argumentisque rem geramus! Nondum evicisti errorem esse, quod in Bucero optimo eruditissimoque viro damnas; et bene merentem increpas, quasi nemo magis nocuerit.

Lapsus est, inquis, in monstrum illud blasphemum sacramentarii spiritus. Num vero monstrum est scripturam a violentia adserere? an ei intellectum obtrudere, quem ne communis quidem sensus fidelium etiam recipit? Non est ergo lapsus Bucerus, sed quum iaceret erectus est. Blasphemia proprie in deum contumelia est. Quod si error esset quod est ex naturali sententia verborum domini, nondum esset blasphemia: nemo enim errorem, qui sine contumacia est, blasphemiam vocat.

Ni.eis igitur aculmus verborum cuspidem. Adhuc sub iudice ecclesia lis pendebat, et nos eius sententia non expectata damnamus. Hoc videtur esse blasphemia, ὕβρις, ac violentia. Sacramentaria mens est, quae a sacramentis pendens iis aequo plus tribuit ac fidit; non ea, quae sacramentis uti novit tanquam sacramentis. Sacramentarium spiritum contumeliose dixisti; sed recte competit haec contumelia in eos, qui in sacramentis quaerunt, quae non habent. Dicebant aliquando Israëlitae, quum non parvam cladem accepissent a Palaestinis: Arcessamus arcam domini, et ista servabit ac tuebitur nos: quae cum allata esset, subito maiorem cladem acceperunt. Cur? non servabat scrinium hoc sanctum? nonne virga, manna, tabulae in eo? Sed non erat hac vi praedita cista, ut salvare posset. Falso igitur quum salvandi vim tribuunt, falluntur. Sic ergo sacramentarius spiritus est, qui sacramentis tribuit quod non habent; imo habere ne possunt quidem. Corpus dominicum, etiamsi corporaliter ederetur, nunquam tamen hoc secum adferret, quod vos adseritis: videlicet, quod mentem confirmet ac Evangelium praesens tribuat peccatorumque veniam. Nam haec de vestra promuntur, non de verbi divini tripode.

Putas deinde Buceri donum contaminari, imo perdi pestilenti veneno isto. Nobis contra videtur, carnem Christi in coena *corporaliter* edi adserere veram pestem esse: qua propediem repullulante ac grassante vastatum iri Evangelium. Nam si fidem confirmet et peccata remittat: quis non converteretur ad operum vomitum? Ego Hercle hoc plane confiteor, quod si verbo domini certus essem hac coena condonari admissa, me quoties anxia esset conscientia convivam futurum. An iam non rediisset operum fiducia? An non subito, qui rem tam sacram peragerent, in pretio fierent? Mihi crede, pontificios nihil ferme spei habere reliquum, quam si superstitionem istam, edendi corporaliter Christi corporis, retineant. Quid enim putas? eum fidere quorundam principum promissionibus ac minis? imo quid putas principes effecturos esse caedibus atque imperio, populo aliter sentiente? Alit muneribus atque promissis, at non diu. Sed si violentus intellectus ille verborum domini obtineat ac vigeat: iam sperat omnia reditura. Hinc Faber ille,[1] mendaciorum Vulcanus, comitiis Spirensibus expirantibus, flens crocodili lachrymis obsecrabat, ut si nihil aliud hoc saltem caveretur, ne nobis Christus, atque adeo salus tota, corporis Christi conculcatione eriperetur: quod nunc molirentur, qui negarent ipsum in sacramento edi. Christo dei filio fidere salutare est contra peccatorum vulnera remedium, non corpus edere. Fidei promissa est salus, non manducationi: nisi allegoricae, quae nihil est quam fidere. Unde manifestum fit, pestilentem esse doctrinam, quae fidei nomen vitians, pro fiducia in Christum habenda, trahit ad opinionem, quae putat hic corpus, quatenus corpus sit, edi; non illam, quae per fidem nihil aliud intelligit nisi fiduciam in dei filium.

Quae vero tantopere quereris in Pomerani psalterio ab homine esse

---

1) Vicarius generalis Faber Constantiae.

vitiata,[1] nec probo nec improbo, ut qui non viderim; sed quantum ab aliis audio, satis distinxit sua a Pomeranianis ac tuis. Suum quisque auferat, ac citra contumeliam, si meum apud vos consilium pollet; aut quod tam alte mersum est, ut levi manu tolli non possit, editis protestationibus innoxiis negetur aut adseratur! Quid opus est tam acerbis clamoribus? Nam quod tu huc tendis, quasi argumentis destituti quidam vel vestris adseruerint suam de eucharistia sententiam, vel sua vestris miscuerint, non recte negotium perpendis. Video enim et Bucerum et Leonem (qui se Leopoldum fecerat)[2] viam vobis munire potius voluisse (qua vel ab errore subitam peteretis fugam, vel dissimulandi opportunam occasionem), quam vestris niti. Amantes ac studiosi nominis vestri hoc fecerunt. Videbant enim a multis non videri quid liquido in causa esset, ac subinde illorum doctrinam in suspicionem rapi, quod alicubi hallucinentur. Ulnas ergo et sinum expanderunt, ut casum vestrum exciperent; non ut errorem suum vobis obtruderent, qui error certe non est; non ut laboranti causae nominibus vestris auxilium ferrent, sed ne nomina

---

1) *Ioannes Bugenhagius*, *Pomeranus* cognomine, Bucero, qui 1524 eius interpretationem sciente ac volente auctore translatam edebat, plenam quoque potestatem dederat instituendi ac peragendi operis. Controversia demum de S. C. postquam erupit, etiam hic movere coepit querelas; quamquam Bucerus suam sententiam non pro Pomerani extulisset, sed epimetri loco adiecisset. Bucerus 25. Mart. 1527. ita scripsit ad eum: „Quam praestaret Christi et Pauli tum modestiam tum candorem, quam Lutheri confidentiam et convitiorum licentiam te usque referre, quando Dei dono, tuopte ingenio ad ferociam illam minime propendere videaris. — Si quis in te peccavit, ne sis ipse iudex, neque Ecclesiis eum tam atrociter accuses, priusquam eum privatim admonueris. Etiam nos Christi sumus, et gloriae eius studemus. 2) *Leo Iudae* sub ficto nomine Ludovici Leopoldi, pastoris a Leberau, scriptum vulgaverat huius titulo: Erasmi et Lutheri sententia de S. Coena 18. Apr. 1526. 3 foliis quadruplicatis, ut probaret, *Erasmum* et *Lutherum* in summa rerum de S. C. cum Zuinglio et Oecolampadio unum sentire, quem in finem locos e scriptis eorum prioribus laudavit. Pulchre: Corpus, inquit, inest in pane et sanguis in vino; sed tanquam in signo et repraesentantur et figurantur. Hoc est: corpus Christi non est essentialiter et corporaliter in pane nec sanguis in vino — id quod fides et sacra scriptura minime patitur; sed ita inest, ut tuus sponsus inest in annulo, quem tibi peregre profecturus reliquerat: nam quoties annulum conspicis, intus in corde tuus sponsus est praesens. Quodsi Lutherus et Erasmus in ea sententia sunt, quam arguunt verba ipsorum: rogatos velim per Deum, ut fortiter eam eloquantur. Tum homines sedabuntur. Etenim si rem ita intelligunt, quemadmodum mihi quidem videntur: tum inter Erasmum, Lutherum, Zuinglium, Oecolampadium, Carlstadium, Capitonem, Bucerum, quid quod inter fideles cunctos nulla lis erit, nulla discordia. Hoc igitur animum induxerim, ut credam, in ea hos viros sententia esse, vulgum autem aegre intelligere: rixa enim saepe excaecat mentes. Quod autem persuasum habeo, eam esse ipsorum sententiam: hac ratione ductus sum, quod ea sententia sola verbo Dei consentanea est. — Quoniam igitur istud in horum libris reperiebam: intelligo et interpretor secundum spiritus et fidei regulam, atque existimo hos quoque eandem mentem et rationem fovere.“ — Sed vero Leonis existimatio bona et voluntas sinistre admodum cessit. Erasmus amarulentum librum scripsit in Leonem, isque et Lutherus certatim probra ingesserunt.

vestra male audirent. Ipse quoque testaris librorum nos esse tam feraces ac prodigos, ut pluere possimus, si diis placeat, libros. Quod interim argumento tibimet ipsi esse debet, ne putes malae fidei procuratores esse, quasi calumniis fidant; interim vero bonae causae, quae tam uberem materiam suppeditat, ut nihil contra dici possit, cui non subito occurratur. Quanquam quod ad Leonem attinet, nihil egit nisi quod tua fidelissime adduxit: quod nos quoque eadem fide facturi sumus. Tu interea vide quam tibi undique constes.

Libro, quem de adoratione sacramenti ad Valdenses scripsisti,[1] etiam respondebimus. Aeque ei nervo, quem adversus Carolstadium intendis, vim adimemus.

Fingis nos dicere: Adhuc Lutherus tacet. Utinam tacuisses hac in re! non cogeremur nunc taedia ista devorare. Mihi certe rem gratam fecisses tacendo, qui nunc, nescio quam opportunis clamoribus, in discrimen tecum pugnandi vocor.

Quid promovero, ais, si mille libros scribam inter istos surdos et furiosos: nihil audiunt nec vident. Nos et audimus et videmus; veruntamen quum tua essent parum firma, quamvis calida, speravimus quamprimum tibi restituereris, tuopte Marte causa cessurum esse. Quum autem sis acrior atque acrior, tandem exaudiris etiam nobis, ne possis adhuc nos dicere surdos esse. Nam furiosi simus nec ne, tuto forsan infitiari non possumus: tantum est furiosorum, inter eos quoque, qui se Minervam ipsam putant docere posse. Ut ne dicam de his qui rectius quam nos praedicari possent furiosi.

Commendatum abs te esse Suevorum Syngramma,[2] nobis vere dolet, non tam illorum quam ecclesiae tuoque nomine. Ecclesiae, quod si reliqui episcopi horum exemplum sequerentur, iam Christi doctrina non subiiceretur unis pontificibus tyrannis, sed mille myriadibus tyrannunculorum. Acervavit ad se Brentius triviales quosdam episcopulos, ac iis fultus citra ecclesiarum suarum iudicium pronuntiavit errorem esse, quod Oecolampadius praeceptor hominis (si modo homo est tam ingratum animal) adsereret, quum ille sententiam modo veterum excuteret: quorum dictionem Brentius cum per aetatis tum eruditionis teneritatem nondum adsecutus est. Siccine rite faciunt bis seni homunciones, dum congeminant temereque pronuntiant; et non rite faciunt ex Christi et Apostolorum sententia quingenti episcopi mitrati etiam ac purpurati, cum quid statuunt sine ecclesiae auctoritate? Quo nobis excidit ista bipennis, qua conciliorum catenas et *κλοιὸς* detruncabamus: concilia purpuratorum non esse ecclesiam; nihil posse Christi ecclesiae ab eis in praeiudicium fieri? Cur ergo tui isti non exposuerunt rem controversam ecclesiis suis atque earum sententiam expectarunt? Nam diligenter omnia inquisivimus, istis etiam securis ac Iovi opima spolia suspendentibus,

---

[1]) De adoratione Sacramenti corporis sancti Christi Martinus Lutherus. Vitebergae anno MDXXIII. [2]) Hoc syngramma est responsum Brentii aliorumque praedicatorum Suevorum in Oecolampadii lucubrationem de sacramento Eucharistiae. Lutherus hoc syngramma per Agricolam vernacule reddendum curavit et praefatione instruxit. Oecolampadius contra suum Antisyngramma emisit.

quanam via apud suos egerint; certique facti sumus, his clamoribus ecclesias suas adobruisse: Prodit nova haeresis omnium perniciosissima. Aures igitur obdurate, et similibus. Iam non audiebatur, imo ne nunc quidem a plerisque auditur: Omnia probate! quod bonum est tenete! et: Si cui ex grege sive sedenti revelata erit genuina spiritus sententia, ei loqui in ecclesia liceat! An hoc, mi Luthere, non modo imprudenter, sed etiam pessimo exemplo factum non est? quo pacto sedem tyrannidi parabimus, si non isto? Tumultuabitur insanum aliquod caput coram ecclesia, hoc esse haeresin aut errorem, quod nondum exploratum habet album an atrum sit; et dum ecclesia videre volet quid liquido sit in causa, cornicabitur: Ne tangas! ne contrectes! ne spectes! Quid ergo aliud fecit pontificum violentia? Ne ergo tam imprudens ac noxium exemplum imprudentes adprobemus, mi Luthere, ne videamur nunc mirari, quae aliquando εἰς χόρακας reiiciebamus! Si enim ea instauro, quae non adeo pridem solvebam: iam praevaricatorem me ipsum constituo. Tuo vero nomine ideo nobis dolet huius libri commendatio, quod dolet quidquam existimationi tuae decedere. At fieri nequit, ut non aliquid patiatur, quum librum undique iacentem ac ieiunum sic effers, quasi Caesaris victoriam canas aut Hectoris cum Achille monomachiam. Eloquentiam enim si spectes, recens nata videtur, nec quicquam solidum ac firmum respirare; imo sic anxie tumultuarieque comparata, ut vix ad hunc librum satis supellectilis videantur habuisse. Si vero argumenta, nihil est eis imbecillius; si acumen, nihil obtusius: tam enim isthic male colligitur, tam segniter ad penitiores intelligentias penetratur, ut non facile sit colligere quonam fisi opus adgredi sint ausi. Nam si claritatem, quomodo non vides omnia e manibus eorum exire obscuriora, quam venerant? Illud enim de externo verbo ac interno, deque re, quae tertio deinde loco habet, ut tam externum quam internum verbum eam significent (quod gustui tuo tantopere lenocinatur), nihil nisi ingens est nebula et nodus in scirpo, quod dicitur, quaesitus. Quid enim est externum verbum, quam imago verbi vel rei vel sententiae domi intellectae? Internum autem quid aliud est, nisi idea rei sic habentis? Nunc ergo quid ex tam plana sententia, nullis philosophis non adprobata, derivant belli homines, videamus! Evangelii verbum, inquiunt, praedicamus ore, quod quidem est externum verbum. Taceri hoc potest. Quod autem in corde creditur ac in mente intelligitur, illud est internum verbum. Taceri et istud potest. Res autem quae sic habet non est verbum internum nec externum, sed res cuius idea, imago et veluti penicillus sunt internum externumque verbum. Hic me vix contineo, quin effluam dicamque: Ergo distinguuntur realiter. Sed tacebitur et istud, ut videamus in quem se errorem mergant sepiae istae. Pergunt itaque et dicunt: Quum igitur fides adest homini, habet deum praesentem. Sic ergo si credat, corpus et sanguinem bibat (hoc est credat): habere oportet corpus et sanguinem praesentia. Quis autem fidei deum praesentem facit nisi verbum etc. Vides Luthere in qua isti sententia sint? Primum, putant de quacunque re fidem habeas, aut πληροφορίαν, eam esse natura praesentem. Deinde putant verbo adduci. Postremo variant et fidem et corporis sanguinisque praesentiam. Ad primum redeo, ac

sic inquiro: An in genere putant eam rem naturaliter adesse, de qua fidem certam habeamus? Sin ita: iam totus Oliveti mons corporaliter cum Christo et apostolis, imo cum satellitibus Iudas proditorie blandus, et Petrus cum machaera vehementer exasperatus adest: firmiter enim credo Christum isthic captum, et reliqua sic ut scribitur gesta. Si vero minus, quid ergo colligent? Nunquam enim sequitur: Deus est praesens credenti; ergo creatura est praesens credenti. Ut interim taceam de cautione, qua dicunt: non enim de ea nunc praesentia loquimur, qua deus omnia implet, sed qua piis adest. Corpus autem Christi creatura est; non ergo sequitur: Deus est praesens credenti. Ergo qui credit Christum in corpore pro nobis passum, habet corpus eius corporaliter praesens. Parce argutiis, optime Lector! nulli enim rei sumus iratiores quam hisce Chrysippeis acuminibus, quo isti tamen invitos ac renitentes trahunt. Dudum enim probavimus angelo teste, qui dixit: Surrexit, non est hic, Christi corpus non ubique esse, etiamsi divinitas omnia impleat; deinde nec isthic corporaliter esse, ubi Christo fiditur. Piae enim mulieres eum in pectore per fidem secum ferebant, et tamen angelus dicit: *Non est hic*, nihil pol quam corporalem praesentiam negans. Sequeretur etiam quod Christus corporaliter adfuisset, antea quam corpore amiciretur: credebant enim corporaliter adfuturum patres; ergo aderat. Hoc enim omnino conantur evincere, quod fide habita iam verbum praesens faciat id essentialiter ac corporaliter quod creditur. Si non ad hunc modum sentiunt: nihil ponderis habebit argumentatio, sed frivola erit et inconstans. Quod secundo loco dicunt, fidei praesentem deum fieri verbo: iterum inquiro: Quo nam verbo? externo? Cur ergo non facimus tyrannis ac pontificibus deum praesentem? Sed interno? Ubi ergo manet: Nisi credideritis non intelligetis; et: Nemo venit ad me, nisi pater meus traxerit eum? A trahente ergo patre est ut Christo fidamus, non a verbo etiam interno. Nam per verbum internum nihil aliud intelligere possunt, nisi fidei *πληροφορίαν*. Iam ergo nihil aliud dicent, quam fidem fide adesse. Dixerunt enim fidei deum praesentem fieri verbo. Fit ergo deus praesens fidei fide. Credit ergo fides; ac quod credit sibi praesens facit. Quid ergo credidit, antequam hoc praesens haberet? Si hoc non credebat, quomodo erat fides? Si credebat, quomodo non erat praesens quod credebat? quum nemo citra dei gratiam credat. Si ergo bonitate et gratia adfuit antequam crederes, vel in ipso fidei exordio, iam nimirum eo modo adfuit quo piis adesse solet, ut isti loquuntur. Vide quo cadant ista tam callida et acuta! Speciem quidem praebent indoctae plebi, quasi quid solidum ac verum dicatur, cum nihil sint quam aristae: pungunt, non perforant. Sed ad decipiendum non nihil pollent, praesertim si interim tumultuer, eos, qui subtilia ista non intelligant, fanaticos esse homines, surdos, bardos, stipites atque etiam furiosos. Tum enim omnes videri volunt liquido intelligere quod adseritur. Sed obscurum non est quid isti velint, cum dicunt: verbo tanquam vehiculo advehi cum deum ipsum, tum corpus Christi, etiamsi strenue dissimulent. Hoc enim volunt, credentibus, se Christi corpus comesturos in hoc sacramento, praesentem fieri verborum prolatione. Quod hinc patet, quum tam altum clamant:

Oportet puris ac simplicibus Christi verbis, *Hoc est corpus meum* sic credere, ut ipsis (iam non audent dicere prolatis vel cogitatis) praesens fiat corpus Christi. Quid ergo? Ubique principium petunt. Nos enim sensum verbo domini cum indagamus: prodeunt et dicunt hunc esse, quod ibi edatur corpus Christi. Causam si interroges, cum tam multa obstent: dicunt oportere credere hunc esse sensum. Sed caute ut diximus agunt: cum enim dixerunt, credentibus corpus Christi fieri praesens his verbis, nec addunt prolatis aut cogitatis: ego primum sic interrogo: an corpus Christi fiat praesens, protinus ut crediderint panem aut in pane esse corpus Christi? Si sic: iam fides advehet corpus, non verbum; si minus: iam isti falsum adseruerunt toties inculcando, credentibus modo se edere, edi. Sed prodibit aliquis propugnator et dicet: Simul coire oportet et fidem et verbum. Iterum interrogo, ut ad alia duo incommoda quae isti fugiunt perveniamus: Quodnam verbum oportet cum fide concurrere, prolatum an cogitatum? Si prolatum: iam quaeram, an in commune a ministro prolatum sufficiat; an singulos proferre oporteat. Si ministri prolatio sufficit: iam fieri promte potest ut nemo edat corpus Christi. Da enim ministrum non habere fidem, isthic edi carnem Christi, iam non fiet ibi caro Christi. Si dicant: Fides edentium facit carnem, non verba recensentium: ergo verbo non fit corpus Christi; ergo periit vobis rheda, qua advehebatis corpus Christi. Si dicant quemvis oportere sacra verba proferre: iam ergo prolata verba efficient corpus Christi. Quod quomodo fiet, quum iam dixeritis fide credentium fieri? Quod si fide fit: iam verbis fit, quod dudum fide factum erat; hoc est: actum agetur. Si vero cogitatis tantum verbis fit: idem sequitur videlicet, ut cogitatione fiat, quod prius fide factum erat. Ac quod omnium periculosissimum est, ut tandem argutiis desertis ad me redeam, cum isti sic de verborum vi disserunt, quasi eis praesens fiat corpus Christi: iam collapsam ferme Pontificis auctoritatem instaurant ac fulciunt. An enim non et ille dicturus est: Verbis domini, super credente prolatis, praesens fit res, quae verba significant? Credis igitur ei, ad quem Christus dixit: Remittuntur tibi peccata tua, condonata esse peccata necne? Annuo me credere. Inferat: Ergo et miseris mortalibus peccata remittuntur, quum dico: Fili, remittuntur tibi peccata tua. Verba enim rem ipsam praesentem faciunt etc. Dicat ergo cum *συγγραμματεῦσιν* istis ad caecos et claudos omnes: Respicite et audite, ac eorum calamitatem levet: adferet enim verbum rem ipsam secum. Nec est quod dicant: Christus non iussit ut ista faceremus, sed ut corpus eius ederemus. Hoc iussit in memoriam sui fieri. Non enim iussit Christus corpus edi in commemorationem corporis, sed panem symbolicum ac calicem edere in memoriam corporis, hoc est passionis ac mortis. Huc enim refert Paulus, quum istud: Hoc facite in mei commemorationem, exponit. Quoties enim manducabitis panem hunc, inquit, et calicem bibetis, mortem domini adnunciabitis. Unde nobis dissimulanda est Pontificiorum sententia, qui olim docebant istud: Hoc facite in meam commemorationem, debere ad corpus referri: Facite corpus meum ex vel in pane ad commemorationem mei. Haec enim vox: *Hoc* non respicit neque

panem neque corpus, sed annuntiationem, hoc est gratiarum actionem ac collaudationem, hoc sensu: Hanc panegyrin et gratulationem facietis ideo, quod corpus meum pro vobis dependi: ut iam ex Pauli verbis dilucide patuit. Sed contra credentes malis eximere fratres iubet: dicit enim: Praecepit eis, ut curarent omnem languorem ac infirmitatem. Imo promissionem hanc adiecit: Signa ista sequentur eos, qui crediderint; in nomine meo daemonia eiicient etc. Quo se hic vertent *συγγραμματεῖς* tui? Nusquam promisit, ubi haec verba quis dixerit: Hoc est corpus meum, ibi corpus Christi factum iri; sed contra promisit ac dixit fideles daemonia et morbos ablegaturos. Cum ergo istud non efficiunt, super quo facta est promissio, si credamus: adparet non habere fidem. Quomodo igitur facient Christi corpus praesens, quod ut facere possint aut debeant, nusquam iussit aut promisit deus? Attamen ne quis hoc nostro argumento offendatur, oportet synecdoches remedio emergenti quaestioni occurri; et nihilo fragilior est argumentatio nostra. Contemplare nunc mihi, optime Luthere, quam vanum sit et frivolum, quod isti de verbi vehiculo.

Restat nunc tertium huius particulae membrum, nempe ut ostendam quomodo *ἀμφοτερίζωσι*, ac varient fidem, et corporis sanguinisque Christi praesentiam. Quum enim dicunt: Dum fides adest homini habet deum praesentem, quid aliud quaeso volunt, quam ubicunque sit fides, ibi et deum adesse, non tantum praesentia ista, qua mundum ac extramundana omnia permeat ac tenet, sed etiam bonitate ac gratia? Quasi vero alia quaedam praesentia sit, quam generalis ista, qua ubique praesens est. Puta, si faveat deus, iam non satis esse illi nobis esse praesentem naturali praesentia, sed etiam plus esse praesentem, quod ad essentiam eius attinet, quam si odio habeat. Ista ergo sententia cum eo errore consentiunt, qui putat gratiam dei rem quandam esse, quae ut homini datur ab eo teneatur ac possideatur: quem Phil. Melanchthon arbitror pridem confutavit. Sic ergo nos de praesentia dei sentimus. Quod ad essentialem sive naturalem praesentiam attinet, ex aequo ubique esse praesentem, non aliter quam aërem quem spiramus: ipse enim Esse est et fulcrum rerum omnium. Unde et Hebraei videntur eum nomine *Tetragrammaton* in hoc sensu nominavisse, quod eae literae omnes sint spiratiles. Cum vero deinde uni plus favet quam alteri, pluribus illum donis dignatur quam alterum: non plus adest mundo naturaliter, quam ubi tot bonis ab eo ditatus nondum natus esset. Sicuti Rom. Pontifex naturaliter non est maior apud Eccium et Fabrum, quam apud Lutherum ac Zuinglium: etiamsi istis impensius faveat, nos autem oderit cane peius et angue. At dicent: Durus est hic sermo. Num non praesentior fuit Paulo quam tibi? natura non fuit praesentior, sed gratia. Videtis igitur ut varietis praesentiam? Nam si praesentiam pro gratia sive propensione accipitis, praesentior fuit Davidi quam Saulo. At sic accepta non convenit proposito vestro, quo vultis probare, quod quemadmodum fide praesens sit aut fiat deus: sic corpus Christi fieri eadem fide praesens natura. Ubi *praesens* priore loco vobis ponitur pro gratia, bonitate ac favore: hoc sensu, ut ubicunque sit fides, ibi faverit deus. Nam si aliter conabimini accipere, puta, fide fieri natu-

raliter praesentem, non tantum errabitis, sed etiam insanietis. Ut ex superioribus clare liquet. Quomodo enim fide fiet praesens, cum fides non sit, nisi eius bonitate detur? Secundo vero loco *praesens* accipitur naturaliter sive essentialiter, sic, ut corpus Christi fide fiat praesens. At quomodo, in spiritu aut mente, an etiam se ipso sive natura? Si spiritualis est ista corporis praesentia: puta quod mente fidimus in Christo pro nobis mortuo, iam nihil dissidii inter nos manebit. Nos enim sic praesentiam istam adserimus, ut unam sciamus ad hanc rem sufficere, super qua digladiamur. Si vero naturalem adseritis praesentiam, iam periit omnis huius argumenti spes. Sicut enim fide non fit deus natura praesens, sic nec fide fit corpus Christi natura praesens. Cum autem *συγγραμματεῖς* omnia ista: Fides facit praesentem deum; fides facit praesens corpus Christi, et similia sua auctoritate adserant citra scripturam: non debemus committere, ut de nobis idem dici iure possit, ut scilicet absque scripturae auctoritate nobis credi velimus. Quum ergo dicimus: essentia deum sive natura et potestate (quod pridem Theologi essentiam et potentiam vocabant) ubique esse praesentem, non de nostro proferimus (etiamsi nonnihil huc faceret infiniti contemplatio) sed ex divinorum hominum oraculis. Ieremias 23: 23. comminatur impiis istis, qui monitorem non recipiebant, in persona domini: Nonne deus de propinquo ego sum, et non deus de longinquo? Num absondetur quisquam in latebras, ut ego non videam eum? Nonne coelum et terram ego impleo, ait dominus? At multi sunt, quos favore suo non prosequitur deus: destinavit enim eos, ut sint vasa irae. Non loquitur ergo de misericordiae ac favoris praesentia Ieremias, sed de naturali, qua ubique praesens est, omnia tenet ac moderatur. Sic neque daemon est, nisi quia deus est: nam in ipso sumus ac movemur, ut Paulus ex poeta citat. Idem Rom. 11: 36. volens disputatorum audaciam compescere, inquit: Ex ipso et per ipsum et in ipsum sunt omnia (nam *in ipsum* schematismus est pro *in ipso*, a quo nec Latini abhorrent; praesertim Iurisperiti, in senatum est, pro in senatu, dicentes), quod deus sit essentia ac consistentia rerum omnium. Cur ergo cum eo disputemus?

Sic protinus variant fidem super corpore et sanguine Christi, cum dicunt: Sic ergo si credat, corpus et sanguinem bibat (hoc est credat), habeat oportet corpus et sanguinem praesentia. Hactenus isti. Diligenter expende illorum vafre dicta! Cum enim dixerunt: Sic ergo si credat (quisquis tandem) corpus et sanguinem bibat, hoc est credat: si volunt intelligi dicere, quod quicunque credat, corpus et sanguinem habeat praesentia, nihil alienum a nobis dicunt. Nos enim fidem in Christo Iesu citra notionem corporis et sanguinis eius ne intelligimus quidem. Hinc enim Iesus salvator et Christus unctus est, quod adsumto corpore nos salvet ac odore suo in vitae suae aemulationem adducat. Sed sic non est corpore magis praesens quam Petrus: in mente enim solummodo est. At simul volunt hac stropha sententiam suam in simplicium animos instillare, ut cum nos de mentali sive spirituali putemus loqui praesentia, rudes tamen interim de corporea intelligant. Si ergo volunt dicere: Qui fidit Christo, habet Christi corpus praesens: hoc est, Christum

salvatorem citra mentionem corporis non habet: idem adserunt quod nos. Christus enim Iesus tum vocatus est filius dei, quum trabea carnis amictus prodiret. Si vero his verbis (si credat, corpus et sanguinem bibat) dicere volunt: Si credat se corpus et sanguinem corporaliter esurum, cur ergo ex Ioan. 6: 54. haec verba *Corpus et sanguinem bibat* sic exposuerunt: hoc est, credat? Dicere enim oportebat: hoc est, credat se corpus et sanguinem comesturum non absolute, hoc est credat. Vide ergo primum haec verba iterum: Sic ergo si credat, corpus et sanguinem bibat (hoc est credat), habere oportet corpus et sanguinem praesentia. Vidistin? qualianam esse putas? Arbitror talia quae non aliud portendant, quam fideles mente praesens habere corpus et sanguinem Christi. Nos idem adserimus. Sed iuxta hoc, vides eos non hoc velle, sed hoc: Quod qui credat se comesturum corpus, comedat. Deinde imposturam hominum si nondum vides, vel hinc metire! Ubi priore loco dixerant: Sic ergo si credat, iam nihil fuisset opus addere veluti membrum aliud: Corpus et sanguinem bibat, hoc est credat. Sua sponte enim sequentia cohaesissent ad hunc modum: Si ergo si credat, habere oportet corpus et sanguinem praesentia. Nam hoc quod sub specie membri addidit: Corpus et sanguinem bibat, cum etiam sic exponit: Hoc est credat, quid aliud est quam *ταυτολογία*? Perinde ac si diceret: Sic ergo si credat, sic ergo si credat. Nunc arbitror fraudem sentis, videlicet, quod in procinctu fuerunt ad dicendum, qui Christo fidat et credat se corpus et sanguinem edere, edere; quumque hoc poenitendum videretur, retro pedem tulerunt, et corpus et sanguinem edere exposuerunt pro credere. At nihilominus hoc voluerunt insinuare sciolis ac rudibus. Aut, quod antea confutatum satis est, quod *Christo fidere* corpus Christi corporaliter praesens reddat. Hoc enim est illorum dogma, quod rés, ut est apud se ipsam, dum creditur ac verbum simul profertur, quo de re facti sumus certiores, praesens fiat. Quod quidem dogma tot sunt non solum incommoda et absurda quae sequuntur, ut dicere plura pigeat. Unum ac alterum dicam: Fiet ergo, ut cum fido Christo Iesu et dico: Hoc est corpus meum, absque pane (negant enim suaves isti vocem istam *Hoc* panem demonstrare) adesse corpus Christi atque edi. Deinde, ut non satis sit, quod Christus de Pharisaeis dixit, quomodo domus viduarum devorent, si intelligas quod per hypocriseos ac blandiloquentiae artes a stultis mulierculis extorquerent omnia; sed simul pharisaeos tam vasto esse hiatu oportet, sic ferreis aut adamantinis dentibus, ut domos commolere ac deglutire queant. Huc enim tendit eorum dogma: rem, etiam si intellecta et credita sit, verbo tamen realiter praesentem fieri, si verbo credas. Sic iterum fiet, ut electi non solum sint optima fruituri vita in coelis, sed esuri etiam ac potaturi. Quia Christus dixit: Disposui vobis ut edatis et bibatis ad tabulam meam etc. Non enim satis est tropum intellexisse, verum etiam in rem praesentem venire oportet. Hactenus de vehiculo corporis verbo, deque verborum variatione, quo magis videas *λογομάχους* esse ac tenebriones, qui imprudenti ac per adfectum obruto imposuerunt. Cum enim *ἁπλᾶ καὶ σαφῆ τὰ δίκαια* esse oportere moneat orator: isti nullius rei potius candidati quam rhetorices obliqua obscuraque reddunt sanctissima et

clarissima. Quorsum enim attinet Scotistarum more tot inversa discrimina: Verbi externi primum, mox interni; deinde horum cum re de qua sunt, ac postremo cum re quae naturaliter etiam advehatur, nunc fide, nunc verbo, fingere? nisi quia nebulas offundere simplicium oculis statutum est? *τὰ σῦκα σῦκα* simpliciter ac plane loquuntur, qui candidi sunt. Sic dicendum erat, et sic ordo constituendus quomodo dixerunt apostoli: Deus dedit mundo propitiatorem atque intercessorem filium suum. Ecce tibi rem, ut si philosophiam quoque spectemus, a cognitione quid est et quia est potius ordiamur, quam ab accidentibus et posterioribus. Hoc credentes praedicant apostoli. Quod ergo praedicant, non est aliud quam res ipsa: rem enim praedicant, non ut verbo naturalem aut corporalem Christum exhibeant (nam si hoc facerent, crucifigi eum denuo oporteret: ad hoc enim natus est ut crucifigeretur; et si ad unam speciem exhiberetur, necesse esset ad aliam quoque exhiberi), sed ut eo fidant qui sic natus est, vixit, cruci adfixus est. Quod ut fiat, verbo effici non potest praedicantis, sed spiritu trahentis. Toto ergo coelo errant, quum putant verbo vel rem ipsam vel fidem ipsius rei dari. Nec obstat quod Rom. 10: 14. scripsit Paulus: Quomodo credent, quod non audierunt? Nam et postquam auditum est verbum, nemo abit credens, nisi tractus sit spiritu spiritus. Tam abest ut verbo vel fides vel res, quae est fidei obiectum, detur; sed res docetur, quam capiunt non quotquot audiunt, sed quibus aurem animi vellicat spiritus. Iam quod docetur verbo primum considerari oportere clarum est, secundo loco verbum, quod nihil aliud est quam rei imago: quae si capitur, iam sensum aperuit deus; si creditur, iam tractum est pectus. Hic gradum sisti oportet: non enim vel intellectus vel verbum rem aliter praesentem facit, quam scientia quamlibet rem; neque spiritus aliter quam fidei certitudine. Nam si naturaliter quoque praesens fieret: cogeremur carnem Christi edere carnaliter aut de vita aeterna periclitari. Dicit enim Christus: Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem: non habebitis vitam in vobis. Hic inquam, si non satis est tropum intellexisse, qui tantum valet, ac: Qui non crediderit praedicato scilicet Evangelio, condemnabitur; nec fide firma Christo per spiritus gratiam adiunctum esse, sed rem praesentem quoque fieri oportet: iam salus nulli contingere potest, ni rem ipsam habeat et edat. Evacuabitur ergo fides, cui toties promissa est in scripturis salus et statuetur carnalis manducatio; nec sola fides sufficiet.

Sed et istud ferme exciderat, quod *συγγραμματεῖς* in hac oratione, verbum aeternum, obscuritatem qua lateant, quaerunt. Fingunt enim simplices miras aeterni verbi imagines ac significantias, cum tamen *verbum* aeternum Hebraismus sit, quo *res* aeterna significatur atque adeo divinitas aut huius consilium. Sic ergo dicentes: Est verbum externum, internum, et postremo verbum aeternum, quod rem praesentem reddit quam credimus: rudem auditorem circumscribunt, qui veluti discrimen quoddam facit inter rem cui fidimus, et verbum aeternum. Quasi verbum aeternum peculiaris quaedam res sit, quae praestet praesentemque faciat rem, quam et intelligimus et credimus, cum tamen sint eadem. Nihil est enim verbum aeternum aliud nisi res aeterna de qua

docemur; cui, quum tracti sumus, fidimus. Vide nunc quam intempestive calliduli sint, cum aiunt: Est deinde verbum aeternum, quod rem ipsam praesentem facit. Volunt enim rudibus hoc ingeri quod diximus, videlicet verbo aeterno rem, cui fidimus, praesentem fieri: quum verbum aeternum et res, hoc est *Deus ipse*, sint eadem res. Sed veniam fortasse mererentur, nisi tam probe sibi constare videri vellent, ut omnes prae se mortales merito contemnant. Ignorantia enim labuntur, quae eis ex auctoribus vetustis, non probe cognitis, provenit. Quum enim de initio Ioannis Evangelii loquuntur: *In principio erat verbum*, omnes servant Hebraismum, sic loquentes: Verbum aeternum quod apud patrem fuit, aut aliter: quum tamen nihil aliud velint quam divus Ioannes, qui et ipse nihil aliud voluit nisi dicere: Haec res, de qua locuturus sum, filius dei sic est, ut deus ipse sit. Est autem *Verbi* significatio amplior ac splendidior apud Hebraeos quam *Rei* apud Latinos. Hinc ergo per ignorantiam hauserunt, quo et se et alios seducerent. Stupent enim ad tropos non aliter quam tygris ad hominis vestigium. Donanda venia est ignoranti, sed privato. Qui vero se scribendo publicum fecit, acrius est coarguendus, quum docere fuit ausus quod nondum plane didicit. Res ergo ac verbum aeternum deus sunt, deique consilium et quicquid est. Ea nobis praedicatur, ut agnoscamus agnitaeque nitamur. Haec est pia et inaffectata traditio, quam et ratio capit et religio. Verbum aeternum adfert rem, et similes sermones pigmenta sunt λογομάχων et impostorum quo veritatem vitient. Tam multis cogunt nos tecum agere, qui verborum fundamentis nituntur, plane invitissimum. Habes ergo claritatem eorum esse obscuritatem, nebulas, imo noctem atram. Reliqua, quae in ipsis desideramus, puta ironiarum, scommatum et sarcasmorum sive frigus sive importunitatem, non est cur latius prosequar, uno isto addito quod scripturae testimonia ferme nunquam citra violentam detorsionem adducunt. Dolet ergo nobis non hercle propter animi impotentiam, sed tuo Ecclesiaeque nomine, tantopere abs te commendatum esse librum, qui factiosam proterviam prae se fert, non piam eruditionem.

Quod Oecolampadius, vir incomparabilis, maluit, quae contra vestram adsertionem sunt cum modestia in medium adferre, quam nominatim quicquam confutare, fraudi vertis; at quam candide ipse videris. Ego idem feci, consultius fore arbitratus, ut nominatim neminem offenderemus, nisi nominatim aliqui contra nos scripsissent. At in his ea semper attulimus, quae vestris occurrerent ac revellerent. Da enim quaeso aliquid ex omnibus, quae pro vestrae sententiae confirmatione uspiam prodidistis, cui non saepius iam responsum sit! Sed sunt quidam adeo pugnaces ac irae impatientes, ut eis magis delectentur quae amara sunt et hostilia, imo Scythica et fatalia, quam placidis, neque tamen adulatoriis, sed alacribus et firmis. Quare, si recipere voluissent, dudum haberent, quibus viderent sua esse confutata; nisi perpetuo mallent vulneribus ac plagis omnia concidi, quam diligenti minimeque tumultuosa cognitione componi.

Buceri argumentum, quo nimirum dixit Christum nuspiam fecisse miraculum quod nemo sentiret, iterum contumeliis magis quam scripturis aut

argumentis confutas. Da enim miraculum, quod non sit sensibus humanis exploratum! Ad dexteram, ais, sedet. Miraculum hoc est. Sed num non viderunt discipuli eo conscendere? num non isthic vidit eum Stephanus? Ut interim taceam, quod magnum est discrimen inter ea miracula quae in nos sunt edita, et inter ea quae circum ipsum facta sunt. Sed ais: At hodie non videmus. Quid tum? Sed hodie credis olim esse visum. An enim videmus hodie mortuos excitari corpore, Christum resurgere, hydropicos sanari, caecos luci restitui, et laetum, qui paralyticus fuerat, sublato in humeros grabato, oggannientibus nequicquam superciliosis, non licere sabbato lectum tollere, domum redire? Itaque neque hodie videmus Christi miracula, sed olim esse visa credimus; et Christo ipsi credimus qui claris verbis praedixit se ascensurum, et apostolis qui testati sunt se vidisse. Nam alioqui fidem transfigurationi eius quomodo haberemus, non nos, sed novem discipuli? tres enim tantummodo viderant? Regnare etiam inter ea censes miracula, quae non videantur; sed imprudenter: ut enim videremus dominum esse rerum omnium, ventis imperavit, soli, petris, et quibus non? Neque miraculum ex regno iuste facimus: non enim philosophis inter miracula numeratur, quod deus regnat, nisi Christum negemus cum Iudaeis et Arrianis esse deum. Vivere itidem deum non est inter miracula. Sed hominem, ais, et mortalem et vivere miraculum esse. Quod si dei filium humano quoque more vivere miraculum est, an non visus est vivere quem lapides non potuerunt morientem aspicere? Si vero nunc vivere miraculum est, etiam hoc visus est: surrexit enim ac suis adparuit per quadraginta dies. Vide iterum, mi Luthere, quid patiaris, quum hunc *συναθροισμὸν*: ita Christum sedere ad dexteram patris, regnare, vivere, agere est falsum etc. tam vehementer intonas. Sint enim omnia quae connumeras miracula: at singula sunt sensibus humanis exposita. Ubi vero corpus Christi sic unquam est, vel in pane aut ex pane commanducatum, ut sensus ullus mortalium cuiusquam quicquam vel senserit vel viderit? Cur istud unum ac solum inter omnia miracula (a nobis, non a Christo neque apostolis sic adpellatum) nusquam est expressum? aut quomodo miraculum est, ubi nemo sensit quidquam fieri quod admirari potuerit? Quod enim nos tradidimus per miraculum fieri, eiusdem est auctoritatis, cuius est, cum Physici dicunt, Phoenicem ex suis cineribus renasci: perhibent quidem, sed frustra. Miraculum ergo esset, si sic Virbii more iterum coalesceret. Cum autem nulli hominum unquam sit visum: non ideo sic fit, quod a vobis sic est fictum.

His spiritibus credat, inquis, doceri veritatem, si quem perire delectat, cum non nisi manifestis mendaciis ortum dogma susceperint, mendaciis adserant, tum perfidia alienos libros corrumpendi propagent. Hactenus tua fideliter arbitror annumeravi, ne iterum perfidiae ac mendaciorum traducas. Si ad ista aequali fervore, ne dicam furore, responderemus, quid quaeso fieret? Vitilitigatio. Ego mendaciorum sic a puero alienus fui, Luthere, ut mendacii nemo unquam nisi mendacissimus insimulaverit. Quales nostri sint quos ob insignem tum eruditionem tum pietatem merito suspicimus, nihil ambigo; quales autem vestri, nihil moror. Cupio ex te scire quibus mendaciis fulti rem gesserimus.

Quod si adhuc in eo haeres errore ut nos putes errare, cur mendacium vocas, quod error est? An perinde valent error ac mendacium? Ego tibi dicam, neque mentiar, qui iure dici mendaces debeant. Qui veritatem dicunt mendacium esse; qui quod domi sciunt non sic habere, foris tamen adserunt seque esse in hac sententia; qui seditiosis clamoribus ac calumniis contra eloquia divina procedunt; qui auctoritate sua confisi defendunt quod scripturae auctoritati repugnat; qui scripturae ingenium vitiant, et sensum, quem eadem scriptura recipere nequit, obtrudunt, hi denique mendaciis agere dici possunt. Iam ergo nos percense, et considera num aliquid violentum aut fraudulentum aut callidum invenias. Nonne sensum quem adseveramus apertissimis scripturae locis munimus? an alicubi dicta alibi negamus? Aut quid quaeso tandem admisimus, cur tam aspere in nos debaccheris? Iam sexcenties monuimus non temere a nobis propositam esse quaestionem, sed ferme per omnium ora volantem suscepisse nos. Num ergo opinioni alicui subscribere mendacium est? Adparet te adfectui omnino indulsisse, qui contentus non fuit dicere: Erras; nisi adderet: Mendax es. De eo vero, quod his spiritibus credere debeat qui perire velit, sic habeto: Inter nos non esse, qui spiritum crebro iactent. Quam autem fideles simus domino nostro in talenti crediti procuratione, quamque impigri ad omnem laborem, quo lucri quamplurimum referamus, non tui est iudicii neque sententiae. Is novit qua quaeque faciamus fide, qui solus corda hominum explorata habet. Nam si maxime erraremus in hac opinione vestra: citra tamen salutis dispendium erraremus, vobis etiam iudicibus, quum hanc quaestionem inter anxias et curiosas reiicitis, et quae integra salute praeteriri potuerint. Quid enim aliud adseritis, quum dicitis arguta ista non debere controverti? Nam si erramus, cur non convinceremur? sin minus, cur non controverteretur? Adparet ergo quod inter non necessaria eam reiicitis. Quomodo in nos iactas proditionis crimen, quasi interitum praedicemus, ad salutem annunciandam missi? quum ipsi inter initia ex curiosis esse potius quam necessariis definieritis. Nam quocunque tandem confugiatis: quid boni saltem promissum est corporali manducationi, nedum salutis summa? Cur ergo defectionis reos facitis? Postremum de perfidia, ad Bucerum peculiariter pertinere cum videam, etiamsi inter communia locaveris: non anxie diluam, cum criminis huius nunquam simus insimulati, neque Argentorati, neque Basilienses, neque qui Tiguri sumus fratres; sed pro veritate ex fide pugnamus. Quod autem Bucerus Pomerani Psalterio suorum quaedam addidit, non iniussu eius fecit: libertatem dederat homini augendi ac minuendi inter interpretandum. Cumque candidus homo putaret hoc serio sibi permissum esse: hoc consilio ad ea addidit, quae verae de Eucharistia sententiae consona videbantur, ut occasionem elabendi tam isti quam tibi praeberet; neque hoc clam fecit. Id vos, amici scilicet ac fidi, de quibus longe aliter quam de nobis hac in re meritus est (interdixeramus enim homini ab utraque interpretatione tam Latina quam Germanica non praeter causam), apud omnes perfidiam esse depraedicatis. Cur non videmus quid sit? Lis litem serit, et a lasso rixa quaeritur. Cum causa laboramus, rixam

quaerimus. Magna videlicet causa, etiam si erraret, attamen omnia usque adeo candide, cur perfidia illi opprobraretur.

Pergis in epistola de nobis loquens: Deinde cum optime tuentur, similitudinibus, coniecturis, absurditatibus et argumentis a particulari ad universale utuntur vitiosissimi disputatores. Haec tua sunt, ut interim de oratione nihil dicam, quae satis indicat quomodo adfectus tibi oculos praestrinxerit. Putas nos similitudinibus niti? Erras igitur, et in quo vos maxime peccatis, in eo nos accusas callidus patronus, dum occupas laudando, ut bene nobiscum esse actum putemus, si spicula depulerimus, contra non iaciamus. Quomodo enim similitudinibus utimur, cum rem, te iudice, minime paradoxam adseveremus? Similitudinibus maxime opus est, quum inopinatum aliquid, inauditum atque a communi sensu alienum docetur; nisi forte scripturarum collationem ac comparationem inter similitudines connumeras. Ut autem tua similitudine sola nitantur, non claris scripturae testimoniis: tum dicemus, quum ad sermonem tuum, adversus fanaticos editum, ventum erit. Coniecturis uti sic licet, ut status in eis locari posse rhetores perhibeant: etiam si testes, conscii, instrumenta signaque desint. Quod ergo coniecturis utimur non erat adeo tumultuose obprobrandum, sed artificiose comprobandum, quod coniecturis uti in controversia ista non liceret. Nam si hoc est convellere, dum adversarii argumenta non dissolvo, sed reiicio: iam nemo tam imperitus est, qui non possit ad omnia, quae contra dicuntur, respondere. Signis ergo ac subinde coniecturis (sunt enim adeo vicina, ut nonnunquam aegre alterum ab altero discernas) cum Christus sit usus multis locis: ut cum dicit: Si mihi non vultis credere, at operibus credite! Si Mosen et prophetas non audiunt: neque si quis ex mortuis resurgat, credent etc. cur nobis non liceat eis uti? praesertim quum coniecturis ne hi quidem abstineant, qui in eis statum non ponunt. Divites causae sunt, quae in omni statu defendi possunt. Usos igitur scias nos coniecturis, non quod firmamenti praeter eas nihil haberemus, sed ut pius lector videret etiam istas a nobis stare. Love enim argumentum putemus, quum dicitur: Apostoli non intellexerunt hunc Christi sermonem *Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur* naturaliter? Non arbitror. At quomodo probabitur? Coniecturis evidentissimis. Apostoli nihil sunt admirati, alioqui ad sublimia cuncta teneri ac rudes. Hanc coniecturam omnes verbo reiicitis, non argumentis: cum tamen istud quo nititur firmius sit, quam quicquid vos pro universa causa vestra profertis. Hoc scilicet: summum omnium miraculorum a plerisque putatur esus in pane Christus. Sed apostoli nihil sunt mirati; ergo nihil hic intellexerunt esse miraculi. Quid ad istud argumentum potestis verisimile quaeso respondere? Nunquam non dicitis, sed nihil ad rhombum? sed tantum ne tacuisse videamini. Item eadem quaestio simili coniectura probatur, nempe ista: Apostoli non adorarunt: Nos adoramus. Ergo Apostoli non habuerunt eandem de coena nobiscum sententiam. Item Christus non coarguit, quod nihil talium fecerint; ergo huiusmodi non requirebantur: nusquam enim tacuit, ubi error potuit suboriri. Item Apostoli nihil sunt cunctati, nihil responsarunt, nihil interrogarunt, et tamen horum nihil fecerunt quae nos; non ha-

haerunt ergo eandem de hac re nobiscum intelligentiam. Item Thomas renuit credere Christum a mortuis resurrexisse. At si in coena credidisset se corpus Christi edere: non potuisset tam pervicaciter esse incredulus. Item, quod Iacobus hortatur, ut si quis inter nos aegrotet, seniores apud eum conveniant; pro ipso orent, ungant: cur non dixit: Christi corpus cum eo participent? Praesertim quum perhibeamus fidem hoc esu stabiliri, peccata remitti? Item: Una fides, inquit Paulus, unus baptismus: cur commanducati corporis Christi non meminit? Si enim corporeae carnis Christi esus in ecclesia eius requireretur: non pepercisset dicere: Et unum Christi corpus edimus ut unum illius corpus simus. Sed de coniecturis iam mittimus loqui.

Signa nunc addam et instrumenta. Quod per omnia templa et basilicas, quae cis Rhenum sunt, domicilia, in quibus sacramenta custodiuntur, non vetustiora sunt ducentis annis, aut paulo plus: signum est, ante tot annos Eucharistiae sacramentum eo habitum loco quo nos habemus. Tiguri urbe vetustissima cum hoc anno arae omnes tollerentur: nulla prorsus inventa est quae cum templo excitata esset. Quid? an hoc signum non est, ad octingentos hinc annos aras nondum fuisse? Sacerdotia missalia, quae Capellanias nostri, alii Vicarias vocant, tam Tiguri quam per omnes Helvetios, Argentoratum usque, vetustiora, trecentis annis non inveniri, etiam ad signa pertinet. Glaronae ac Tugii reperti sunt missales libri, non ad plenum trecentorum annorum, qui rubricas huiusmodi continent: „Ac mox, ut baptizati sunt infantes „scilicet, detur eis panis et vinum corporis et sanguinis domini." Quod multo est omnium fortissimum, eos qui tum erant de Eucharistia non sensisse ut nos videri volumus: alioqui enim pueris infantibus non porrexissent. Mitto multa, sed non etiam istud: quod Lucernae Helvetiorum pago, ea die quam *coenam domini* etiamnunc vocamus, in coenaculum vel aulam unam conveniunt, qui in curia sunt, Canonici et Senatores urbis, cum Praeposito collegii. Ibi legitur nescio quid ex sacris literis aut patrum sermonibus. Interea inferuntur vinum et panes azymi; quumque iam tempestivum est, surgit Praepositus et panem benedicit, his verbis: Haec dona caritatis benedicat dextera dei patris. Mox et vinum hoc modo: Hoc poculum caritatis benedicat dextera dei patris! Protinus religiose edunt qui sedent et circumstantibus praebent, ac simul itur in templum; ac panum infermentatorum magna vis circumfertur. Post concio sequitur. Quod itidem signum est veteris coenae. Hoc non ideo scripsi quasi non passim apud omnia collegia quid simile deprehendatur, sed ut ostendam paulo tardioribus, domi habere quo discere possint maiores nostros non sensisse, quod corpoream Christi carnem in pane ederent: etiamsi nobiscum panem symbolicum corpus dominicum appellarunt.

Instrumenta habet Collegium nostrum Tigurinum annos nata plus septingentos, in quibus nulla Missae fit mentio. Ordinis Benedictini ac Bernhardini monachi passim inter Helvetios sic sunt instituti, ut corporis dominici aut Missae nulla fiat mentio in Diplomatis eorum: etiamsi quidam inter trecentos annos instituti sunt. Atque haec omnia similiaque, si perpetuo reiicitis, vera tamen sunt et potiora vestris omnibus.

A particulari vero ad universale tam non ratiocinamur, quam vos constanter hoc adseritis de nobis: id quod iam saepenumero admonuimus. Nunquam enim sic colligere voluimus: *Est* alicubi accipitur pro significat; ergo ubique accipitur pro significat. Sed vos, quotiescunque hoc caveremus ne diceretis, contumaciter imputastis quod sic colligamus. Quod et nunc caveo, etiamsi non recipiatis. Sed hoc voluimus ostendere, *est* pro significat accipi non abhorrere a scriptura sancta. Cum ergo haec Christi verba *Hoc est corpus meum* etc. simplicibus possint videri violenter esse torta, si citra scripturarum exemplum ad hunc modum exponam: *Hoc*, quod hic agitur, significat corpus Christi pro nobis occisum esse, volui ex scriptura ostendere, quod eius permissa liceret, *est* per significat exponere. Ut cum dicimus: Videndi verbum in scriptura saepenumero accipitur pro intelligendi verbo, quod et in profanis tum Graecis tum Latinis fit: exemplum damus: Iesus autem ut vidit cogitationes eorum, hoc est, ut intellexit aut sensit. Iam non volumus dicere, ubique videre pro intelligere accipi; sed ubi sententiae vis hoc exigit, iam non abhorrendum esse lectori ab hac expositione, cum exemplis huiusmodi scriptura abundet. Vides ergo et tu nunc, nos non vitiose colligere; sed vos, quam recte quamve vitiose tu perpende, nobis imputare, quod nunquam tam oscitantes fuimus ut cogitaremus. Cur ergo tam acriter proscindimur? An hic est boni spiritus index, fratris se ipsum exponentis et adperientis sermonem non admittere? Vos, inquam, estis, qui nobis invitis ac reclamantibus universalem infertis. Si dicas: Ergo vicimus, quia non possunt cogere, *est* pro significat, aut figura est accipi: iam et hoc dudum dissolvimus, quum docuimus ex aliis scripturae locis (qui perpeti nequeunt ut *est* hoc loco naturaliter accipiatur) aliam omnino esse oportere horum verborum expositionem. Ibi quidam ex vobis aliorum locorum collationem nolunt audire: quod quam periculosum sit ac impium aliquando sequetur.

Subiungis continuo ista: Nullus vero angustias conscientiarum nostrarum clamantes dignatur audire. Ubi dicimus: Clara adpertaque sunt verba Christi: *Comedite! hoc est corpus meum:* hic conscientiae, inquam, nostrae captae sunt; monstrari cupimus locum, qui cogat nostrum sensum in his verbis esse falsum. At hic nemo hiscit in tot libris eorum. Haec est conscientiarum vestrarum querimonia. Nolo quicquam durius aut falsius in te iactare Luthere, tametsi te his verbis opportunum facias apologo isti, quo dicitur quidam eum quaesivisse equum quem insidebat. Nos unum hoc agimus, ut collatis scripturarum locis huc negotium omne pertrahamus, ut adpareat haec verba hunc sensum habere, quem prima fronte prae se ferunt, non posse. Et tu dicis monstrari vos cupere locum qui hoc cogat? Volentes ergo palpitatis compressis luminibus in media luce. Sunt autem hi et similes: Caro non prodest quicquam; ergo non dedit nobis eam vescendam. Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram dei patris omnipotentis; ergo non est in pane. Iterum: Relinquo mundum; ergo non est hic. Nam deitate non reliquit; sed neque relinquere potuit. Expedit ut vadam; ergo non expedit ut hic sit. Adde coniecturas, testimonia apostolorum

et quicquid in hunc usum toties dictum est, quae omnia non aliter quam contumeliando et conviciando depellitis. De quibus omnibus infra latius dicetur, etiamsi denuo. Nunc ad tua redimus, quibus sic ingemiscunt conscientiae vestrae.

Obiiciunt nobis carnem nihil prodesse; at hoc sciebamus. Quaerimus aliud, nempe de isto loco: Hoc est corpus meum. Hactenus tua. Oportet vehementer esse morosum aegrotum, qui nihil quod ei exhibeas boni consulit, nihil degustat. Si, mi Luthere, sciebatis carnem nihil prodesse: quomodo venistis in hanc sententiam, ut opinemini Christum eam vobis dedisse? Cur non sistitis gradum hic, si scitis carnem nihil prodesse? Aut quomodo scitis nihil prodesse, quum eius esu adseratis fidem fulciri et peccata remitti? Quid remos impellitis? in portu navigatis; nisi carnem nihil prodesse non quomodo nos intelligatis. Exponam igitur nostram de his verbis intelligentiam; quam cum audieritis, nolite ad morem importunorum hominum ultra contendere. Non arbitror istud a vobis requiri, ut altius repetam de argumento aut materia sexti apud Ioannem capitis: in hoc enim puto omnes convenimus, Christum isthic per carnis suae praedicationem nihil aliud, nisi in se dei filio spem ac fiduciam omnem esse locandam, docere voluisse, eo quod ipsam pro nobis dependsurus esset hostiam, qua patris iustitia placaretur. Quae quidem allegoria eo festivior est quam aliae, quibus idem docet, quod intra duarum naturarum suarum alloeosin manet; tum deinde, quod mimesim Iudaeorum pulchre servat, qui nihil quam nudum hominem esse aut existimabant aut saltem existimare videri volebant. His veluti obprobrans errorem dicit carnem suam vere esse cibum, non hercle carnem intelligens, sed potiorem naturam, quae carnem adsumserat, ut ea perlitaret ac placaret aeternam iustitiam; per allocosin de mortali natura loquens, quum tamen de immortali sentiret: ea enim qui fidit beatus erit. Iudaei ergo hunc Christi allegoricum sermonem iuxta eius mentem non ceperunt, absurdum putarunt esse, ut caro eius ederetur, quum ipse non carnem sed fiduciam in dei filio intelligeret; ac non sibi modo, verum etiam discipulis quibusdam remurmurandi et resiliendi occasionem dederunt, quum dicerent: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare manducandam? Quam eorum contumaciam multi discipulorum secuti talem deficiendi commoditatem inveniunt, ut dicant: Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? Videns itaque Iesus eos de isto remurmurare inter se, dixit: Hoc vos offendit? Si ergo videritis filium hominis illo ascendere ubi prius erat? Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quicquam. Verba quae ego loquor vobis, spiritus sunt et vita sunt. Haec, inquam, Christi verba sic intelligimus, Christum plane respondisse Iudaeorum errori, quo putabant eum de carne corporea locutum, quasi istam commanducatam oporteret: Quod caro sit ad edendum prorsus nihil utilis; imo ad fidendum quoque, si modo naturaliter ac solam consideres. Ait enim: Spiritus est qui vivificat. Spiritum ergo esse oportet, cui fidas. Hunc autem sensum plerique vestrum missum faciunt, ac perhibent Christum de carnis sensu atque ingenio locutum esse, quod is nihilum prosit: quemadmodum Paulus et Iesaias testantur. Quem errorem audacter magis quam prudenter in hoc con-

fictum, ut minus urgerentur ac deturbarentur a carne Christi, cui plus aequo inhiant, his causis refutavimus: Primum, quod Evangelista tam ante ista: Caro non prodest quicquam, quam postea diserta et plana multa posuit, quibus facile deprehendi potest naturalem sensum horum verborum eum esse, quem nos sequimur. E quibus hoc primum est: Videns itaque Iesus. Intelligebat enim Iesus quod isti cogitabant; ut nihil cogitabant de inimicitia carnis et spiritus, quam isti hoc loci tam intempestive introducunt. Unde non est verisimile ipsum extra oleas, quod dicitur, excurrisse, sed eodem proposito haesisse, donec quod obscurum erat discipulis declararet. Secundum autem est, quod ait: Videns Iesus quod de isto murmurarent inter se, dixit. En quam adpertis notis omnia commonstrat, ut videamus eum perstare in eadem materia. Quod de isto murmurarent, inquit. De quo isto? De horrore carnis alius ad alium aliquid effutiebat. Ingenii autem carnis ac spiritus cum hic nulla habeatur mentio: non possunt haec verba (quod de isto murmurarent) ingenium carnis et spiritus demonstrare. Et quod verbum *dixit* continuo adiungit, identidem ostendit ipsum ad hoc respondisse, propter quod remurmurarent. Tertium est, quod ait: Hoc vos offendit? *Hoc* quid hic quaeso demonstrat? Carnis sensum? At de isto nihil erat locutus Christus; quomodo ergo potuit eum demonstrare? Offendit ergo, quod carnem suam edi oportere toties adseveraverat. Quartum, quod iam lucem inferens ait: Si ergo videritis filium illo ascendere ubi prius erat? Quibus verbis admonet, nunc quidem eos non credere se dei filium esse, sed omnia invertere atque ad humanitus edendam carnem trahere. Cum autem eum videant ad coelos ascendere, tunc rei experientia confessuros esse, et quod sit dei filius, et quod de fiducia in se sit locutus, non de edenda mordicus carne, quam videant ad coelos demigrare. Cumque ista iam satis plane arguant Christum in *ὑποθέσει* prima perstitisse, tamen quae sequuntur, veluti torrens, quicquid obstare videtur tollunt. Quintum: Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba quae ego loquor vobis, spiritus sunt et vita sunt. En vobis spiritum vivificantem. Cur ergo vitam toties carni tribuit? Qui edit carnem meam, habet vitam aeternam etc. Quia is deus vivificans erat, quem isti purum hominem arbitrabantur. *Κατ' ἠθολογίαν* ergo, et mimesin, quae allocoseos species sunt, hoc est, per imitationem, qua iuxta sermonem ac opinionem hostium suorum loquebatur, *carnis* verbo utitur et *spiritum* intelligit, hoc est, divinitatem suam, quoties carni vitam tribuit. Tandem igitur, cum frustra illis tam divinum carmen cecinisset, veluti severior eorum contumacia redditus: Inertes, inquit, an putatis vitam, quae spiritu constat, ex carne manare posse? Spiritum esse oportet, quod vitam dare possit. Spiritus ergo est qui vivificat; caro nihil prodest, ad vivificandum scilicet, si comedatur: nam isti manducatae carni putaverant eum vivificationem tribuisse. *Verba quae vobis locutus sum*, quaenam? Caro mea vere est cibus et similia, spiritus sunt; hoc est, de spiritu intelligenda, quod scilicet is vivificet. Ut, mi Luthere, tui hic furerent, si orationem hanc *Spiritus sunt* sic exponerem: *spiritum significant:* hoc sensu, quoties carnem adpellavi, toties spiritum signi-

ficare volui et vitam. At cur tanti referre putamus, quam formam tandem verbis tribuamus, quum sensus idem perpetuo maneat? Sed nolo quicquam morosius aut violentius designare, ne ulli sim impedimento, quo minus ad veritatem perveniat. Caro autem non prodest quicquam, manducata scilicet: nam ab illa comedenda abhorrebant. Liberat ergo eos horrore duplici antidoto: uno, quod spiritum esse oporteat, qui vitam det; altero, quod caro non possit vivificare. Quae quidem verba, ut brevitate resipiunt Hebraismum, ita nihil abhorrent a communi sensu non tantum fidelium, sed omnium hominum. Sextum, quo deprehendimus Christum de sua carne esse locutum, quod ista nihil prosit (perpetuo intellige ad edendum) permansisseque in proposito, cum eo quod ipse intendebat, tum eo quod Iudaei non intelligebant — haec sunt quae mox addidit: Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Quod si de carnis sensu atque ingenio locutus fuisset, cum diceret: Caro non prodest quicquam; non iam diceret: Sunt qui non credunt, sed: Sunt qui nihil intelligunt. Perstare ergo deprehenditur in fidei doctrina et erroris propulsione, quo putaverant eum de comedenda carne locutum. Postremum, quo uti huc placet (nam alioqui omnia verba adstipulantur nostrae expositioni) hoc est: Respondit ergo Simon Petrus: Domine ad quem abibimus? Verba vitae aeternae habes. Atque id nos credimus, et novimus, quod tu es Christus filius dei vivi. Iterum non dixit Petrus: Nos intelligimus quam gravis sit hostis caro, ut non modo non prosit, sed etiam obsit; sed *credimus* ait. Quicquid ergo hic Christo dicitur, ad fidei confutandique erroris de corporea carne materiam attinet. Iam ne hoc quidem est praetereundum, quod si maxime Christus vel hic vel alibi de carnis ingenio loqueretur, nunquam sic dicturus esset: Spiritus vivificat; caro non prodest quicquam. Quae enim in isto sermone gratia? An vero tam frigide unquam locutus est Christus? Dicturus erat: Spiritus vivificat; caro trucidat, aut ad similem aliquam modum. Non est enim in hoc sensu iucunda antithesis, imo ne antithesis quidem est. Nam caro non tantum nihil prodest, sed obest etiam; imo nihil est, imo pernicies est ac salutis exitium. At in proprio sensu pulcherrimum conflt *ἀντιπίπτον*. Cum enim ad depellendum errorem diceret: Spiritus est qui vivificat, iam auditor subito talem molitur obiectionem: Quid ergo caro, de qua tam multa? Iam sequitur in ipso orationis cursu: Caro non prodest quicquam, manducata scilicet, ad comparandam salutem.

Sed antequam vela colligamus in hac re, volumus et isti obiectioni satisfacere, quae dicit: Si Christus hic dixisset: Caro mea non prodest quicquam, iam nihil esset ambiguitatis relictum; sed cum in genere dicat: Caro non prodest quicquam, videtur de sensu carnis loqui. Quaero igitur contra: Quemnam spiritum intelligant, cum dicit: Spiritus est qui vivificat? Nonne spiritum Christi? Cur igitur in eodem iugo sive antipipto non intelligunt carnem Christi? Sed omnium est robustissimum quod fusc iam docuimus, ipsa orationis contemplatione manifestum fieri, Christum in eadem permanere materia, cum fidem docendi tum errorem radium convellendi.

Iam et istos non tacebimus, qui hunc locum ante nos in hunc sensum

exposuerunt, veteres omnes, Augustinus, Chrysostomus, Cyrillus; nostra vero tempestate omnes, quotquot vel commentaria vel adnotamenta scripserunt in Ioannem, quos mihi videre licuit. In hac sententia est Melanchthon, videlicet quod *caro* in ista oratione: Caro non prodest quicquam, non pro sensu carnis accipiatur, sed pro carne edenda, cum sic ait: Quod autem manducare sit credere, ipse exponit principio concionis: Qui credit in me, habet vitam. Et infra: Caro non prodest quicquam. Ubi Melanchthon posteriorem probationem a contrario ducit. In eadem est Lutherus in sermone, quem super his Christi verbis: Caro mea vere est cibus etc. habuit, ubi sic ait: Sic loquitur Christus ipse: Caro non prodest quicquam. Et iterum: Caro mea dat vitam. Quomodo ista componemus, sive concordia faciemus? Spiritus componit. Christus vult, quod *corporalis* manducatio carnis ad nihilum prosit etc. Recole tua, Luthere! Nam haec tua verba nunc in nullum usum adducimus, quam quod tu olim fueris in ea sententia, ut Christus hic: Caro non prodest quicquam, locutus sit non de ingenio carnis, sed de non edenda corporaliter carne. Unde non est, cur quisquam ista vestra hic obiiciat: Nos intelligimus corporaliter pro sensibiliter: nam hoc prorsus nunc non excutimus, sed hanc Christi sententiam: Caro non prodest quicquam, a violento intellectu adserimus, argumentis, coniecturis ac testibus.

Cur ergo, mi Luthere, vestrae scholae diversos sensus nobis depromunt? aut potius, cur ex ore tuo diversae expositiones eorundem tamen verborum, ac nulla circunstantia mutatorum, prodeunt? Pomeranus dicit ingenium carnis hic damnari, Melanchthon et Lutherus, carnalem manducationem doceri nihil prodesse. Quid quaeso factum est, ut non idem perpetuo sentias? Nam si negas te uspiam sensisse, Christum de ingenio carnis hic locutum esse (quod equidem ignoro, expresse feceris necne: sunt enim tua mihi ignotiora, quam nunc ad istam operam requiratur): at Suevorum librum tantopere commendas, in quo et hic error inter ceteros scatet, ut videaris probare expositionem. Quod si non probas, rem te indignam facis, cum tantopere commendas *βιβλιον*, quod tantam vim verbo dominico facit.

Sed utcunque habeat res, sive a te ipso dissentias, sive tibi undique constes, quod magnifice de te adseverasti: ad te litem istam de nativo sensu horum verborum *Caro non prodest quidquam* reiicio; attamen hac lege, ut nihil ex adfectu, sed iudicio iusto (quod esse nequit, nisi partium probationes et confutationes incorrupta cognitione expendantur) pronunties. Pomeranus et Suevi fortiter perhibent carnalem sensum hic damnari. Quibus argumentis? Nullis. Quibus testibus? Iesaia et Paulo. At isti verum quidem dicunt constanter et intrepide. Verum nihil ad rem, de qua iure decernimus. Quibus coniecturis? Nullis. Quibus signis? Nullis. Quibus instrumentis? Nullis. Quibus verisimilibus? Nullis. Nos carnis corpoream comestionem intelligimus negari. Quibus argumentis? Quod spiritui, hoc est, sibi deo vitam tribuit; carnis ergo esse non potest. Caro igitur manducata ad nihilum prodest. Deinde quod per omnem sermonem illum Christus carnis quidem vocabulo utitur, sed spiritum intelligit. Ergo manducationem pro fide ponit,

carnalem autem manducationem reiicit. Quibus autem testibus? Auditi sunt. Testes autem eorum tales sunt, ut iniuratis libenter credamus, si modo de ea causa testentur de qua digladiamur. At nihil minus quam pro ipsis dicunt. Quibus coniecturis? Quod si Christus voluisset novam ordiri materiam disserendi, certis hoc notis atque intervallis Evangelista distinxisset. Quibus signis? Quod defectionem non paravissent discipuli, si Christus de discrimine carnis et spiritus disserere coepisset; et quod Christi mos fuit non sinere, qui erraret, irrevocatum abire. Quibus instrumentis? Commentario Philippi et sermone Lutheri. Quibus verisimilibus? Quod quum immodica sint pro utraque parte dicta, nemo tamen ex adversa parte nostra vel argumenta vel testimonia unquam adgressus est infirmare. Unde adparet, eos omnibus destitutos domi ne sperare quidem ut superiores abituri sint. Quo verisimilius fit tam absurdam expositionem attulisse tantummodo, ne hastam viderentur abiecisse, antequam in conspectum hostis venisset: cum initio belli huius tam confidentes fuerint, ut aliis quoque *συμμαχίαν* ultro offerrent. Ad te, inquam, provoco. Habes praeiudicium non parvum, atque praerogativam non contemnendam: idem enim iudex es et testis, ni malis te ipsum abiicere. Quod si facies, cademus quidem uno teste, at non tota causa. Vides ut haec expositio (sive veterum placet sive recentiorum adpellare) sic undique munita constet, ut etiam adversarii se audeat iudicio credere.

Quid multis est opus, o cives, ipsa iudicis cunctatio in re tam adperta satis indicat quae pars sit victrix abitura. Sed quid ago? Ipse iam pronunciat. *Ψήφισμα.* (Ignosce quaeso quod paulo hilarius tecum ago!) Abdica igitur iudicis officium! Nunc tecum iterum agam, non ut cum adversario, sed per conscientiam anxio: gemituum enim tuorum angores sensi. Contingit autem saepenumero qui vehementer moesti sunt, ut consolatorem quidem audiant, sed non recipiant; nec dolorem ullis inhortationibus aut suadelis extrahi patiantur. Id quod vobis hic maxime evenit. Putatis enim nos tam inhumanos esse ut conscientiarum vestrarum angustias audire nolimus? quum tamen nihil aliud cogitemus, nihil aliud multis modis tentaverimus, quam ut omnium conscientiis hac parte consuleremus; maxime vero tuae, quem primarium esse propugnatorem Evangelii, Diomedem qui Venerem Romanam petere, Ionathan qui Palaestinorum praesidia solus adoriri fuit ausus, non inviti concedimus. Verum quid agemus? Eo reciderunt quidam, ubi nuper erant, qui ceremoniis atque operibus fidebant. Illis quicquid dicebatur, clamabant: Cur nobis divinum cultum animaeque refrigerium aufertis? Nullae valebant demonstrationes: numen his rebus coli nequire; locupletius esse quam ut his egeat; magnificentius quam ut delectetur; multo minus valebant eius numinis verba: ablactari nolebant. Sic et vos inanibus querimoniis omnia cum Pontificiis impletis: auferri salutem animorum, tolli Christum ipsum, tantas in deum nunquam iactas esse contumelias et id genus, impotentibus stomachis. Cumque ostendimus vos id pati quod somniantes, qui ubi casus aut vulneris imaginem vident, exclamant, ac excitati etiam aegre sibi restituuntur, ut somnium fuisse non rem veram intelligant: iam subito irruitis in nos non aliter quam

phreneticí in medicos: nihil potest obsecratio ulla; demulsio excipitur ut cucurbita gladio; ratio atque ἀπόδειξις id efficiunt quod paululum aquae in immensum ignem iactum. Quicquid enim hactenus tentavimus, quacunque via adgressi sumus, subito violentius exarsit incendium quam antea. Quae omnia (ut in viam redeam) quam vera sint, hic epistolae tuae locus comprobat, cum ais: Obiiciunt nobis carnem nihil prodesse; at hoc sciebamus. Quaerimus aliud, nempe de isto loco: Hoc est corpus meum. Hic te obsecro per quicquid est divinum atque humanum, ut gradum sistas et adfectum ponas, auscultesque paulisper! Si scielatis carnem nihil prodesse: cur aliis in locis perhibetis, non sine periculo simplicium, carnem firmare fidem, peccata abolere et praesens facere quod alioqui verbo tenus tantum doceatur? Nisi carnem nihil prodesse cum Pomerano velis intelligere, carnalem sensum esse noxium. Sed neque nos isto sensu adferimus hunc sermonem neque vos hanc expositionem nostram potestis revellere. Adparet igitur te non abhorrere a communi intellectu. Cur ergo medelam tam lentam et salutarem vulneri vestro adhiberi non fertis? Caro manducata nihil prodest. Nolite ergo edere! nihil enim alimenti praestat. Eam itaque si quis auferat, quid damni dat? Dum nihil aufertur quid querimur? Adparet umbras esse ac imagines, quibus extimulamur ad tam lamentabiles querelas, cum is, qui veritas est et de cuius carne digladiamur, sic doceat: Caro non prodest quicquam; nos vero contra sentire etiam adseramus, quantum boni detur carnis esu; ac qui se sentire negant, non modo errare, sed perfidos esse, mendaces atque haereticos clamemus. Quid nunc putas, Luthere? nonne manifestum fieri, quid ex adfectibus, quid cum iudicio dicatur? Quantum ergo ad conscientiarum vestrarum vulnus adtinet, securi estote! nihil patiuntur: imagines sunt et *φαντάσματα*, quae vos res veras esse putatis. Is enim qui via, veritas et vita est, ne forsan et ipsum quis putet somnio lusum esse quum ista diceret, negat carnem manducatam quicquam prodesse. Falli ergo cum possimus, ille vero minime: suspectum sit nobis putare conscientias refrigerio privari; quum ille neget refrigerium hic ullum hauriri.

Quod autem ad ista verba: Hoc est corpus meum? cur non videtis Christum corpus suum edendum non dedisse, cum caro non prosit quicquam ad edendum? At inquiunt: Non facit hic locus ad istum *Hoc est corpus meum*. Nam Ioan. 6. nihil agitur de hoc sacramento, sed repellitur crassus tantum de corpore aut carne Christi sensus. Ad quae nos sic respondemus, raro fieri ut contentio nihil dicat, etiamsi nihil dicat solidi. Quid ergo dicit? nugas meras, hoc est, inania verba concinnat et ex arena, quod dicitur, funem texit. Id quod hoc loco evidentissime comprobatur. Cur enim effugium quaerimus, eo quod hic nihil de sacramento agatur? Cum in sacramento agatur de esu corporis Christi, et hoc loco itidem: an non iam vertitur utrobique eadem quaestio? Si isti sinerent corpus et sanguinem sacramentum esse, neque ex mera cognominatione rem ipsam facerent: nunquam ineideremus in controversiam istam de edendis natura corpore et sanguine. Cum autem quaestionem eam, horum inscitia et pinguitudine, cogamur exercere: quid vetat quo minus ad eum locum recurramus ubi Christus nodum

istum secuit, tam etiam acuta solidaque bipenni, ut nulli hominum spes ulla sit habenda, quod hae partes iterum coëant, corpus et esus? Lex perpetua est, quoties quaestionem istam quis movet, ut ad hunc ante omnia sermonem adducatur: Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quicquam. I nunc Luthere, et querere nihil malagmati conscientiarum vestrarum vulneri adhiberi; quum tam aperte iam pateat, carnem ad edendum nihil prodesse. Quomodo tibi nemo hiscit? Nonne paulo ante requirebas ut locus adferretur, qui compelleret fateri sensum vestrum esse falsum. Hic hic Luthere compellit. Audin, siste gradum, noli aliud quaerere! in portu navigas. Hic murus aheneus esto, φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος. Vos quaeritis an ista verba: Hoc est corpus meum, naturaliter sint atque simpliciter intelligenda, quod corpus Christi edatur. Et Christus medicus (hinc enim Iesus, hoc est: servator ac pater patriae, adpellatur) respondet: Caro non prodest quicquam. Abstinete igitur ab ea, nisi parere medico non vultis, et discite, corpus Christi adpellari, non esse tam panegyrin quam symbolum, quod in ea circumferimus. Discite tropum esse, non ἄτροπον aut simplicem sermonem. Vel Augustino auctore, qui ad Bonifacium monet, corpus Christi esse non aliter, quam Christus resurgat aut coelos conscendat, quum dicimus: Hodie est resurrectio Christi; hodie ascensio. Quapropter nobis paulo tranquillius negotium hoc erit contemplandum, priusquam ista ἐξοδενώσει nasique suspensione utamur: sciebamus hoc, quaerimus aliud; et: hoc sciebamus, aliud quaerimus. Et quicquid tandem praebetur, semper aliud quaeritis, suspendio nimirum, quod dicitur, arborem. At vinci oportet errorem, utcunque se scripturasque torqueat, utcunque obduret, furat, ac reluctetur.

In ista tua ἐξοδενώσει ad hunc modum pergis: Obiiciunt absurdum esse; at hoc quoque sciebamus. Absurditatem duplicem adferimus, rei et scripturae. De posteriore igitur, quum ad sermonem tuum contra fanaticos ventum erit, quia dicturi sumus: hic parcemus, de absurditate rei dicere contenti. Adparet vos omnes, qui ex adverso statis, gladiatorio animo constituisse perrumpere. Quum enim toties dicamus, ideo absurda multa hic oriri, quia ista verba Christi: Hoc est corpus meum, negatis tropicῶς posse accipi: nihil ipsi movemini, sed pergitis: Ergo absurdum est de virgine nasci, esurire, sitire, pavere, pati, mori dei filium: haec enim gentes quoque dicerent absurda. Quid autem? pertinacia hoc non est, ne dicam impudentia? Iterum ergo audite, obsecro! absurditatem non metimur ab ipsa re: nihil enim putamus absurdum esse, quod divinis eloquiis traditum est; si modo fidei intellectus recte capit eorum sensum. Exemplum damus: de virgine natum esse Christum sic fidei lumine docti verum scimus, ut qui ex virgine vera tropum facere contenderunt erravisse non ambigamus, et absurda simul esse pronunciemus, quae in virginitatem aeternam Helvidius aliique excogitarunt. Tam abest ut, cum absurditatem obiicimus, velimus de alio sensu quam fidei loqui. Nam fidei nihil est absurdum, si modo recte intelligas ea quae fidei credenda proponuntur. Quod si quid fidei absurdum, id tandem vere absurdum est. Hic scilicet cardo versatur. Nam si divina eloquia minus recte intelligam, frustra gloriabor me

credere; aut frustra, imo periculose, docebo fratrem intelligere et credere, quod credendum non proponitur. Iterum do exemplum: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, divini est eloquii. Cum ergo Pontifex Romanus hic speciem ἀλλοιώσεως, videlicet ἀποστροφήν, nequaquam admittit, sed de Petro dicta pervicaciter contendit: iam quot quaeso absurda sequuntur? Similiter de clavibus dicendum est. Recte autem intelligas Christi verba secundum fidei normam, ut hic metaphorice per claves evangelii gratiam, et isthic per petram κατ' ἀποστροφήν Christum non Petrum intelligas: iam nihil absurdi sequitur. Quum ergo absurditatem, quae ex collatione scripturae colligitur (de qua, ut dixi, suo loco dicemus), vobis opponeremus, quo a falso deterreremus sensu, ad hanc arcem confugistis: nihil opus esse collatione, imo nec audituros: niti clarissimis atque planissimis Christi verbis: Hoc est corpus meum. Iam fecimus quod nonnunquam parentes solent, dum in loco quid dissimulant, ut meliore data opportunitate commodius quod volunt extorqueant. Cum enim potuissemus mundo ridendos proponere qui scripturarum collationem negant, dissimulavimus, certi eos, ad hanc arcem si confugerent ad quam se receperunt, opportunius expugnari posse. Hi ergo in causa sunt, cur absurditatum machinas omnes admoverimus. Cum enim aures occluderent ad collationem ac stentorea voce proclamarent: Verba sunt plana, sancta, clara, tropi nescia: nos haeremus verbo dei per fidem indivulsam. Quid Quirites passuri sitis providete, si hic admittatis tropum! Nihil enim posthac manebit ab his troporum adsertoribus integrum; quumque id genus audacia et imprudentia non sesquipedalibus, verum πλεθριαίοις iam vocibus profunderent: quid aliud obsecro faceremus quam gnavi milites, qui ubi hostem armorum aliquo genere vident esse superiorem aut loco, consilium inveniunt, quo vel eisdem armis comparatis superent vel loco expugnent. Sic ergo sumus arcem istam vestram adorti: Si tropum nulla ratione admittere obstinastis, iam haec sequentur incommoda: primum, quod Pontifex Rom. recte adseruerit panem transmitti in carnis substantiam. Oportet enim hanc demonstrandi vocem intendi aut in panem aut corpus aut panegyrin, in qua cum symbolis panis et vini commemoratio mortis Christi agitur. Si in panem tendit et tropus secundum vos non potest in his verbis tolerari: iam panis transit in corpus Christi, et est corpus subito quod iam panis erat. Si vero demonstratio in corpus dirigitur: iam vicerunt qui dicunt Christum dixisse: *Hoc* (quod scilicet demonstrabat) est corpus meum; quem sensum Carolstadio imputatis. Qui sensus nihil aliud poterit nisi: Corpus meum est corpus meum. Si vero panegyrin hoc est coetum gratias agentem: iam nos vicimus. Nec est quod dicatis, pronomen *hoc* demonstrare tam panem quam corpus Christi, hoc sensu: Hic panis est panis et corpus Christi simul; aut: Hoc est corpus meum, tantum valere quantum: In isto pane est corpus meum. Nam utrobique tropum datis verbis dominicis, etiam imprudentes, etiam quum tropum maxime repudiatis. Quin prior expositio, qua quidam exponunt, panis est panis et corpus Christi simul, sermonem dominicum confundit. Nam si panis est, non recte dicetur de eo quod corpus Christi sit.

Verum quid non videmus nos nihil quam λογομαχεῖν? Si enim tropus admitti non debet, iam id incommodi sequetur, quod Rom. Pontifex tradidit, quo panis substantia in corpus Christi transmutetur. Aliud incommodum, quod Christi corpus comedi, tangi, videri, gustari sensu oportebit: nam non simpliciter dixit: Hoc est corpus meum; sed, Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur. Sic autem est traditus, ut tunc erat corporis status. Is autem erat sensui ac passioni obnoxius: alioqui non doluisset quum pateretur; quod absit ut dicamus. Ut ergo tum sentiebat et sentiebatur, sic oportebit eum sentiri quum edetur. Perinde enim atque isti quiritabimur: Verba sunt plana. Quod pro vobis traditur, ait; sic ergo edetis hominem, ut est traditus. Si enim corpus edi oportet, quia dixit: Hoc est corpus meum: aeque oportet corpus sensibile edi, quia sensibile vulneribus ac morte adfectum est. Aliud ergo incommodum erit, quod et Christum oportebit dentibus comminutum dolere. Ultimo, quum et alia multa sint: tamen istud maximum est, quod vos semper voce diluitis, nullum intellectum (loquor autem de fideli intellectu) capere, corpoream hic carnem commanducari: ista enim duo, *spiritualiter manducare*, et *manducare ut est cruci adfixus*, sic disparata sunt, ut ea coniungere nullus intellectus possit. Taceo Marcionis dogma, quod non alia via poterit commodius redire, quam si confiteamur nos Christi corpus comedere quo modo in cruce pependit. Sic autem dicere oportet, si a tropo contumaciter abhorremus, quia dixit: Quod pro vobis traditur. Cum enim nihil neque sentimus neque videmus, iam superavit Marcion, impassibile corpus circumtulisse Christum. Absurda igitur obiicimus, partim quia tropum non admittitis, cum tamen simul citra tropum nunquam exponatis; partim vero, quod sine tropo torta verba absurde dissentiunt ab aliis scripturae locis, de quo infra.

Iam et hoc quod in reiectione tua habes, nempe: Obiiciunt miracula visibilia; et hoc sciebamus (sic tua habent arbitror), prorsus non debuisti transire. Vos enim estis qui miraculo fieri omnia contenditis. Nunc ergo a vobis, quodnam miraculum Christus unquam fecerit, quod nemo senserit, nemo tradiderit, ut ostendatis, requirimus. De virgine natum esse, sic omnibus fuit expositum, ut et hodie, cum apud Matthaeum legimus: Noli cessare, Mariam coniugem tuam quo minus domum ducas! quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est: et admiremur, et ei quod admiramur indubitata fide credamus. Sed miraculum invisibile forsan obiicis: quod fides a nobis ipsis non sit, sed ex patris afflatu. Sed quis patris adflatum non sentit in mente, corde atque omnibus animi viribus? Miraculum autem praesentiae Christi corporis quis unquam sensit? aut ubi unquam Christus perhibuit miraculo fieri? aut quod tandem huius miraculi vestri testimonium ex scripturis adfertis? Annon et vos avocatis a contemplatione corporeae manducationis? Quid ergo miraculi est, quod spectari renuit? Fides quanto magis exquirit ac scrutatur se ipsam, eo magis augescit. Hic fidem ogganniunt et a contemplatione terrent. Adparet subventaneas aut vitiatas merces vendere mercatorem, qui visum et contemplationem negat. Deinde feruntur quidam suis verbis, non attendentes quantum sit discrimen inter ea,

quae agit Deus tam apud se quam in substantias spirituales, et ea quae agit in rebus corpore amictis. Quae enim in mentes nostras instillat aut inspirat, inter miracula non sunt numerata, sed quae in rebus crassioribus extra ordinem fierent, ea demum dignati sumus miraculorum nomine; quamvis de voce miraculi nolim pertinacius contendere. Corpus ergo Christi edere, de his est quae in mentem nec spirantur nec stillantur: spiritum enim esse oportet, qui mentem vivificet quique ad eam penetret; corpore pasci abhorret. Reiicitur ergo corporea istorum comestio inter ea, quae extra ordinem fiunt. Probent igitur miraculum; nam mens piorum nihil abhorret a spirituali filii dei manducatione, imo ea pascitur ac saginatur; at abhorret a σαρκοφαγία. Dicunt miraculo fieri. Ostendant miraculum non oculis, sed menti et intellectui piorum ex apostolorum aut evangelistarum literis! Ideo non inconsulte fecisses, etiamsi ad miraculorum obiectionem stetisses: sed serus moneo. Perrexisti enim ad ista quoque satis nasuta: nolo enim dicere deformia.

Quaerimus aliud: semper aliud occinunt, quam quod quaerimus. Quaerimus quae, ipsi reddunt *Blae*. Quid huius vis, optime Luthere? Quid enim unquam quaesivisti? Quid a quo petivisti? Certe animi angores hac epistola sic questus es, ut in eo hactenus, quod ad hanc causam pertinet, nemo aliud sedere putaverit quam impatientiam. Quid enim quam voces et eas vehementer amaras in nos iecisti? Aut quid tandem in ista tua querela desideras, cui non sit pridem abunde responsum? ut iam patuit. Si sic pergimus in ecclesia Christi aemulari, odisse, maledicere, neminem audire, clamore pugnare, mutuo traducere, ex nobis quae lubet adserere: in quem statum rerum summam trahemus? Et tuum ex comoedia *Blae*, nescio utris potius conveniat: nobis, qui non uni alicui, sed neque omnibus neque singulis rationem fidei ac doctrinae nostrae unquam negavimus, id autem citra convitia immania et atrocia; an istis qui nihil nisi *Blae* blatiunt. Nunc dicunt Christum edi, sed in pane; mox et panem et vinum esse, ac corpus quoque Christi quod editur; tertio, nihil hic corporeum edi, attamen adesse, ad verborum aut coenae imperium scilicet. Atque haec omnia sic insulse ac intempestive, ut nesciam utri infelicius constent: isti, an servus iste qui suo Blae absolutionem invenit. Quod si maxime sint aliqui apud vos qui *Blae* respondeant: at a nobis non audies Blae, sed *vai*.

Nunc iterum ad tua recensenda convertimur. Nihilominus iactant nos non prodire, neque eos confutare. Ego Luthere tam abest ut unquam iactaverim te non prodire, ut quoties prodieris in hanc arenam semper ingemuerim. Videbam enim quam rem oppugnaturus procederes; neque penitus ignoti erant mihi lacerti tui. Apud nos nemo est, qui tibi hanc pugnam non ingenue invideat. Quomodo igitur tibi insultaremus? Quod autem nostra non confutaveris, tute negas: autumas enim, tum adversus Carolstadium, tum in aliis sive libris sive epistolis, tuam sententiam sic firmavisse, ut somnia esse oporteat, quae contra proferantur. Sed heus tu! Caecutimus in nostra causa. Permittamus ergo eam iudici! Cui? Regis uxori, ecclesiae. Aude hoc, mi Luthere, quod nos sumus ausi! libros nostros apud omnes ecclesias legi patere. Nam

nos tam tua in hac re, quam etiam pontificiorum libros, commendavimus ad legendum, ut eo magis esset ingenua veritatis victoria.

Quae deinde aliquousque agis per epistolam, eiusdem farinae sunt. Perstas enim nos nihil solidum aut salubre attulisse, quod aut argumentis probe connexis te, non vinctum scilicet, abduxerimus, aut conscientiis ἀναψυχὴν καὶ παραμυθίαν nondum praestiterimus. Qui hoc scis? De argumentis ergo scias ecclesiam pronunciaturum; conscientias autem domi ac in sinu, ut dicitur, gaudere, quorundam etiam quos tu speras adplausuros et subscripturos.

Deinde: posthac ais (de Bucero scilicet loquens), quod ea ipsa praefatione mihi testimonium perhibet, esse me vehementem adversarium suae sectae. Atque utinam per negotia liceret esse vehementiorem! Haec tua sunt. Nos sectam nullam agnoscimus quam Christi viam, quae nonnunquam secta et in bono et malo vocata est. Isti autem sunt sectarum auctores, qui vetant pervestigari quid liquido sit in causa, et ecclesias a iudicando arcent. Quod te Bucerus vehementem adversarium fecit, non dubito maligne non esse factum ab eo, sed ut agnoscendo leniret, qui nonnunquam, indulge quaeso, non paucis videris aequo plus esse feroculus. Optas autem ut per negotia tibi liceat esse vehementiori. Ego tibi opto adfectuum otium ac mitigationem, qui te sic per omnem istam epistolam adobruerunt, ut mihi doleat huiusmodi exemplum sive nobis sive posteris transmitti. Utinam si erraremus, vehementior esses, non contumeliis atque calumniis praeter quas epistola nihil habet, sed scripturis et argumentis.

Posthaec sic scribis: Quanquam velit rem videri leviculam istam dissensiunculam, denique citra fidei iacturam. Haec tua sunt. Tu non putas rem esse leviculam? Pondus ergo adpende, ut et ipsi sentiamus esse gravem! non istis vestris: Satan, blasphemia, venenum, mendacium, impietas, quibus pontificum in nos diplomata scatent, sed solidis tum argumentis tum scripturis. Bucerus autem in nos potius quam in te peccavisset, nisi hoc fecisset consilio, ut aliqua via revocaret ab adfectibus. Levis enim res non est docere quod carnali corporis manducatione conscientiae firmentur; peccata remittantur; id essentia praesens fiat quod verbo docetur; et quod omnium maxime est impium, quod iste sive panis sive corpus sive sacramentum adorari debeat. Quum contra toties inculcaverit Christus: Qui credit in me, habet vitam aeternam; et quo uno promissiones vestrae omnes depelluntur: Qui venit ad me, non esuriet; et: qui credit in me, non sitiet in aeternum. Ad Christum si venistis, nullum iam cibum requiretis conscientiae; Christo si fiditis, sanguinem non sitietis, carnem non adpetetis. Citra iacturam fidei, inquit, aliter atque aliter posse in hac re sentiri. Ego non adsentior, sed quod scripsit indulgeo: voluit enim vir optimus extenuatione morbum levare. Qui enim firma in deum est fide, nulla re potest confirmari nisi ea, qua fides nata est. Haec autem est dei spiritus, qui bonitas, lux et robur est conscientiae, atque solus hoc est quod dicimus. Nequit enim pia mens corpore vel pasci vel firmari. Credere igitur carnis esu conscientias firmari, cum fidei iactura coniunctum est: nullo

enim eloquio dei nititur. Et contra qui Christo fidit, nihil esurit aut sitit. Donavit ergo tibi isto sermone plurimum Bucerus.

Pergis postea sic: Sic enim sentit ille spiritus, fidem non perdi, si Christus mendax in verbis suis blasphemetur. Quo argumento satis declarat, qua aestimatione dignetur Christum cum toto suo regno. Nam cum utrinque Christum sic et sic dicere contendamus, sintque ea contraria: necesse est aut nos aut illos Christo falsum et mendacium impingere. Sed Christum mendacem facere, si hoc non est Christum negare et fidem eius blasphemare: quid est tandem Christum quaeso blasphemare? Hactenus tua. Tam abest ut pia mens putet fidem non vitiari, etiamsi Christi verba vitientur, ut fidem pro fide non reputet, si omnia Christi verba pro sacrosanctis non habeat. Solus enim veram iustitiam non tantum, sicut alii praeceptores, docet, sed etiam largitur ac praestat. Ubi tamen praetereundum nobis non est, quo minus in memoria teneamus, quanam iustitia ditet aut qualem doceat. Docet autem internam istam, quae nihil aliud est nisi spiritus: haec est fides, et veritas; atque eam gratis donat. Docet et externam esse: misericordiam facere, fidem servare, ius suum cuique reddere. Sed et istam donat: ex priore enim tanquam fonte dimanat. At iustitiae isti, quae ab externo in nos succedat aut ab ulla re corporea sumta, et in nos realiter aut naturaliter transmissa expiet, mundet aut iustificet, nihil prorsus reliquit integrum. Arbitramur ergo fidem vehementer defoedari, dum ad externorum glandem, quod dicitur, redimus. Non ergo dicimus Christum mendacem, dum negamus his verbis: Hoc est corpus meum, carneum corpus coenitari; sed per fidei regulam simplicemque fidei scientiam certi sumus Christum nihil corporeum dedisse: quum certi iam simus, corporeo nullo adhibito, iustificationem contingere posse. Absit invidia! Cum de corporea reloquimur, nolumus quicquam detractum esse pretio Christi corporis pro hostia dati; sed solummodo negamus, corporis carnalis ad animam adhibitionem quicquam ad iustificationem facere: cum quod corpore carneo vesci mens nequit, tum quod Christus ipse spiritum esse oportere, quod iustificet; carnem autem nihil penitus prodesse, luculentissime disseruit. Unde quum vos contenditis carnem edi, et esam ad animae iustificationem, confirmationem et caetera conferre; nos contra negamus haec omnia, et frivola esse ab omni parte ostendimus: iam non dicimus Christum mendacem; imo ne eos quidem qui errant mendaces facimus. Tam abest ut Christo quicquam tale imputemus. Vide ergo ut tu argumenteris aut colligas. Nos enim sic colligimus: Vos adseritis carnem edi; nos negamus. Ergo necesse est alteros errare. Non enim possumus utrinque errare, cum certamen sit de genere contrariorum, e quibus alterum cadere, alterum vero surgere oportet. Vos autem sic colligitis: Nos adseramus, vos negatis: Ergo mendacem Christum facitis. Quomodo Christum in collectione sive conclusione arcessitis, cum eius nulla prius sit habita mentio? Ignoratis etiamnunc sic fuisse colligendum: Ergo alteri ex nobis errant? Sed atrociter debacchandum est, et auctoritate nostra nitendum scilicet, ubi veritas nos deficit. Secundo loco non attendis nobis non esse certamen, an Christus dixerit: Hoc est corpus meum:

nam in hoc toti consentimus; sed num his verbis voluerit corpus suum carnaliter edendum adponere. Unde non digladiamur, ut tu ais, an sic dixerit necne; sed an quod dixit, sic aut sic debeat intelligi. Nulla ergo nobis impingi debet Christum mendacem faciendi suspicio. Sed et ista parte hiat collectio vestra, quod principii petitionem incurritis. Cum enim sic facitis impetum: Vos negatis Christi corpus edi. Ergo Christum facitis mendacem: ipse enim dixit: Hoc est corpus meum: nihil plane agitis, nisi quod eo nitimini quod controvertitur. Haec enim est pugna, num Christus voluerit his verbis carnale corpus adponere. Quumque nondum eviceritis hoc voluisse, imo ne possitis quidem evincere: tamen pro fundamento iacitis argumentationis vestrae, dicentes: Ergo facitis Christum mendacem. Quamobrem? Quia dixit: Hoc est corpus meum. Ergo si edi negatis, mendacium illi imputatis. At controversia est, num verba debeant in tam alienum sensum rapi necne. Ne ergo, mi Luthere, spiritum aut iactemus nostrum aut aliorum reiiciamus, dummodo sic undique deprehendimur adfectu ferri, et non modo scripturae sed ne rationi quidem parere.

Postea sic habet epistola: Atque hoc est quod semper dixi, a sacramentariis illis haereticis haberi Christum pro ludo, et serio nunquam esse ab eis cognitum aut doctum: quantumlibet magnifice iactent evangelium, et gloriam dei sese quaerere. Et ista tua sunt. Ad quae nos sic respondemus: Emphasin habet istud tuum verbum *dixi:* vis enim tempestive monuisse videri, quales essent sacramentarii haeretici futuri. Ergo propheta es tu? Sed nondum docuisti haereticos istos Christum huius facere cuius dicis. Iam enim satis visum est nulla ratione id colligi posse, quod praetendis; audacter ergo omnia. Verum tamen istud non est tacendum: illos habere Christum ἐν τῇς προσθήκης μέρει (nolo enim *pro ludo* dicere) qui carni tribuunt, quod divinitatis solius est: qualia sunt fidem confirmare, peccata dimittere (quis enim peccata remittit, nisi solus deus?), id naturaliter praestare quod verbo docetur. Quae omnia cuius oro sunt, quam divinitatis, quam spiritus, quam potioris naturae? Qui ergo naturarum proprietatem confundunt, hi putant nihil referre, ut quidque de quoque adserant. Quos tu iam vides cuius Christum faciant arbitror. Haereticos non debemus adpellare, quos scripturis non convicimus. Nos autem tam abest ut scripturis vincatis, ut contra omnis scripturae sensus a nobis stet; vos autem ad infirma elementa confugiatis, puta, ad similitudines et suasorias naturales (id quod abunde sermo tuus in fanaticos testatur), et ad audacia ista: Clara sunt verba (quae obscurissima sunt, si sensum speetes); tropum in re tam ardua non admittimus, ac simul tropo exponitis cum dicitis: In isto pane editur corpus Christi. Contemplare nunc mihi paulo oculatius, utris tandem accommodatius videatur hoc esse convitium *sacramentarius haereticus*. Et serio, ais, ab his haereticis nunquam cognitum esse Christum aut doctum. An vero tu ista serio? Ponam autem brevem veluti summam, ut ipse Christum agnoscam, quam et paulo ante delibavimus. Ego agnosco Christum esse iuxta apostoli verbum 1. Cor. 1: 30. sapientiam a deo, iustitiam

et sanctificationem ac redemtionem. Sapientiam, quod natura deus est, qui omnia non solum novit, sed moderatur etiam. Sapientiam a deo, quod eum omnipotens pater ad nos misit (non autem quo minus antea fuisset in mundo, sed ut mittendi verbum pro naturam humanam adsumendi intelligamus), ut coelestem sapientiam adeo perfecte doceret ac luculenter, ut quicquid ille docuisset, id tandem esset verae sapientiae typus. Unde et Paulus fatetur se nihil scire quam Christum Iesum et hunc crucifixum: quod vir prudentissimus nunquam dixisset, si non perspectum habuisset in eo esse omnes thesauros sapientiae et scientiae; quemadmodum Col. 2: 3. testatur. Sapientiam a deo, quo nos certi fieremus externa nulla posse ad iustificationem: id quod per omnem tum vitam tum doctrinam eius manifestum fit. Quae enim externa non exauctoravit? Locum? At cum muliercula etiam confabulans ostendit futurum, ut neque in monte Garizim neque Hierosolymis adoraretur, sed ubique in spiritu et veritate adoraturi essent veri cultores; et asseclas suos monuit, ut ad quemcunque locum mitterentur pro invenicndo Christo ne irent. Tempus? At sabbatum propter hominem testatur esse factum, non propter sabbatum hominem; et semper docet esse orandum. Personam? At quicunque, ait, pro me venerunt, fures sunt et latrones; et praetextum earum precum, quas Iudaeorum religiosi non ἀμαθοῦσι pro idiotis ac vulgo faciebant, aucupia dixit esse rerum. In summa sic docuit, ut nemo qui mente praeditus est non videat, in hoc uno fuisse, ut domino fideremus ac vitae sanctimonia innocentiaque coleremus. Cumque vitio et calamitate, quae naturam nostram in herba, quod dicitur, perdidit, sic simus cupiditatibus alligati, ut nihil eorum, quae deus a nobis requirit, digne ac ut oportet faciamus: fit ut iterum terreat iustitia dei (nam utcumque illum misericordem ac bonum praedicemus, iustum tamen simul agnoscere cogimur; neque enim vere bonum esset quod iustitia vacaret): iam ut eius quoque iustitia sacrosancta manéat, et homo tamen qui ea nihil dignum fecit non perpetuo privaretur eius contubernio, viam invenit qua et iustitiae satisfieret et miser contubernio dei restitueretur. Misit ergo filium qui nostra fieret iustitia, sanctificatio, et redemtionis pretium; idque iis modo fieret, qui a deo electi atque intus spiritu docti id firmiter crederent, per unam misericordiae dei viam (nam quod iustitiam oblato filio placavit suam, itidem est misericordiae opus) ad beatitudinem aeternam patere aditum. Huius autem misericordiae pignus ac vadimonium factus est filius eius: quomodo enim non omnia nobis donabit, qui filium dederit? non commanducatum, sed spei nostrae fundamentum factum; non quatenus caro est, sed quatenus dei filius est, qui carnem induit. Sic brevibus habes ut ipse Christum agnoscam, nempe lucem esse ac summam sapientiam, quae mundum sic illustravit, ut videret non aliis obsequiis deliniri deum quam innocentiae; non alio pretio aut vectigali coelum conscendi quam filii dei ἀπολυτρώσει; non aliis calcaribus ad verae virtutis opus excitari quam spiritus inflammatione; non aliis fistulis in mentes nostras verum refrigerium derivari quam eiusdem spiritus irrigatione ac influxu. Sic Christum agnoscimus. Quod si hoc non est eum serio agnoscere, fatebor me nondum agnovisse. Quod autem ais, neque unquam serio a

nobis doctum esse, qui quaeso scis? Nos audistin, ecclesias nostras vidistin? corda nostra tibi perspecta sunt? quibus ex fructibus? Ubi prodimus veram religionem? Cur iudicas, mi Luthere! alienum servum? Cum ergo Christum an recte domi agnoscamus ac foris doceamus, eius sit definire, qui *solus* novit corda hominum: adparet iterum tibi istud, serio, imprudenti, nolo enim dicere impudenti, excidisse.

Qui perit, ais, pereat! Itan' clavum procella magis ac magis saeviente abiicis? Exercitum Christi tam crudeliter vides a nobis caedi, et *pereat* ais? Quin prodi, ac veritatis scutum nobis punctim caesimque omnia praesidia vestra oppugnantibus oppone! Tute in portu es, et tot myriades a nobis vides mergi. Funes, tigna, sudes, et quicquid materiae deprehenderis, in flumen deilce! salvi fient aliquot, etiamsi non omnes. Sed, heus tu, ne scobem aut stipulam illis porrigas! hactenus enim his impediti potius quam adiuti sunt: solida esse ac fortia oportet, quibus nos niti velis ad emergendum; alioqui ne manum quidem admovebimus.

Sectas vastatrices eas esse, quae contumaciter verbum dei recipere nolunt, sed suo sensu, imo errore nituntur, in superioribus satis est ostensum. Nos magnopere admiramur qua fronte certi quidam, qui evangelii praedicatione gloriantur, audeant ecclesiis suis negare doctrinam tot scripturae columnis fultam: quum nihil sit tam fecundum ac fertile seditionum ac dissensionum atque pertinacia, nihil tot sectas producat. Eos ergo sectarum nomine insimula, qui publicae libertati ecclesiarum frena lupataque inserunt: hi enim sectarum duces sunt.

Recte autem mones post calcem epistolae, apostoli verba subnectens: Mittet illis deus erroris operationem, ut credant iniquitati, qui non receperunt dilectionem veritatis. Hoc verbum coepit impleri et implebitur, ut probentur electi et damnentur reprobi. Sic tua habent. Nam sic videbis pios omnes hac nostra digladiatione oculos recipere; contra vero hypocritas furere, scindi atque torqueri, ut palam fiant cordium cogitationes ac consilia.

Haec ad epistolam istam tuam, quae sic est nigro sale referta, ut si tantum haberet solidi candoris, nihil esset ea vehementius et acrius. Sed, per immortalem deum! nihil unquam tuorum legi, quod sic nihil habeat roboris, nihil scripturarum, nihil argumentorum; imo ne micam quidem ullam alterius rei quam summae amaritudinis, ut ipse, nisi horum fides, qui eam miserunt, et tua ad acerbitatem omnibus iam nota propensio, persuasissent, nunquam credidissem ex officina tua prodiisse. Paulo tamen fusius ad eam respondimus, duplici nomine: uno, ut quandoquidem in lucem proditura erat (excudunt enim nostra tempestate typographi citra delectum quaecunque lucelli quidpiam pollicentur, parum admodum posteris prospicientes, quibus non est tutum tam amarum scribendi exemplum relinquere), esset simul antidoton; altero autem, ut simplex lector simul eum veritatis luce adfectuum studia deprehenderet. Habes autem nunc quod principaliter hic intendimus, carnem Christi ad edendum nihil prodesse. Unde confestim sequitur: non ergo traditam esse ad edendum; hinc verba Christi *Hoc est corpus meum* alio sensu esse dicta, quam ut corpus edendum dederit. Consultum perinde iam erit aestui tuo, quo clamabas: Obiiciunt carnem nihil prodesse; at

hoc sciebamus, aliud quaerimus. Nihil enim ultra requires: non dabis manducationi fidei fulsionem, non peccatorum remissionem, non exhibitionem naturalem rei quae docetur, et id genus figmenta; sed plane scies tropum hic omnia reseraturum ac servaturum esse; sic, ut in scriptura nuspiam cogamur ineptire neque nos neque ipsam torquere, nihil frivolum confingere. Unde iam his cancellis includere atque in ordinem te cogi patere!

## AD EA QUAE IN SECUNDA PARTE ADVERSUS CAROLSTADIUM ET FANATICOS SCRIPSIT LUTHERUS.[1]

Coegisti me tua querimonia, quod ad ea nemo responderit quae tu adversus Carolstadium scripseris, horas aliquot eius libri lectioni pendere. Sed dii boni! quantum abest ut isthic solidi quicquam inveniatur. Unum hoc didici in eo libro, quae sit et qualis Andabatarum pugna: sic caeci ambo in pugnam ruitis. Agnoscit Carolstadius veritatem; sed verba, dum troporum vim ignorans non recto ordine collocat atque disponit, nulli rei similior quam tironi, cui animus et arma non desunt, sed deest armorum peritia: nescit quam corporis partem quibus armis munire debeat. Galeam pectori thoracis loco praefigit, ocreas circum tempora ducit, armillis crura vestit, facit ex thorace clypeum, ex clypeo pharetram, ex pilo arcum, ex arcu sagittam. Sic prodit inquam Carolstadius; satis animi ac virium habens, sed usum ferme ignorans. Descendis et tu protinus in arenam (utinam non protinus, sed paulo cunctantius: maturat enim omnia tempus) prorsus inermis, atque primum armorum rudem omnibus ridendum adponis tot ironiis, scommatis, sannis, mycterismis, sarcasmis, ut nullus eum oculus tam plane perspicere intuendo potuerit, quam oratione tua depictus contemplatione pernoscitur. Cumque bene ridiculum feceris: iam pulveris, scobis, terrae, offuciarum, hoc est contumeliarum, calumniarum, convitiorum ac maledictorum tantum in imprudentem iacis, ut spectatores omnes suspendas ac incertos facias, hominem rideant an misereantur. Ille porro immotus stat, loco non cedit, nihil quod ridetur propter armorum imperitiam curat. Adclamant ex spectatoribus ut arma transponat, sed nequicquam: putat enim in suum quaeque locum pulchre composuisse. Adhortantur et te, ne tam immoderatis convitiis rem perfici speres (non enim ignoramus quam fidos habueris monitores), ne causam eis defenderes armis, quibus nihilo esset melius habitura; sed aeque frustra: quid enim ageres, cum nullam habeas cuspidem, quae *καίριον* vulnus dare possit in hoc genere pugnae? Sic enim omnia, quaecunque in hac re scribis ac doces, offuciis et convitiis stipas, ut qui tecum acturi sunt haereant, num pulveres primum tuos abstergant an protinus pedem conferant. Nam si calumniis minus respondeant: verentur ne quibus

---

[1]) Contra coelestes prophetas de simulacris et sacramento Martinus Lutherus. Insipientia eorum manifesta erit omnibus, II. Tim. 3. Vitebergae. — Altera pars contra prophetas coelestes de Sacramento ibid. Ambae partes 1525.

ex grege nociturum sit; si magis: periculum est sui potius quam veritatis studio videri pugnam iniisse. Hactenus velut ὑποτυπώσει pugnam vestram descripsi, ut fortasse utrumque sim parum aequum habiturus; si modo pergitis ut coepistis. Atque aequum lectorem adpello, is iudicet an indignam rem faciam, quum libere ab eo exemplo deterreo, quo in ruinam trahi potest sana evangelii doctrina. Hoc enim uterque animo pugnat, ut sese victoria insignem reddat. Ruit enim alter in certamen, armis et causae confisus, artis parum habens; alter sola arte instructus, armis autem, commeatu, machinis, etiamsi pecunia non omnino, destitutus: aureum enim habuit, quo ἀντίμαχον coemeret. Atque uterque gladiatorio animo, vincere volens aut vinci. Nihil datur morae ac consultationi, ut aut ille sic meditaretur: Causam quidem habes bonam, sed cave ne agendo tibi perimatur; aut iste sic secum reputaret: Agendi pugnandique gnarus quidem es ac solers; verum quid inermis contra tantum etiam stolonem armatum poteris? Succedent in arenam alii qui rectius armis uti norunt. Sed nihil horum fit: concurritur, confligitur, caeditur et totidem plagis consumitur hostis. Porro ad spectatorem Christi populum interea nihil iucundi aut fructi redit, sed damni non nihil datur. Cum enim in vos mutuo inauditis convitiis debacchamini, iam quisque de grege putat sibi quoque vitio minime futurum, si ad consimilem modum iurgetur; quum antesignanos videat nullis parcere iurgiis, imo iniuriis. Debemus ergo, o fratres candidissimi, non sic ad illorum impudentiam connivere, ut inoffense ac citra contradictionem patiamur in ecclesia dei quicquam agere, quo mores non tantum nostri contaminari, sed et posterorum quoque, si talia ad eos transferimus exempla, possint. Unde, mi Luthere, praestaret ut is liber, cui tu gloriaris hactenus non esse responsum, nunquam in publicum prodiisset; quanto magis ne tuo nomine esset insignis. Quid enim quaeso nisi iratus in hostem regeris quicquid adprehenderis? Et quum omnia undique sedulo perpendimus, tenet Carolstadius sententiam veram istam, quam sacrae undique ferre possunt literae; sed verba, de quibus est controversia, violentius discerpit, quod nobis ferendum non est. Tenes tu non sententiam veram, sed verba minus intellecta: neque ea vis tractari, quo magis verus sensus reddleat: quod omnium minime est ferendum. Cum enim ex verbis non recte intellectis contumacia augeatur (dicunt enim: Verba habemus): eripienda sunt e manibus eorum verba, atque omni ex parte perspicienda et consideranda, ut deprehenso errore impudentia in pudorem vertatur.

Cum ergo librum istum, ad cuius nerves nos accedimus, cum magno dolore legeremus: nihil uspiam adparuit cui non ter quaterque responderimus, exceptis calumniis, sycophantiis, loedoriis et id genus amaricamentis: quae ut nihil ambigo, non usque adeo impotenter ac sine causa tibi esse profusa (sumus enim homines, et Carolstadius talis nobis adparet, qui et offendi facile possit et offendere): ita nullatenus debuisti tantum calamo indulgere, quantum exasperatus poscebat; neque solum cogitare qua re ille dignus esset, sed quid te deceret. Quod dum non attendis, talem librum extrudis quem omnes gaudemus esse Germanicum, ne istud maledicentiae exemplum (non est enim παῤῥησία) alterius linguae

hominibus propinetur. In quo tu libro ita prorsus nihil habes, quod nostrorum vim sustinere possit, ut simus non mediocriter admirati, quid tandem spectans tam confidenter obieceris, nondum iis esse responsum quae isthic prodideris. Nam et ea quae adversus Carolstadii violentiam, quam verbis facit dominicis, profers, tam plena sunt absinthii, ut etiamsi salutaria essent horrorem tamen non parvum lectori adferrent. Potuit ergo et iste locus de non confundendis verbis domini moderatius tractari. Sed ad nos redeo. Cum inquam per omnem librum praeter unum non inveniremus locum, qui nostram responsionem requireret: eum statuimus hic exponere. Quem et tu arbitraris esse Tenediam securim, imo fulmen, quum *βροντοξύνην* eum vocas, non iam *πλεθριαίοις* contentus, nisi Iovialia quoque nobis proferres.

Is ergo est Pauli 1. Cor. 10: 16. Calix benedictionis, quem benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? etc. Quem tu locum talem esse putas, ut per eum omnia adversariorum propugnacula et munitiones, tanquam per intolerabilem machinam, deiiciantur; imo triumphas, sed plane, ut est in proverbio, ante victoriam. Quae igitur ad rem minus pertinent omissis, quae tu scilicet cum Carolstadio peculiariter, ea primum in quibus hallucinaris firma expositione, non a nobis, sed ex ipsius Pauli verbis petita, illustrabimus; secundo locu naturalem Pauli sensum in unum comportabimus.

Quae igitur de fractione tradis, pulchre probantur omnibus piis. Atque utinam sic omnes essent docti rem Christianam, ut de externis nihil essent curiosi, sed cuique suum ecclesiae morem permitterent; dummodo res ipsa, quae significatur, aliqua saltem analogia sive proportione in externo ad archetypum ageretur. Prodierunt enim Catabaptistae, pernicioſum genus haereticorum. Hos merito haereticos adpellamus: nam multoties convicti, resipiscere tam abest, ut voluerint, ut etiam secessionem fecerint, non ab impiis, Christum aut negantibus aut Pontificem adserentibus, sed ab iis fratribus et ecclesiis, quae Christum sanctissime et confitentur et vitae in melius mutatione colunt; neque alia ratione, quam quod isti perhibent retingi oportere, nostri porro abhorrent a catabaptismo. Quid enim refert hic ea quoque memorare, in quibus et errant et miscere omnia tentant: virum Christianum gerere magistratum non posse; iusiurandum non debere Christianum praestare; quo quid aliud quam magistratus dissolvitur? Inter Christianos enim haec dogmata praedicant: publica esse debere omnia, non autem licere, ut qui Evangelium praedicent de evangelio vivant; spiritualia posse iungi connubia (imo huiusmodi iam non pauca iunxerunt, ex quibus carnales liberi prognati nunc noctu vagiunt, quo magis eis liceat esse spiritualibus); et id genus sexcenta, quorum nullus est finis: mox enim, ut una parte superantur, novum aliquo figmento bellum instaurant. Hi inquam haeretici, ad quos sic exspatiati sumus, nos nunc proditionis reos faciunt, dum azymis utimur, non cibario pane; nunc, si hymnos, antequam edamus, praecamus: Christum enim nihil tale fecisse legi, sed absoluto convivio. Atque id genus infinita quotidie ogganniunt; cum plane nihil referat, ipse panem accipias atque inde, quantum est necessarium, detrunces, an partem ab alio porrectam

ori inseras. Maneat suus cuique ecclesiae mos, si modo in summa servetur analogia, ne ipsis reddamur pontificiis superstitiosiores. Apud quos in diversis episcopatibus diversi mores in externarum rerum usu quum essent, nihil tamen inde nascebatur dissidii. Symbola sunt ista quae, ut honeste verecundeque nobis tractanda sunt, ita non est postea cur tumultuemur eorum causa. Iustitia, pax et gaudium est regnum dei, non cibus et potus. Religiose ac sancte vivendum est piis, omnisque huc vocanda opera; neque de his tantopere digladiandum, in quibus non est iustitia. Unde et nos vehementer piget huius pugnae vobiscum, quamvis digna causa sit, propter quam in certamen descendimus: irreligiosa enim sunt peccata ea dimitti; fidem firmari; natura praestari quod tantum verbo docetur, et quae sunt huius generis vestra. Adhuc tamen piget dissidii: plurimum enim nobis interim perit incensae iam caritatis. Id quod cacodaemona nequaquam fugit, qui coelestem ignem pulchre reviviscentem non ignoravit qua materia restingueret. Pugnant caritas et dissidium; ut ergo istam isto eliminet, ut clavum clavo, fovet dissidium. Cum vitiis nobis pugnandum erat, et omnia consilia huc intendenda, quo exul regina virtus ac simplicitas Christiana regno suo restitueretur. Nunc autem de symbolis contendimus tam crudeliter, ut caritatem oporteat longissime abesse, praesertim ubi tanta relucet amaritudo: qua absente, subito iniuriarum ac omnis iniquitatis bruma rediit.

Sed cum deinde sic ais (transferam enim e Germanica lingua in Latinam tua ex fide, si modo vestra tam recte intelligo): Attende tertio, inquis, quod Paulus plane edisserit! Ille idem panis, quem nos frangimus, est communicatio corporis Christi. Audin frater dilecte! fractus aut per partes divisus panis est communicatio corporis Christi? Est Est Est (inquit Paulus) communicatio corporis Christi. Quid autem est *communicatio* corporis Christi? Esse porro nequit aliud, nisi quod hi, quorum quisque de fracto pane particulam suam accipit, eo ipso corpus Christi accipiant. Ut communicatio ista perinde sit atque participem esse, sic ut commune corpus Christi quisque cum alio accipiat. Quemadmodum idem Paulus eodem loci ait: Nos summus omnes unum corpus, qui de uno pane participamus. Unde et ἄρτος, id est, absque maioribus *communio* vocatur. Sic tua habent. Hic, mi Luthere, ter es halucinatus, primum adfectu, qui solet in quocunque tandem argumento ea verba, quae prima facie videntur pro se esse, violenter, praecedentibus sequentibusque inconsultis, rapere, ac suo argumento inserere: ubi tandem, cum eorum perspectum est ingenium, nihil nisi sterilescunt, eorum instar plantarum, quae cum radice propagari amant, si quis absque ea transplantare surculum pergat. Spectanda erant igitur antecedentia et sequentia. De sequentibus paulo post in tertia halucinatione. Antecedentia vero sic, quidnam argumenti Paulus eo loco tractaret. Obiurgaverat 8. cap. sciolos istos, qui epulas idolorum intra εἰδωλεῖα ponebant, fere similes istis, qui hac nostra tempestate monent eas imagines, quae ad cultum prostant, ferri posse. Docti homines scilicet! Quid enim est imago? inquiunt, cum nondum cerebri tantum habeant, ut discernant inter imagines quae ad cultum prostant (ut ferme omnes sunt quae in templis habentur) et eas quae minus.

Hos inquam Paulus dupliciter errare adseverat, semel quod in caritatem proximi impingant: Christianum enim oportere ab his temperare, si proximus offendatur; quae libera etiam sunt. Nunc autem istos, etiamsi convivam esse in idolothytis ἐκ μέσων esset (id quod Paulus non permittit, quamvis interim tanquam donat quo argumentum suum a caritate ductum fortius urgeat): peccare tamen haud mediocriter, quum videant teneros offendi. Secundo autem adseverat eos in religionem ac pietatem ipsam impingere. Id autem, quum interea per nonum caput usque ad medium decimi, ad alia, non tamen aliena, excurrisset, κατ' ἀνάληψιν ad hoc argumentum rediens tractat. Habet autem hoc peculiare divus Apostolus, ut ab externis et ceremonialibus ad interna ac rem ipsam commendandam, quae ceremonialibus significatur, argumenta et epichiremata ducat. Exempla: A connubio ducit festivissimum conatum, quo permoveat ad observationem metus dei: facit ex deo maritum, nos et singulos et totam ecclesiam sponsam, ut interim fidem interim aemulationem coniugalem contemplantes huc trahamur, ut pudeat alio quam ad eum, qui animis nostris maritatus est, spectare. Aliud: A baptismo, quo, dum mergimur, simile quid patimur Christo, quum in sepulcrum demitteretur; dum emergimus, resurgenti comparamur. Cum ergo Paulus hanc impiorum hominum obiectionem: Si ergo gratia donantur peccata, non merito: age peccemus, ut gratia magis ac magis redundet: quanto enim plus donaverit, tanto fiet manifestior ac splendidior, diluturus esset: sic inquam a baptismo conatum decerpit: An ignoratis, quod qui olim in Christum tingebamur, in mortem eius mergeremur? Nam cum mergeremur, significatione quadam ac typo cum eo sepeliebamur in mortem pristinae vitae. Ut quemadmodum resurrexit Christus ex mortuis per gloriam patris, sic et nos a baptismi lavacro emersi in novitate vitae ambulemus etc. Hic obiter monendus est pius lector, catabaptistas hunc locum magna vi torquere ad obsequium erroris sui, negando infantes posse pristinae vitae mori, cum vivendi adhuc sint rudes. Qua contentione temeritatem suam produnt ac inscitiam: non enim tractat isthic Paulus baptismi causam, sed vitae christianae; eam vero maxime necessariam esse probat ei, qui alias Christi nomine gloriatur, quum propter baptismi exterioris formulam; tum propter Christi mortem et resurrectionem, quibus simile quiddam habet baptismus.

Sic et isto loco, quem nunc in manibus habemus, conatur Corinthios a communione idolothytorum avellere, impietatis ac perfidiae opprobratione. Cum enim prius in caritatem offendere probavisset (vide obiter ut non modo in praesenti loco, sed in omni doctrina sua Paulus omnia dirigat ad regulam duorum maximorum praeceptorum, de quibus tota lex pendet et prophetae): argumento inquam quod ex lege diligendi proximi duxerat absoluto, redit ad fortius, videlicet ad istud, quod ex lege amoris dei derivatur. Et istud tam solidum et inviolabile confidit esse, ut eos iudices adpellet, adversus quorum scientiam pugnabat. Et sic ἀναλαμβάνει argumentum: Quamobrem, o amantissimi, fugite ab idololatria. Prudentibus loquor, vos ipsi expendite, quam verum sit quod dico, vel ab ipsa communione. Hic

inquam per adfectum halucinatus es, quum ex praecedentibus non expendisti Paulum hoc loco non ex instituto agere de eucharistia, sed eam adsumere pro fundamento, ac ὑποθέσει struendi epichirematis quo nititur, ex communione idolothytorum, pellere sciolos istos ad hunc modum: Nonne cum in idolothytis accumbitis, iam in unum corpus, in unam communionem cum idololatris coalescitis? Si ergo estis ex corpore idololatrarum, quomodo potestis membra esse corporis Christi? Hoc inquam argumentum parat Paulus in his quae antecedunt, de quibus iam diximus. Tu autem si isthuc paulo diligentius expendisses: vidisses pro tua perspicacia primo aspectu, quomodo isto loco communio ac corpus non pro distractione corporis Christi accipitur, sed pro ipsis hominibus, qui vel in idolorum convivio accumbentes unum corpus et una communio cum idololatris sunt, vel in coena gratiarum actionis una concio, ecclesia, corpus, communio cum Christi cultoribus efficiuntur. Negat enim alterius corporis esse posse, qui huius sint, ut in tertia halucinatione patebit.

Istud simul annotabimus, iurisperitis quoque corpus pro communione accipi, ut, qui sunt unius eiusdemque collegii unum corpus sunt; qui unius populi unum corpus sunt; qui unius regni unum corpus sunt; qui unius coetus, comitiorum, ecclesiae, unum corpus sunt. Lex excidit. Cui occurrerit, indicet!

Secundo halucinatus es in ipsis verbis, cum ea non es penitus contemplatus. Quum enim sic habeant: Poculum benedictionis etc. et mox: Panis, quem frangimus, nonne communio est corporis Christi: nam totus populus Christi sumus unus panis et unum corpus. Omnes enim de uno pane participamus: quid quaeso te fefellit, quo minus videres duas istas προσαποδόσεις, hoc est causae redditiones, quas Paulus tam apertis notis *nam* et *enim* illustravit? Quum enim dixisset benedictionis poculum esse communionem sanguinis Christi, et panem fractum participationem esse corporis Christi: visus est sibi ipsi propter troporum densitatem locutus esse paulo obscurius. Quo igitur planius capiatur, expedit quid adpellaverit benedictionis poculum panisque participationem; et quid communionem quum sanguinis, tum participationem corporis Christi. Quasi diceret: Quum tali vos epiphonemate adorior: Poculum benedictionis, quod benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est? panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Christi est: sic volo intelligi: Poculum benedictionis quod benedicimus, id est: quum poculo benedictionis benedicimus: nonne ille coetus noster est communio, hoc est, populus, ecclesia, concio sanguinis Christi? Vos enim estis communio sanguinis Christi (nam istud membrum de poculo reliquit ἀνανταπόδοτον, sed pani addidit; parium autem idem est iudicium), qui de uno calice benedictionis hauritis; et panis, quem frangimus, nonne communio, sive corpus, coetus, populus, ecclesia, concio corporis Christi est? Nos enim, quia de uno pane participamus et de uno poculo bibimus, in unum corpus coimus. Nihil igitur intendo aliud, quam ut me ad hunc modum capiatis: Quum ab idolothytis non vultis ullo pacto avelli: cur quaeso non videtis, quam hoc sit alienum ab his qui Christi nomine gloriantur? Potuistis enim ab ipsa gratiarum

actione discere, cuiusnam corporis, concionis aut ecclesiae sitis. Quum enim cum ecclesia Christi gratias agitis domino pro morte filii sui, et isthic poculum gratiarum actionis bibitis ac panem editis: iam mirum videtis vos cum reliquis membris corpus, communionem ac ecclesiam Christi esse, quam ego ecclesiam, communionem hoc est populum sanguinis Christi atque corporis non ab re adpello. Nam qui certis ac unis ritibus, sacris, religionibus utuntur, hi et eiusdem professionis sunt ac nominis. Vos igitur quum omnes convenitis ad gratiarum actionem, quod corpore Christi sumus redemti et sanguine abluti: num non videtis vos esse concionem ac populum corporis et sanguinis Christi? Concio autem sanguinis Christi quid quaeso commercii habere potest cum concione idolorum? Ea tibi, Luthere, quid hic agat Apostolus et unde epiphonemata epichiromataque decerpat. Debuisti ergo in verbis ipsis invenire, quo magis nativum sensum videres, videlicet hanc vocem οἱ πολλοί, hoc est: nos, tota multitudo sive concio, sumus unus panis et unum corpus. Si enim nos sumus unus panis et unum corpus, iam nos dixit communionem hoc est populum sanguinis Christi; et non dixit sanguinem communicari, sed nos esse corpus, communionem ac coetum sanguinis Christi. Neque corpus dixit Christi participari, sed nos esse participationem, hoc est communionem ac coetum corporis Christi. Sic ergo fit ut argumentum feliciter pugnet: Si corpus Christi estis, si concio sanguinis eius, quid quaeso commune habere potestis cum corpore idololatrarum? Impietatis rei estis ac proditionis, si convivio idololatrarum non abstinetis. Adde quod iugum hoc, *unus panis et unum corpus*, per sese docet qua ratione corpus hic velit intelligi; paria enim esse oportet. Si ergo nos sumus panis, sumus ergo et ipsi corpus. At quomodo sumus panis unus? Causam reddit: Eo quod simul de uno pane participamus. Ergo eadem ratione sumus idem corpus, quia de uno pane participamus. Non enim dixit, quia de uno corpore participamus. Sumus ergo communio, coetus, populus, sive corpus, sive ecclesia corporis et sanguinis Christi. Sed neque istud tanta insectatione dignum est, quod Carolstadius dixit, Paulum postremo loco satis declaravisse, quod corpus Christi in coena non distrahatur, cum dicat: Omnes enim de uno pane participamus; non etiam: Omnes de uno corpore participamus. Nam Carolstadius utcunque alias secundum vos ineptiat; tamen hic, quod liquido in re est, vidit. Est enim ultima προσαπόδοσις, cur totam multitudinem adpellaverit unum panem et unum corpus, et ait: Omnes *enim* de uno pane participamus. Quod si Apostolus in hac fuisset sententia, quasi unum corpus Christi edendo et participando unum fieremus corpus: iam in ipsa causae redditione nequaquam dixisset: De uno *pane*, sed de uno *corpore* participamus. Firmissima enim et clarissima esse oportet, in quibus cardo rei versatur, praesertim quum ea in epilogo refricamus. Sumus ergo unum corpus. Cuius? *corporis* et sanguinis Christi. Id autem quo pacto? Quia in unum panegyrim gratiarum actionis convenimus, ac unum panem simul frangimus.

Tertio hallucinatus es, quod sequentia non diligentius expendisti. Ut enim Apostolus sua comparatione quoque firmaret, sic subdit: Con-

siderate mihi carnalem Israelem! Nonne qui victimas edunt, *κοινωνοί*, hoc est participes sive communicatores sunt arae? In his, inquam, verbis, nullo negotio videri potuit in quam partem significatione communionis aut participum aut communicatorum Paulus sit usus. Hi enim, qui arae participes sunt aut communicatores, non hercle ideo sunt, quod aram edant, etiamsi esset ex levigatissimis constructa saxis. Sic qui participatio corporis Christi sunt non ideo sunt, quod Christi corpus edant, sed quia in corpore Christi, hoc est, in mortis eius gratiarum actione panem edunt ac poculum bibunt: iam ipsi sunt participatio, hoc est communio sive concio corporis Christi. Nam eadem vox *κοινωνία*, quam interpres paulo ante communicationem vertit, hoc loco in participes est versa *κοινωνοί*. Quo palam videas communicationem non admodum congruere isto loco, sed communionem potius; quemadmodum sumus ad Pomeranum et ad alios abunde testati. Est ergo sensus: Nonne videtis, quod qui in victimis simul edunt, unum corpus offerentium efficiuntur? Hoc est unus coetus aut congregatio, ut isti dicantur pacificorum, alii vero expiationum, ab ipso genere victimae, coetus. Cur ergo non videtis, vos, quum huius coenae participes estis, corpus aut coetum sanguinis Christi fieri? Ac rursus, dum coetui idololatrarum compingimini, cur quaeso non videtis participes communicatoresque vos esse ac concionem idololatrarum? Quod ego minime omnium volo, videlicet, ut sitis de coetu aut participatione infidelium. Non enim potestis simul esse synmystae sive coetus daemonum et Christi, quia non potestis bibere poculum domini (ecce quomodo poculum domini bibere intra communionem constituit, non autem communicationem sive haustum sanguinis Christi, ut undique videas communionem pro nobis, qui sumus communio, accipi, non pro distractione corporis aut sanguinis) et poculum daemoniorum: Neque potestis esse participes mensae domini, et mensae daemoniorum. Ecce autem, ut perpetuo nihil aliud agit quam ostendere, cuiusnam coetus sint aut populus. Non licere ergo prodito domino, veluti transfugas, in convivio infidelium esse membra. Hactenus quod ad confutationem tuae expositionis, quam huic loco obtrudis, attinet. Patrum testimonia hic non est opus producere, quum antea sint abunde auditi in Commentario nostro, in Subsidio, ad Pomeranum et Regium Billicanumque, fratres.

Antequam autem expositionem loci huius ponamus, id quoque adnotandum est, quod benedicere Hebraeis saepenumero pro collaudare aut gratias agere accipitur, Gen. 14: 19. Melchizedek collaudavit Abraham (solebant enim non modo Romani, sed et reliqui populi, loco gratiarum actionis eum pro publica concione laudare, qui se pro publica salute obiecisset discrimini) et dixit: Benedictus Abraham deo excelso. Item Genes. 47: 7. Introduxit autem Ioseph patrem suum, et statuit eum coram Pharaone; Iacob autem benedixit Pharaonem. Isto loco manifeste ponitur benedicendi verbum pro collaudandi ac gratias agendi. Parum enim fuisset urbanus Iacob, si protinus, ut in conspectum incredibili regis venerat, sacrum aliquod carmen alienae linguae promurmuravisset. Sed nihil tale factum est. Collaudavit enim regem

ac gratias pro tot beneficiis egit. In psalmis tam crebrum est hoc benedicendi significatum, ut productione nihil sit opus. De hac voce *corpus* paulo ante dictum est, videlicet pro ipsa concione ac communione accipi.

Est ergo nunc iste verborum argumentique apostolici sensus. Attamen ut ad id redeam a quo digressus sum, de idolothytis non perinde ac doctuli vestri sentio. Ut enim inter maxime ἀδιάφορα numerari permittam, caritas tamen tum proximi tum dei aliud monet. De caritate proximi magna parte dictum est. De caritate autem dei, in quam etiam impingitur, nunc dicturus sum; nempe quod parum diligit deum, parumque pius est, qui religionem Christi professus, atque unum corpus cum illius ecclesiae membris factus, ad pristinum redit cum idololatris commercium atque cum illis quoque vult unum corpus esse. Vos adpello iudices! Expendite obsecro quod dico: Nonne convivium istud gratiarum actionis et collaudationis, in quo symbolicus potus circumfertur, communio est, coetus, corpus aut concio sanguinis Christi? Nonne panis, quem frangimus, aeque est communio aut concio corporis Christi? hoc est, ne uspiam sim obscurus: Nonne cum panem in commune frangimus, concioni aut populo corporis Christi coniungimur? Nos enim sumus unus panis et unum corpus, eo quod omnes de uno pane participamus. Parva res esset buccellam ori inserere aut poculum sumtbis labiis degustavisse; sed parvum non est hoc in ecclesia Christi fecisse: qui enim hoc faciunt, experimentum sui dant, quod corporis eius sint atque populi, qui Christo dei filio fidunt quique gratias agunt pro morte, quam pro nobis subiit. Tesseram, qui hosti prodit, Metii supplicio dignus iudicatur. Et qui in isto convivio accumbit (quod quid aliud nisi non modo tessera, sed etiam publica professio est atque sacramentum?) ac protinus in idolorum sacrificiis itidem, an ille iam proditionis reus non est? Num non prodidit, cum corpus et sanguinem Christi, quibus sese redemtum esse gratulari falso simulavit; tum concionem istam, quae corporis et sanguinis Christi nomine propter publicam professionem insignis est? Quis enim tam hebes est, ut licere putet in duas familias diversissimas accenseri? Quanto minus licet in eo convivio participem esse, ubi daemon colitur, et in eo simul, ubi unus ac solus colitur deus et collaudatur, quod filium suum dependit pro nostra redemtione? Hic optime lector sensus est verborum Pauli, non ex nostro depromtus, sed aequa ut arbitror lance, omnibus particulis saepe utrinque transpositis, expensus. Quem tu Luthere odio Carolstadii caecatus, quum non plane videres, impegisti. Nec ulla quiritatione aut consilio Christi populus vetari potest, quo minus recipiat quae solida sunt et firma pro his, quae magno negotio finguntur, ne erroris possimus coargui.

Hactenus hebetatam speramus acutam istam *βροντοξύνην*, id est, bipennem tonitru formidabiliorem, qua tu dissipatum iri sperabas omnes machinas, quae adversum vos producerentur. Reliqua vero, quae in eo libro protulisti, deinceps aut diluentur, aut expositione nostra patebunt, ut nihil quem desideraturum autumem.

## AD EA QUAE IN LIBRO DE ADORATIONE SACRAMENTI SCRIPSIT LUTHERUS.[1]

Est et hic liber talis, ut forsan praestaret in spongiam abiisse (libere omnia et citra contumeliam): ita enim est et incerta doctrina et incircumspecta refertus, ut et docere possit, quid sit docere quod ignores; et circumspectos facere eos, qui ad scribendum animum inducunt. Quanquam te volo ingenue excusatum esse duplici nomine: quod ea tempestate, quum librum istum scriberes, sic esses adobrutus variis occupationibus, ut expendendi negotii huius copiam tum non haberes; aut forsan inter ista crepundia (quibus lacte opus erat, non solido cibo) praestaret cunctatiorem esse; et quod videri potes tale quiddam esse passus, quale summi quoque viri. Augustinum enim quidam perhibuerunt tantae apud plerosque auctoritatis fuisse, ut invitum adigerent ad ea scribendum, quae non essent illi compertissima; partim, quod isti flagitarent; partim, quod nonnihil subpuderet, si vel tantillum auctoritati decederet, alicuius rei ignorantiae confessione. Putat enim indocta plebs, ubi tantum auctoritatis homini detulit, cum omnia nosse non modo oportere, sed etiam pro sua sententia expositurum esse; ac ubi id factum est, unius auctoritate nititur quem sic extulit. Quo quid inversius ac periculosius fieri potest, artis ignaros auctoritatem tribuere mediocriter gnaris, ac mox Apellibus eos et Praxitelibus anteferre? Quod si quidam isto tuo libro cum iudicio lecto monentur, te quoque hominem esse, labi, errare, decipi posse, praestat forsan non desedisse in spongiam; si vero sententiam tuam et incertum istud, quod hic doces, libenter secuti mordicus retinere pergant: praestaret non in spongiam abiisse, sed in aquam esse scriptum. Cur enim, ut hinc potissimum ordiar, pergis Bohemos consulto docere, quod tam leviter attingis, tamque ruinoso fundamento imponis; imo nulli fundamento, sed figmento nixum sermonem cassum superstruis? Cum enim maxime admones quomodo fide magistra consultisque fidei articulis, ablegato sensu praecepto, collatis scripturis, debeamus scripturas exponere: ipse horum nihil facis. Fides enim ignorat istam confirmationem, quam tu manducationi tribuis. Fidei articuli reclamant, sensus autem praeceptus exclamat: Verba sic habent; scripturarum collatio ablegatur. Hoc solum clamatur: Nolumus tropum admittere; quicquid uspiam scriptum est, non debet sacrosancta verba ulla ratione temperare, ut ullum odorem alium admittant, quam istum quem prima facies prae se fert. Verum de ista lege tua, deque contraria violentia, secunda parte exegeseos planius omnia dicemus.

Cum ergo magnopere contendis hanc orationem: Petra erat Christus, non esse tropicam: nonne ex filio dei saxum aut forte statuam Niobes vel uxoris Lothi facis? Sed ais: Tamen prius dictum est spirituālem esse petram. At cum dico: Christus est petra, tropice loquor. Quis enim ignorat non esse tropum: Christus est spiritualis petra? contra vero: quis ignorat tropum esse, si *spiritualis* vocem non addas? Quid causae est, cur tam promti simus ad contendendum? Cum ergo

---

[1]) Vide supra n. 8.

dicimus: Christus est petra, tropus hercle est; sed cum dicimus: Christus est spiritualis petra, iam reductus est tropus atque omnium oculis expositus.

Apud eum autem locum cum esses, cur quaeso non vidisti, primum unam eandemque esse ecclesiam, unum idemque esse testamentum, unam eandemque fidem, tam eorum qui ante Christum matutina, tertia, sexta nonaque hora venerunt, quam nostram, qui undecima tandem vineam ingressi aeque tamen liberaliter atque primi isti accepti summus, imo mercede ante donati quam isti, quo excidium Iudaeorum ex oliva nostraque insitio pateret? Hoc enim si vidisses: non fuisses postmodum de baptismo infantium docens coactus dicere, baptismum prorsus dari non debere, ubi non adsit fides: scisses enim, vi beneficioque Testamenti infantes Christianorum perinde populo dei accenseri, atque eorum parentes. Vidisses secundo loco (quandoquidem patres dicuntur eandem escam spiritalem nobiscum edisse) aut cibum fidei sufficere ad salutem, aut carnem adesam nihil prodesse. Quum illi fidem certe talem ac tantam habuerint, ut nobis ab Apostolo in Galatis et Hebraeis pro exemplo proponantur; et carnem tam abest ut ederint, ut nunquam viderint. Nam et Christus ipse testatur Abrahamum desideravisse quidem praesentiam suam, sero tamen vidisse iam et gavisum esse.

Deinde adorationem, quum partitus es in externam atque domesticam, sive ceremonialem et spiritualem, huc tandem verborum descendis: Qui non credit Christi corpus et sanguinem in Sacramento esse, iure facit si neque externa neque interna adoratione adoret. Et paulo post (non est enim pretium operae ad verbum omnia huc transponere) sic habes: Istud omnino confiteri cogor, quod Christus hic sit (in Sacramento scilicet), cum corpus eius ac sanguis hic sint. Tertio sic ais: Discrimen est inter hoc quod Christus supra in coelis sedet, et hoc quod in sacramento cordibusque fidelium est. Nam ad coelos nimirum ascendit, ut isthic et agnoscatur et adoretur, quod sit omnipotens dominus super omnia Philipp. 2: 11. Sed in sacramento cordibusque fidelium non proprie est ad hoc, ut isthic adorari velit, sed isthic nobiscum agere et nobis auxiliari. Quemadmodum et ad nos in carnem venit, non ad hoc ut adoraretur, sed ut nobis serviret; quomodo ipse ait: Non veni ut mihi ministretur, sed ut ego ministrem et vitam meam exponam pro multitudine. Quarto sic: Sed ex isto non sequitur ut non debeat adorari: nam multi adoraverunt eum in terra, quos et recipiebat. Quinto sic: Ad hunc modum liberum esse debet hic in sacramento, et in omnibus fidelium cordibus, ita quoque ut certi simus eum nullum de hoc dedisse praeceptum, ut vel in Sacramento vel in cordibus fidelium adoretur. Haec tua sunt, atque, ut arbitror, fideliter translata.

Nunc mihi quaeso vide, quot incommoda et quot inconstantia ex his tuis sequantur, quo tandem videas, quid sit sine scriptura loqui. Quum in primo sermone ais, eum recte facere, qui non credit Christi corpus et sanguinem in sacramento esse, si non adoret: ergo adoratio libera est. Si libera est adoratio, liberum quoque erit credere corpus hic edi aut non credere. Nam si adorare debent qui credunt edi, et credi debet quod edatur: bis peccabunt qui neque edi corpus credunt

neque adorant. Non est enim ut huc confugias: Recte facere dixi, si non adorent, dum non credunt; non hoc sensu, quasi liceat non credere corpus edi, sed ne, dum non credunt edi, adorando in gravius crimen labantur. Nullus enim est metus, ut hi adorent vera ista internaque adoratione et cultu, qui soli deo debetur, qui non credunt corpus esse praesens. Unde apparet te, cum eum librum scriberes, in hac plane fuisse sententia, quasi liberum sit credere edi, et non credere edi corpus. Cur ergo nunc haeresin vocas?

Quum secundo loco dicis, te prorsus huc adigi, ut confitearis in sacramento Christum esse, cum corpus eius et sanguis isthic sint: mirum quam inconstantia dicas. Si enim Christus hic est, cur non peccent qui non adorant? De eis modo loquimur qui Christi nomine censentur. Nam quod ais ad terram non venisse ut adoretur, frivolum est ac de tuo adductum. Quum autem probas, quia ipse dixerit: Non veni ministrari etc. scripturam torques: eo enim loci de isto loquitur obsequio, quod servi dominis corporaliter exhibent; non de ea adoratione, quae nihil aliud est quam ex fide confessio. Qua et apostoli et omnes credentes semper adorarunt semperque coluerunt. Cum dicunt: Tu es Christus filius dei vivi, adorant. Cum Christus ait: Fides tua te salvum fecit, adoravisse eos, quibus hoc dicit, agnoscit. Et nunquam uspiam invenies, eum non unice istud quaesivisse ut adoraretur; hoc est, ut agnosceretur esse filius dei, quod colophon est adorationis eius. Si vero dicas, Marthae dixisse Christum: Sollicita es, et turbaris plurimis, huc pertinere, quod recusaverit adorari: iterum falleris. Isthic enim reiicit immodicum ministerium et adparatum, quo se Martha defatigabat. Mox enim addit, unum esse necessarium, istud scilicet, quod Magdalena agebat, quae sermonem eius audiendo eum et amplectebatur et adorabat. Unde nusquam est Christus, ut isthic non debeat adorari: nam et deus non est uspiam, ubi non debeat adorari. Deinde redarguis te ipsum manifestissime. Cum enim, tam in isto libro quam in eo, quem adversus Britannorum regem scripsisti, concomitantiam divinitatis Christi non modo neges, sed etiam explodas: hoc tamen loco fateris te adigi ut admittas, Christum hic esse in sacramento. Neque ab re adigeris: quum enim perstes adserere corpus et sanguinem hic esse et edi, sequi omnino vides, quum deus et homo unus sint Christus, et ambae naturae sint indissociabili vinculo coniunctae, ut hic non ἄθεον corpus Christi edatur. Concomitantiam ergo cum exibiles: hic manifeste reducis, quum dicis, te huc omnino adigi, ut Christum hic esse confitearis, cum corpus eius hic sit et sanguis. Quid enim hoc aliud est, quam concomitantia? Etiam si ipsam nominatim huc non inducas, re tamen ipsa confiteris. Nec inepte, si modo corpus Christi hic ederetur, faceres. Tradis enim in sermone contra fanaticos sive Suermeros, in hoc sacramento illud ipsum natura sive essentia tradi, quod alias verbo docebatur. Nunc autem nemo omnium praeter Arrium docet Christum solummodo hominem esse, sed deum et hominem. Si ergo datur hic quod docetur, datur totus Christus. Quod quid aliud est, quam divinitatem conitem indisiunctam esse in isto sacramento, simulque perinde manducari? Id quod te auctore adhuc fortius fit.

Cum in eodem sermone adseras (ex his Apostoli verbis violenter tortis: ut adimpleret omnia): Christi corpus non aliter omnia implere, quam saccus frumento impletur ac distenditur (bella plane comparatione): fieri non potest, ut corpus suapte natura sic extendatur; sed divina fieri oporteret. Concomitaretur ergo divina natura tam in hoc sacramentum humanam, quam in omnia, ubicunque humanam adsereremus esse. Vides nunc ut tibi constes? Vides deinde, quot absurda sequantur, si corpus coenari perhibeamus? Vides pontificios sibi melius constare, quam vos vobis? Postea enim quam semel in errorem, linguarum idiomatumque Hebraicorum ignoratione, lapsi sunt, nolnerunt tam violenti ac praefracti esse, ut quae naturaliter sequerentur negarent. Vos contra, quae sequi videtis absurda, nunc negatis esse absurda; et post paululum iterum inter absurda reiicitis, ὀρθόδοξοι scilicet, cum nos omnes simus haeretici, dum paulo cunctantius adserimus, quae videmus firmo niti fundamento; vos pro re nata proque principum metu ac gratia cothurni ritu citra verecundiam omnem mutemini.

Quum tertio discrimen facis inter Christum, qui ad dexteram dei sedet, et inter eundem, quum in mentibus fidelium est; atque adseris, superne ad dexteram hac lege esse, quo magis, inferne autem in cordibus fidelium, quo minus adoretur: tot absurda sequuntur, quot hic sunt apices. An enim non eundem Christum nobis in Sacramento porrigitis, qui ad dexteram dei sedet? Eundem aiunt. Cur ergo non adorandus est, si idem utrobique est? Adparet vos iterum a concomitantia discedere, sentireque quod corpus modo Christi praesens sit in Sacramento, non totus Christus. Humanitatem enim Christi omnes abdicant adoratione. Cum ergo in cordibus fidelium negatis adorationem Christo: iam fit manifestum, vos aut ignorare quid dicatis, aut nunc negare quod paulo ante adseruistis; videlicet Christum omnino hic esse fateri coacti. Vides iam quid sit ex humano, non ex scripturae sensu loqui? Unde quaeso scripturarum attulisti, superne esse ut adoretur, inferne minus? Si Christus est deus, an non est adorandus ubicunque est? At ubique est: ergo ubique adorari debet, superne, inferne, dextrorsum, sinistrorsum. Vides deinde ut vobis imponat ἀλλοιώσεων negligentia: eas enim si diligenter observaretis, non deberetis tot vobis indignos lapsus. Humanae naturae est, uni sive loco sive circumscriptioni (nihil enim circumstantiam istam morari oportet: Sedet ad dexteram patris) alligari; divinae, per omnia tendi, meare, adesse, omnia tenere, nosse, disponere. Cum ergo Christum adorationi praefigis tantummodo in dextera: iam divinam naturam humana circumscribis; cum contra Christi corpus ubique adesse ais omniaque implere, non aliter quam hordeum saccum (ferme rideo, mi Luthere! quoties sacci tui mentio incidit) implet: iam humanam naturam extendis ad mensuram divinae. Unde et tot errores Romani pontificis veluti postliminio hac vestra confusione reducitis. Sic ergo ad scripturae canonem loquimini, non me, sed illa magistra, quemadmodum in sequentibus eius testimoniis evidenter probabimus: Christi corpus sic est dexterae dei alligatum, ut nusquam nisi isthic esse possit usque ad extremum iudicii diem. Unde sequitur quod in eucharistia edi non possit. Huc respexit Augustinus cum dixit: Corpus,

quod resurrexit, in uno loco esse oportet. Secundo sic: Christus sic est deus, ut omnia impleat; sic omnipotens, ut omnia praesens moderetur etc. Unde et sequitur unum eundemque natura divina Christum in omnium cordibus esse, unum eundemque adorari. Cumque Petrus Christum confitetur et adorat in corde suo: confitetur et adorat eundem qui est in corde filiorum Tonitrui; et quem Paulus toto pectore coluit et adoravit, idem est quem nunc Lutherus adorat. Adorat ergo Petrus eum qui est in omnium cordibus, et omnes eum qui est in illius corde: non enim potest ullo corde sic circumscribi, ut minus sit adorandus, eo quod in illo corde sit. Unde istud quoque non est praetereundum, quod in isto tertio sermone parum theologice loeutus es, cum dixisti, in cordibus fidelium non esse ipsum ut adoretur. Videris enim eum nunc etiam nostris pectoribus circumscribere. Nonne enim adorandus est, quatenus sub divo in aëre est, in aquis, in alma tellure, sole, cum unus haec omnia teneat? Cur ergo non est adorandus, quatenus in corde hominis est? Non est, inquis, in corde hominis, ut adoretur. Imo nullibi magis debet adorari: ea enim, quae iam numeravimus, longissime abest ut adorent, etiam si per prosopopoeiam a divinis vatibus nonnunquam adoratores fiunt. Solus ergo homo adorat; et nisi ex pectore adoret, non adorat. Sed forsan dicat aliquis: Adorat nimirum quisque domi suae, sed alius deinde non adorat, ideo quod ille adoret, sed quod deus sit. En vobis acumen syngrammatisticum! Inverte quod dicis, et theologum agnoscemus, non blateronem, et sic forma sermonem: Christus quia deus est, ideo in cordibus omnium est, et in cordibus omnium adoratur; imo ideo adoratur, quia est in cordibus omnium: quicquid enim in cordibus omnium esse nequit, deus non est; adorari ergo non debet. Probo: Caritas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Idem est omnium piorum spiritus, eadem caritas. Collaudabant fideles deum super incremento ecclesiae, quod et ipsum nihil aliud erat, quam ex fide gratiarum actio, quae et adoratio est. Dantur nobis centuplices fratres pro uno amisso, in quibus omnibus eundem habemus spiritum eodemque eundem deum adoramus. Sic ergo in cordibus nostris est Christus, ut et a singulis adoretur, et ab omnibus; neque ideo solum adoretur, quod ad dexteram sedeat, sed quod omnia permeet, neque quasi alicubi gentium hoc modo sit ubi non debeat adorari, sed ideo maxime debeat adorari, quod nusquam esse potest ubi non sit adorandus.

Cum autem probas quarto loco, non sequi ideo, quod Christus non debeat adorari, etiamsi dixerit: Non veni ut mihi ministretur, sed ut ministrem, recte adnones: nam isthic loci non agit de adoratione quae ex fide fit, sed de corporali ministerio aut obsequio quod domino debemus. Nam multi, ais, adoraverunt eum in terra, quos et recipiebat. Quid isto erat opus, Luthere, nisi *ἀδιάφορον* faciens quaestionem eucharistiae? Sed quam hoc non efficias, attende. In proximo erat probare Christum recepisse, si quando adoraretur. Ex quo hoc parum constabat, nempe adorari posse Christum; sed altera tibi probanda erat, nempe quod alicubi veram adorationem a se repudiasset. Ista enim nisi probetur, iam non est inter *ἀδιάφορα* Christi adoratio.

Postremo, cum sic tradis certos nos esse debere, Christum nullum de hoc dedisse praeceptum, ut vel in sacramento vel in cordibus fidelium adoretur: vis omnino arguere, quod indifferens sit adoratio. Sed vide quam temere! Nusquam praeceptum est ut in domo Martho aut Simonis leprosi deberet adorari. Ergo potuit isthic adorari aut ubi adorari? Videris in hac esse sententia, quasi ubi non sit distinctus apertis verbis ad Christi adorationem locus, illic adorari posse aut minus. Quod quid aliud est, quam deum loco includere? Nam si uno in loco excludis aut liberum facis, in alio minus: iam divinitatem eius plane circumscribis. Loci enim coniunctione liberum facis aut minus; quod aliud nihil est, quam ad locorum angustiam alligare deum. Nos ergo non sic, a finito ad infinitum argumentantes, dicimus Christum esse ubique, unde et ubique esse adorandum. Dicimus etiam rationabilius sentire Pontificios, ubi verba ista: Hoc est corpus meum, per tropum non intellexerunt, divinitatem per concomitantiam sequi corpus, quam vos, qui negatis concomitantiae verbum; rem ipsam admittitis duabus rationibus. Una, quod confitemini Christum esse oportere in eucharistia, quandoquidem corpus eius et sanguis isthic sint; altera, quod traditis posse adorari in eucharistia, quamvis non sit isthic ut adoretur. Dicimus et hoc, divinitatem ubique esse praesentem, ubicunque sit corpus Christi; contra vero, corpus Christi non ubique esse, ubi est divinitas: haec enim infinita est, illud finitum. Male expendis mi Luthere ipsum *Ubi*, quod non aeque de infinita natura atque finita praedicatur. Dicimus postremo: si corpus Christi est in eucharistia, totum comitari Christum, tam ad personam, quam ad essentiam (una enim sunt divina personalisque et humana natura hypostasis, et unus deus); vos autem cum concomitantiam negatis, negare Christi individuam naturarum unionem. Sed ut ad alia transeamus, sede protinus atque alium librum ad Bohemos adorna: isto enim ad coadunationem ecclesiae nihil proficies apud eos; quantum enim ipse Bohemorum fidem ex fructu, quem tu quoque de illis praedicas, intelligo. Sciunt quod apud Mosen scriptum est: Dominum deum tuum adorabis, et ei soli προσκολληθήσῃ, id est adhaerebis. Et a Christo repetitum est, hoc sensu capi debere, ut mens nulli rei quam uni deo debeat adhaerere. Unde et omnes tam veteres quam recentes Theologi nunquam permiserunt, ut puram sive nudam Christi humanitatem (sic enim loquuntur) adorare fas sit; et si quid tale inveniatur, non debere aliter quam per alloeosin de potiore, puta, divina natura intelligi. Si ergo eucharistia adoranda est: ideo adoranda est quod Christus deus et homo isthic sit; et vicit Pontifex Rom. sive Thomas cum Parisiensibus Theologis, et rediit concomitantia, a qua vos tantopere abhorretis. Sed demus gloriam deo, ac nihil citra eius verbi auctoritatem asseramus. Iam videbimus ubi lapsi simus. Non est enim levis momenti docere quid sit adorandum. Hic enim si labamur, ac adorandum proponamus quod non est adorandum, ad impios defecimus. Unus enim ac solus deus est adorandus, non caro et sanguis.

Habes nunc et ad istum librum, quae sole clarius ostendunt, nihil esse, imo nihil succi aut sanguinis habere, quibus in re tam ardua niti possis. Nam quae ex Paulo adducis, partim exposita sunt, partim

exponentur. Nunc ad sermonem proficiscimur, quem contra Suermeros, id est Fanaticos, habuisti.

## AD EA QUAE LUTHERUS IN SERMONE CONTRA FANATICOS AUT PRAESTIGIATORES, QUOS ET IPSE SUERMEROS VOCAT, SCRIPSIT.[1]

Hic sermo tuus sic est oblivionum plenus, ut nisi orationis filum manifesto proderet, nemo crederet tuum esse. Cum ergo pleraque in eo tam sint levia, ut nullo negotio possint abs quovis dilui, praeteribimus quae eius sunt generis, quum ad ea ventum erit, aut brevibus saltem attingemus. Id autem additis numeris.

1. Initio igitur eius sermonis sic doces: In hoc sacramento duo potissimum consideranda sunt, unum quid credendum sit; alterum est fides ipsa. Prius potest appellari obiectum fidei, quod credimus, in pane et vino vere esse Christi corpus et sanguis. Hactenus habet summa tuae sententiae. Vides hic mi Luthere, ut non aliter varies fidei vocabulum atque Syngrammatistae. Nam si fidem hic capis generatim, puta pro *fide Christiana*, iam fidei obiectum est Christus filius dei vivi. Super hanc petram enim aedificatur ecclesia. Si autem fidem capis pro opinione, qua putatur corpus Christi hic corporaliter edi: cur quaeso fidem appellas, quod opinio tantum est? Obiectum enim fidei haec res est cui fides unice, tuto atque salubriter nititur; corpus autem edere corporaliter aut naturaliter, non est tale quo ad salutem unice nitamur. Nam alioqui essent duae ad salutem viae: una mors Christi, misericordiae dei pignus; altera corporalis manducatio. Et discipuli ipsi essent, corpus edendo, redemti antequam Christus moreretur. Ne ergo his fumis et nebulis vulgi oculos capiamus: Obiectum fidei est corpus et sanguis etc. Sed dices: In hoc sacramento adsero ista duo esse consideranda; negari ergo non potest in hoc sacramento fidei obiectum esse corpus et sanguinem. Nam de isto digladiamur. Ad quod sic respondemus adhuc sub iudice litem esse, atque a nobis stare verbum coeleste; a vobis autem opinationes, quae ex ignoratione ortae sunt. Quomodo? Audi! Obiectum fidei in hoc sacramento est Christus pro nobis mortuus, cui ad gratias agendum convenitur. Testes Christus: Hoc facite in mei memoriam! Paulus: Quoties manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem domini annunciabitis donec veniat. Vos ergo cum dicatis hoc esse obiectum fidei in hoc sacramento, corpus manducandum et sanguis, producite quaeso testes. Nullos habetis: nam Christus ipse stat a nobis, cum dicit: Hoc facite in meam commemorationem. Non enim refertur: Hoc facite, ad corpus edendum, sed ad gratiarum actionem, videlicet quod istam debeamus in memoriam eius facere.

[1]) Sermo de Sacramento corporis et sanguinis Christi contra erraticos, mense Martii 1525. habitus. Plankius (II. 319. Histor. systematis Protestantici) sic iudicat de eo: „Haec oratio de industria hoc solum spectat, ut vulgo novam doctrinam de sacramento tam detestabilem, argumenta defensorum tam debilia, eorumque obiectiones contra veterem opinionem tam futiles, quam fieri posset, proponat.“

Sic enim exponit Apostolus: Quoties manducabitis panem hunc, mortem domini annunciabitis. Non dixit: Quoties manducabitis panem hunc, corpus dominicum edetis. Gratiarum igitur actio hic spectatur, et obiectum est huius sacramenti. Sed pro qua re aguntur gratiae? pro eo quod Christus dei filius pro nobis mortuus est. Est quidem *corpus* Christi, dum pro *morte* ponitur, obiectum, quod in hac coena spectatur; sed non ut edatur, verum ut gratiae referantur quod pro nobis depensum sit. Caesum, perpetuo dicimus, prodest, non ambesum. Sed testimonia profer, quibus probes corporis corpoream manducationem esse obiectum fidei, quae in isto sacramento requiritur. Sed eadem opera Isthmum effodies. Plectitis quidem ex arena nescio quos funes. Quomodo? Spebus falsis, ac verbis quibus pollicemini, praestabitis autem nunquam.

II. Mones, qui inoffensi in hac causa velint currere, eos unice debere a tam acutis cogitationibus abstinere. Quasi vero tua plana sint, corpus Christi carnaliter, corporaliter aut naturaliter hic edi, quamquam panis maneat panis, et in pane edi etc. et nostra obscura quibus dicimus, corpus Christi hic vocari commemorationem mortis Christi: sicut festum Ascensionis eius vocatur Ascensio, cum minime ascendat amplius. Hoc adeo contumaciter observatis, quod callidi rhetores omnia in nos reiicitis, quae vos priores designatis. Quid enim omnia vestra, quibus fiditis, quam argutiae sunt?

III. Adseris, nos imprudentes cogitationes, quae dicant: Quomodo potest in pane corpus Christi et simul in tot locis edi? secutos esse. Ubi iterum toto erras coelo, nec fratrum satisfactionem accipis. Felix sit et faustum quod dicturus sum, omnisque fascinator absit! Fide didicimus carnem non esse datam ad edendum: fide enim perspectum habemus nos salvos fieri per Iesum Christum; omnia nobis cum illo donari; per eum nos esse filios dei factos. Quid caro manducata super his omnibus faceret, non inveniebamus in divinis oraculis. Pollicentur multi multa, si carnem edas; sed quae isti pollicentur, non habet rata summus imperator et iudex. Accedebat toties praedicta caro abitura. Haec nos coëgerunt paulo propius intueri scripturae tropos et ingenium, sic cogitantes: Quid si verba Christi, quandoquidem caro non prodest quicquam ad edendum, pro linguae huius proprietate alium sensum, quam qui tantopere cum tot scripturae locis pugnat, reddunt? Omnia pervestigamus, Hebraica, Graeca, Latina, nova, vetera. Invenimus rem aliter habere quam opinati sumus omnes; imposuisse nobis linguarum ignorantiam, et quae istam secuta est, audaciam. Nam si curiosas cogitationes sequendo huc pervenissemus, iam dudum fuisset mota controversia: non est enim dubium ante aliquot secula huiusmodi cogitationes torsisse animos fidelium; sed fides indubitataque oracula, quae huic sensui repugnabant, huc adegerunt, neque, ut arbitror, infeliciter. Quae vero isthic de fanaticis perhibes, videlicet quod ubi errorem, imo atrorem aliquem invenerint, iam ad scripturam properare ac inquirere, num inveniant quo errorem firment: his dicito, qui fingunt carne commanducata stabiliri animos, et reliqua incommoda; quumque id ex scripturis tueri nequeant, intonant: Plana sunt verba: Hoc est

corpus meum; et fidem de corpore Christi variant. Nos nihil unquam adseruimus, cuius manifestam ex scriptura rationem non redderemus. Magnum dico, sed verum est quod dico (magnum enim est quod verum est): scriptura magistra affirmamus aut revellimus.

IV. Post haec sic habet ad fanaticos ferme fanaticus sermo: Qui vero veram fidem ex ipsis verbis haurit, sic credit: Sive Christus in panem aut calicem subrepat sive quocunque tandem velit, dum ego verba ista habeo, nihil ultra requiram. Haec tua sunt. Nos putamus fidem ex verbis hauriri non posse; sed fide magistra quae proponuntur verba intelligi. Nisi enim credideritis: non intelligetis; et: Nemo venit ad me, nisi pater qui misit me, traxerit illum. Et tu ipse in libro de adoratione eucharistiae hanc legem rogas: Verbum quodlibet in naturali significatione mittitor, atque ea significatio servator, ni fides aliud moneat. Haec te tribuno lex lata est; cedunt igitur verba fidei. Fides ergo magistra et interpres est verborum. Quomodo igitur ex verbis tandem fidem hauriremus, quum non nisi fide muniti ad scripturae interpretationem debeamus accedere? Recole quaeso! nam quomodocunque tandem feras: tibi per adfectus excidis. Quot labores hausisti in adserendo isto, fide scripturas esse interpretandas; nunc obstinas fidem verbis hauriri. Fide coögisti Romanum pontificem interpretari: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Quod si nunc se tibi hoc modo opponat: Ego idem volebam, o Luthere, ut nulla in tam apertis verbis quaereretur ἀποστροφή: *Et super hanc petram!* Facile intelligebam, vel ex ipso nutu *me* demonstrari; sed cum tu fide diceres interpretanda, coepi ego regno facultatibusque labi. Cur obsecro tunc non clamabas, fidem ex verbis esse ediscendam? Ego cum haurirem ex verbis, antichristus fiebam; tu nihil tale patieris?

V. Iocaris deinde in hunc modum: si ista verba non sint clara, iam te ignorare quomodo Germanice (hoc est diserte) sit loquendum. Nam si quis dicat, similam proponens: Cape, ede! hoc est simila; num non intelligerem quid hoc esset? Sic tua habent. Nemo negat verba esse plana: nam a teneris tenemus, quid significent. Sed ipsa verborum compositio sensum reddit absurdum, ut qui fidei scripturaeque repugnet, nisi tropo subvenias, quem et vos semper adhibetis. Quemadmodum et hae orationes: Christus est vitulus, anguis, ovis, verbotenus planissimae sunt, sensu absurdissimae. At ubi tropum explicueris: Christus est vitulo pro peccatis olim oblato significatus et angue aeneo, aut ovi innocentia, vel quum hostia factus est, similis: iam omnia constant. Mirum est autem te usque adeo praestringi, ut prorsus nihil videas: nullo enim iudicio sive exempla sive similia producis, ut et hic et in subsequentibus ostendemus. Quamvis quid istis efficeres, etiamsi ad unguem ubique quadrarent? Cum enim hic ais: Quis ignorabit similam esse quod proponam, cum accepto pane dico: Accipe, ede! hoc est simila? Putas te simile attulisse cum sit dissimile. Proponis enim panem, et dicis esse panem. Quis hic absurdi quippiam accipiat? In verbis autem dominicis proponis panem et dicis eum esse carneum corpus; imo hominem, imo deum et hominem, hoc est: Christum ipsum. Unde si volebas simile dare, oportebat dicere: Quis ignorat ista esse

olara, cum propono similam, et dico: Ede! hoc est pepo aut cucumis? quis inquam ignorat peponem esse aut cucumerem, quod postponis? Iam omnes ignorare diceremus, ni tropo aliquo rem expedias, puta, similam dici peponem aut cucurbitam a forma, non autem esse nisi similam; aut pro pepone coëmto pretium datum *vocari*, non *esse* peponem, ob similitudinem aliquem in modum. Sic enim isto loco dicimus, aut panem aut ipsam panegyrin corpus esse Christi, cum sit corporis Christi tantummodo commemoratio et significatio.

Iam. Fungeris deinde patroni officio, atque fundamenta causae nostrae exponis ad hunc modum: Habent autem duo praecipua, quibus contra nos agunt. Primum est quod absurdum dicunt esse, ut Christi corpus et sanguis sint in pane et vino; secundum autem quod non sit necessarium edere, scilicet corpus et sanguinem. Vide ni Luthere, ut malae fidei patronus sis. Debuisti enim intelligere quod absurditatem non a sensu summo, sed a sensu rei, hoc est fidei et scripturae, metimur. Res enim ipsa, hoc est fides, nullo negotio videt sibi hoc cibo corporis nihil opus esse: fides enim beat. Et panegyri sufficit, si mentes fidelium gratulationem, quae ex fiducia est in Christum Iesum, adferant. Nam quod ad externum symbolum attinet, abunde satis est mentis, panem et vinum pro experimento fidei, caritatis, communionis aut ecclesiae Christi, proximo dando, comedisse. Scriptura vero, et ipsi fidei articuli sic obstant huic sententiae vestrae, ut alteros ruere sit necesse, ut patebit. Nam quae vos Christi corpori tribuitis, quomodo scilicet ubique sit, omnia impleat, planissime confutabuntur. Secundo autem loco non tantum dicimus non esse necessarium ut corpus edatur, sed omnino non edi posse, duplici nomine, ut iam est dictum: etiamsi prudenter Bucerus et reliqui fratres Argentorati primum facerent hanc rem ἀδιάφορον, quod citra tumultum in dubium vocarent. Quin tua ipsius verba audi! Sic scripsisti in libro de adoratione sacramenti inter prima: Nam id omnino verum est, quod absque isto sacramento vivere, iustus ac beatus fieri potes. Haec tua sunt. Cur ergo nunc fraudi vertis, quod quidam ex tuis fortasse piscati docuerunt? Siccine nobis spiritum probas tuum? Nam quae isthic de verbo subiungis, praetextus inanis sunt. Verbum enim, quod vos toties variatis, nihil est hic aliud nisi credere, Christum Iesum dei filium mortem pro nobis tulisse; non credere, hic corpus eius comedi: ea enim fides nusquam est proposita. Illud verbum adfertur huc in panegyrin; hoc autem non hauritur isthic.

Quae deinde promis exempla et similia, omnia hoc agunt ne videretur absurdum, corpus Christi edi. Sed sensum tantummodo humanum vis demulcere, quum hoc tibi esset agendum, ut antinomiarum verbi coelestis articulorumque fidei cum vestra opinione pugnantiam componeres. Hic omnes altum dormitis.

Obiicis, de virgine nasci eadem opera absurdum dici posse. Sed non cogitas primum: scripturam nullam obstare, quae vetet nasci de virgine; imo sanctorum prophetarum atque hominum tum oraculis tum gestis hoc pernunciatum atque adumbratum esse. Deinde neque istud: luculenta oratione omnia, quae de isto miraculo credimus, esse scripta. Postremo: virgini, quae perinde admirabatur atque discipuli fecissent,

si Christum intellexissent de corporea carne sua loqui, ac dicebat: Quomodo fiet istud? modum omnem exponit: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit tibi etc. Hic nihil huiusce modi factum aut dictum est, nulla data promissio.

Absurditatem humanationis Christi annectis, quae tamen eodem modo, ut iam patuit, et prophetarum oraculis praedicta fuit a deo promissa. Non sic est de eius corporis et sanguinis.

Animam in ultimo quoque esse articulo simul et in toto corpore, simile putas, cum sit dissimile; corpus autem aliquod esse in multis locis simul, huic simile foret. Unde animam esse in omnibus membris, huic est simile quod spiritus ille coelestis, quum sit unus, corpus Ecclesiae tamen, quod ex tot membris conflatur, sic animat, ut in omnibus sit idem spiritus atque eadem mens; quod corpus Christi carneum nullatenus facit, nequit enim in diversis locis aut circumscriptionibus esse.

Potest mens mea, inquis, simul cogitare, loqui, videre, audire, sentire, adde etiam λοιδορίζειν etc. Si corpus hoc posset praestare, simile attulisses; alioqui ad hunc usum est dissimile. Sed ad hoc est simile, quod spiritus sanctus perinde membris ecclesiae suae alia atque alia dona dat et officia, atque anima diversas functiones in eodem corpore exercet.

Quae de proventu terrae adfers, mirandam certe rem esse, in uno culmo tam similes folliculos et glumas nasci, tamque similem per omnia nucleum, at neminem mirari: imprudenter in tuam aciem collocas, quum pro nobis pugnet. Vin audire quomodo? Sic: Si ergo ista vere sunt admiranda, ut herele sunt, attamen propter assiduitatem nemo miratur; quanto magis putas frustra pro miraculis vendi, quae nemo unquam sensit, vidit, credidit, imo neque picta neque scripta sunt uspiam?

Oculos duos habes et simul capitum multa capis millia; adhuc tamen longe inferior es Cyclope, qui uno tantum oculo non minus plura videbat quam tu duobus. Unde mirum non est desiisse homines istud admirari quod tu potes. Verum quid hic habes nostro proposito simile?

Vocem etiam doces a multis unam eandemque capi etc. Quanto magis possit Christus idem facere suo corpore, quod scilicet idem corpus sit in omni pane, qui in coena editur. Iterum dissimile adfers: nondum enim ostendisti corpus aliquod in diversis fuisse locis, sed omnes locos tuos a simili producis a contrariis ad contraria. Contraria sunt corpus et spiritus; at tu quicquid spiritui competit, ad corpus transfers. Huic enim istud et simile, quod uno flatu unaque inspiratione infinita corda unus idemque spiritus animat; quemadmodum in die Pentecostes factum est. Arguis autem tu hic a posse ad esse; quod tamen ad regem Angliae nescio quam civiliter (est enim unctus Domini) explodis. Id autem his verbis: Frigidis suis solutionibus aliud non faciunt, quam quod principium vitiosissime petunt; ac summum, quod efficiunt, est: posse sic esse sicut fingunt; quum probare debuerint, et factum et ius, quod ita sit et oporteat sic esse. Nemo enim dubitat, quin deus possit transsubstantiare panem; sed quod id faciat, non possunt ostendere. Haec tua sunt fideliter ex eo libro transscripta. Cur ergo, si tam est nullius momenti a Posse ad Esse arguere, tu nunc totus in hoc es? Quam

legem tuleris, serva! Non patiemur te hinc elabi. Sed, si omnino te ipsum redarguere pergas: Eccium aut Fabrum ex te faciemus, aut aliquid etiam monstrosius. Si enim constat argumentatio de Posse ad Esse, dicemus: Deus potest Lutherum facere Eccium; iam cetera quae sequuntur, tu infer; nos ἀποσιωπήσομεν.

Quam Christum mea praedicatione, quae corporea voce fit, in pectus adfero, ais, sic ut illum iam mente pertractes: iam cogeris fateri quod verum Christum habeas; non quod isthic sedeat, quemadmodum aliquis in cella sedet, sed quemadmodum est ad dexteram patris. Vide hic primum, quam ineruditus sit sermo tuus; deinde quid potissimum resipiat (nolo enim quicquam asperum in te dicere); postremo, ut tibi constet. Si enim in corde hominis est, perinde atque ad dexteram sedet: cur docuisti non esse in corde hominis ut adoretur? Quae autem de verbo ἀκριβολογίζεσθε, dudum resoluta sunt.

Mox autem addis: cum sic Christus sit in corde hominis, nihilominus tamen esse ad dexteram patris; cum autem hoc credatur, iam paratum ac numeratum esse in corde; iam cor eius, qui eum sic habet, in coelo esse, non specie aut veluti somnio, sed vere. Quibus verbis nescio quo tendas. Si enim credentis pectus aliter est in coelo quam firma spe et contemplatione: quomodo id non probas scripturis? si non aliter, quid acturus es isto argumento? Dudum est ab omnibus agnitum, et Christum vere esse in nobis si modo credimus, et nos esse in coelis; sed illum praesentia (deus enim est), nos autem sola contemplatione, fide, spe, caritate. Sentiunt hoc, inquis, pii. At isti nihil horum sentiunt; nos nimirum demonstrans: huc ibas scilicet. Vos ergo si hoc sentitis, iam per quicquid est tum divinum tum humanum obsecro ac testor: quid carnalem manducationem desideratis? Quid aliud esuritis aut sititis? an iam non sola fides sufficit? Dicitis: Corpus commanducatum confortat. At hoc de vestro dicitis. Verbum dominicum adferto: Dicitis: Spiritum habemus testem quod sic sentimus. Aio: Omnis homo mendax; fieri nequit, ut hic virtutem ex esu sentiatis ad vos pervenisse, quam Christus non senserit a se exiisse. Quod autem non senserit, argumento est, quod non prodidit. Si enim virtutem ullam voluisset ex corpore manducato hauriri, dudum prodidisset.

Post haec omnia tandem infers: Si ergo, ista cum tanta sint, puta, quod unius voce totus Christus tot auribus infertur, mirum cuiquam videatur quod ipse se in panem et vinum adfert? Quis negat Christum, si absolute loquamur, et haec et alia posse? Nos quaerimus tua lege, ut probetis fecisse. Quaestio de omnipotentia dei nunc non controvertitur, sed de carnali corporis manducatione. Quando tandem vides te tuo more a Posse ad Esse argumentari? Nunc autem, quum Christus propter verbum suum (hoc Neoterici ordinatam vocant potentiam) alibi esse corpore non possit, quam ubi definivit: impossibile est eum in pane edi. Ad dexteram est: isthic sessurum se dixit, usque dum arbiter omnium futurus redeat. In uno loco esse oportet, quod ad humanam adtinet naturam.

VII. Incomprehensibile adseris esse, quomodo in panem subeat; hoc tamen te scire, verbum adesse: Accipite, manducate! Hoc est,

corpus meum quod pro vobis traditur. Hoc facite ad commemorationem meam. Cumcista, verba scilicet, super panem effamus; tunc vere est isthic etc. Sic habent tua. Considera hic primum te verbum habere, sed non intellectum; et nos verbum habemus, sed recte intellectum; habet et Rom. Pontifex sed siniatre intellectum. Nemo negat verbum haberi; de intellectu verborum est controversia. Vides quo adigamini? Hue, ut protinus negetis aliam expositionem posse haberi, quo collationem arceatis: nam si collationem admittatis, adparet victos esse, vos abituros. Pertinacia est igitur: verba habemus. Habet Arrius quoque verba: Pater maior me est etc. De die illa non novit filius hominis, etc. Pater, cur me dereliquisti? sed ista cum habeat, habet orthodoxa ecclesia e diverso quibus oppositis iam excutitur istorum sensus. Nos non tantum paucula verba habemus, sed scripturam omnem, religionem, ac fidem. Considera secundo quam audaces sitis, quum dicitis, mox ut verba ista simus effati, adesse corpus Christi. Sic olim loquebantur, qui somnia sua pro oraculis venditabant. Testimonia scripturarum, de proque huius tam belli axiomatis, non tui, sed Rom. Pontificis. Hoc facite, ais, in meam commemorationem. Iam sexcenties auditum est, his verbis. *Hoc facite* non demonstrari corporis manducationem, sed gratiarum actionem, ex Pauli verbis etc.

Quemadmodum, ais, in pectus venit neque quicquam frangit aut diruit, sed per solum verbum auditur et tenetur. Sic tua habent. Ubi relinquis: Nemo venit ad me nisi pater traxerit illum; et: Nisi credideritis non intelligetis? Sed ais: haec una tantum est comparationis pars. Audi alteram quoque! Dicito, inquam. Lutherus: Sic etiam in panem venit ut nullum foramen faciat. Vide quam sis tardulus. Cum dicis *pectus:* quid quaeso intelligis? Carneum pectus an mentem? Si carneum pectus, iam certum est in illud nihil nisi carneum pervenire; si vero mentem, cuius arx ac regia est *Cor*, quid quaeso iam comparas? In mentem venit cognitio dei; ergo in mentem venit corpus Christi? Quae est haec vicinia? nam in ventrem non arbitror dicis labi corpus Christi. Ubi excipitur? In pectore, inquiunt. Carneo? At in istud nihil venit, quod non prius fuerit in ventre et gula; sed in pectore, hoc est, in sede mentis, quod nihil est aliud quam mens? At ista non vescitur carne, spiritu solo victitat. Carnem spiritualem edit? At illam dudum ederat, cum filio dei fideret.

xx. Cum iterum ad virginalem partum rediens: Unde venit, inquis, quod virgo concipit? angelus Gabriel adfert verbum: Ecce concipies in utero et paries filium. Cum his verbis venit Christus non tantum in eius pectus, sed etiam in corpus, cum audiret, servaret et crederet. Hactenus tua. Ut hic nihil attingam nempe argutias de verbo, quasi verbo Christus sit advectus; deprome nobis talem aut similem promissionem: Ecce panem quidem edetis, et in pane corpus Christi; sed nihil huius sentietis. Attamen quandocunque ista verba *Hoc est corpus meum* proferetis in panem, iam aderit corpus; et non minus credemus (si parva licet componere magnis) quam diva virgo credidit. Donabimus etiam istud, quod modum requirens docta fuit: Spiritus sanctus supervenjet in te etc. Nihil ultra requiremus, posteaquam promissionem

tam apertam praeferentis, non ex arcano pectoris conclavi, ubi inquisitum praesens habetis corpus Christi, sed ex penetralibus istis, ex quibus ut nova et vetera proferant Ecclesiae oeconomi. Hic aliisque tum maioribus tum aliis inferioribus comparationibus miserum lectorem non tantum enecas, sed etiam quasi ludis, quasi nec tantum habeat mentis, ut videat quid conveniat, quid minus, in quali etiam similibus, non solidis atque apertis scripturae locis, res sit transigenda. Si comparatione atque similibus perfici negotium hoc potuisset, calculum deseruissemus, non tepidis istis similibus, quae tu adfers, terrenis aut putidis; sed aut veteribus, quae aliquando inter psallendum, inter legendum circum panegyrin corporis et sanguinis Christi, in quibus et lignum quo aquae Marath odor levigatur, et lignum quo securicula prophetae emerserat celebratur, aut novis quae, etsi vulgaria sunt, propius tamen ad hanc rem accedunt. Qualianam? Ista. Conspicitur unus idem ac totus sol ab omnibus, etiam si quis oculo in illum per rimulam longe minorem oculo, collimet; nihil minuitur illi videndo, nihil minus est illi qui minimum locelli habet per quem contempletur. Speculum unum atque idem, si mundus intueatur, suam quisque faciem de integro videt. Aerem unum (qui sensibilem mundum arctius implet quam hordeum saccum suum) omnes haurimus, atque omnibus superest; non imminuitur aetate aut tempore. Aquam eandem (neque enim magis nova nobis prodit aqua aut ullum aliud elementum, quam terra) omnes haurimus: non minuitur nostro usu, non augetur nostra parsimonia. In mare exonerant omnes fluvii, quod nihilo istis redditur auctius; sed sive per terram, veluti per spongiam suctum, perennes aquas et fontes nobis propinat; hoc nihilo fit contractius. Hauriunt ligna, arbores, plantae, frutices, gramina, saxa quoque et omnium bibacissima tellus. Quanti enim est quod animantes pitissant aut homines, qui eam magna parte contemnunt, ista contenti quam e vite exprimunt? Tot iam sunt bibuli potores, ut omni momento plus hauriri coniectura sit, quam totum pelagus contineat; veruntamen eadem semper est aquae vis; nihil redditur influxu auctior, nihil tanto haustu angustior. His inquam atque paribus comparationibus, quae longe sunt tum eruditiores tum appositiores ad hanc rem quam tuae, iam olim nobis fuisset satisfactum, si obtineri aliquid similibus posset. Sed absit ut praestigiatorum more miracula isthic tradamus, ubi nihil fit miraculi; ubi is, qui mirabilis est in operibus suis, nihil quod miremur promisit, nihil monuit priusquam faceret; quum faceret nemo admiratus est, aut quicquam percunctatus est, nemo postea, Apostolis adhuc inter homines versantibus. Quo tibi excidit dixi nihil adserendum esse, quod non sit plane sacris proditum literis, atque fidei spiritu ratum habitum? Dixit: Hoc est corpus meum. Num autem dixit (etiamsi daremus nullum adesse tropum): Facite ex pane vel in pane corpus meum? Nam ad ravim iam clamando probavimus istud: Hoc facite in meam commemorationem, ad gratiarum actionem, non ad facturam corporis referri debere. Panegyrin enim et gratiarum actionem iubet facere in commemorationem eius, quod nobis moriendo praestitit. Id autem non ex nostro, sed ex Pauli penu protulimus, quum verba ista commemorationis sic exponit:

Quoties manducabitis panem hunc, mortem domini annunciabitis. Miracula sunt quae nos quoque recensuimus, sed ea fiunt nobis experientibus et sentientibus. Miraculum est spiritu Christi nos refici, at istud sentit mens; sed quid sentitur corporali manducatione? Scio quae sit audacia: dicitur ac fingitur quiddam sentiri; sed heus isti, aliis narrate hanc fabulam; nos talium nihil credimus, nisi verbo domini sit confirmatum. Vide igitur mi Luthere, quinam iure fanatici aut praestigiatores dici debeant, istine qui humi reptant et dicunt, panegyrin adpellatam esse corpus Christi, aut etiam panem qui in ea coenatur non esse naturam; an isti, qui sublimes feruntur et citra omnem scripturae auctoritatem e sinu promunt magnificas pollicitationes: haud aliter, quam si me deierarem volare in aëre, quum tamen omnium me oculi spectent in terra incedere, atque hoc quoque nimis rustice.

xi. Descendis post istas similitudines ad saepe iam dictum locum de impleto sacco. Et ad hunc modum ais: Item nos credimus quod Christus Iesus secundum humanitatem constitutus sit super omnem creaturam, atque omnia impleat, quomodo Paulus dicit Ephes. 4: 10. Haec tua sunt. Nos inter initia κατ' ἀνθυποφοράν hoc ineptum antevertevamus commentum, cum angeli testimonio probavimus Christi corpus non esse ubique, neque ad amplitudinem divinae naturae extendi. Is enim feminis, quae corpus eius quaerebant (corpus autem emphaticus dico: divinitatem enim eius non quaerebant, quum ideo quaererent quod filium dei crederent) dixit: Surrexit, non est hic. Si isthic non erat, quomodo tu ais Luthere, Christum secundum humanitatem quoque implere omnia? Quod si huc confugere tentes: Non erat isthic pristino illo crassoque corporalis praesentiae more: iam enim corpus alium statum induerat, duabus te catenis vinciemus, ne labaris e manibus. Una, quod angelus de eo corpore loquitur, quod iam resurrexerat. Ait enim: Surrexit, non est hic. Unde istud corpus, quod resurrexerat, negat isthic esse. Non est igitur Christi corpus ubique. Altera, quod: Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, ait, non quod a mortuis resurrexit. Quod si iuxta clamorem vestrum simplicibus Christi verbis haerendum est: coenare cogemur Christi corpus, cruentum, carneum, osseum, et quicquid tandem eius in cruce pependit. Non est ergo, ut ex ista Pauli auctoritate dicamus Christi corpus esse ubique. De naturali eorum verborum sensu paulo post dicemus.

Quod si altera elabi pergas, videlicet ista: post iam annumerata verba te rationem subdidisse, qua dicas eum esse ubique; velisque intelligi, eum, qui homo est, ubique imperare: te dicere enim ad hunc modum. Lutherus: Est (Christus scilicet) non tantum iuxta divinitatem, sed etiam iuxta humanam naturam dominus rerum omnium; omnia in manu tenet et est ubique praesens — si inquam hac via elabi tentes, iam te tribus catenis vinciemus. Prima, quod si ad divinam naturam transilias, non valere argumentationem tuam: haec enim est quaestio, num *corpus* eius edatur; quumque negemus edi cum aliis tum ista potissimum ratione fulti, quod corpus eius non possit esse in pluribus locis simul, angelo etiam teste: iam vobis incumbit, ut probetis corpus eius ubique esse, non quod ubique imperet: id enim faciebat priusquam

corpore vestiretur. Secunda, quod manifestum ac novum errorem designat, cum dicis secundum humanam naturam dominum esse rerum omnium. Quis quaeso theologorum simile quiddam unquam docuit? Quomodo erit minor patre, quemadmodum ipse ait et Athanasius confitetur, si iuxta humanitatem aeque dominus est rerum omnium atque iuxta divinitatem? De iudicii die loquens Matth. 24: 36. et Marci 13: 32. sic diserte loquitur: De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli in coelo neque filius; nisi solus pater. Vides mi Luthere ut posteriores habeat humanitas? Quod si et ista esset rerum omnium domina, qui fieret ut dies illa diceretur omni carni non solum citra eius imperium, sed etiam citra eius scientiam? Ne quaeso in tam manifestos lapsus nos ipsos praecipitemus, ne et Sabellio subscribere videamur atque ex eius errore nato Marcioni. Postremo te iterum tuis ipsius verbis vides Valentini irretitum. Sic enim ais inter postrema huius pericopes: Et est ubique praesens, humanitate scilicet. Unde adparet te in hac esse sententia, quod Christi quoque corpus, perinde atque divinitas eius, sit ubique: nam non parum verborum insumis in hoc, ut ostendas eum, cum sit ubique, duobus tamen in locis, puta, in coelo et in eucharistia, se potissimum manifestasse: illic, ut ostenderet se rerum omnium esse dominum; hic autem, ut certos nos redderet ubinam ipsum et quaereremus et inveniremus. At omnia verbis, nihil oraculis confirmas. Iam enim ostensum est humanitatis non esse regnare, etiamsi is, qui regnat, homo sit. Ascendisse ergo nemo est qui neget; sed quod ad hoc sit in eucharistia, ut sciamus ubi quaeri et inveniri debeat, id non modo a religione, sed a te ipso quoque *δὶς διὰ πασῶν* distat. Prodidisti enim eum in coelis esse ut adoretur, non etiam in eucharistia. Nunc autem digito monstras, eum in eucharistia quoque et quaeri et inveniri debere. Ad quid quaeso? Ut edatur. Quid facturus cum edatur? Mentem confirmaturus, peccata remissurus etc. At ista dudum probavimus impium esse corporali manducationi tribui. Sed ut edatur tamen. Forsan, ais, ut ventrem impleat: nam mens eius contemplatione satis fit satura. En mi Luthere, quid nos pati cogas ac facere: ferre enim cogimur patienter tot ac tantas ineptias; respondere autem tam versutis ac frivolis, quae si alius quis in medium attulisset, nemo responsione dignaretur. Cum vero auctoritas tua ea commendet, tuque in viam redire tam abest ut velis, ut etiam videri studeas hisce niti: iam lupum auribus tenemus. Auctoritati tuae debet quicquam decedere; veritatem prodere impium est. Hoc ergo in loco constituti videmus tandem levius esse, si in hominem peccemus quam in deum. Et quamvis vehementer pigeat ad ista respondere, quae fundamenti nullam speciem habent in divinis literis, cavendum tamen oportet, ne pro divinis vendantur quae humana sunt. Cum ergo idiomatum duarum Christi naturarum parum cures, apud vulgum tamen, qui rerum est ignorantissimus, creberrime utaris: statutum est hic de iis paucula annotare, ne cui earum ignoratione imponatur. Vafre enim de natura una ad aliam transilis. Ut cum dicis Christum in nobis esse ac circum nos undique (quod non nisi divinae illius naturae competit), simul tamen rudium animis instillare vis, corpus eius naturale ubique esse, omnia implere ac circundare.

## DE ALLOEOSIBUS DUARUM NATURARUM IN CHRISTO.

Alloeosis, quam nos desultoriam locutionem interpretati sumus, Plutarcho auctore tropus est, quo consuetus ordo sive ratio permutatur, cum scilicet propter affinitatem aliquam passionum Grammaticarum fit de una ad aliam saltus aut permutatio. Eas itaque permutationes sive commutationes sive desultus, quibus divini homines de Christo propter duarum in illo naturarum unione libere usi sunt; imo Christus ipse de se ipso iucunda variatione usus est (quas paulo ante Theologi idiomatum, hoc est proprietatum communicationem vocabant) — eas, inquam, alloeoses sive desultus, quo Grammaticos haberemus magis propitios, appellavimus. Habent enim hoc omnes peculiare artifices, ut ei sint paulo iratiores, qui suae artis voces non probe teneat. Est ergo ἀλλοίωσις, quantum huc attinet, desultus aut transitus ille, aut si mavis permutatio, qua de altera in eo natura loquentes alterius vocibus utimur. Ut cum Christus ait: Caro mea vere est cibus, caro proprie est humanae in illo naturae; attamen per commutationem hoc loco pro divina ponitur natura. Qua ratione enim filius dei est, ea ratione est animae cibus: ait enim: Spiritus est qui vivificat. Rursus cum perhibet filium familias a colonis trucidandum, cum filius familias divinitatis eius nomen sit, pro humana tamen natura accipit: secundum enim istam mori potuit, secundum divinam minime. Cum inquam de altera natura praedicatur quod alterius, id tandem est alloeosis, aut idiomatum communicatio aut commutatio. Ea tam est necessaria ut et sciatur et observetur, ut qui eam neglexerit aut ignoraverit, non modo Ioannis evangelion, sed aliorum quoque inauditis erroribus contaminet.

Haec autem causa est, cur propensius omnes sint usi hac idiomatum commutatione sive alloeosibus: quod qui dei filius ab aeterno est, homine adsumto, hominis quoque filius est factus, non ut qui dei filius esset, sortem aut statum divinitatis vel amitteret vel in humanam conditionem transmutaret, neque ut humanam naturam in divinam converteret; sed ut deus et homo unus fieret Christus, qui pro eo, quod dei filius est, omnium vita esset (nam et omnia per ipsum facta sunt); et pro eo quod homo est oblatio esset, qua aeterna, quae et sua est, iustitia placaretur. Has autem duas naturas sic in unam hypostasin aut personam iunxit et univit, ut tamen utraque ingenium suum perpetuo servet; hoc uno excepto, quod illa ad peccandum propensio longissime ab eius humanitate abfuit: non enim e vitiato semine prognatus est, sed spiritu sancto matrem virginem fecundante. Innoxius autem poenas, passiones et adflictiones usque ad mortem circumtulit; quales sunt fames, sitis, aestus, algor, somnus, vigiliae et id genus adfectiones. Cuius unionis sancti homines dei imagines atque vestigia multa quaesierunt, ut eam plane docerent. Alii (quae mihi simillima est visa) comparationem hominis, qui ex anima constat et corpore, attulerunt, docentes sic Deum et hominem unum esse Christum. Alii ferrum igne inflammatum: eo enim si lignum aut aliud corpus caedas, simul vulnus infligi et adustionem, utriusque naturae vim, vitam, naturam, ingenium, operationem isto simili ostendere volentes. Quam tu ab eis similitudinem,

si fateris, accepisti; si negas, surripuisti atque ad adserendam carnem in pane detorsisti, Luthere. Quamvis parum prudenter: gladius enim incensus ut secat et adurit, sic Christi divinitas miracula facit, mentem intrat, isthic habitat; et humanitas esurit, dolet ac moritur. At quid, pro, panis operatur in anima? quid corpus Christi naturaliter inducatum? Sed inaudita erat apud vulgum igniti ferri compunctio et mirabilis stupor ad omnia, quae nobis lenocinabantur, huiusmodi non penitus perspectis similibus apud eum non nihil effici posse; quum verbo dominico essemus undique destituti, cedere tamen victoriam et gloriam deo, quod gloriam hominum quaereremus, nollemus. Sed ad propositum redeo.

Excutiemus aliquot apud Ioannem atque alios alloeoses, quo simplex lector cautus reddatur, ne dum audit aliquid de Christo praedicari, aut ab ipsomet dici, quod ad unam solummodo naturam pertinet, pertinere ad alteram quoque putet. In principio erat verbum, et deus erat verbum. Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt etc. ad divinitatem Christi solummodo pertinet. Quemadmodum et istud, quod Paulus Rom. 11: 36. scribit: Ex ipso, per ipsum et in ipso sunt omnia. Verbum caro factum est; et: Deus homo factus est, per alloeosin dicuntur, quod is qui hominem adsumsit aeternus est deus, et perpetuus quoque homo postquam eum adsumsit. Non enim sic deus est homo factus, ut qui deus erat, in hominem sit conversus; sed qui prius homo non erat hominem adsumsit. Dicimus ergo deum esse hominem factum, qui et eundem quem adsumsit hominem fecit, propterea quod est adsumta humana natura a filio dei. Quemadmodum Athanasius confitetur: Non conversione, inquit divinitatis in carnem, sed adsumtione humanitatis in deum. Communione tamen proprietatum nemo offenditur, cum dicitur: Deus est homo factus, pro: Homo est deus factus, vel ad personam filii dei adsumtus. Ecce quam inoffensa unio! Ecce tamen simul, quam minime oporteat intellectu proprietates confundi, etiamsi voces commutemus. Io. 3. 13. Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit de coelo, filius hominis qui est in coelo. Et sicut Moses exaltavit serpentem, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, habeat etc. Bis hic habemus filium hominis, sed non eiusdem naturae significationis. Exaltatur et cruci adfigitur filius hominis; et est in coelo filius hominis qui nondum ascenderat. Vocatur ergo perinde divina illius naturae filius hominis, secundum quam perpetuo est apud patrem, atque humana vocatur deus, quum dicimus deum esse ex virgine natum. Erat ergo is, qui filius hominis erat, secundum divinitatem in coelo cum patre, quem nunquam deseruit, non secundum humanitatem. Ioan. 5: 17. Pater meus usque nunc operatur, et ego operor. Hic *ego* de Christo dicitur, attamen ad potiorem solummodo naturam pertinet, quae ex aequo cum patre miracula facit, ac omnia operatur. Sed paulo post, cum dicit: Amen, amen dico vobis: non potest filius a se facere quicquam, nisi quod viderit patrem facientem, filium adsumtum hominem vocat, quem negat quicquam facere miraculorum. Nolo enim digladiari cum istis, qui forsan non impie, sed non in loco di-

verent, filium hic quoque pro divina post natura, hoc sensu, quod filius nihil operatur quod pater non simul operetur: satis enim habemus testimoniorum, quibus vole clarius ostendamus divinitati propria, dici quidem, sed non tribui humanitati. Tam abest ut tu corpus eius naturale possis tam porro dilatare. Ibidem: Et potestatem dedit ei etiamnum facere, quia filius hominis est. Hic filius hominis pro sola natura humana ponitur, quam prius in ista oratione (filius hominis qui est in coelo) pro sola divinitate poneretur. Est enim προγνῶσις, cur filius potissimum sit iudicaturus mundum, hac videlicet causa, quod filius hominis sit, hoc est naturam humanam adsumserit. Ibidem: Non possum ego a me ipso facere quicquam. Hic *ego* pro humanitate ponitur. Hinc enim derogat miraculorum operam, de qua isthic maxime disserit. Et tu, Luthere, ei omnia tribuis infinitatem, imperium, et quid non? Neque hic veto *a me ipso* accipere pro *solo*; tantum ne contendas: quae enim sequuntur satis docent ad humanam referri debere naturam. Ioan. 6: 55. Caro mea vere est cibus. Irrefragabilis est locus; carnem pro divina capi natura, cum ipse eam exposuerit, spiritum esse oportere quod vivificet, carnem nihil prodesse. De qua in superioribus sufficienter est dictum. Et tu putas eum de carnali sensu loqui, cum tanta iactura tam venustae et allegoriae et allusionis? Ioan. 7: 16. Mea doctrina, inquit, non est mea. Quid Iesu bone, quomodo ergo doctrina tua est, si tua non est? Sed tua erat quia deus es, et omnia quae habet pater tua sunt; et contra, quae tu habes, patris sunt. Sed non tua erat quod homo es. Tua est cum ad divinam naturam transilis, non tua cum ad humanam. Tua est possessione, non natura, si hominem spectemus. Quia in oratione ethologiam, aut mimesin hostium tuorum servas, qui te hominem modo, non etiam deum faciebant. Et tu ei omnia tribuis, secundum humanitatem etiam, quae ille a se removet? Ioan. 10: 18. Potestatem habeo ponendi animam meam, atque iterum sumendi eam, divinitatis est, non humanitatis: illa enim dicebat: Si fieri potest, transeat a me calix iste! Ibidem: Ego et pater unum sumus, ad divinam naturam pertinet. Unus non erant, sed unum. Cum enim duo quidem essent, una tamen res: et patrem et se duos testes facit, ut nihil sine lege agat. Io. 8: 16. Ego si iudico, inquit, iudicium meum verum est quia solus non sum; sed ego et qui misit me pater. Et in lege vestra scriptum est, duorum hominum testimonio fidendum esse. Itaque ego unus sum, qui testimonium perhibeo de me ipso; alter autem qui de me testimonium dat pater est, qui me misit. Et tu omnia confunderes, humanitati tribuendo quae divinitatis propria sunt, ut imperare, implere omnia, et id genus alia? Ioan. 10: 38. Ut cognoscatis et credatis quod pater in me est et ego in patre. Hic *hic* et *ego* divinitatem eius spectant: secundum istam enim ab aeterno in patre est, et pater in eo. Io. 12: 23. Venit hora, ut glorificetur filius hominis. Et paulo post: Serva me pater ex hac hora! Hoc est: Eruc me ex isto articulo! die humana sunt ut opis indigum ipsum fuisse possis existimare? tam abest ut imperet secundum humanam naturam. Quod si dispensatione factum quis dicat;

quid tum? Nam et illud, quod ad dexteram dei sedet, usque dum redeat iudicaturus, non minus est quam quod nunc orat, dispensationis, imo tota huius naturae adsumtio. Ibidem: Ubi ego sum, illic et minister meus erit. Et Ioan. 14: 3. Accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego et vos sitis. Hic, *Ego* et ad *Me* ipsum, inferiorem naturam indicant: secundum enim nobiliorem semper fuit apud eos. Et tu dicis Christi corpus esse ubique? Sequetur igitur, ut ubicunque Christi sit humanitas, isthic sint etiam electi. At ista secundum te est ubique, omnia implet. Oportebit ergo electos quoque ubique esse. Si ergo Christus et corporaliter in eucharistia, adsunt et electi. Mirum est cur Christobori isti a Christophoro illo, Colosso Rhodio proceriore, nihil abhorreant. Ibidem: Ego cum exaltatus ero a terra, omnes traham ad me ipsum. Hoc autem dicebat significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba: Nos audivimus ex lege, Christum manere in aeternum. Et quomodo tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? quis est iste filius hominis? Vide ut pinguiculi isti ad tropum tamen capiendum sint nobis ingeniosiores: intelligunt enim, ipsum per exaltandi verbum de moriendo loqui. Isti ergo cum negent posse mori Christum, ipse vero adserat: fit manifestum eum quam celerrime de una natura ad aliam transilire. Hoc enim: Quum exaltatus ero a terra, humanam naturam spectat; istud autem quod dicto citius sequitur: Omnes traham ad me ipsum, sine dubio divinam: huius enim est omnes ad se trahere. Sicut ergo, etiamsi sexcenties dicatur: Dei filius occisus, aut: Dominus gloriae crucifixus, nunquam tamen intelligitur deitas quicquam esse passa, sed sola humanitas: ita quoties Christo tribuitur imperium rerum omnium atque infinitas, nunquam tamen intelligitur humanitas ista habere, etiamsi huiusmodi sermones citra omnem offensionem recipiamus. Ut enim utraque natura in eo de integrò est, ita ingenium suum utraque de integro (quod ad definitionem attinet) servat. Perinde enim nequit humanitas regnare atque divinitas mori. Etiamsi is qui regnat homo sit, es is qui moritur deus; facileque admittamus: Filius hominis sedet ad dexteram et regnat, ac: Dei filius est pro nobis mortuus, propter naturarum unionem: intellectus tamen ista nunquam confundit. Et tu tantus theologus confunderes? Absit hoc a Luthero, qui certissimus est, quicquid docuit divinum esse convellique nequire. Ibidem: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit. Hic prius *In Me* Christum deum significat; posterius autem *In Me* Christum hominem. In hunc sensum: Qui me fidit, quatenus deus sum, haud dubie fidit: creatura enim nemo fidit. Nemo ergo quatenus homo sum, me fidit. Omnis enim spes in eum est iacienda qui me misit. Et tu eius humanitati rerum summam et infinitatem tribuis, quae ipse tam aperte a se amolitur? Creatura quisnam fidendum esse unquam docuit? Soli deo nitendum est. Si dicat aliquis: Morti Christi fidendum est (pro nobis enim eam pertulit): respondemus, certos quidem nos fieri tanquam pignore misericordiae dei, per mortem Christi iustitiam divinam placari; at perpetuo cui fidendum est, solus deus est. Nihil tamen moramur

huiusmodi sermonis, *fidere morte filii dei*, sicut neque ullos alios, qui de alterutra natura in Christo dicuntur, cum sint alterius tantum. Ioan. 13: 33. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Hic *sum* de humana natura dicitur: de divina enim dici nequit quod non sit ubique. Et tu audes dicere corpus eius esse ubique, cum ipse dicat se modicum nobiscum futurum? Ioan. 14: 6. Ego sum via, veritas et vita, de divina tantum natura dicuntur: secundum istam enim haec omnia est. Vides iterum viam, veritatem et vitam per alloeosin de humana dici? et tu corpori tribuis manducato etiam, quod animam lapsantem reficiat, peccata condonet, et id genus vestra? Quae etiam sicubi manifesta scriptura manducationi tribuerentur, per alloeosin tamen hoc fieret, cum propria sint divinitati. Quae ergo malum audacia, cum scripturam nullam habeamus, nostra auctoritate adserere, quae tam aperte cum vera ista εὐσεβείᾳ unius ac summi dei pugnant? Ibidem: Si cognovissetis me, haud dubie patrem quoque meum cognovisssetis. Hic *Me* deitatem eius spectat: nam eum utique noverant Iesum τέκτονα fabrum etc: sed deum esse solum ac summum, id vero interim fatebantur, interim cessabant. Ne tu ergo ex hoc loco digladiandi causam decerpas, quod perinde sit dominus rerum omnium pro humana natura atque pro divina! Iam enim patet quibus ille desultibus de se loquatur; imo confestim sic loquitur, ut magis eluceat quod dicimus. Ibidem: Philippe, qui videt me, videt et patrem. Ergo pater humana specie est, quemadmodum Melitus existimasse traditur? Minime: Deum enim nemo vidit unquam. Quomodo igitur viso Christo videtur pater? Cognito Christo cognoscitur pater, non secundum hominem; sed secundum deum. Non est enim nisi unus deus. Sive ergo patrem, filium aut spiritum sanctum cognoscas: deum cognosces. Hinc fit manifestum quomodo superius verbum: Si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis: non possit de cognitione humanae naturae intelligi. Ibidem: Rogabo patrem, et alium paracletum dabit vobis. Alium dixit venturum paracletum, qui cum eis maneat in aeternum. Ergone ipse non erat perpetuo mansurus? Erat: ubique enim praesens est, et deus de propinquo; sed carnem repositurus erat usque in diem suum. Et nos continuo clamamus eam adesse? Ibidem: Sermo quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris. Hominis nimirum negat esse sermonem: dei enim omnia sunt illa communia. Ait enim: Omnia mea tua sunt et omnia tua mea sunt. Et nos regnum ei aliter quam per alloeosin tribuimus, qui sermonem quem nobis commendat negat esse suum? Ibidem: Haec locutus sum apud vos manens. Ergo abibat. Abire autem non potest, qui natura ubique est; abibat ergo humanitas. Id quod palam in sequentibus deprehenditur, cum ait: Spiritus autem ille sanctus consolator, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia etc. En tibi *Hunc*, ut vices spiritus videamus. Equidem, inquit, abiturus sum: spiritus autem confestim aderit, absentiam meam sarsurus. Facit hic locus plurimum contra vos, cum de vestro (ut omnia) dicitis, abitionem omnem (de qua his locis fit mentio) sic debere intelligi, quod sensum

sui tantum abstulerit. Cum enim hic manifesto videtur, spiritum vices suas polliceri sarsurum; spiritus autem non habitavit visilibiter inter eos: iam suapte sponte sequitur eum tam de visibili quam invisibili corporis abitione locutum esse. Et nos consolationem corpori tribuimus, quae spiritus modo est? Quid spiritus missione opus erat, si corporea praesentia et coenitatio omnia praestet. Ibidem cap. 16: 4. Haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora, eorum reminiscamini quod dixerim vobis. Haec autem ab initio vobis non dixi, *quia* vobiscum eram. At nunc vado ad eum qui me misit. Et nemo interrogat me quo vadis. Sed cum haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis ut ego vadam: si enim non abiero, paracletus non veniet. Perhibet se hactenus celavisse discipulos turbulenta ista et atrocia, quae hausturi essent post abitum suum. Nihil enim se praesente mali passuros, nimirum ut sermo impleretur quem dixit: Pater! quos dedisti mihi non perdidi ex eis quenquam, Ait enim, quia vobiscum eram. Postea vero quam non amplius cum eis erat, iam ad supplicia rapiebantur. At non aderat bonitate atque praesidio? Aderat. Humanitate ergo sola privabantur. Deinde: At nunc, inquit, vado ad eum qui me misit, Antithesis est. Hactenus vobiscum fui; at nunc abeo. Quod si apud eos maneret, sed invisibiliter: non abiret, neque antithesis competeret. Sic enim dicendum aut fuisset illi aut nobis exponendum: Hactenus apud vos versatus sum; nunc autem invisibilis ero. Non sunt enim ista contraria adesse et invisibilem esse; sed abesse et adesse. Sed ne quis dicat non haberi *Ad*, sed *Et*: annotandum est Graece hic haberi *νῦν δὲ*, *nunc autem*, quae nota antitheseos est adpertissima. Sequitur: *Ut* nemo ex vobis interroget me quo vadis. Hic Graeci non habent *Ut*, sed *Et*. Veruntamen *et* istud Hebraeorum more pro *ut* ponitur; frequentissimum autem est hoc apud Ioan. Est ergo sensus: Nunc autem sic abiturus sum, ut non egeat interrogatione quonam me proripiam, cunctis palam videntibus me coelum versus proficisci. Quemadmodum Ioan. 6: 62. ait: Cum videritis filium hominis ascendere (en tibi hic quoque subito duplicem alloeosin) ubi prius erat, iam videlicet nihil percunctabimini. Si autem discipulis credendum reliquisset, quod corpus suum ederent aut apud se naturaliter haberent, iam non tanta diligentia praemoneret verae profectionis ac ablationis corporeae. Non enim abest, qui invisibiliter adest. Sed cum haec loquutus sum vobis, inquit, tristitia implevit eor vestrum; sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet. O dignam causam, cur tristarentur apostoli, si sciebant adspectum solummodo auferri, sed eum tamen adeo liberaliter sarciri? Longe enim peculiariorem posthac atque praesentiorem (si modo tam locuples et suavis res est eum edere quam vos adseritis) habituri erant quam antea, etiamsi *ἀναισθήτως*. Sed hoc potius, apostolis a suspicione liberatis, contemplandum est, quam vos *ἀναισχύντως* adseratis quicquid in buccam venerit, scripturis etiam negligenter expensis. Cum enim hic loci Christus, ut ut illi tristarentur, obdurat abitionem et cogi-

tare et docere, loquens ita: sed ego veritatem dico vobis: quid non videmus eum de vera abitione loqui? Mitis enim ac blandus praeceptor non permisisset eos tam alto moerore obrui, si non vere fuisset abiturus. Neque dixisset: Sed veritatem dico vobis, etiamsi impotentius meam abitionem fertis; sed perversam eorum intelligentiam, nunc nunc ad Supplicium vadens, curavisset tali aliquo cataplasmate: Non recte me accipitis: nusquam deesse potero, quem iam manducare vos docui. Aderam prius visibilis, sed extra vos; nunc autem adero intra penetralia pectoris vestri, sed invisibiliter, aut simili modo. Veruntamen tam abest ut horum quicquam faciat, ut veritatem se eis dicere inculcet. Quae hercle veritas non esset, si in pane a nobis ederetur quo modo vos perhibetis: non enim vere abest, qui invisibilis adest. Quo etiam pertinet, quod ait: Expedit enim vobis ut ego vadam. Nisi enim abiero, paracletus non veniet. Si expedit ut abeat, nulli erit usui, ut maneat; si paracletus non venit, ni prius omne corporis solatium sit ademtum, quid non videmus corporis esu nihil eorum quae adseritis praestari? Mentem, inquitis, confirmat. Quorsum ergo attinent vices spiritus? quas adeo necessarias esse dicit, ut expediat eum abesse quo ille ocius adsit. Quin aliquando, mi Luthere nos, sinimus persuaderi, quandoquidem videmus doctrinam spiritus adeo undique uniformem esse? Olim dixerat: Spiritus est qui vivificat, caro prorsus ad nihilum prodest, spiritum esse oportere docens, quo reficiatur mens; carnem ad hanc rem nihil posse. Nunc, nisi abiero, inquit, paraeletus non veniet. Quid autem quaeso nunc aliud loquitur quam prius? Auferri carnem nobis oportet; ad nihilum enim eius praesentia prodest. Spiritu consolatore nunc opus erit, qui protinus ut abiero aderit; si minus abitionem acceleravero (ecce quam necessarium sit ut corpus eius auferatur): ille cunctabitur. Auferamus et nos fictitiam carnis comestionem, ut spiritum quam maturrime excipiamus. Ibidem: Omnia quaecunque habet pater mea sunt. Hic *Mea* divinitatem proprie possessorem significant. Tametsi enim Christus regnat, vivit, omnia ditat cum patre et spiritu sancto: id tamen omne propter naturam potiorem est. Eius ergo est proprie, quod patris omnia eius quoque sunt; et cum ista humanitati tribuimus non ineptimus. Is enim qui haec communia habet cum patre, nobiscum quoque communem habet humanam naturam. At re vera desultoriae sunt huiusmodi locutiones, non propriae. Ibidem: Et non dico quod rogaturus sim patrem pro vobis: pater enim ipse amat vos, quod vos me amatis et creditis quod a deo exiverim. Exivi a patre et veni in mundum; iterum relinquo mundum et vado ad patrem. Hic primum videndae sunt alloeoses et ethologiae. Quomodo exivit a patre, cum dicat: Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit, filius hominis qui est in coelo? Si enim patrem nunquam deseruit: quomodo ab illo abiit aut exivit? Annotandum ergo, sermonem istum ethologicum esse: morem enim eorum imitatur qui aliquo mittuntur: hi enim abeunt et rebus recte gestis redeunt. Divinitas enim nullo proficisci potest, cum ubique sit ac omnia impleat. Deinde quod hoc verbum *exivi* intendit

in divinam naturam, non humanam. Exivit autem dei filius non motu aut spatio, sed alienam hactenus naturam adsumendo. Postremo, id verbum *relinquo* ad humanam naturam referri, cum divina nihil possit relinquere: nihil enim odit, id est, negligit eorum quae fecit. En nobis audaces desultus! Secundo principaliter debent circumstantiae hic considerari. Cum enim dicat: Non vos isto solabor, quod patrem pro vobis rogaturum pollicear: absentis habitum ac morem deprehendimus. Dicit enim, qui legatione defunctus abit nunquam rediturus: Nihil est opus ut te absentem regi commendem: es enim illi commendatissimus isto aut isto nomine. Sic isto quoque loco solatur eos patris amore, non corporis esu, aut praesenti corporis apud patrem intercessione; quae omnia sunt abfuturi. Tertio: Relinquo, inquit, mundum, non: meo aspectu privabo. Relinquendi verbum non potest ei congruere qui praesens est. Nihil hic commentemur, nihil fingamus! *Relinquo* dixit, relinquere oportet; sed non destituit potentia, bonitate, misericordia mundum; ergo corpore reliquit. Abesse ergo sinamus donec redeat, praesertim cum corpore nihil opus esse videatur, spiritu omnia rectius gerente quam possit ulla caro. Luc. 19: 12. dixit Christus: Homo quidam nobilis ac magnus profectus est in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti. Hic homo Christus est. Qui si hic est, quomodo abiit? Atque iterum: Si hic est, quomodo redibit? Expendamus totam allegoriam (non enim inter apologos numerari paradigmata ista, quae nihil aliud quam allegoriae sunt, debere arbitror) et aliud nihil inveniemus, quam abesse corpore; spiritu adesse praesentissimum, consiliaque suggerere, quomodo foeneremus cum summa nobis credita, quae verbum est. Nulla fit hic mentio corporis fideliter administrandi, sed verbi tantum. Quomodo autem corporis sic temere esset oblitus, si tanta messis bonorum nobis ex eius esu proveniret? quomodo tacuissent apostoli? Abiit. Abiisse sinamus! Revertetur. Expectemus venientem! Ne obsecro devoremus Saturno crudeliores regnantem? Ioan. 17: 3. sic ait is, cuius corpus pergitis edere: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum deum, et quem misisti Iesum Christum. Vide mihi hic primum, hinc provenire vitam aeternam, si cognoscamus verum deum, non si corporaliter edamus Christi corpus; secundo Iesum Christum iterum per alloeosin pro superiore natura capi: humana enim deus non est. Quod apostoli quoque non ignorantes dicebant: Nos credimus te Christum filium esse dei: id enim erat salutare. Non autem dicebant: Nos credimus corpus tuum corporaliter edi. Fit iterum hic manifestum, quod Christo non fidimus eo, quod humanam naturam induerit; sed quod solus ac verus deus sit. Unde si quid similium locutionum inveniamus, cauti simus, ut ad fidei regulam utrique naturae tribuamus quod eius est. Quomodo igitur tribuimus depasto corpori peccatorum remissionem, fidei confirmationem ed id genus munera, quae solius divinitatis aut spiritus sunt? Ibidem: Ego pro eis rogo, non pro mundo; sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt; et: Mea omnia tua sunt et tua mea sunt; et: Glorificatus sum in eis; et: Iam non sum in mundo; sed hi in mundo sunt et ego ad te

venio. Ista nunc seorsim tractabimus, etiamsi omnia, quae isto capite locutus est Christus, ad praesens certamen faciant. Nunc pro suis orat, cum paulo ante dixerit: Et non dico, me patrem esse pro vobis obsecraturum. Isthic negat se oraturum, qui tamen perpetuo pro nobis intercedit, eodem Evangelista, prima 2: 1. teste, quae nobis quaestiones diras pariunt. Sed ne longius evehamur: intercedit Christus pro nobis, quia est redemtionis nostrae pretium: non enim opus habet multa oratione, fletibus, planctu pignorumque ostensione. Est enim sapientia aeterna, unde et natura videt non modo quid faciendum sit, quum deliquimus; sed finem atque exitum eius, quid designaturi simus, dudum prospexit antequam ovum essemus. Quod autem hic negaverat se pro suis rogaturum, cum hospitem hominem ad patrem adduxisset, huc pertinet per hyperbolam, ut constantissime probet eos patri esse et notissimos et gratissimos, adeo ut nullius opus habeant qui pro eis oret: quamvis omnes uno ac solo Christo ad patrem perveniamus. Nunc autem pro eis orat in mundo adhuc constitutus: opus enim nondum ad umbilicum erat perductum, quod sub incude habebat. Quo nos quoque videremus non esse fidendum eorum precibus, qui iam superorum in civitatem recepti sunt; interim tamen quum adhuc in mundo laboramus, sine omni intermissione esse orandum. Haec de unanimi sensu scripturae. Nunc ad argumentum redimus. Ego, o pater, pro eis rogo, non pro contumaci mundo, quem scio ad quid sit ipse propensus et quo a nobis praedestinatus; sed pro his inquam rogo, quos mihi dedisti: tui enim sunt. Unde multa tecum importunitate non est cur agam: nam et si meos dixi, tui tamen perinde sunt atque mei: omnia enim mea tua sunt et tua omnia mea. Meos tamen dixi, eo quod me et praedicaverunt et longe amplius praedicabunt. Causa vero, cur nunc pro eis tam orem anxie, est quod iam non ero in mundo; isti autem erunt in mundo, ego vero ad te venio illis post me humi relictis. Hinc fit ut pro illis sim sollicitus. Hactenus paraphrasticos Christi verba reddidimus citra violentiam. Videmus hic ante omnia omnem circumstantiam huc spectare, quod se abiturum dicat Christus. Deinde verba ipsa tam esse plana, quibus se perhibet iam non esse in mundo futurum, ut exquisita industria nihil sit opus ad hoc adserendum. Est enim Hebraicum schema *et iam non sum in mundo*, pro quo nos diceremus: Iam vel posthac non ero in mundo. Quid hic Luthere dicemus? Negat se in mundo futurum; non dicit: Invisibilis ero, sed in mundo iam non ero. Cogit, cogit ipsa veritas ad alloeosium confugere praesidium, ut humanam fateamur auferri naturam his verbis, cum divina non possit non ubique esse: nam postremo tamquam per epilogum sic ait: Et ego ad te venio, ut admoneat quonam sit se recepturus. Neque est ut dicamus Christum in eo sermone, quem a coena habuit, de ea modo loquutum esse absentia, qua per triduum aut in hostium manibus aut in sepulchro fuit: satis enim plana sunt, quae de isto tempore dixit et quae de ascensione ad patrem. Nam quae de abitione adduximus, omnia pertinent ad ascensionem ad superos. Ibidem: Pater sancte! serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi ego custodivi, et nemo

ex eis periit, nisi filius perditionis; ut scriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semet ipsis. Hic habes manifeste de humana esse intelligendum, quod ait: Cum essem cum eis, ego servabam eos tuo nomine. Ergo aliquando non erat nobiscum futurus. At ipsa divinitate deserere non potest, qui dixit: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Restat ergo quod humanitas sola sit ablata. Eam autem clarissime videmus abesse oportere, cum ait: Cum essem cum eis; et paulo post: Nunc autem ad te venio. Qua antithesi et fuisse apud nos humanitus, nunc autem amplius non esse, nisi nolimus, facile intelligimus. Matth. 26: 64. postera die ante praesulem stans: Veruntamen, inquit, dico vobis: Posthac videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis dei, et venientem in nubibus coeli. Id autem ad hunc modum impletum esse legimus tam apud Marcum 16: 19. his verbis: Et dominus quidem Iesus, postquam locutus est eis, adsumtus est in coelum, et sedet a dextris dei, quam apud Lucam, cum in Evangelio 24: 51. Et factum est, cum benediceret eis, recessit ab illis et ferebatur in coelum; tum in Actis 1: 9. Et cum haec dixisset, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in coelum euntem illum: ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? Hic Iesus, qui adsumtus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. Haec omnia in hoc adduximus, ut ascensionem corporis Christi adseveremus atque eiusdem ad dexteram sessionem. Vide primum locum, ut pollicetur se ad dexteram futurum, donec ad iudicium redeat. Ubi eum et Stephanus vidit, et fidei articuli testantur esse; neque unquam quisquam fuit, qui descendere quocunque tandem viderit, ut apostoli ascendere et Stephanus sedere viderunt. Nam quod tu illuc detorques, quasi mente tantum viderit eum Stephanus, frivolum est. Sic enim habet Act. 7: 55. Cum autem esset Stephanus plenus spiritu sancto, ἀτενίσας, id est, vultu in coelum intentus, vidit gloriam dei et Iesum stantem a dextris virtutis dei. Et ait: Video coelos apertos, et filium hominis stantem a dextris virtutis dei. Audis ut vultum eo levavit, ut oculos intendit? Tu tam stupidos ac hardos putas, ut non intelligamus quomodo deus videatur mente. At isto loco non describitur mentis ista in deum elevatio et contemplatio; sed miraculum, quo se Christus quacunque tandem forma, quocunque modo, tanquam ἀπὸ μηχανῆς primo martyri offert. Vos, oro, tale quid in sacramento factum esse ostendite! Quo nos pertrahit furor? ut iam miraculis quoque divinis incipiamus detrahere, quo miraculi nostri figmentum adseramus. Vide mox secundum quoque locum: Adsumtus est in coelum et sedet a dextris dei, et videbis de humana tantum intelligi. Quomodo enim divina in coelum adsumeretur? Coelum mihi sedes est, inquit. Isthic sedit non tantum ante sessionem humanam, sed ante vagitum quoque. Adsumtus est igitur Christus homo in coelum, qui deus nunquam illinc abierat; sedet autem a dextris dei. Hoc tu Luthere inter miracula numeras, quum nihil miraculi debueris pati: ex sequela enim (quam tu negas, nimirum quod isti eam parum Latine

concomitantiam vocent) quum dicis, corpus eius ubique esse, omnia implere, potuisti intelligere nullo stupore dignum esse, quod etiam ad dexteram dei sedet. Denique nos eum scimus isthic sedere, hoc est versari, esse, vivere, laetari, exhilarare fratres adoptivos, et sic esse sive situm sive circumscriptum, ut uno in loco esse oporteat. Unde negamus alicubi esse posse, quam ubi verbum dominicum esse ostendit. Scimus autem vos in pane ostendere; sed scriptura non subscribit. Age ergo tam apertis scripturae locis probate in pane, atque nos in coe is probamus esse. Quod autem humanitas Christi (ne quicquam adsumamus quod non fortissime scriptura muniatur) sic circumscripta sit aut sita, ut uno in loco tantum esse oporteat, sic probamus: Christus ipse tot locis, quorum non paucos iam adduximus, corpus suum circumscripsit, primum sive abitione, sive ad dextram sessione, ut circumscriptum esse nullus magister melius docere ulla philosophia potuerit. Secundo manifestavit idem Christus, ubinam sit futurus usque ad publici iudicii diem; neque uspiam prodidit se alibi situm futurum esse, quam ad dexteram. Irreligiose ergo facimus, si eum alicubi quaeramus quam ubi se ostendit futurum. De dextera vero dei nihil simus solliciti eum circumscripta non sit! unde arguamus neque humanitatem circumscriptam esse posse. Nam etsi divinitas sit ipsa infinita, quae nimirum nulla circumscribi ratione potest: adhuc tamen circumscriptae sunt omnes intellectuales creaturae, quae apud eum sunt alio modo quam hic simus in ipso. In isto igitur loco aut modo, ubi se deus infinitus finitissimis intellectualibus creaturis fruendum et pascendum praebet, agnoscimus Christum secundum humanitatem ad dextram patris sedere, circumscriptum perinde, atque angeli et homines circumscripti sunt. Id omne iterum scriptura firmabimus. Volo inquit pater, ut ubi ego sum, isthic sit et minister meus. Et: Recipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum et vos sitis. Et: In domo patris mei mansiones multae sunt. Tertio probamus finitum ac circumscriptum esse Christi corpus, quod etiam a mortuis resurrexit, eo quod angelus ad mulieres dixit: Iesum quaeritis crucifixum; surrexit, non est hic. De quo loco supra satis est dictum. Neque possumus dicere, vicissim esse aliquando ubique, aliquando minus: quod enim infinitum est, se ipsum contrahere non potest quo minus infinitum sit, ac rursum explicare in infinitum. Quarto probant hoc omnes apparitiones eius, quibus se post resurrectionem manifestavit. Constituit a mortuis excitatus, sese visibilem quidem atque contrectabilem praebere discipulis; nunquam tamen istud tali ratione fecit, ut simul in diversis locis appareret: quemadmodum apud Lucam ultimo, Io. 20. et 1. Cor. 15: 5 sqq. videre licet, ubi omnes apparitiones succedente tempore leguntur esse factae. Et istud, quod Ioan. ult. scriptum est, quomodo in litore stetit, cum discipuli tota nocte verriculum inane verrerent usque sub auroram, circumscriptionis nota est. Quinto faciunt huc isti quoque loci: Ubi ego sum, isthic et minister meus erit, et similes. Si enim sunt ubi ipse est, secundum humanitatem scilicet, iam ut isti sunt circumscripti, illum quoque circumscriptum esse oportet. Vide tertio locum Luc. 24: 58. „Et factum est cum benediceret (hoc est valediceret Hebraeorum more) eis, recessit ab eis“ etc. Ecce quo-

modo omnia, tum quae agit tum quae loquitur, abeuntium atque absentium sunt. Valedicit, consolatur, simul versari iubet. Verbis utitur istis: Abeo; relinquo mundum; iam non ero in mundo. Utuntur Apostoli quoque: Recessit ab eis; videntibus illis elevatus est; nubes suscepit eum ab oculis eorum; adsumtus est in coelum; sedet ad dexteram. Quid mi Luthere sacrosanctum a nobis erit, si his verbis vis fiat. Abiisse alicubi Christus corporaliter dicetur; nos mansisse dicemus. Quomodo iam non confundentur scripturae? Vide ultimo Lucae locum, qui in Actorum fronte scriptus est: Quumque intuerentur in coelum euntem illum (Cur non et istos vetas oculos in coelum levare, quemadmodum Stephanum docuisti nihil opus habere ut oculos aut vultum in coelum attollat?): ecce duo viri adstiterunt iuxta illos etc. qui et dixerunt: Viri Galilaei! quid statis adspicientes in coelum? Hic Iesus, qui adsumtus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. Habes hic circumscriptam atque visibilem corporis abitionem, neque promittitur ullus uspiam reditus, quam circumscriptus atque visibilis. Ut et hic manifeste videmus, cum dicit: Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. At circumscriptus atque visibilis sic erat cum abiret, ut aciem cogerentur exerere, quo facilius longissime altissimeque abeuntem prosequerentur. Et apud Matthaeum 26: 64. Videbitis filium hominis venientem in nubibus coeli; sed et apud eundem 24: 30. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute multa et maiestate. Ecce quomodo rediturus sit! eo modo, quo et abiit: visibilis, et in nubibus cum virtute magna et maiestate. Sic ergo veniet quemadmodum abiit, visibilis scilicet. Matth. 24: 26. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire! Ecce in penetralibus, nolite credere! Sicut enim fulgur exit ab Oriente et videtur usque ad Occidentem: sic erit adventus filii hominis. Est hic quoque alloeosis *in filio hominis*. Ponitur enim pro humana Christi natura: divina enim etiamnunc tacite atque invisibiliter nobiscum est. Vitiant quidam hunc locum interpretatione sua et dicunt, Christum hic de sectis modo locutum esse: cum clarior et apertior locus non temere inveniatur, qui neget eum prorsus adfuturum, nisi clarissime ac splendidissime. Nam quod de corporali praesentia sua loquatur, ipsa quae sequitur προσαπόδοσις manifestat, quae sic habet: Sicut enim fulgur etc. Haec enim causalis *enim* satis demonstrat antecedentem sermonem de praesentia corporea locutum esse eamque negavisse, quum subnectat quam evidenter quamque adperte sit venturus. Monet igitur ne ulli mortalium unquam credant, qui dicat: Hic est Christus aut isthic: tam publice enim adpariturum tamque late iubar suum expansurum ubi veniat, quam late fulgur emicet. Nec est ut vel loqui tantum de publici iudicii adventu causentur: perstat enim in doctrina, quae ad hoc tempus, quod inter ascensionem priorem atque reditum ad iudicium futurum est, pertinet; vel quod interim adfuturus sit in pane modo quodam, ut Pomeranus ait, ineffabili. Toto enim tempore, quod inter ascensionem eius interfluet atque iudicium, negat se uspiam corporaliter quaeri debere; imo ostendit pseudoprophetas esse, qui hoc tentare ausint. Neque hoc melius potuisset confirmare, quam luculenta ista promissione, qua recipit

se non aliter adfore quam fulgur. Et nos adserimus adesse corpore invisibili? Nihil nos terret pseudoprophetarum intentata ignominia. Scimus et fulgur et reliquas voces posse tropice capi, sed alias; isto loco non temere: agit enim de signis visibilibus. Matth. 19: 17. Ecce quidam accedens ait illi, Iesu scilicet: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam? Qui dixit ei: Quid me vocas bonum? solus deus bonus est. En tibi quantum posteriores habeat humanitas! Hic, quisquis tandem fuit, bonum eum adpellaverat, quum tamen filium esse dei non agnovisset. Increpat ergo eum propter errorem. Sed numquid bona non est humanitas Christi? Bona est, sed *gratia*; neque eo modo quo divinitas, quae *natura* bona est. Christus ergo voluit eum docere, ne quid vere ac proprie bonum diceret, quam unum ac solum deum. Et nos tribuimus comesto corpori, quae solius eius boni sunt, qui solus ac vere bonus est! Quando obsecro vis Luthere nitescere, ne tam audacter tribuas coepori depasto, quae neque Christus neque apostoli unquam tribuerunt? praesertim quum videas inferiori naturae a Christo ipso tantum detrahi, ut aequo animo non tulerit quod is propter eam tantum ipsum bonum adpellaverit. Plurimum enim potest hoc contra ista tua: Humanitas Christi regnat, omnia implet, et quae sunt huius farinae. Quod Matth. 24: 36. et Marci 13: 32. scriptum est: De die autem illo vel hora nemo scit; neque angeli in coelo, neque filius nisi pater, satis in superioribus est expositum. Huc tamen iterum arcessivimus duplici ex causa. Una quod contra doctrinam tuam facit de regno humanitatis Christi: nam quomodo potes eam regno inaugurare, quam negat Christus scire articulum diei ultimi? Altera, ut obiter admotemus alloeoses non tantum fieri inter duas in Christo naturas, sed etiam inter personas divinae essentiae, sic ut persona nonnunquam pro essentia et contra essentia pro persona capiatur: ut isto loco: Solus pater novit, *pater* ponitur pro ipso nomine, sive deitate: filius enim, quatenus dei filius est, perinde novit omnia atque pater, aeque spiritus sanctus. Plura nunc non adducam exempla: sum enim aequo longior nolens. Sed tam in superioribus quam in ipsis N. T. libris adfatim invenies; illinc pete. Faciunt huc quoque et isti duo loci, quibus matrem amantissimam repulit. Uno, quum paupertinis consultura nuptiis filium admonuit, quoniam nihil vini superesset, atque ille sic respondit: Quid mihi tecum causae est, mulier? Altero, quum ad eum per mediam turbam contenderet nec tamen penetrare posset, ipseque rescivisset matrem se anxie cupere: extensis in auditores manibus dixit: Quaenam est mater mea, et qui sunt fratres mei? etc. Quibus locis nihil ambiginus eum non voluisse praecepto detrahere: Honora patrem et matrem; sed hoc tamen docere, quomodo humanitas in ipso, quantacunque tandem sit, nunquam tamen eo evehi a nobis debeat, ut ad eam solam recurramus: salutem enim omnem a numine esse expectandam. Hactenus de alloeosibus tam fuse nimirum, ut patientissimum quoque lectorem taedio adfecerim. Sed sic postulat usus, ne rem scilicet magni momenti leviter attingamus. Ut enim humanitas a dei filio in hoc adsumta, ut hostia fieri commode posset qui creaverat, per passionis, mortis crucisque gloriam ad solium summi numinis subvecta est, et ad dexteram dei sedet: ita divinitas

incommutabilis manet, sola regnat, sola administrat omnia. Et si quid huiusmodi Christo homini tribuimus per naturarum commutationem, id fieri citra offensionem agnoscamus, oportet.

## DE ABSURDITATE SCRIPTURAE.

Diximus in superioribus, duplicem absurditatem nos huc adegisse, ut Christi verba, de quibus nobis texitur expositio, paulo subtilius excuteremus: fidei sive rei, de qua satis superque cum passim, tum suo loco diximus; et scripturae, de qua nunc ordimur. Infiniti sunt in utroque instrumento loci, qui prima specie antinomiam ac diversitatem summam prae se ferunt; sed iidem, dum recte et absque factionis studio conferuntur, nihil est illis concordius ac planius. Ex quibus hic noster unus est: quum enim eum prima fronte intuemur, cum tot scripturae locis pugnat, ut non temere alium reperias, qui tot modis patiatur contradictionem. Id autem cum iam iam ostensuri simus, tu precor ne indigne feras, dum distinctis nominibus contradicta ex ordine ponemus. Pollet enim hoc cum ad causae claritatem, tum ad brevitatem, quam haud dubie iam dudum desideras.

*Luth.* Debent haec verba Christi: Hoc est corpus meum, naturaliter ac simpliciter intelligi.

*Nos.* Sed ex isto sequetur, panem transire in corpus eius. Vicit ergo transsubstantiatio Rom. Pont. et Paulus peccasse videbitur, quod panem adpellavit quod caro Christi est 1. Cor. 10: 17. Omnes de uno pane participamus.

*L.* Non debent autem intelligi, tamquam si panis transeat in substantiam corporis Christi.

*N.* Ergo non intelligentur haec verba naturaliter atque simpliciter. Quid enim putas demonstrari per hoc?

*L.* Et panem demonstrat et corpus Christi, hoc sensu: Hoc est panis et corpus Christi, vel in pane est corpus Christi: nam tu mi Luthere utrumque ponis.

*N.* Ergo iam non simpliciter, sed plane dupliciter intelligentur verba domini, si hoc est *panis* et est *corpus* Christi. Si vero panis manet panis, sed in pane editur corpus Christi, iam iterum non simpliciter aut naturaliter intelliguntur: est enim synecdocha. Non enim dixit Christus: In pane est corpus meum; sed: Hoc, panis scilicet, est corpus meum. Quae ergo est ratio diversitatis, ut synecdocham admittamus, metonymiam autem, aeque tropum atque istam, respuamus?

*L.* Panis est panis et tamen corpus Christi; manducanturque ambo in isto sacramento miraculose, modoque nobis ineffabili.

*N.* Christus iubet se a miraculis aestimari, si alioqui nollent credere Iudaei. Miraculum ergo ostendite! Praedixit idem Christus, pseudapostolos talia signa facturos, ut pii quoque in fidei discrimen veniant. Unde si Praedicatores fratres, ad miracula concinnanda adpositissimi, nunc aliquid miraculi commentarentur, non tamen tutum esset illis credere. Quanto magis nihil debemus moveri, cum ostenduntur miracula quae nunquam nusquam sunt facta aut dicta?

*L.* Non editur Christi corpus sic crasso modo, sed modo quodam Christo satis noto. Nobis minime licet hac in re curiosis esse.

*N.* At crassissimo edatur modo oportet, si verba sunt naturaliter accipienda. Hunc enim sensum reddunt: Hic panis est corpus istud meum, quod pro vobis traditur. Crassum, vulneribus, pugnis mortique obnoxium est pro nobis traditum; ad hunc ergo modum cognitari oportet. Aut ostende nobis ex scriptura quo tandem modo possit edi!

*L.* Christi corpus est ubique: nam et regnat et omnia implet.

*N.* Ergo mentitus est feminae angelus cum diceret: Surrexit, non est hic. Mentitus erit Christus, cum negavit se pro humana natura amplius in mundo futurum, idque toties ut labor sit recensere.

*L.* Christi humanitas cum sit ubique omniaque impleat, non aliter atque triticum saccum implet: tamen singulariter voluit se huic sacramento inserere ac nobis dare, ut sciremus ubi ipsum invenire mus.

*N.* Quod Christi corpus omnia impleat, iam satis patuit frivolum esse per angeli sermonem et abitionem. Sed contra secundam partem pugnat, quod de isto tempore, in quo nos quoque sumus, quod scilicet inter eius ascensionem et summa comitia est, dixit: Si ergo dixerint: In deserto est: nolite exire! Ecce in penetralibus: nolite credere! Sicut enim fulgur exit ab oriente et videtur usque in occidentem, ita erit et adventus filii hominis. Repugnant articuli fidei: Sedet ad dexteram dei patris omnipotentis; inde venturus est iudicare etc. Non legimus alio aut ad aliud venturum, quam ad iudicandum. Repugnant Christi verba, cum Matth. 26: 64. dixit: Posthac videbitis filium hominis sedere ad dexteram. En nobis hominem! ad dexteram dei sedet, isthic se futurum prodidit et *posthac* inquit. Ne ergo eum *posthac* alibi quaeramus!

*L.* Omnia ista fiunt invisibiliter: non enim gradibus aut climace nunc descendit, ac rursum se recipit.

*N.* Sed obstat quod angeli dicunt: Hic Iesus, qui a vobis adsumtus est in coelum, *Sic* veniet, *Quemadmodum* vidistis eum ire in coelum. Conspicuus omnibus veniet.

*L.* Sic ad iudicandum veniet. Nihil facit hic locus ad praesentiam istam, qua est in eucharistia.

*N.* Non est ad aliam rem ullam descensurus quam ad iudicium. Vetat enim se quaeri uspiam. Pseudoprophetas vocat, qui se aut hic aut isthic ostendant; et *posthac* ait, videbitis filium hominis sedere ad dexteram. In illo *posthac* nos sumus; videamus ergo eum isthic, ubi est. Nam ad quid esset corpus eius naturaliter in gratiarum actione?

*L.* Ut mentem fidemque confirmet.

*N.* Spiritum ait esse oportere, quod mentem vivificet; carnem nihil prodesse. Spiritum promittit adfore omniaque facturum, ut ne commentandum quidem sit quid loqui velimus etc.

*L.* Peccata remittuntur corporis esu corporeo.

*N.* Morte eius expiata esse peccata (factus est enim pro nobis maledictum) tot est scripturae locis proditum, ut hic producere nihil sit opus. Sin autem esu corporis eius remittuntur peccata: iam discipulis remissa fuerunt concoenato corpore. Adeon' effusus sanguis non

solum lustrat, sed etiam potus? Cur ergo cruci est adfixus? Num duae sunt ad iustitiam viae: altera credendi, altera corporaliter edendi? Quo ruimus?

*L.* In pane isto praesens datur quod verbo praedicatum est.

*N.* Ubi est: Qui credit in me, habet vitam aeternam? Et: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum? Si homo potest praesens dare quod praedicavit: cur non iis damus, qui evangelium audiunt, sed non credunt? quo invitis succos praeberemus amaros quidem, sed salutares.

*L.* Sic stupidi estis, ut spiritu inanes nihil intelligatis subtilium istarum rerum, quae spiritualiter amant intelligi. Qui credunt, hi tandem edunt corpus Christi.

*N.* Et nos credimus. At non edimus corpus naturaliter.

*L.* Credi oportet hic corpus Christi edi. Iam qui credunt edunt.

*N.* En vobis ut fidendi credendique verba varietis! Nonne ista fides est salutaris, cum credimus Iesum Christum esse filium dei, atque eo fidimus? Credere autem hic edi corpus, aut sanguinem hauriri, ubi oro scripturarum est propositum? Cur *credendi* verbum hac trahitis? Quis unquam apostolorum dixit: Nos credimus te corpore edi? Nonne omnes dicebant: Nos credimus, te Christum esse, filium dei vivi? Io. 6. et Matth. 16. Sed simplicibus vobis, o fratres, ponuntur hae tendiculae, ut, quum interim dicunt de *fidendo* Christo, id autem ex scriptura, mox ab eo genere fidendi desiliant ad *credendi* genus istud, quo fingunt credi corpus et sanguinem comedi. Ipse scio, scio inquam, fratres quosdam in urbe non poenitenda verbi ministerio praefectos, qui quandoquidem referre pedem nequeunt, hisce latibulis sese tegunt: fidem obtendunt, quam nemo pius non putat religionis totius esse colophonem; sed simul vitiant naturale fidei ingenium, quod nihil est aliud nisi Christo dei filio fidere, atque pro *credere* corpus Christi *edi* simplicium animis inserunt. Credi oportere dicentes, hic edi, quod verba prae se ferunt, bis peccant, et quod verba minus intellecta iubent perperam intelligere, et, quod hoc iniussu credendum proponunt, quod nusquam est ad credendum traditum. Nusquam enim docti sumus credere, quod corpus Christi edatur corporaliter: quamvis edi oporteat Christum, hoc est fidem in eo poni. Quod dum sit Io. VI. per *corpus edere* tropico sermone traditum, mirum est ut ἐκπερδικίζωσι. Det eis dominus sui suorumque ipsorum cognitionem! Amen.

Haec de absurditate, quae ex scripturae collatione oritur, doctissime Luthere, tecum sic conferre volui, ut contradicta sibi mutuo opposita dilucidius aestimari queant. Tuum nunc est percensere, quibus vestra fundamentis nitantur, quibus nostra; et intellectus noster captivus domino sedendus. Spiritu coepisti, nisi nobis, quod absit, imposuisti. Nolito carne consummari!

Nunc in viam redimus. Cum ergo Christus ab Apostolo dicitur Eph. 4: 10. ascendisse super omnes coelos, ut adimpleret omnia, non debuisti in tam ineruditam incivilemque comparationem incidere, ut diceres secundum *humanam* quoque naturam omnia non secus implere, quam frumentum saccum impleat (Expectabamus, Hercules! ut aliam quoque adderes, istam: Quemadmodum rusticus ocreas, quum tam

rudibus aperuisses ostium, aut similem aliquam), sed iterum atque iterum verba expendere: occurrisset enim alloeosis, quae, etiamsi sensum genuinum non vidisses, viam tamen commonstrasset, qua intellexisses de divina exponendum esse natura, si omnino *implendi* verbum naturaliter, quatenus cum quantitatis significatione coniunctum est, accipere placuisset. Sed revera non debet in hac significatione accipi, sed pro *perficere* aut *respondere*, hoc sensu: Ascendit super omnes coelos, ut perficeret omnia, quae de illo scripta sunt; aut ut responderet per omnia iis, quae de eo praedicta sunt. Quomodo accipitur in isto sermone: Sic nos decet implere omnem iustitiam; hoc est: perficere quod constitutum est ut faciamus (est enim Hebraismus). Et 1. Cor. 15: 3. dicitur Christus resurrexisse iuxta scripturas; hoc est: quemadmodum scripturae praenunciaverant. Sic et isto loco dicitur ascendisse, ut impleret omnia, quae de eo divini vates atque sancti viri praedixerant. Quod ex antecedentibus clare liquet et sequentibus. Quum enim e psalmo 68. testimonium istud: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem; et: Dedit dona hominibus, adduxisset in hoc ut ostenderet varia dona a deo nobis per Christum donari, mox adserit eum ascendisse, ut et scripturae tam praesenti loco quam aliis satisfaceret et dona nobis promissa demitteret. Nam protinus ut ad dona pergit, quae spiritu misso donaverit: Ipse, inquit, fecit quosdam apostolos, quosdam prophetas etc. Quapropter, si te omnino placare nihil potest, quo rem eucharistiae interius contempleris, poterit quaeso tam rudis huius loci detorsio illud saltem, ut dicas: Quid, postequam in tam aperta luce caecutivi, non video meme in tam ardua re atque obscura idem pati posse, quod hic sum passus? Dominum haud dubie aliqui in re offendi, qui me labi tam foede permisit. Admonitio est, ne pergam confidens esse.

XI. Pergis postea in eodem sermone ad hunc modum: Quamquidem Christus tam aperte loquitur: Accipite, comedite! Hoc est corpus meum, meum iam est ut his verbis credam tam incunctanter, quam omnibus verbis Christi credere cogor. Etiam si culmum tantum praeberet et haec verba proferret, credere deberem. Haec tua sunt. Recte mones, tametsi pinguiter compares. At istud non audis, quae Petrus, Pontifex clamat, credendum esse verbis Christi, quibus Petrum, antecessorem suum, fecerit fundamentum ecclesiae. Si dicas: Ea verba huno sensum non habent, sed per fidem tractanda sunt, et conferenda cum aliis, quae de hac quaestione sunt; credendum quidem esse verbis dominicis, sed recte intellectis: cur quaeso hanc legem ipse non servas? Credendum est Christi verbis intrepide, sed tum tandem, quum planus sensus, quem fidei iudicium et scripturarum concordia demonstrant, plane expeditus est. De hoc est quaestio, num verba domini debeant in hunc sensum exponi. Et tu, tanquam eviceris, per petitionem principii non desinis urgere: verba sunt plana; verbis credendum est. — Sunt et ista plana; venter est deus; idolum nihil est: Lutherus est securis. Sed in eo sensu, quem prima fronte offerunt, absurdissima sunt; at ubi tropum explicueris in hunc modum: Sunt qui ventrem religiosius observent quam deum; idolum quidem materies est, at is cui positum est, nihil est, aut deus

non est; Lutherus non securis tantum, sed bipennis fulmine vehementior est ad detruncanda Rom. pontificis vincula: iam denique vere plana sunt et dilucida. Nemo est qui nesciat, quid *Hoc*, quid *Est*, quid *Corpus*, quid *Meum* significet; at sententia propterea non est plana, quae ex tam planis vocibus exurgit. Hac autem vociferatione: Verba sunt plana; verbis fidendum; verbis credendum, plenus est hic sermo. Sequitur apud te:

XII. Sic etiam baptismus habet: Aqua est baptismus; et in baptismo est spiritus sanctus. Quid huius quaeso vis? Nondum putas eo profecisse, ut sciamus quidnam sit baptismus aut quomodo sit in eo spiritus sanctus? Quanto rectius docuerunt pontificii, cum dicerent, baptismum constare ex materia et forma: materiam dicebant aquam; formam: Ego baptizo te in nomine patris etc. Tu materiam dicis esse baptismum, aquam scilicet, et in materia spiritum sanctum. Nunc ergo sic ex te quaero, utrum praestantius sit sacramentum, baptismus, an panis et poculum gratiarum actionis. Dices nimirum eucharistiam (sic enim perpetuo soletis eucharistiam veluti rem absolutam nominare, cum sit actio tantum, videlicet gratiarum actio: quamvis nolim procaciter obstrepere, dum coenae panem vocemus eucharistiam per metonymiam). Obiiciam contra: In eucharistia panis est sacramentum, et corpus Christi est in sacramento; in aqua vero, quae baptismus est, spiritus sanctus est. Quantum ergo antecellit spiritus carnem, anima corpus, tanto praestantior est baptismus coena. Nam si dicas et in coena cum corpore esse spiritum sanctum: iam vicit concomitantia; iam adoranda erit coena; iam Christus aderit etiam ut adoretur, quod tute negas. Utinam aut ego nunquam in haec tua incidissem, aut tu nunquam prodidisses. Considera enim quo nos sophismatum detrahas! Baptismus nunquam est aqua, sed actio; sic eucharistia nunquam est panis aut corpus Christi, sed gratiarum actio. Quid autem? Spiritum sanctum in aqua esse negas etiam quae neminem abluat? Non arbitror. Quo ergo nobis spiritum denuo in aqua invenisti? Negare non potes quin dicere volueris, spiritum in aqua aut ipsum dari, aut dare peccatorum remissionem. Perhibes enim corpore quoque in pane adeso peccata remitti. Postliminio igitur Antichristi regnum restituis? Si in aqua spiritus sanctus quicquam largitur, et corpus Christi in pane eucharistiae: quis iam non convertetur ad externa? O dignam Luthero theologiam! Sed, o deus, aperi ei oculos, ne magis ac magis et tui et sui obliviscantur.

XIII. Cum Archisuermeros nos, hoc est fanaticorum et praestigiatorum omnium principes facis, stultos, ac indignos quibuscum manum conseras, dudum a nobis ignotum est quod in nos iacis. Oramus enim: Remitte nobis debita nostra, quemadmodum nos remittimus debitoribus nostris. Sed hoc simul praeterire nolumus, quum nihil solidi habeas, quo nobis occurras aut impetum sustineas, clamas indignos esse, cum quibus pugnes. Apologus vulpeculae ignotus tibi non est; et quid sit quod in proverbio dicitur, a lasso rixam quaeri.

XIV. Post multa deinde, quae merito transilimus: tam enim infantia sunt, ac tanto indigna Theologo, ut suscepti laboris pigeret, confutandi scilicet quae per se ipsa corruunt, nisi vereremur, quicquid tandem sine

responsione transmisissemus, exclamares: Cur non est ad hoc responsum? — post multa, inquam, huc devenis, ut infirmius iactes ad hunc modum: Nimirum debet mors eius adnunciari. Et nos praedicamus, augustius etiam quam isti unquam. Et si ex nobis non haberent, indubie nihil de eo (praedicanda morte Christi scilicet) scirent. Haec tua sunt. Paulus apostolus, a cuius mensura longissime absumus, cum aliquando nata esset arrogantiae iactantiaeque impudentia, sic restinxit incendium: Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat deus. Quod ad me Luthere attinet, semper praeceptores meos parentum in numero habebam, eos maxime, qui studia divinarum humanarumque literarum iuverunt. Si quid ad me de ea ubertate venit, quam tibi dominus dedit, cur non agnoscerem? Evangelii autem rationem, si abs te didicissem, cur non faterer? Sed ingenue ostendam, ut haec res habeat. Fuerunt multi atque excellentes viri, qui antequam Lutheri nomen esset tam celebre, viderunt unde penderet religio, longe aliis praeceptoribus quam tu putes docti. Nam de me ipso coram deo testor, evangelii vim atque summam cum Ioannis Augustinique tractatuum lectione didici, tum diligenti Graecarum Pauli epistolarum, quas hisce manibus ante undecim annos exscripsi, quum tu annis iam octo regnes. Quam etiam summam sic literis commendavi, ut multi sint gratulati. Eam si tu recte tenes, videto! Nam hercle de clavibus videris nondum exacte intelligere, quum perpetuo quiddam absolutioni, nescio cui, tribuas. Nos enim aliam nullam agnoscimus, quam eam, de qua Christus per aquae metaphoram sic loquitur: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam; et: Amen, dico vobis, qui verbum meum audit, et credit ei qui me misit, habet vitam aeternam; et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam; et: Qui manducat meam carnem et bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam; et: Qui manducat hunc panem, habet vitam aeternam; et: Qui venit ad me, non esuriet; et: Qui credit in me, non sitiet in aeternum; et: Qui credit in me, habet vitam aeternam. Haec inquam est absolutio nostra, expiatio, satisfactio, ac peccatorum omnium remissio, cum Iesu Christo dei filio fidimus: iam enim scimus omnia nobis cum illo et per illum donari. Tu, quantum audio, adhuc perstas in ea sententia, ut putes conscientiam oportere certam reddi absolutoris alicuius carmine. Vide ergo quae tua sit fides, et quae tua evangelii cognitio! Nos enim id nunquam docuimus, posteaquam per Christum regenerati sumus. Ligandi enim et solvendi verba non volunt in hunc sensum capi: nihil enim aliud significant, nisi credere et nolle credere. De quibus post finem. Si te non offenderet, mitterem ad Commentarium nostrum, aut ad sexaginta septem conclusionum nostrarum expositionem. Sic enim evangelii rationem dei munere pervestigavimus, ut eo corruant Pontificiae claves, Purgatorium, et ficta divorum intercessio, quibus te aiunt per omnes libros tuos haerere. Quomodo ergo abs te didicimus, quod secundum te neque tradimus neque credimus? Dilucidius ergo quum isti negotium Evangelii intellexerint (quos ego et merito et libenter suspicio) quam vel tu vel ego, quomodo te auctore didicerunt? Fide in Christum Iesum

rectissime docuisti salutem obtineri; sed cur secundum hanc doctrinam tribuis quid nescio quibus clavibus? Cur purgatorium non evertis? Cur non agnoscis unum ac solum mediatorem dei atque hominum Christum Iesum? Excidis tibi nonnunquam. Fidem ergo cum explicares, et in pugna indulgentiarum semper aliquid clavibus incircumspectius donares, plurimum torquebas nos, ante annos aliquot a Thoma Vitembachio,[1] viro et doctissimo et piissimo, iam superis quoque grato, praeceptore nostro, doctos, solam Christi mortem pretium esse remissionis peccatorum. Fides ergo clavis est quae menti scrinium remissionis peccatorum reserat. Ea quum adest, nihil aliud sitit aut esurit. Nos inquam torquebas, quod non plane videres claves nihil aliud esse, nisi evangelii fidem. At quanto candidius quam tu egerimus, nunc existima. Videbamus tibi nonnihil iubaris deesse, etiamsi iusti luminis nihil deesset; attamen ne ulli dissidio daremus occasionem, ad omnia connivimus, hac spe ducti, te esse in diem certius atque certius quaeque contemplaturum. Idem fecimus in eucharistiae causa, cum commemorationem adpellare desisteremus, solum, ne videremur tanti viri auctoritati obstrepere, anser olori. Tu vero quantumcunque te fratres admonerent literis, ne festinares neque in eam rabiem descenderes, qua tam immaniter in bonos et doctos viros tot atrocibus contumeliis desaevires, teneri te non es passus. Vide utris pacis studium altius corde sederit! Sed nunc stilo parcam, ne in ista indigna, quibus per omnes ad amicos epistolas in nos invexisti,[2] incursionem faciat; atque in hoc laxabo, quomodo et quatenus nobis observandus sis. Cum haud parum multi essent, inquam, qui religionis summam, etsi non admittis melius, at aeque atque tu, cognitam haberent (sunt enim, sunt certi homines, quorum familiaritas ante duodecim annos nobis et profuit ad hanc rem? et ad alacritatem exstimulavit): nemo tamen erat, qui se discrimini obiicere auderet ex omnibus castris Israelis: tadeo metuebant immanem istum Goliathum, tanto armorum viriumque pondere minacem. Hic, hic tu unus fidelis David, ad hoc unctus a domino, induis quidem arma. Primum, quum iuxta illorum ritum pergis cum eis disputare, ac paradoxa nodosque Gordios obiicere; mox tamen reiectis his impedimentis e coelesti flumine lapides eligis ac libras, expeditaque et rotata funda tam vehementer iacis, ut in magnum agri spatium insitata membra porrigas. Unde fideles animae nunquam cessare debent, quo segnius canant: Percussit Saul mille, David autem decem millia. Tu unus fuisti Hercules qui, ubi ubi discriminis aliquid esset, occurreres: aprum Romanum occidisti; Antaeum terrae filium compressisti. Quis enim luculentius aut purius quam tu iniquicitias carnis et spiritus ex apostolorum fontibus propinavit? Cacum, qui non modo

---

[1]) Vid. Vol. I, 428 et Ep. Zuingl. ad Witt. 15 Iun. 1523. [2]) Videsis epistolas Lutheri a De Wette conquisitas inde a 1524. ad Nicol. Hausmannum n. 631, 774, 819, 844, ad Spalatinum n. 662, 784, ad Io. Hessum n. 729, ad Gottschalcum Crusium n. 774, ad praedicatores Argentoratenses n. 753, ad Io. Agricolam n. 779, ad Nicol. Gerbelium n. 792, ad Michael. Stiefel. n. 823, epistolam ad Rutlingenses 4. Ian. 1526, ad Christianos Argentoratenses (9. Febr.) 1526. [3]) Erasmus, cuius amicitiam Zuinglius praesertim propter Lutheri defensionem perdiderat, teste Glareano.

boves aversos, verum etiam viduarum domunculas in speluncam abigebat, protraxisti. Quid multa? Augiae stabulum, si eas imagines, quae ad cultum prostant, sustulisses; fictum in pane corpus Christi corporaliter non ederes; in Evangelii luce videres purgatorium rete pecuniarum esse, absolutionem autem vel claves evangelii fidem; unum solummodo deum ac mediatorem dei et hominis filium Christum Iesum: non solum repurgavisses, verum etiam coelum ipsum tulisses. Verum heus tu! cave, *λεοντῆν* et clavam mulierculae procacis amore ponas: Busiris adhuc nobis superandus est ac trucidandus. Saul regno excidit, quod sui oblitus imperium deperiit posteritatique suae transmittere invito domino cogitavit: hinc enim homini metus ac terrores varii; hinc invidia et caeca in quaevis praecipitatio. Suspecta cum omnia putat esse, temere innocentes sacrificulos ac prophetas mactat; et mirum est cui etiam filiae pepercerit, quae Davidi marito, quo commodum aufugeret, indicavit. Non potuit mentem lenire lacinia de pallio cum ventrem exoneraret recisa, non hasta dormienti ablata, non praeputia ducenta ex Palaestinis relata. Exemplo nobis ista sint, ne et nos, si modo per dominum regnamus, in verbi ministerio quicquam *τυραννικωτέρως* designemus; nullis invideamus, quibus dominus *ἀφθόνως* gratiam suppeditat. Unum corpus sumus, caput Christus est; alter oculus Lutherus est. Absit ut auri invideat quod auris sit. Haec mi Luthere bona fide *ἀλληγοφίζομαι*. Tuum est candide omnia intelligere. Nunc ad tua redimus.

Videris nondum perspectum habere, in qua significatione apostolus verbo *annunciandi* utatur, quum dicit: Mortem domini annunciabitis: quantum enim intelligo, putas, pro *evangelium docere* accipiendum esse, quum tantopere praedicationem tuam praedicas. Quemadmodum solent, qui in tua verba iurati sunt (sunt enim plurimi sic tibi addicti, ut malint tecum errare, quam cum apostolo recte sentire), cum a communione redeunt, sedentem fratrem sic affantur: Adnuncio tibi frater mortem domini. En vobis quid faciat ignorantia! Superstitiosa est, quum non videt quid liquido sit in verbis domini; iam ex eo quod ignorat ceremoniam facit. Id quod abunde, cum tota causa quam agimus, tum istud *adnunciandi* verbum non intellectum quidem, sed in ceremoniam conversum, probat. Resipit autem hoc verbum (quemadmodum omnia quae per universum novum testamentum, etiamsi aliena lingua scripta sunt) Hebraicum ingenium. Hebraei enim annuntiandi verbo creberrime utuntur pro collaudandi ac profitendi. Mos. 5, 26: 3. sic legimus: Accedesque ad sacerdotem, qui fuerit in diebus illis, et dices ad eum: Profiteor hodie coram domino deo tuo, quod ingressus sum in terram, de qua iuravit patribus nostris, ut daret eam nobis. Ubi nos isto loco habemus *profiteor*, Hebraei habent הַגִּיד Graeci autem *ἀναγγέλλω*, quod est *annuntio* in utraque lingua, hoc sensu: profiteor, annuntio, laudo, agnosco hodie coram domino deo tuo, quod ingressus sum in terram, quam iuravit dominus daturum patribus. Quid opus erat hac *confessione?* Notum erat omni tribui et viciniae, si quis esset in terra. Professio ergo ista gratiarum est actio, agnitio et collaudatio pro datis

beneficiis. Sequitur enim paulo post: Et idcirco nunc offero primitias frugum terrae, quam dominus deus dedit mihi. Sic in praesenti loco: Mortem domini *adnunciabitis*, *καταγγέλλετε* (est enim translatitium Hebraeis imperativis uti pro futuris et contra), hoc est: collaudabitis, gratias agetis, agnoscetis, confitebimini; non quod hic solennis sermo requiratur (nam alioqui omnes cogeremur oratores una eademque panegyri simul esse), sed pia gratiarum actio et agnitio eius, quod nobis coelestis pater mera bonitate donavit. Reliqua, puta: praefationem publicam atque ferculi potusque symbolici circumlationem nunc non tractamus. Iudic. 9: 16. Si ergo recte et absque vitio egistis cum Hierobalo et domo eius, hodie laetamini in Abimelech; et ille laetetur in vobis. Hic ubi nos habemus *laetamini*, Hebraei שִׂמְחוּ, Graeci *εὐλογηθείητε* habent. Quo facile deprehendimus *benedicendi* verbum, quo hic Graeci sunt usi, pro gratulandi et laetandi nonnunquam accipi. Unde et calix *benedictionis* dicitur, hoc est gratiarum actionis, laetitiae ac celebritatis. Ex quo deinde hoc quoque deprehendimus, mortem domini *annunciare* nihil aliud esse quam *benedicere*, hoc est *gratulari* et *laetari*. Idem enim sunt hoc loco *meminisse* mortem domini et *annuntiavisse*: alterum enim altero exponit Paulus. Pet. 1, 2: 9. sic habemus: Ut virtutes eius adnuntietis, qui ex tenebris vocavit nos in admirabile lumen suum. Quid hic quaeso virtutes annuntiare aliud est, quam confiteri, agnoscere, gratulari, laetari? Sic et praesenti loco: Mortem domini adnuntiabitis, tantum valet, quantum mortem domini agnoscetis, laudabitis, pro ea gratias et hymnos referetis, ex ea laetabimini et exultabitis. Est ergo *Eucharistia* gratiarum actio, animi exultatio, confessio; quemadmodum et Christus: Confiteor Matth. 11: 25. et Luc. 10: 21. dixit, pro: Gratias ago tibi, pater! Unde et qui Tiguri sumus fratres evangelique ministri, cum eam instauraremus, prorsus ab his abstinuimus legibus, quibus nonnulli gratiarum actionem in fastidium ac nauseam trahunt, nescio quam atrocia minati, si quis scortator, ebriosus, avarus aut maledicus accedat. Istis enim arbitramur tunc esse interdicendum ab eucharistia, quum palam tales esse deprehensi sunt: non debemus enim ad ingentia ista crimina connivere, sed quae quisque domi habeat occulta, quae fors iam poenitentia ex fide diluit, ea non debent cum tanta atrocitate arceri; tum quod solus deus est occultorum iudex, homo in facie tantum videt; tum quod hic usus audaciae hypocritarum viam sterneret. Facile enim invenias, qui odium, invidiam, avaritiam, *κενοδοξίαν* in pectore alant, audacter tamen ad eucharistiae convivium accedant. Iam soli boni atque innocentes isti iudicarentur. Quod ut primum fieret, accederet praemium; quo dato denuo esset de evangelii negotio actum. Vitiis ergo, ad quae pia severitas non debet connivere, excommunicatione tum occurramus, quum in nostrum iudicium inciderint; interea quemque suae tum fidei tum conscientiae relinquamus. Paulus enim Cor. 1, 5: 11. de his tantum loquitur, quorum scelera sic sunt manifesta, ut nostro iudicio deprehendi et citra conscientiae *διάκρισιν*, id est, dubitationem damnari possunt. Aut, quod mihi magis probatur, non loquitur isthic Paulus de excommunicatione: nam istam vocat *tradere satanae*; sed de peculiari cuiusque cautione,

qua se ab iis alienat, quos videt ad ea vitia propensiores esse: hoc enim arbitror esse, *ne cibum quidem edere*. Postremo habentur eo loci quaedam vitia, quae ut nunquam legimus excommunicatione multata, ita non facile est mensuram videre, quando tandem sint excommunicanda, ut avaritia et rapacitas: nemo enim sic est avarus aut rapax, ut se non maximopere occulat ac celet. Quoniam autem postremo ad hanc sententiam ex lege additur: Auferte malum de medio vestri, quod speciem excommunicationis praebet, liberum sit cuique in suo sensu abundare. Nobis enim ista duo occurrunt, quod haec verba: Auferte etc. ad amicam declinationem et vitationem possint citra iniuriam trahi; et quod adeo rara est apud apostolos excommunicatio. At utcunque de isto loco habeat nativa expositio: non tamen est Paulus uspiam in ea sententia, ut iudicemus, nisi de his, quae sic publica sunt, ut tergiversatione nulla possimus infitiari: ea demum admonet abstentionis mucrone esse confodienda.

Habes et alia multa tum inania tum impotentia in hoc sermone, qualia sunt: natura tradi hoc sacramento, quod verbo tantum fuerat doctum. Spiritus enim est hoc officium, non corporis. Hoc sacramentum vocari cibum esurientium. Eorum enim est, qui fidei carnem, succum et sanguinem iam dudum ederunt. Fructus, quos enim isthic recenses, spiritus et fidei sunt, non coenae fructus. Propter infirmos tantum institutum esse. Ergo non sumus omnes unus panis et unum corpus. Et id genus, ut diximus, inania, quia nulla sunt scripturae auctoritate fulta; impotentia vero, quia quicquid ira dictat, in nos iacis, quasi contumeliis, probris et convitiis res peragi possit. Ad quae omnia prudens lector facile respondebit ex his quae praemissa sunt.

Restant epistolae ad Argentorati fratres, et quam Rutlingam misisti,[1] quarum utraque quum praeter contumelias nihil, cui non sit satisfactum in superioribus, habeat, nolumus miserum lectorem diutius tenere: arbitramur enim abunde ostensum esse quam frivola sint, quae vos citra omnem coelestium oraculorum auctoritatem traditis: corpus manducatum, fidem confirmare; peccata remittere; praesens facere natura quod verbo sit praedicatum. Aeque arbitramur satis superque deprehensos esse paralogismos, quibus forsan ignorans potius quam volens contendis, ei verbo Christi nitendum esse, quod nondum est cum scriptura collatum, an hunc sensum ferre possit quem prima fronte ostentat. Est plane res sacrosancta verbum, quod attrectari tam non debet violarique audaci aut profana manu, atque arca quae Ozam, bono etiam, ut ipse putabat, zelo, ipsam ne laberetur tenentem, interfecit. Sed tum est sacrosanctum ac inviolabile, dum sensum nobis redolet genuinum. Redolet ipsum

---

[1]) In epistola ad Argentoratenses hoc verbum magni momenti edidit: „Hoc sane confiteor, si Carlstadius aut aliquis ante quinquennium me certiorem facere potuisset, in sacramento nihil esse nisi panem et vinum, gratissimum mihi fecisset. Tantopere tum sollicitatus sum et afflictatus, tantopere colluctatus, connixus, ut perlibenter me expedivissem, quia probe cernebam, sic papatui me posse gravissimam plagam inferre. — Sed captus sum; evadere nequeo. Nimis teneor textu.

quidem eundem semper sensum; sed vitiatus est saepenumero odoratus noster, quo nativum sensum minus olfaciat. Hic neutiquam clamemus; Verbum sacrosanctum est, hoc animo, ut rudes minus aut etiam perperam intellecto nitantur: alioqui tumultuosis erimus tumultuosiores. His igitur missis ad secundam partem accedamus.

## SECUNDA PARS.

Promisimus in ipsa divisione, hac secunda parte nos Christi verba, de quibus certamen est, plane exposituros. Quod et libens ac hilaris facturus sum, deo interim gratias agens, quod per tam scopulosa et obscura navem tam feliciter traduxerit, ut ne crepitum quidem ullum aut gemitum dederit. Haetenus praefati erimus.

Antequam autem ad verborum domini expositionem accedamus, paucula nobis de scripturarum collatione praemittenda erunt, ista videlicet: quod posteaquam humanum os coepit tropis, figuris ac locutionibus orationem veluti odoribus aut pigmentis condere et variegare: divinam quoque bonitatem (quae ubique parentum instar nobiscum balbutit linguaque nostra loquitur) huc sese demisisse, ut et ipsa nobiscum loquens tropis ac schematismis nostris uteretur. Ex quo istud indubitatum discimus, troporum ac schematum cognitionem ante omnia esse necessariam iis, qui in sacris versari literis constituerunt. Secundo loco, quod quandoquidem ii, qui figurarum troporumque lenociniis impensius utuntur, tales nobis plerumque sermones propinant, ut prima specie videantur esse longe diversissimi et a vero alienissimi, etiamsi non semper sint de diverso argumento. Exemplum damus unum ex tanta silva: Christus dicitur Paulo natus ex tribu Iuda; eidem dicitur esse neque Iudaeus neque Graecus. Sunt ergo eaedem voces in diversis locis alia tum ratione tum significatione positae. Sed ne quid dissonum inveniri in sacris literis quisquam arbitretur, comportandi sunt loci. Ex isto secundum indubitatum confit, scripturarum collationem aeque esse necessariam, atque troporum cognitionem. Id quod tu quoque doctissime Luthere ad regem Angliae his verbis testatus es: Thomistarum est (nam quae antecedunt huc minus quadrant) omittere canonem intelligendae scripturae, qui est consequentiam, circumstantiam et pugnantiam observare. Haetenus canon tuus. Unde et vehementer incivile esset, ut ne quid durius dicam, te nunc, ab ea sententia imo lege recedentem, contumacibus istis niti: Haec verba saerosancta sunt; tropum non recipiunt; coelum citius ruere oportet, quam ipsa in alium sensum exponi; maiora sunt, quam ut aliorum respectu debeant aliam formam induere (nam et hoc quidam clamant). Quomodo enim contradictionem, pugnantiam aut diversitatem tollemus? Si enim ista sola non debent fide pensore librari, iam reliqua omnia oportebit ad eorum firmitatem atque certitudinem explorari: reliqua enim omnia nihil abhorrent a collatione. Peribit ergo nobis non tantum canon ille tuus, sed fides quoque: ea enim novit carnem manducatam nihil prodesse. Tertium est quod praemittendum duximus: nullam esse in sacris literis rem tam arduam, quae non sit troporum coloribus ornata et expressa. Ex multis pauca adducam: Inter initia Geneseos tanta est terrae, aquae, abyssi varietas, ut nisi praesidio

synecdoches expedias, nullus natator Delius etiam emergere ex eis queat. Credimus in deum omnipotentem. Ista omnipotentia aliis atque aliis troporum generibus a diversis nominatur. Alius Domine! inquit, in ditione tua cuncta sunt posita. Alius eum loquentem facit: Coelum mihi sedes est; terra vero scabellum pedum meorum. Alius terram, ait, pugno concludis. Quin ipsius evangelii ratio nunc carnis manducatione docetur, quo fidei vim et alimoniam felicius caperemus; nunc aquae emicantis tropo, ut et refrigerium et exitum non ignoraremus; mox clavium, quo animi absolutionem atque libertatem, quae in Christo Iesu est, intelligeremus. Amarissima Christi mors tropo praedicitur: Cum exaltatus ero a terra etc. et: novissime misit filium suum paterfamilias; illi autem extra vineam eiectum trucidarunt. Quae ergo, malum! ratio, deum adeoque Christum ipsum in rei summa tropo usum esse; nos autem in rei solummodo commemoratione tam contumaciter ab eo abhorrere? Quo vehimur, ut quum lubet aliis auctores simus, imo imperatores conferendarum scripturarum; ac rursum, quum urgemur nostris ipsorum et armis et artibus, idem vetemus quod docuimus? Quam ridiculus est palaestrae magister, qui probe quidem docuit quomodo petendus sit adversarius aut declinandus; quid ex arte sit, quid minus; ubi ipse vero incunctantius petitur ac caeditur, clamat hoc non esse ex arte; id ferri nequire? Quod intrivimus, ut in proverbio habetur, exedendum nobis est. Quam tulimus legem, servemus! Cum ergo, ut est audacia *καινοδόξων*, facile posset in troporum expeditione nova oriri calamitas, qua omnia tropis confunderentur, erit tertium indubitatum: Quandoquidem summae res, tropis involutae, divinis etiam oraculis produntur, necessarium est, ut fide magistra expendamus, quid ferre tropum velit, aut quid ferre recuset. Nam si quis hunc patris sermonem: Hic est filius meus dilectus, tropo exponere pergeret: Hic est figura vel typus filii mei, tam impius pergeret esse, quam fuit Arrius. Rursus lapide stupidior esset, qui diceret Christum natura saxum aut lapidem esse, propterea quod ipse de se loquens dixit: Lapis, quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli. Fides ergo magistra erit, quae verba quoque tropo sint explicanda. Neque enim quisque tropus omnia reserat abstrusa.

Quarto id praemittimus, quod secundo membro respondet, videlicet collationi. Quis enim tam hebes est, ut quemvis locum cuivis conferendum esse censeat? Resultat ergo quartum indubitatum, eadem fide regula scripturas quoque conferendas esse, ut scilicet in conferendo servetur analogia, quae perinde est inter contraria atque similia. Exemplis omnia nota fient. Parabola de decem virginibus et de Lazaro commode per analogiam similium conferuntur. Utraque enim loquitur de eo statu animorum, quem sunt post hanc vitam habituri. Christum esse virginis filium perpetuae et fratres habuisse, cum tamen sit unigenitus, recte conferuntur, etiamsi contraria sint, perpetuam esse virginem unigenitumque habuisse, et plures pluribus genuisse partubus: nam secundum analogiam competit inter ista duo collatio. Venit enim aeterna virginitas in quaestionem. Quae deinde solo idiotismo discutitur, videlicet Hebraeis translatitium esse, ut fratris nomine adpellent, non modo

qui contribulis, sed etiam qui eiusdem populi est; fratres ergo adpellari gentilitios, non tantum ex eisdem parentibus prognatos. At ista non recte conferrentur, si parabolam hominis generosi in longinquam regionem profecti, et eam quae de Iudaeorum Gentiumque vocatione, patrefamilias sub auroram egresso ac vinitores conducente, scripta est, comparares. Altera enim de Christi ad coelos ascensione ac Evangelici muneris commendatione; altera vero de repulsa Iudaeorum, Gentium autem cooptatione contexta est. Sic ergo non debent conferri: Verbum caro factum est; et: Hoc est corpus meum: nulla enim est inter ista analogia. Illud enim narrat filium dei naturam humanam sumsisse, hoc autem panegyrin et commemorationem mortis eius esse; sive ut isti volunt, corpus suum edere dari. At inter ista: Christus adsumsit naturam humanam; et: Christus dedit nobis corpus suum corporaliter vesci, nulla prorsus est analogia. Attamen inter ista est analogia: Mos. 12: 27, Hoc (sive agnus sive celebritas aut panegyris) est transitus; et: Hoc est corpus meum; pro: Haec ceremonia, hic agnus symbolicus, haec panegyris est commemoratio sive gratiarum actio transitus eius, quem in Aegypto feci; et pro: Haec celebritas aut panegyris, hic panis symbolicus, est gratiarum actio sive commemoratio corporis mei, quod pro vobis tradidi; et inter ista: Ego baptizo in aqua, sed Christus in spiritu sancto. Ergo circumcisio, quae olim fuit baptismi loco, extemplo modo actus ceremonialis fuit, neque in eo actu magis dabatur spiritus sanctus quam in baptismo. Utroque enim loco homo dat et baptismum et circuncisionem; sed non dat in eis spiritum sanctum. Similiter inter ista: Quemadmodum inter ecclesiam populumque dei censebantur, qui semine erant Israëlitico prognati, sic intra ecclesiam connumerantur, qui sunt ex repromissionis filiis nati. Una est enim ecclesia, una fides. Neque iratior est nobis liberisque nostris deus quam fuerit Iudaeis, quorum liberi aeque in foedere, perindeque in ecclesia erant atque parentes. Est et hic analogia: Circumcisio est Hebraeorum pueris data; ergo et Christianorum infantibus non debet non dari baptismus. Sunt et alia non parum multa, quae in scripturarum collatione requiruntur, puta iudicium inter promissionis verba et praecepti; inter ceremonialia et quae mores formant, et similia. De quibus paulo fusius ad Struthionem, inauspicatam plane avem, scripsimus Germanice.

Quinto praemittendum est, quod quandoquidem fide sive unctione magistra ac duce constat scripturam unice esse interpretandam, attamen nemo est, qui fidem hypocriseos artificio non possit ostentare (Homo enim in facie videt, solus autem deus in corde. Quid enim non audet ambitio?): fit ut cancellis quibusdam fateamur opus esse, intra quos percurrere cogantur, qui spiritum constantissime iactent. Frustra enim iactabo spiritum esse, quod contumacia est apud eos, quibus sunt spiritus paulo propius noti. Hi autem cancelli alii esse nequeunt, quam scripturae septa. In haec enim Christus se ipsum quoque ad Scribas includit, cum *Scrutamini scripturas*, inquit, *et illae testimonium perhibent de me.* His plus tribuit quam ei miraculo, quo quis ex mortuis resurgens de extramundanis nescio quae testaretur. Est ergo quintum indubitatum, spiritus nostri Lydium esse lapidem Scripturam. Ad hanc nobis explo-

randi sunt spiritus. Perinde enim atque liberum iumentum sine iugo, nervis aut funibus molem ne movet quidem; et contra funes sine iumento moli adplicati quam artificiosissime itidem nihil promovent onus: sic si scripturam citra spiritum aut fidem exponas, nihil proficies; et contra, si spiritu quidvis tradas quod scripturae non est conforme, confuso fanaticoque stupore omnia miscebis. Scriptura funes, laquei, frena, iugum, nervi sunt; iumentum spiritus. Potior est, ingenue agnosco, spiritus; sed nisi frenis ac funibus Scripturae sit revinctus (loquor autem de nostro fidei spiritu tantum) iam petulans ac ferox extra chorum, quod dicitur, et organum efferetur. Et ne me quisquam minus capiat latomi aut materiarii exemplum proponamus. Horum neuter absque caelo, securi, regula, perpendiculo materiem adoritur; neque rursus ista sola ad eam mittit, quasi citra operam suam, suapte manu, omnia perfectura: sic spiritus noster illo coelesti imbutus latomus est; praedicationis verbum materies; caelum aut securis scriptura; regula, linea et perpendiculum tropi. Praecipuus est latomus; at sodalia ista ni adsint, nihil pretium operae perficietur.

His ergo ad hunc modum praemissis, quo minus contumaciter spiritum iactemus, dum scriptura non suffragatur, felici omine ipsam verborum Christi expositionem adorimur. Sed heus tu, huius te quoque prius admonemus, ne obliviscaris hoc de scripturarum collatione. Ista enim nos huc adigit, quo iam imus.

Cum ergo his Christi verbis: Caro non prodest quicquam; iterum relinquo mundum; expedit vobis ut ego vadam: nisi enim abiero, consolator non veniet; ego iam non sum in mundo, isti autem sunt in mundo; at ego ad te venio; si ergo dixerint vobis: ecce in deserto est, nolite exire! ecce in penetralibus, nolite credere! sicut enim fulgur exit ab oriente, et videtur usque in occidentem, ita erit adventus filii hominis; Dominus Iesus postquam locutus est eis, adsumtus est in coelum, et sedet a dextris dei; factum est cum benediceret eis, recessit ab eis, et ferebatur in coelum; quum haec dixisset, videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum; quumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: viri Galilaei, quid statis adspicientes in coelum? hic Iesus, qui adsumtus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum — quum, inquam, his tam disertis nativum sensum non adimimus aut vitiamus: iam cogimur tropum in verbis coenae non modo admittere, sed etiam arcessere, quo religiose citra divinorum oraculorum offensionem expediamus. Concordiae enim et unanimitatis est spiritus, non contentionis et dissidii, qui haec omnia effatus est; consentanea igitur, unanimia et concordia esse oportet.

Tropi ferme omnes, quomodo passim apud Hebraeos deprehendantur, alias saepe diximus; metonymia autem et catachresi solis cum ad praesens opus habeamus, de solis hic dicemus. Metonymia, pro varietate significationis huius praepositionis *μετὰ*, quae cum aliquando *post*, rursus *cum*, mox *trans* significet: aliquando *denominatio* dici potest, cum scilicet auctoris nomen rei inventae aut institu[illegible]e imponimus, atque secundum auctoris nomenclaturam vocamus: ut cum vinum Bacchum,

triticum Cererem: commemorationis coenam aut symbolum corpus Christi adpellamus, quod vini inventor et frumenti fuerint, illius Bacchus, huius Ceres; et Christus mortis suae, quam in corpore pertulit (incaedua enim erat eius divinitas) memoriam et gratiarum actionem instituerit. Aliquando vero *cognominatio*, ut cum Cochitis aut Cloeliae statuam Coelitem aut Cloeliam adpellamus, eo quod statua utrumque exprimat. Sic *Baal* idolum aut daemon per metonymiam, id est, cognominationem dicitur, et *Dii* idola, cuiusmodi hoc est: Idolum nihil est in mundo; hoc est: deus, cui idolum ponitur, nihil est. Sic *lex* pro opere legis, *circumcisio* foedus dicitur, cum sit signum modo foederis; et *poculum* itidem testamentum, cum signum tantum sit testamenti. Aliquando autem *transnominatio*, cum scilicet contraria contrariorum nomina recipiunt. Ut cum *lex* ponitur pro peccato, quod est contra legem factum. Dicunt enim et iurisperiti eum in legem incidisse, qui a lege excidit; et legem excusare, cum id excusatur, quod contra legem est factum. Et cum *peccatum* adpellatur hostia pro peccato; *maledictum* pro eo, qui maledictionem sustulit; *coëmtio famis* pro frumentatione aut annona contra famem comparata Gen. 42: 19. Tam late patet metonymia per omnem scripturam, ut difficile sit hic omnes eius lacinias explicare. Catachresis autem ideo nobis hic est consideranda, quod si cui placet verbum, *est* per significat interpretari, et genus tropi adpellare possit, et ex scriptura locos adducere, in quibus ad eum modum accipitur. Est autem Catachresis tropus, quo propria naturalisque significatio alicuius adcommodatur ei, quod propriam significationem non habet. Omitto hic pugnam quam ad Billicanum depugnavimus,[1] substantiva tropi sint capacia necne: fuit enim sermo, antequam tropi adpellatio esset inventa. Transfertur itaque istud verbum *esse* a naturali significatione ad impropriam, cum statuam demonstro Caesaris, et dico: Hic est Caesar. Alienus enim est iste essendi modus, quo statua dicitur esse, quod res est cuius est statua, a naturali essendi significatione. Cum ergo haud ignaviter videremus futuros esse, qui verbo *Est* niterentur ac dicerent: Christus dixit *Est;* id verbum nemo vitiabit: significat enim esse. Ergo panis est corpus Christi: iam adduximus undique ex scripturis testimonia, quibus ostenderemus, *Est* amittere naturalem significationem. Ex Veteribus: Septem boves crassae sunt septem anni uberes; et septem spicae tenues et inanes sunt septem anni caritatis et famis. Ubi *Sunt* pro significant irrefragabiliter exponitur. Ex Novis: Ipse est Elias. Ubi *Est* plane accipitur pro similis est. Gal. 4: 24. Haec sunt duo Testamenta; plane pro: Haec significant duo Testamenta. Et postremo adduximus iterum ex veteribus, quod nemo vestrum unquam potuit commovere: *Est enim transitus domini.* Sive enim agnum, sive commemorationem aut panegyrin dicas esse transitum: neutrum tamen est transitus, sed transitus significatio. De cuius analogia paulo post. Hic te Luthere mi obsecro, tui admonere patere! Quiritaris indoctam plebem, ecce quot

---

[1]) Vid. supra ad Theob. Billicani et Urb. Rhegii epistolas responsio.

sectae iam inter ipsos ortae sunt. Alius dicit *Est* ponitur pro significat; alius dicit: Corpus accipitur pro figura corporis, et figuram nobis in tanta luce adumbrant; alius invertit verba. In qua querimonia tua te amice percontor, an nunquam tibi in mentem subeat conscientia, quae dicat: Indignam te rem facis, dum sic apud vulgum tumultuaris, probe tibi conscius, non diversas inter eos sectas esse: omnes enim adserunt symbola tantum esse, de quibus est controversia, sed rerum tamen nomina, quarum sunt symbola, circumferre. Verba tamen diversis modis expediunt. Quod si neges, aliud interrogo, num non eadem conscientia monearis, nos minime esse contumaces quemadmodum praedicas, atque inter eos abiicis qui iam vitandi sint, quum nunquam conviceris. Imo si vera quidem de te praedicant, nonnullis principibus auctor es crudelius contra hanc sententiam progrediendi, quo scilicet non frustra praedixeris Arriana tempora. Nam si quicquam nobis ex contumacia ageretur, iam Carolstadii verborum expedimentum omnes recepissemus et clamore, non scriptura, quemadmodum isti faciunt, rem ageremus. Nunc autem quum alius sic expediat, alius autem sic: nihil tamen dissidii inter nos oritur. Ipse ex Honio Batavo (cuius epistolam Ioannes Rhodius et Georgius Saganus, viri tum pietate tum eruditione insignes, attulerunt)[1] per *Est* pro significat expedivi, illa certe tempestate troporum non ignarus: dudum enim et Fabius et Cicero atque adeo Plutarchus in Homeri praefatione lecti erant. Sed placebat simplex ista et cuivis obvia expositio: Hic panis significat corpus meum, quod pro vobis traditur: non enim omnes sciunt quid tropus sit. Videbam id quoque, quod per quemcunque tandem tropum verba expediamus, huc solummodo tendi, ut vis huius verbi *Est* temperetur capiaturque pro: Significatio aut repraesentatio est. Simplicissimum ergo, quum istud per catachresin exponendi genus videretur, secuti sumus. Oecolampadius autem Tertullianum sequutus ad hunc modum expedivit: Hoc est figura corporis. Ubi figuram non pro typo aut praefiguratione aut rerum futurarum indice accipit, sed pro *ἀντιτύπῳ*, hoc est repraesentatione aut redumbratione eius, quod vere aliquando factum est: nam *repraesentandi* verbo usus est divus quoque Hieronymus in hac materia. Exposuit ergo Tertullianus cum Oecolampadio verba per metonymiam, quatenus cognominatio est, ut corpus vocetur, quod imago, repraesentatio atque in memoriam revocatio est corporis. Sed hic oritur novum incendium, dissidere manifeste nos oportere, quum Oecolampadius dicat esse metaphoram, nos autem metonymiam. Ad quod respondemus, unum eundemque sermonem diversis quidem expediri tropis, sed diversis quoque contemplationibus. Unde et apud rhetores plerumque invenimus diversis tropis eundem reserari sermonem. Sed exempla proferamus. Unus panis et unum corpus, nos communio et concio tota sumus. Ego corpus et panem nos dici per metonymiam, quatenus cognominatio est, aio. Quid porro contemplans? quod Paulus, qui inde putat nos unum panem cognominari, quod de uno pane edamus; et unum corpus, quod

---

[1]) Confer. Zuinglii scriptum: Quod verba: Hoc est meum corpus, antiquum sensum habeant; et Epp. 1526. N. 59.

in unum ecclesiae corpus, symbolum corporis dominici edendo coëamus. Quae quid rectius quam cognominatio vocatur? Oecolampadius autem per metaphoram vocat nos panem et corpus unum. Quid autem spectans? panis facturam vinique coitionem. Ut enim ex innumeris granis unus panis et totidem acinis vinum conflit: sic ex infinitis membris unum coit ecclesiae corpus. Magna vero causa, cur dissidium imputemus iis, qui non eodem tropi nomine verba expediunt, sed exprimunt unam eandemque sententiam. Cum enim per catachresin dico: Hic panis significat, figurat, aut repraesentat corpus meum quod pro vobis traditur; et Oecolampadius metonymicως dicit: Hic panis est figura, significatio, repraesentatio, commemoratio corporis mei, quod pro vobis traditur: quid quaeso discriminis est in sententiae summa? Aeque quum ego panem nos adpellari per metonymiam dico, aliud spectans, et Oecolampadius per metaphoram aliud, quorum tamen utrumque aut apostolicis literis, aut fidei analogiae est conforme; imo utrunque in unam ac solam unionem atque concordiam Christi corporis vergit: cur, obsecro, fratres dissensionis traducimus apud indoctam plebem?

Similiter nulla est dissensio, dum alius hoc indice *Hoc* panem demonstrat, et dicit: Hic panis repraesentat corpus meum, quod pro vobis traditur; alius autem eodem indice in festum diem intendit, et dicit: Hoc festum est repraesentatio ac redumbratio corporis mei, quod pro vobis traditur. Uterque enim vult, istud, quod hic agitur, esse commemorationem et gratiarum actionem beneficii nobis a domino donati; et uterque synecdochen in dicendo servat. Qui enim dicit: Haec panegyris repraesentat corpus meum etc. per synecdochen omnia comprehendit, quae hic fiunt, gratiarum actionem, symbolicum ferculum et symbolicum poculum. Qui autem dicit: Hic panis repraesentat etc. a parte, puta a symbolica manducatione, per synecdochen totam panegyrin intelligit ac comprehendit, puta gratiarum actionem poculique mystici convivationem. Felices causae sunt ac uberes, quas quocunque modo exponas, constat sensus unitas et veritas. Ne ergo fratres tam hostiliter nos mutuo coram Christi populo petamus ac deferamus! Dissentiunt isti; bestia sunt tot capitum, quot in apocalypsi cuidam adfinxit Ioannes; pertinaces sunt. Pertinaciam vocemus (per bene decet scilicet) diligentem scripturae cultum, unde nobis delicatus veritatis fructus provenit, quo languidas mentes reficiuntur, glande nostrae ignorantiae hactenus cibatae.

Huc ergo adacti, ut tropum in verbis Christi velimus, nolimus, confiteamur; ipsoque tropi genere non incommode, ut arbitror, exposito (sive enim catachresi verbi *est* pro significat aut repraesentat: sive metonymia *corpus* pro corporis repraesentatione aut commemoratione exponas: idem tamen sensus manet) bonis, quod dicitur, avibus, columba videlicet ista, quae in Christi verticem consedit et in discipulorum coetum ingruit, adspirante, sacra verba adoremur.

Quumque esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. Nam ex Lucae Paulique Evangelio statutum est negotium propter claritatem pertractare. Matthaeus enim et Marcus paucis hic contenti fuerunt, persuasione nimirum publicae cognitionis: sic enim omnia tum

erant in usu scientiaque totius ecclesiae, ut pauca omnibus satisfacerent. Et dixit (ad verba redeo): Summo desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Coniunxit Christus pascha et corpus suum. Ne ergo dissociemus intelligendo, quod ille coniugavit agendo: non ut agnum velimus sic debere in gratiarum actionem vorari, quomodo filii Israel olim raptim vorabant; sed ut analogiam, vicinitatem aut responsionem, quibus sibi mutuo respondent ac similes sunt *transitus* et *commemoratio*, observemus. Isthic aguntur gratiae, quod in caede primogenitorum, in qua regia quoque posteritas occubuerat, temperatum esset ab Hebraeorum primogenitis; hic, quod summi regis caeditur filius, mundus autem praeteritur et servatur totus. Atque haec iterum est dissimilis analogia. Isthic dicitur sive agnus sive feriae *transitus;* cum neque agnus neque celebritas esset transitus, sed praeteritionis aut transitus et symbolum et commemoratio. Hic dicitur coena sive panis esse Christi corpus, cum sit corporis eius, hoc est mortis, quam in corpore pro nobis pertulit, commemoratio et gratiarum actio. Adhuc multa sunt, quae nos manuducunt, Christum et tempori et analogiae servivisse. Ut quum veterem commemorationem esset cum celebraturus, tum iuxta prophetae vaticinium Ieremiae 33: 31. antiquaturus et novam constituturus, eodem sermonis genere tropoque uteretur in novae constitutione, praesertim quum eodem tempore fieret, quo iam iam in positione veteris usus erat; et quod hic perinde: Hoc facite in commemorationem meam! dixit, atque olim dixerat: Cum interrogabunt vos filii vestri quaenam sit haec ceremonia, dicetis eis etc. quae Exod. 12: 26. scripta sunt. Unde utrobique videmus commemorationem principaliter et gratiarum actionem spectari, non id quod coenatur. Ad alia ergo pergemus in analogia manentes. Sequitur:

Et accepto poculo, gratias egit et dixit: Accipite hoc, et dividite inter vos! Dico enim vobis, quod nequaquam bibiturus sum de proventu vitis, donec regnum dei veniat. Cum istum locum quidam expendunt, contendendi occasionem potius arripiunt, quam praesidium solidae alicuius sententiae inveniunt. Volentes enim istud evertere, quod apud Matthaeum et Marcum post panis poculique porrectionem dicitur: Non bibam de proventu vitis huius usque in diem etc. quo facile deprehendimus Christum ipsum, post demansum panem haustumque sanguinis poculum, vinum adpellavisse quod bibissent, non sanguinem. Qua synecdocha nullo deinde negotio deprehenditur idem sentiendum esse de pane, quod non sit corpus, etiam si vocetur, eo quod editur in commemoratione mortis Christi — volentes, inquam, nativam istam intelligentiae vim evertere, dicunt eum Matthaei et Marci sermonem pertinere ad id vini, quod in coena potum erat, non ad poculum quod iam sanguis erat vocatus, atque hoc probant isto Lucae sermone. Ab hoc enim praepositum esse eum coenae mentioni, quo videamus Christum non symbolicum poculum, sed vulgare istud coenae *vinum* adpellavisse. Atque ad confirmationem adducunt, quod ante haec verba sic dixerit: Dico enim vobis, quod nequaquam ultra ex eo edam, donec impleatur in regno dei. In quibus istud *ex eo* pascha referat, ut Christus neget se ullum pascha posthac esurum, donec impleatur in regno. Qui nobis

oscitantiam suam dupliciter probant: primo, quod non vident Lucam haec verba ideo praeposuisse, ut praemoneant atque muniant lectorem, ne quae sequuntur aliter intelligat quam per tropum: panem manere panem, et vinum vinum; sed interim adpellari corpus et sanguinem, nihil autem aliud esse quam quod dixerit, si substantiam spectes; si religionem, ritum ac significationem porro esse aliud. Alii autem duo, Matthaeus et Marcus, ista de vino verba post posuerunt *μετανοίας*, hoc est correctionis loco. Perinde ac si dicerent, Christum ideo haec verba addidisse, ne quis, quod biberat, aliud esse crederet quam vinum. Secundo, quod non intelligunt Christum, haec verba: Summo desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, non tam dixisse propter pecudis assae coenitationem, quam propter commemorationis suae institutionem. Ex quo iam facile intellexissent ista verba: Nequaquam ultra *ex eo* edam, non tantum ad veteris agni manducationem referri debere, sed ad omnem simul coenam. Est et hoc non praetereundum, quod Lucas, ut Evangelium post alios duos scripsit, luculentiusque omnia digessit, in his quoque verbis maiorem adhibuisse lucem, eo quod priores paulo paucioribus, quam longa vetustas postularet, quae omnia in oblivionem trahit. Unde plane videmus ipsum *κατὰ πρόληψιν*, hoc est, per praemunitionem ante occupasse, quod alii duo *κατὰ μετάνοιαν*, hoc est correctionem, post posuerunt. Quod et hic et in eius coenae descriptione, quam in Actis II. commentatus est, facile deprehendimus.

Sequitur: Et accepto pane, cum gratias egisset, fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem! Hic primum te Luthere hortor, ne tibi uspiam idiotismos Hebraeorum patiaris excidere, maxime tamen in praesenti loco. Scis quam crebro dicant: Peccatum hoc est, pro: Haec victima pro peccato caeditur; et peccatum vocant, quo peccatum aboletur et expiatur. Scis quam crebro dicant: Hoc est ista res, pro: Hoc significat hanc rem; septem boves crassae sunt septem anni uberes; hic est Helias; haec sunt duo Testamenta; idolum nihil est, pro: Baal sive deus, cui est idolum constitutum, nihil est. Deinde analogiae rerum, quae hic aguntur, memineris. Ponitur vetus coena, et nova in eius locum succenturiatur eodem crepusculo. Quis, oro, vel augurari poterit eum alia verborum forma usum esse, quam qua iam iam usus erat in celebratione veteris coenae? At in ea sic habebat sive carmen sive lectio: Hoc est pascha; pro: Istud est commemoratio transitus. Sic et isto peracto res ipsa monet, quum simili forma verborum sit usus, Christum eodem quoque troporum sensu locutum esse: ut accepto pane, dixerit: Accipite, edite! Hoc est corpus meum; pro: Hoc repraesentat corpus meum; vel: Hoc est commemoratio corporis mei, quod pro vobis datur. Protinus enim subdit: Hoc facite in meam commemorationem! Qua nota deprehendimus commemorationem esse, quae hic spectatur; non corporis, ad animum confirmandum aut fidem, commanducationem. Habes ergo quomodo ipsa coenae analogia nobiscum faciat. Sed ne obsecro sic nunc erumpas: Ecce ut isti grammatico nituntur artificio! Non enim nitimur arte, sed posteaquam ex scripturae contradictione et collatione, argumentisque ex eadem scriptura petitis, rem huc adegimus, ut velit nolit, confiteri

cogatur haec verba simplicem ac prima fronte sese offerentem sensum habere nequire: iam non solum arte expedimus, sed exemplis, linguae qua locutus est Christus idiotismo, et ipsa cum actionis tum institutionis analogia. Quid enim fidem horum omnium iudicem ac magistram nunc denuo nominem, quum de ea et planius et fortius fors locuti simus in superioribus, quam parum aequus lector ferre possit?

Sequitur: Aeque et poculum, postquam coenatum esset (accepit) dicens: Hoc poculum novum Testamentum in meo sanguine est, qui pro vobis funditur. Sic Lucas locutus est: nam articulum Graecum ἡ suo loco per verbum *Est* reddidi, non mea, sed Pauli auctoritate fretus. Is enim sic habet: Hoc poculum novum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem! Hic principio considera Evangelistae diligentiam, qui etsi superiori sermone dixit: Hoc est corpus meum; nunc tamen: Hoc poculum, inquit, novum Testamentum vel novi Testamenti est in meo sanguine. Non dixit: Hoc poculum est sanguis meus, quo felicius de paribus ac similibus iudicandi intelligendique ansam praeberet. Poculum testamenti, quod in sanguine Christi sancitum sit, ait esse, non sanguinem, quo facilius ad superiora ascenderemus atque intelligeremus: hoc quod editur epulas tantum esse testamenti, quod est corporis illius morte percussum et sancitum. Sed ne cuiquam relinquatur contendendi materia, quasi Paulus vere ac simpliciter poculum hoc testamentum adpellaverit, perindeque sequi oporteat, quod si testamentum sit, etiam sanguis sit: adnotandum est, sanguinem Christi non esse testamentum, sed testamenti sanguinem. Testamentum enim sive foedus, hoc est, quod Christus dei filius noster est, et nos per eum in dei filios cooptati sumus. Quod omne illius morte perfectum atque sancitum est. Unde neque corpus neque sanguis Testamentum sunt, sed testamenti confirmatio, ut ex Galatis et Hebraeis videre est; imo ex his tum Lucae tum Pauli verbis, qui palam dicunt Testamentum esse in sanguine, non dicunt sanguinem esse Testamentum. Quod si quis maxime obstrepat testamentum esse, meminerit circumcisionem perinde vocari testamentum sive pactum, cum signum tantum sit foederis Gen. 17: 10. Per cognominationem ergo poculum vocatur testamentum, cum ne sanguis quidem, quem poculum repraesentat, testamentum sit; sed id, quo testamentum et comparatum et confirmatum est. Ubi tu Luthere semper hallucinatus es (vide autem interim, qua nos istud moderatione tulerimus): semper enim poculum hoc testamentum esse contendisti, cum testamenti tantum symbolum sit, monimentum ac repraesentatio. Sive ergo dicas: Hoc poculum novi Testamenti poculum est, quod novum testamentum in meo sanguine consecratum est; sive: Hoc poculum novum Testamentum est in meo sanguine: nihil aliud volunt et Lucas et Paulus, quam poculum isthoc esse novi Testamenti monimentum, quod sanguine Christi comparatum sit. Secundo considera non abs re Paulum ad utrumque symbolum addidisse: Hoc facite in meam commemorationem, quod Lucas post panis symbolum ponere contentus fuit; quo scilicet magis ac magis inculcaret commemorationem esse, quod hic agitur, non corporis naturalis absumtionem.

Quoties ergo cunque ederitis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem domini annunciate, donec veniat! Nihil adtinet hic monere, quod apostolus post omnia ista, quibus niti videri vultis, panem appellat et poculum, quorum alterum *corpus* Evangelistas secutus adpellaverat. Quod vir tam religiosus nunquam erat facturus, si aut panem esse aut in pane comedi corpus Christi opinatus fuisset. De annunciatione autem mortis domini, quomodo pro collaudatione, cantatione, gratiarumque actione intelligi debeat, satis antea dictum est. Non quod vetemus publico sermone passionem domini praedicari, cum coena sit peragenda; sed quod genuinus sensus non spectet istam praedicationem, verum istam quam diximus. Nam et ecclesiis hoc dei munere ac custodia salvum remansit, ut ea anni tempestate mors eis adnunciaretur, qua commemoratio agebatur. *Donec veniat* totum tempus demonstrat, quod a morte ascensioneque Christi properat usque ad ultimum diem. *Indigne* autem *edere* est non ea fide accedere, quae ab his requiritur, qui in corpus Christi eoeunt. Quomodo faciebant qui in idolothyta, mox ut hic accubuerant, irruebant. Indignum ergo dicitur, quod non rite fit; sicut e diverso digne, quod recte atque ut oportet. Quemadmodum divus Baptista: Facite, inquit, dignos fructus poenitentiae; hoc est, qui poenitentes decent. Ad hunc modum quoque intellexit divus Augustinus Tractatu in Ioannem 62. „Reus erit corporis et sanguinis domini; non quae manducaverit, sed quae prodiderit, cum se in ecclesiae contubernium, quasi Christianus esset, ingessit. Sic etiam divus Ambrosius intelligit: „Non diiudicans corpus domini; hoc est, non spectans cuius corporis sit et cuius spiritus. Quomodo iterum Augustinus intelligit eodem loco, si recte memini. Ego enim Apostolum arbitror ad hoc corpus spectare, quod paulo ante 10. cap. dixit, unius panis esu compingi. Quod si quis ab hoc sensu abhorreat, corpus tamen ex superioribus plane videt pro commemoratione corporis accipi; quod scilicet, non diiudicans corpus domini is sit, qui non satis graviter sentiat de morte domini, quae in gratiarum actionis monimento refricatur ac repraesentatur. Attamen in eundem sensum redit, quem paulo ante tradidimus. Qui enim de Christo non altius sentit, quam quod simul putat sibi in eius commemoratione licere accumbere, et in sacrificiis idolorum, is plane non pluris facit commemorationem corporis, hoc est passionis eius, quam quae contempto marito cum adultero consuetudinem init. Corpus autem Christi pro morte eius accipi, ex Pauli verbis plane eruitur. Is enim iubet mortem domini annuntiare, et Christus praecipit hoc in commemorationem suam facere. Nihil est ergo aliud commemoratio corporis, quam mortis gratiarum actio. De qua re plura pluribus etiam testimoniis alibi scriptorum nostrorum reliquimus.

Haec paucula de secunda parte, quae ideo maxime in augustum contraxi, quod et in superioribus negotium sit in universum sic pertractatum, ut fusioribus hic nihil sit opus; et quod tibi paucis abunde, si modo iudicium, non adfectum sequaris, satisfieri non dubitemus. Mittimus autem simul Germanice scriptum librum, quem dilucidam expositionem quoque adpellavimus; in quo si modo legere voles, quae fors hic desiderabis, invenies.

## PERORATIO AD LUTHERUM.

Exposuimus nostram in eucharistia sententiam hactenus, doctissime Luthere! Tela tua arbitror omnia aut esse iam e manibus erepta, aut sua sponte lapsura: quaedam enim sic in te retorsimus, ut vel arcem dedere istam cogaris vel te ipsum redarguere. Atque utinam amici, qui tua diligentius legerunt, tempestivius quorundam admonuissent, ut ea in suum ordinem licuisset collocare. Aiunt enim, si quis tua paulo acrius pervestiget, nihil opera nostra opus esse. Quibus nonnihil fidei habere incipio, cum Henricus Utingerus, ecclesiae nostrae decus, amicus meus Thesea fide,[1] locum ex sermone quodam tuo, de Sacramento altaris et Fraternitatibus inscripto,[2] protulit. In eo enim mox inter initia sic doces: Ideo adpellatur (hoc sacramentum scilicet) synaxis aut communio. Et communicare significat hanc communionem accipere, quod Germanice adpellamus, ad sacramentum ire. Quod inde natum est, quod Christus cum omnibus sanctis unum spirituale corpus est, quemadmodum civitatis alicuius populus una communio et unum corpus est etc. Et ad finem probas hoc Pauli 1. Cor. 10: 16. testimonio, in hunc modum: Sic loquitur Paulus in epistola ad Corinthios: Nos sumus omnes unus panis et unum corpus etc. Hunc locum si tum habuissem, quum a vi, quam his Pauli verbis in libro contra Carolstadium facis, adsererem, quid putas fortius aut ornatius tum potuisse inseri? Hic permittis nos esse illud corpus Christi, de quo Paulus dicit: Unus panis et unum corpus sumus. Isthic autem, dii boni, ut tonas et fulminas, quo minus haec ad vos expositio perveniat, cum tamen eam dudum et ore et literis prodideris. Quod hercle nullo minus, quam opprobrandi animo dixerim, sed ut te tibi offeram: scripturis enim hactenus parum apud te profectum est, epistolis minus, silentio minimum. At qui fieri poterit, ut cum tua tibi obiiciantur, non dicas: Mihi excidi? Quam breve, quam humanum autem, imo quam salutare ad omnium ecclesiarum concordiam esset tantillum verbulum? Nonne iam omnes summi, infimi, humanum esse dicerent, si effervescere conaretur indignatio; ingenuum, si doctrinam quis tuam vellet in suspicionem rapere? Quis enim mortalium omnium unquam fuit, de quo iure dici potuerit ἀπλάνητος? Novi nihil patieris, si dicas: Mihi excidi. In multis enim offendimus omnes. Hic autem inauditum quid patereris, si de Luthero diceretur: Nusquam lapsus est, nusquam falsus? imo blasphemum, quum tibi stulti tribueremus, quod solius summi numinis est. Memineris quantum aerumnarum lucrifacturus sis miseris Germaniae populis, qui iam omnes domi sentiunt, quod tute sentire non vis vel non audes, si unum hoc verbulum ingenue proferas. Vincet, vincet sine dubio sententia nostra, sed te obstante laboriosior erit victoria: parturiri enim oportebit, quam invenisse omnes gratularemur, si: Mihi excidi, dixeris. Humanum est errare, labi, falli, decipi. Humanum abs te nihil alienum putas? Dic ergo apud te: Quid, si mihi excidi? Memineris quanta dominus per te in medium protulerit! Quae omnis tibi gloria una in hac

[1] Confer. Vol. I. 517. [2] Sermo de Venerabili Sacramento sancti veri corporis Christi et de Fraternitatibus. 1519.

re pertinacia perit. Transsubstantiam panis in corpus per te eliminavit: vidit enim corporis manducati idololatriam simul pessum ituram esse. Nunc per alios istam idololatriam tollit. Tu ergo contra dominum stabis? Putas haec temere fieri, qui in ea pugna, qua defendis nihil temere fieri, omnium superior es? Sive ergo nostro malo credas hanc pugnam a domino demissam: tuum erit (si vere Christianus es, ut esse nihil ambigendum fortasse ducq) omnia circumspicere, quo minimum mali det; sive nostro bono, tuum erit quam ocissime illud promovere, cum cedendo primum, tum te auctorem omnibus praestando ut idem faciant; sive nostro exercitio, tuum est amaritudinem atrocitatemque missas facere, quo clarius omnia videamus. Evexit te dominus? At propter huius honoris dignitatem cave, quisquam superbiae vestigium ullum experiatur. Fratrum vitiis superciliose invehi parum christianum est. Quanto alienius a nobis debet esse, ut mutuo crudelius quam ulli Lapithae ac Centauri proscindamus? Meminerimus huius pugnae spectatorem deum, quo quaeque animo faciamus interius, quam nos ipsos prospicientem. Meminerimus non tantum Germaniae populum, sed orbis Christiani, non praesens saeculum, sed ventura omnia usque ad mundi consummationem nos habere iudices. Qui et tanto aequius et sanctius de hac controversia iudicabunt, quanto erunt ab his adfectibus, quibus nunc ferimur, incorruptiores. Quid enim praesens saeculum? Adfectionibus est corruptissimum: Factionibus atque studiis abductum eo est atque stupratum, ut hominis grandiloquentiam potius, quam coelestium testimoniorum gravitatem admiremur. Pauci candide sentiunt. Aegrotat alius avaritiae morbo, quo fit ut et dicat et taceat quae principibus putet in votis esse. Tumet alius vanae gloriae hydropisi; is non tantum humanas, sed divinas quoque res mavult quam existimationem suam labefactari. Discerpitur alius odio, invidia, aemulatione, qui nullis etiam mellitissimis sive precibus sive sermonibus, nullis subiectionibus aut cessionibus persuaderi potest, ut placatior fiat. Sic ferme omnia in partes distracta sunt. Te ergo, o venturum saeculum, adpello, ut pro iudicii tui integritate de his nostris pronunties. Non dubitamus enim et huius pugnae quiddam ad te perventurum, et te huius aut istius adfectuum quam minimum habiturum. Vide ut nostra scripturarum collatione firma constent, ut troporum gratia suffragetur, ut idiotismi faveant, analogiae concinant, et quod colophonem putamus, ut et religio subscribat, et fides magistra dictet. Adhuc tamen causae tam apertae senatus apud Principes quosdam non datur; a doctis autem non paucis insidiae post haec omnia struuntur. Tu, inquam, o futurum saeculum! quid liquido in causa sit, etiam atque etiam percense et cave, tam caecum sis, ut nos hac tempestate hac in re sumus, ad caetera forsan satis oculati. Lampada porrigimus, Vale. Ad te Luthere redeo. Sit hic tibi velut epilogus, quem neque oscitanter neque indignanter consideres: non enim facile superabis, quae hic contra epichirematum tuorum castra sunt producta. Esto, nobis nihil summum, quod equidem ingenue fateor, sit sperandum; tibi vero nihil mediocre! Memineris tamen maximos heroas a mediocribus saepe victos esse hominibus. Ultimus arbitror omnium, imo invitus tecum ago; sed ne putes propterea de-

bellatum esse, quod sero veniam. Recole quod est in proverbio: Bos lassus firmius figit pedem. Ac quicquid est omne hoc, quod tecum agimus, aequi bonique facito. Sic enim omnium piorum doctorumque hominum iudicio hanc exegesin subiicio, ut in omnibus arbitrer me τραχύτητα ingenue vitavisse; ni te offendat pugnae vestrae ὑποτύπωσις, quam non in hoc posui, ut risui ac ludibrio hominum aut te aut Carolstadium obiicerem, sed ut aliqua ratione a tam vehementi adfectu, qui te transversum agit, et nisi renuncies, evertet, avocarem. Vale per deum, et nihil temere!

## AD LECTOREM.

Et te, optime lector, abire nolumus sine admonitione nostra, videlicet ut ex studio nihil tentes, sed memor sis neminem aut vincere aut vinci, nisi quem dominus voluerit. Luthero addictus es. Scito victoriam eum non reportaturum, etiamsi acerrime pugnet, nisi desuper advolet. A nostra stas sententia. Cave, Io triumphe propter hunc librum canas: nam si Lutherus perget immitius resistere, vincemus quidem haud dubie, sed vereor tam laboriose, ut victor, quemadmodum est in proverbio, fleat. Deum ergo adsiduis fatigemus precibus, ut causae suae non desit, tantum in ecclesia columen collabi non sinat, principum animos sic illustret, ut non saeviant in imbellem turbam, quae veri non est perinde capax, ut alias ad omnia stupida. Et si omnino certandum erit cum Luthero: nemo pronunciet priusquam alteram quoque partem audierit. Cumque optime sive spectator sive lector perpenderis pugnaciora esse oportere, velimus nolimus, quae in causa tam vehementer controversa tam propere scribuntur; tametsi ipse nostra haec hilaria liberaliaque potius dicenda arbitrer, quam acerba aut pugnacia, nosque fuisse Lutheri et admirantissimum et observantissimum, futurumque talem perpetuo: tu quoque vale et sape!

## SEQUUNTUR NUNC ISTA QUAE ET LUTHERUS ET SUI CITRA SCRIPTURAE AUCTORITATEM ADSERUNT.

Corpus Christi naturaliter commanducatum in hoc Sacramento fidem confirmat. Planus error est, et si perstes impietas.

Corpus Christi naturaliter commanducatum peccata remittit. Error est, et si perstes impietas.

Corpus Christi naturaliter adfertur vehiculo verborum prolatorum. Error est ex adytis Romani pontificatus, et si perstes impietas et errorum omnium postliminio reductio.

Corpus Christi cum manducandum naturaliter praebeo, evangelium familiare facio ei, cui praebeo, et corpus sanguinemque dono. Error est et summa incogitantia, ac si perstes impietas.

## DE IMAGINIBUS.

Nos eas imagines, quae ad cultum prostant, servare idololatriam esse diserte pronuntiamus. Interdictum de idolis in decalogo, sive secundum praeceptum sit, sive membrum primi, tam non debet loco

moveri, quam: Diliges dominum deum tuum toto corde etc. Neque debent, quae per omne vetus instrumentum scripta sunt, ad unicum praeceptum: Diliges proximum tuum sicut te ipsum! explorari, quod te Luthere perhibent adserere. Christus enim sic monet: In his *duobus* praeceptis tota lex pendet, et Prophetae. Ad ista ergo duo omnia erunt adpendenda. Nunc autem cum nemo idolum ad cultum (de his enim nihil plane sumus solliciti, quae non coluntur) prostituat, nisi deum prius fecerit eum, cui idolum posuit: non potest citra perfidiam idolum coli; cum iterum Christus dicat: Si vis ad vitam ingredi, *serva* mandata! Neque Paulus 1. Corinth. VIII. idolothyta inter adiaphora censet, qui sancte gloriatur se Thessalonicenses ab idolorum cultu avocasse. Si interdictum erit speciale praeceptum: duo ultima de concupiscentia unum erunt. Sic digerit divus Augustinus in annotationibus in Exodum. Ne Morycho stultior et Phalaride crudelior Faber Nebulo ignoret, quot sint decalogi praecepta.

## DE CONFESSIONE.

Confessio fit, o Luthere! et te et deo digna, cum patrem in cubiculo adis et adoras, aestusque vulnerati animi exponis. Isthic te absolvet Christus Iesus, quem per fidem contemplaris. Protenus enim ut eum in cruce pendentem fideli contemplatione intuitus eris: iam pollicebitur tibi mens nihil a patre negari posse, qui ferre potuit in filio hunc tua causa cruciatum. Iam te quoque anxium ad custodiam reddet, ne pecces, agonizans et palpitans in cruce pro tuo scelere Christus. Hoc est externum signum, quod mentem certam reddit, non carmen: Ego te absolvo. Hoc est rete quo converrunt animos apostoli. Hae sunt claves quibus reserantur nervus et carcer culpa gementium coërcitorumque animorum. At si quis isthuc nondum compertum habeat, doctum adeat litterarum sacrarum, qui evangelii rationem exponat, simulque precetur ut dominus hominem spiritu suo imbuat. Haec istorum duorum locorum brevis summa est. Iterum vale, doctissime Luthere!

# QUAESTIONES DE SACRAMENTO BAPTISMI A DOCTO QUODAM PROPOSITAE HULDRICO ZUINGLIO.

Has quaestiones miserat Schwenkfeld ad Leonardum Brunnerum, praedicatorem Wormatiensem. Hic scripsit enim Wormatiae 18. Novemb. 1530 ad Bucerum: „De Schwenkfeldio paucis monuisti et recte quidem. Subolet enim mihi quiddam in homine isto, quod ad pestem caritatis faciat. Haec tibi in aurem loquor. Quaestiones XLVI. ad me misit contra parvulorum baptismum, apud iudoctas scripturarum et quibus non est peculiare spiritus iudicium nonnihil valentes. Uno verbo dicam: Non sum dulcius venenum expertus. His ego respondi. Copiam responsionis Schwenkfeldio dedi. Undique me Anabaptistae adoriuntur. Mitius autem ago, quam forte credas. Nolo haec pluribus communices, neo etiam auctori quaestionum. Quod si opus fuerit futurum, auxiliares manus implorabo. Brunnerus in eam opinionem adducit Bucerum, ut ipsum auctorem putet responsionis ad illas quaestiones; at vero transmiserat ad Zuinglium isque responsionem conscripserat, a Brunnero expetitam. (Siml. Mss. ad 1530, et Buttinghausen Symbolae ad Hist. Eccl. Palatin P. III. p. 297). Hoc scriptum non extat in Operibus, sed in Epistolis Oecol. et Zuinglii fol. 66 a. — 76 b.

---

I. Utrum Baptismus ecclesiae Christi sit *externa tantum ceremonia;* aut *an habeat mysterium suum, perinde ut coena,* ut *evangelium* Christi, et quale sit illud mysterium.

II. Utrum sacramentum baptismi (quod *Patres sacramentum vivificationis* nuncuparunt) citra poenitentiam et renascentiam (Ioannis tertio) verum sacramentum esse possit.

Signum sine signato, symbolum gratiae absque gratia, imago sine veritate Christo, vide quid sit.

III. Utrum isthic vere baptisetur, ubi baptisandus se probare adeoque conscientiam suam scrutari nequit 1. Pet. 3: 31, ubi inquam

nomen patris, filii et spiritus sancti, in quod baptisatur, nòn agnoscit, non honorat, neque profitet.

IV. An verus sit baptismus, in quo Christus non induitur Gal. 3: 27. Si induitur per baptismum ab infantibus carnis: qui fit (quaeso) ut effectus non sequatur, ut in nullo se exerat aliquando?

Sine iuvamento Christo, et sine haustu spiritus 1. Corinth. 12: 13. non est Christianus baptismus, auctore Hieronymo ad Galat. III.

V. Verum si Christiano baptisato induitur Christus, quemadmodum Paulus aperte pronunciat: utique non in nuda ceremonia erit noster baptismus.

Caveat igitur, ne opus legis faciat ex baptismo! ut revera facit, qui dicit externam tantum ceremoniam baptismum esse.

Nihil minus errat, qui baptismum Christianum scindit, qui mysterium aufert, quam qui externae lotioni sanctitatem tribuit; quod fit in Papismo.

VI. Quid sibi illud velit in Act. 22: 16. Exurge et baptizare, et ablue peccata tua, invocato nomine Domini.

VII. Cum Paulus dicit Rom. 6: 3. Qui baptizati sumus in Christum: an non velit, quod qui baptizati sunt, iam Christum mortuum, eundem sepultum esse, resurrexisse, et ante baptismum sciverint, et quod in haec baptizentur noverint. Expendatur textus!

Baptismus non initiatio, sed professio est, et praedicatio beneficiorum Christi, acceptaeque benedictionis per Christum.

VIII. Quomodo autem parvuli carnis Christo commoriantur, quomodo cum Christo per baptismum consepeliantur et in Christo resurgant, ego ut Nicodemus interim libenter scire velim, et num liceat cogitationes cordis potius quam apertissimam scripturam sequi in tam magno mysterio.

Ubi manet abolitio corporis peccati? Parvulis? Sequitur cum virginibus non oleum habentibus.

IX. Hic quispiam mihi dicet: haec omnia de baptismo spiritus intelligi oportere. Quaero ego vicissim: Num alius in ecclesia Christi baptismus est, quam baptismus spiritus et gratiae? num aliud mysterium N. Testamenti, quam mysterium spiritus esse possit? num aliud denique evangelium sit, quam Christi et gratiae Dei evangelium, Act. 20: 24, quod est in virtute, in spiritu sancto et certitudine multa. 1. Thess. 1: 5. Annon externa symbola secundarium locum occupant, ut commonefaciant eius quod spiritus intus in cordibus suorum vere operatur, beneficiorumque Christi publicam confessionem requirant?

Mysteria in sacramentis symbola praecedunt; internus baptismus prior est externo. Vide quae requirat baptismatis Christi ratio. Act. 1. Matth. 3. 1. Cor. 12. Gal. 3. 1. Pet. 3.

X. Iam circumspice, quid sit lavacrum aquae in verbis vitae, quo ecclesiae Christi membra per Christum sanctificantur, mundantur, renovantur Eph. 5, quibus contingat et cum quibus pertractandum!

Hilar. ad Const. „Regenerati per fidem ad fidem docemur; quasi regeneratio ulla sine fide sit. Christum post baptismum discimus, quasi baptismus aliquando possit esse sine fide Christi.“

XI. An aliquid lavari possit, antequam sit aut generetur; hoc est, an homo possit aut debeat baptizari, antequam ex semine immortali regeneretur ac prioris vitae poenitudinem prae se ferat, sibique peccata remissa per Christum credat?

XII. 1. Cor. 4. ait Paulus: In Christo Iesu per Evangelium vos genui. Hic vide, an non generatio spiritus et evangelii auditio lotionem, id est baptismum, iusto ordine praecedat! Quomodo alioqui erit symbolum veritatis baptismus exterior? cum nihil intus habeat quod repraesentet et eius commonefaciat.

XIII. An non parvulus natus et lotus illico cibari debeat, hoc est, ad mensam Domini admittendus sit (quemadmodum Cyprianus de Bohem. censet). Si enim puerum recens natum laveris tantum et non etiam cibes, tum revera fame et inedia tabesceet. Porro si coena parvulis non convenit, neque baptismus convenire potest.

Placet in regno Christi, hoc est in ecclesia Christiana pueros lavare, posthac demum evangelii munere nascituros. O prudentiam dispensatorum!

XIV. Igitur quemadmodum nihil profuit audisse sermonem, qui non est cum fide coniunctus Heb. 4. sic multo minus proderit recepisse baptismum sine spiritu sancto et fide. Cur igitur in vanum nomen Dei et sanctae trinitatis assumimus? Cur in tam magno mysterio sic coram Deo ludimus? Cur inquam Dominum provocamus? Num fortiores illo sumus?

Sine spiritu et fide circa sacramenta omnia ficta, vana et peccata sunt. Rom. 14. Probet se ipsum homo!

## SECUNDA CLASSIS, DE FILIIS DEI.

XV. Quaeritur quibus sint sacramenta instituta; an non tantum filiis Dei, discipulis Christi, Christianis, fidelibus. Pro his certe qui foris sunt, qui nondum a patre tracti, nondum corde circumcisi, qui ad Christum nondum venerunt, neque instituta neque eis sacramenta sunt. Id quod ex definitione et vocabulo sacramenti omnibus fit manifestum.

XVI. Iam quaero, qui secundum scripturam veri dicantur filii Dei? qui Christiani? Nonne ii soli, qui sunt regenerati Io. 1, qui non ex sanguine? Nonne filii promissionis tantum, non qui filii carnis Rom. 9? Nonne qui sunt ex fide et semine benedictionis? Gal. III. ex carne Christi et ossibus eius? Ephes. V.

Parvuli in Christo Matth. XI. et XVIII. pueri coelestis regni ex Deo nascuntur; non nativitate carnis, sed regeneratione fiunt Christiani.

XVII. Ergo baptismus externus tantum illorum est sacramentum, qui credunt; non primae, carnalis, inquam, sed secundae spiritualis nativitatis est symbolum; non legale aut coactum, sed spirituale et liberum (respectu baptisandi) est sacramentum.

Neque ulla promissio est, quod pueri carnis ad ecclesiam Christi pertineant.

Totus locus de pueris examinandus est per evangelistas: sic enim videbitur, quod quemadmodum duplices sunt patres, ita et duplices filii

seu pueri. Et manifestum fiet, ad eos, qui in Christo credunt, regnum Dei tantum pertinere.

Natus ex Christianis parentibus plane coram Deo nihil habet privilegii prae eo, qui ex gentibus nascitur: filii irae nativitate sumus omnes.

## TERTIA CLASSIS.
## DE COLLATIONE CIRCUMCISIONIS ET BAPTISMI CHRISTIANI.

Argumentum primarium paedobaptistarum: Parvuli in synagogis Iudaeorum olim legis constituto sunt circumcisi, inquiunt; ergo parvuli hodie in ecclesia Christi sunt baptisandi. Nam ista inter se cognationem habent; unum supplet vicem et locum alterius.

Ubi initium est et velamen, quid aliud quam novus Iudaismus et secundus Moses esse potest? Ergo falsa est ista collatio: a Christo enim incipiendum. 1. Corinth. 3.

XVIII. Hic tandem quaero: Quo auctore, quo spiritu, quibus promissionibus aut scripturis, loco Iudaicae circumcisionis (quae in Christo completa est et abrogata) baptismus Christianus sit observandus? aut quibus rationibus unum alterius locum supplere, aut si mavis, circumcisionem sub typo baptismi etiamnunc durare probabunt?

Sentiunt idem esse baptismum Christianorum, quod est circumcisio Iudaeorum. Sed sic mutata est circumcisio plus quam completa; sic a Iudaismo potius quam a Christo ecclesiam Christi auguraremur.

XIX. An non hoc sit per Mosen, non per solum Christum in sanctuarium Dei ingredi velle? a Mose, non a spiritu sancto in aspersione sanguinis Christi Christianismum auspicari? an non sit ex legis imitatione, non ex fide in semen Abrahami (qui est Christus) gentium benedictionem statuere? Summa: an non sit, Iudaismum et servitutem legis contra libertatem spiritus postliminio reducere?

Exodi XLIV: Non intret incircumcisus corde!

XX. An non beatus Petrus huius collationis errorem manifeste coarguit, cum baptismum Christianum non circumcisioni legali, sed diluvio Noachi confert? 1. Pet. 3: 20. Et cur Paulus volens mysteria nostra patrum mysteriis conferre, non producit circumcisionem pro baptismi antitypo, sed baptismum Mosis et transitum maris rubri? 1. Corinth. 10: 1.

Discrimen: Circumcisio veritatem in Christo revelandam significatione praevenit, baptismus revelatam et impletam testatur ac rememorat apprehensam. Circumcisio Christi beneficia, purgata fide corda significat et figurat, quae est obturati cordis apertio; baptismus praedicat, confitetur, crucifigitur, commoritur innovaturque resurgens.

XXI. An non discriminata inter se sint circumcisionis et baptismi mysteria? an non diversorum Testamentorum symbola?

XXII. Cur non observant, quae Paulus copiose de baptismo Christiano docet Rom. 6: 3, 4. 1. Corinth. 12: 13. Gal. 3: 21. Col. 2: 11. inter circumcisionem et baptismum Christi quae dicat, et quomodo tam

accurate discernat, circumcisionem baptismo praeponat, non conferat: si sunt idem?

XXIII. Cur denique non velit nos pueros sensibus esse? 1. Corinth. 14: 20, si conditio illorum tam bona sit coram Deo, si illorum est regnum coelorum, ut aliquibus interpretibus Christus dixerit.

XXIV. Si in Christo neque circumcisio quicquam valet nec praeputium, sed fides quae per dilectionem operatur, et nova creatura: an non sequitur, baptismum illum circuncisionalem, quo parvuli tinguntur, perinde nihil valere? annon a fide et nova creatura potius, quam a circumcisionis typo iacienda sunt Christianismi fundamenta?

Qui dicit circumcisionem ad exemplum baptismatis valere inter gentes et ad congregandam ecclesiam, is Paulo manifesto resistit, Gal. 5: 2. 1. Corinth. 7: 18.

XXV. Si loco circumcisionis esset nobis externus baptismus, si tam parum (ut quidam putant) discriminis est inter populum novi et veteris testamenti, inter legem et evangelium; aut, si vis, inter Mosen et Christum: an non consequetur, ut quemadmodum olim circumcisio conscientiam obstrinxerit, ita nunc quoque baptismus circumcisionalis idem faciet? Aut dicat mihi diversitatem quispiam Paedobaptistarum, qui contra Paulum circumcisionem ad exemplum baptismatis, quo ecclesia inter gentes congregetur, valere dicit.

XXVI. Annon qui circumciditur, et qui loco circumcisionis baptismum habet, debitor est universae legis faciendae? Gal. V. Gen. XVII. Masculus, cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, delendus etc. Iam vide, annon illa maledictio baptismum circumcisionalem iuste sequantur! Id quod Papistae hodie observant, qui externo baptismo gratiam et vim salvificam tribuunt.

Et tantum in praesentiarum circa collationem Iudaicae circumcisionis et baptismi Christiani. Nam tinctionem illam parvulorum et circumcisionem idem esse, id est, utraque nihil esse, apud me interim nullum est dubium, donec quaestionibus istis meis satisfiat.

Si dicat quispiam, baptismum Christianum, id est, quo ecclesia Christi donata est, baptismo Ioannis aequivalere: is nihil minus toto coelo aberrabit.

Baptismus Ioannis in poenitentiam, Christi in remissionem peccatorum. Hic non loquor de externa mersione sola, sed de toto negotio aut sacramento: non enim in externa pii et fideles respiciunt, sed in mysteria, ut Paulus externa nihil, imo se nihil esse dicit.

XXVII. Sed quaeram interim: an nihil sit discriminis mysterii baptismi Christi a mysterio baptismi Ioannis. Si nihil: frustra baptismus a Christo erit institutus; frustra Paulus eos, qui baptismate Ioannis erant tincti, censuit baptisandos Act. XIX; frustra Petrus innuit abrogatum Act. X, si nihil aliud sit baptisma Christi quam erat Ioannis. Sin vero discrimen est mysteriorum (ut certe est non minimum): videant illi qua ratione baptismum ecclesiae Christi baptismo Ioannis assimilare audeant; et num liceat post datum spiritum sanctum Ioannem quaerere cum suo baptismo, relicto interim baptismo Christi!

Locus Act. XIII. digne expendatur, ubi Paulus dicit: Huius, in-

quit, Davidis e semine Deus, ut promiserat, adduxit Israëli servatorem Iesum, cum ante praedicasset Ioannes ante faciem introitus eius baptismum poenitentiae Israëli.

xxviii. Quaero praeterea, quomodo Ioannes in ecclesiam Christi homines receperit, cum tamen ecclesia Christi tum nondum fuerit aedificata? Nondum enim spiritus sanctus (unicus ecclesiae Christi aedificator) erat. Io. 7 : 39.

xxix. Utrum ille, quisquis ille est, qui dicit se tantum baptisma Ioannis (non Christi) habere, conscientia recta asserere possit, se evangelium Christi, coenam Christi habere, adeoque se dispensatorem mysteriorum Dei esse asseverare audeat?

## QUARTA CLASSIS. DE MINISTERIO NOVI ET VETERIS TESTAMENTI, ET COLLATIONE ECCLESIAE GENTIUM.

xxx. Utrum ministerium novi testamenti sit ministerium literae vel spiritus? Si spiritus: utique a spiritu incipiat oportet (Gal. 3 : 3. Spiritu incepistis), et non ab externis. Nemo enim venit ad Christum, nisi pater traxerit eum Io. 6 : 44.

xxxi. Paulus, minister sancti spiritus, 1. Cor. 4 : 1. ita ait: Sic nos existimet homo etc. Iam tu mihi responde, num non fideli ministro Christi cum primis necessarium sit, ut citra praescriptum Domini nihil agat, ut certo sciat quid agat et cum quibus agat, praesertim in magnis illis mysteriis quae sacramenta vocamus; ut nimirum testimonio conscientiae suae sciat, quod soli Deo, cuius legatione fungitur, non autem hominibus ad placitum agat.

Ex prophetia spiritus et substantia fidei, non ex humanis coniecturis in novo Testamento docendum et agendum est. Exemplo est Paulus Rom. 15 : 18. Is nihil audebat loqui eorum, quae non operabatur in eo Christus.

xxxii. Quaero deinde, ubinam Christus dominus et magister noster iusserit, ut in domo eius ecclesia (non enim hic de Mosis synagoga loquor) post revelatam Evangelii gratiam, post manifestatum illud magnum mysterium, cuipiam insensato mysteria sua dispensentur; imo cum aliquo agatur, cum quo loqui non possis, et qui te quid agas non intelligat.

Maximum est discrimen inter domum Mosis et domum Christi. Vide Heb. 3 : 5, 6.

xxxiii. Sed quisnam est fidelis dispensator ac prudens, quem constituit Dominus etc. Utinam istam regulam Paedobaptistae expenderent quantum satis esset!

xxxiv. An non infidelis et imprudens est dispensator, qui cibum vult dare non esurienti neque manducare volenti? qui mysterium Domini ante tempus prostituit, ne dicam profanat? qui dat quod ipse signarit aut conscripserit, non quod Dominus curae ipsius tradiderit? Taceo illum, quem non Dominus, sed qui se ipsum dispensatorem fecit; qui nescit praeterea quid agat, neque ullam facti sui coram Deo certam rationem habet.

xxxv. An non in incertum currat et aërem feriat, qui parvulos

baptisat; ut interim de periculo taceam? an non citra omne imperium Domini agat, qui infantes Adami in regnum spiritus et fidei signare contendit, cum tales nihil isthuc intelligant confessionemque salutis nullam habeant? Rom. 1: 16.

Hoc vero est super arenam aedificare et super nihilo niti, in iniuriam rectitudinis evangelii Christi.

XXXVI. Quid sit homines recipere in ecclesiam et regnum coelorum? an nostri sit officii opus? an nos regni Dei domini, et non potius servi inutiles sumus? Num non illi soli competit, cuius est seminatio, aedificatio, agricultura?

Nota, ecclesiam externam et internam, nullam, imo nihil esse! ne quis hic effugium quaerat! Coelesti vocatione vocamur in ecclesiam Hebr. 3: 7, non humanis conatibus. Christus pastor oves in unum ovile congregat.

XXXVII. An non regnum Dei hoc modo cum observatione veniet, si pueri per baptismum in illud recipi possent aut ingrederentur?

XXXVIII. Quis sit in N. T. ordo et processus veniendi in ecclesiam Christi; et quid sibi velit Christus, cum dicit: Omnes quotquot ante me etc.

Oportet accedentem credere. Sine fide impossibile est etc. Heb. 11: 6.

XXXIX. Annon is currat praeter Christum, ut veniat ante Christum, qui infantibus carnis, priusquam formetur in eis Christus, mysteria divina impertit, quique baptismo circuncisionali gentes in semine Abrahami benedicendos in ecclesiam conscribere praesumit, iustumque ordinem ministerii apostolici, de quo Rom. X. pervertit.

Alium ordinem constituunt Paedobaptizatores, quam decrevit et gentibus permisit Deus; et aliter agunt, quam consummator omnium promissionum Christus voluit.

XL. An ecclesia gentium ab elementis, an a gratia Dei potius incipiat? utrum ab externis an ab unitate spiritus, unius capitis, unius sponsae, unius fidei censeri debeat?

Christus via, non tinctio externa.

XLI. Annon potius in ministerio impletae circumcisionis sumat Christianismus initium, adeo ut circumcisionis mysterium in his qui Christi baptismo tingendi sunt iuste praecedat.

XLII. An promissiones factae sunt praeputiato Abrahamo Gen. XV; annon pactum Dei cum gentibus in semine Abrahami benedicendis praecessit circumcisionem et legem. Quomodo igitur exemplo circuncisionis parvuli erunt baptizandi, aut in ecclesiam recipiendi?

Ecclesia Dei ante circumcisionem.

XLIII. Annon igitur pacto Dei cum gentibus iniurii sunt, imo privilegiis per Christum enumeratis gentes spoliant easque in occultam servitutem redigere satagunt, qui parvulos per circumcisionis symbolum Christo adducunt?

Hoc revera est populum gentium in servitutem et sub elementa mundi redigere, contra Paulum Col. 2: 8. Gal. 4: 3; est Iudaismum restituere et figuris in regno veritatis primas tribuere contra Christum glorificatum.

XLIV. Cur ita factum sit, ut parentes in docendis et corripiendis

liberis (Eph. 6: 1) non inferius ministerium habeant, quam qui ministerio alios docendi fungantur publicitus?

XLV. Cum Paulus commiserit, ut in ecclesia singula decenter et cum ordine fiant simulque ad aedificationem: quaeritur, quis baptismo parvulorum coram Deo unquam sit aedificatus, aut etiam hodie in Domino aedificetur?

Est enim carne gloriari, non in cruce Christi.

XLVI. Item cur Paulus, Eph. 4: 5. cum dicit: Unus dominus, una fides, unum baptisma, praeponit dominum, deinde fidem, tertio baptisma, postea deum patrem. Cur quaeso isthic loco baptismi non posuit circumcisionem, si idem sunt? cum nihil minus ad fideles patres veteris testamenti quam ad nos respiciant.

Dominus, fides, baptisma; unde unitas et ecclesiae Christi aedificatio, quae Dei, non hominum aedificatio est.

Abrahamus pater credentium, id est, Christianorum haud factus est praeputio. Quid igitur ad gentes fideles parvulorum circuncisio? — Rom. 15: 16. oblatio gentium fit acceptabilis et sanctificata per spiritum sanctum, non per extorta; et Act. 15: 7. deo placuit, ut in nomine suo sumeret populum ex gentibus, non ex circumcisionario baptismo.

Expendamus igitur, num circa mysteria dei quispiam citra iudicium versari possit, si non fuerit Christi discipulus et prius fidelis factus! Solis enim illis datum est nosse mysteria regni Matth. XIII, Act. 8: 37. Si credis, licet nimirum ut baptizeris; et Act. 15: 7. Ut per os meum audirent gentes verbum Evangelii crederentque, ait Petrus. Item multi Corinthii credebant et baptizabantur. Vide reliqua. Expende praeterea certissimam spiritus sancti doctrinam in Petro. Act. 2: 38. Poenitentiam agite et baptizetur unusquisque vestrum, in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, et accipietis donum spiritus sancti. Sed cur Christi praeceptum non custoditur, qui dicit: Euntes *μαθητεύσατε*, id est, discipulos colligite aut facite? An non diversa sunt Christo *μαθητεύειν* et *διδάσκειν*? An non discipulatus semper praecesserit in apostolico ministerio? Quid autem sit illud Pauli: Non misit me baptisare etc. 1. Cor. 1: 17, iam nemo corde percipit. Sed etiam alio oraculo Christi baptizatores isti revincuntur, Luc. ult. Et praedicari in nomine eius poenitentiam in omnes gentes. Ista dum docent, non autem custodiunt, sed opere destruunt, a baptismo nimirum parvulorum Christianismum auspicantes: quid aliud faciunt, quam quod se praevaricatores manifeste ostendunt?

Quae de catechismo Christiano, et quomodo baptismus in primitiva ecclesia praecesserit deque sententiis Patrum contra baptismum parvulorum, adeoque universo discrimine, origine et ratione populi veteris et novi Testamenti essent dicenda, omitto.

Haec sunt, et praeterea innumera alia, quae me movent, ut (seu caritatem praetexant alii seu libertatem) ego plane sentiam, Paedobaptistarum detestandam abominationem esse et destructionem ecclesiae Christi, mysterii baptismi simulque memoriae professionis Christi extinctionem: imo Christi et veritatis, quae in Christo est, expulsionem; contra vetustatis et Mosis restitutionem, evangelii et legis, umbrarum

et corporis confusionem, promissorum Dei enervationem, gratiae et initii populi Dei obscurationem, maledictionis in qua nascuntur pueri multiplicationem, catechismi Christiani relegationem, instituti Christi (Matth. 28: 19) enervationem, ordinis Dei in sacramentis perversionem; fraternae correctionis, excommunicationis adeoque omnis verae aedificationis in Christo extinctionem, rebaptisationis promotionem (aeque nunc, ut antea tempore Augustini), spiritus sancti ex officio detrusionem. In summa baptismum parvulorum censeo initium Papisticae omniumque errorum ac ignorantiae fundamentum in ecclesia Dei esse; atque adeo omnis pietatis simulque ministerii apostolici destructionem. Id quod salva conscientia mea aliter sentire non possum, donec scripturis meliora fuero edoctus.

## HULDRICI ZUINGLII
## AD PRAECEDENTES QUAESTIONES RESPONSIO.

Gratiam et pacem a Domino. Optimo iure tibi licuit, mi Leonarde, et tuas et publicas res ad me perscribere; et non solum nunc, sed etiam perpetuo id tibi liceat! Unam enim et eandem rem cum curemus, proderit nimirum unis eisdemque aut saltem similibus consiliis uti, atque eis ab uno spiritu dictatis. Quantumvis enim ad ista contentiosa, in quibus gloriam quaeri, non veritatem sentio, male libenter respondeam; cum quod contentiosis, et quod dicitur, rixam quaerentibus nemo satis potest facere, tum quod ad N. paralogismos dudum fuit responsum, si modo ille voluisset recipere aut nostra legere: morem tamen geram. Quid enim par fastidium parere queat atque actum agere? praesertim cum adversus illum sit agendum, qui suam, non Christi gloriam quaerit. Sic autem agam. Primum ponam axiomata pauca, quae non tantum huius quaestionis, sed omnium fere quae in tota religione oriuntur nodos omnes, velut Tenedia bipennis, incident. Deinde, etiamsi paucis respondere potero, quibus ille instat: quia tamen scriptura niti sibi undique videtur, ad singula placita illius, quo scripturam ab eius vi liberemus, ostendere tentabimus, rem Christianam atque adeo scripturam ipsam non recte perspectam esse homini. Atque utinam vel Christiani idololatrae pictoris sententiam servemus: Sutor ne supra crepidam! Pulchra res est religiose loqui; sed pulchrior, religiosum esse. Cum autem loqui religiose fastus potius sit quam pietas, si religiosus non sis: iam qui vere pius est facile videt, ubinam hallucinentur gloriae mancipia. Quis enim pius non videt, quidnam requiratur ad veram iustitiam, quid sit vera iustitia, et quid vere iustificet? Cum igitur hoc hominum genus adeo in rebus externis aberret, ut ignorare videatur Dei electionem, providentiam, gratiam et indulgentiam (quid enim aliud dicere cogor, cum hominis audacem orationem video, qua dicit infantium baptismum pietatis esse venenum, religionis confusionem, divinorum oraculorum contenebrationem): iam eos fontes ostendere tentemus etiam per axiomata, ut promisimus, ut aliqua saltem in parte ignorantiam suam

agnoscant. Nam alias si nostrum de providentia librum legissent, dudum, credo, in portu navigarent. Sed ad promissa axiomata venio.

I. Qui providentiam numinis agnoscunt, eadem opera electionem agnoscant oportet. Nam nisi providentia constitueret de summa cuiusque rei, non esset providentia numinis; quia non prospiceret omnibus.

II. Electio nihil aliud est, quam aeterna praesensque super his qui aeterna beatitudine usuri sunt constitutio; repudiatio contrario modo.

III. Iacob electus est, antequam in utero matris conciperetur. Sic omnes filii Dei electi sunt ante mundi constitutionem; sed in Christo sunt electi, hoc est, sic electi ut per Christum accedant ad Deum: nemo enim venit ad patrem nisi per illum.

IV. Electio igitur est quae salvum facit, sed per Christum; hoc est: Deus, libere constituens omnia, quos vult beat, sed per Christum; hoc est: per se ipsum, per bonitatem et gratiam suam. Christus enim bonitatis pignus est et peccatorum nostrorum coram divina iustitia pretium, quam sacrosanctam esse oportet. Beat autem Deus ab aeterna constitutione.

V. Porro cum fidei tribuitur beatitudinis lucrum, quod ea fide impetretur aut obtineatur: iam manifestum est, signum et posteriori tribui, quod prioris ac fontis est: nemo enim credit, nisi qui prius ad aeternam vitam destinatus est et ordinatus Act. 13: 48.

VI. Quot autem sunt electi, qui fidem nondum habent, imo ne vitam quidem? Sed quid dico vitam? ne essentiam quidem. An enim deipara virgo et latro non fuerunt electi ante mundi constitutionem? quamvis ille sero tandem fidem nactus sit?

VII. Iudas et Cain aeque sunt ante conditum mundum repudiati ad perpetuas aerumnas, atque superiores electi.

VIII. Latro vero, quod ad humanum iudicium attinet, cuinam ecclesiae, Dei an diaboli, accensebatur? Sic et Iudas? Nonne ille perditorum, hic vero electorum? cum apud Deum ille electus esset et de ecclesia primitivorum; hic vero de ecclesia damnatorum.

IX. Ergo in ecclesiam visibilem, quae et ipsa Christi ecclesia vocatur, quantumvis non sit ista quae sine macula est, censentur hi quoque qui apud Deum repudiati sunt, dummodo nostro iudicio satisfaciunt; et contra, alieni ab ecclesia nostra iudicantur, qui tamen de ecclesia primitivorum sunt. Testes sunt universae gentes, ut ne dicam homines, quae ad praedicationem Apostolorum crediderunt. Eae enim antequam crederent, cum Apostoli nondum essent emissi extra pomoeria Iudaeae, cuinam ecclesiae accensebantur? Non certe ecclesiae Christi: nam plurimum certaminis habebat ecclesia, num gentibus annuntiandus esset Christus; tam abest, ut de sorte ecclesiae crederentur esse. At eae gentes, quae crediderunt, an non ante mundi creationem, imo antequam natae essent, fuerunt electi Dei? Fuerunt ergo humano iudicio repudiati et ecclesiae exsortes, sed apud Deum electi, ut de istius ecclesiae sorte, quae non habet rugam aut maculam; quantumvis fidem non haberent. Sed tandem cum adesset tempus a Deo constitutum, iam fidei beneficium a Deo adepti sciebant se esse Dei electos: quod quidem prius erant, sed ignoraverant.

x. Fides enim est substantialis ista et viva virtus adflati animi, qua certe ac inconcusse fidit invisibili Deo. Heb. 11: 1.

xi. Constat igitur, electionem esse, et immutabilem etiam esse: nam firma est electio Rom. 11: 7, ubi tamen fides non adest. Quae ergo, malum! ratio damnare, quorum iudicium ad nos attinere non potest? cum beatum fieri ab electione pendeat; et nos tam abest ut eligere possimus (non enim vos me elegistis, inquit veritas), ut etiam ignoremus quinam sint electi etiam ex eis quos videmus nomen dedisse Christo.

xii. Constat et hoc, quod istud verbum Christi: Qui non crediderit, condemnabitur; et: Qui non credit, iam iudicatus, hoc est, damnatus est, de his tantum modo debet intelligi, qui salutarem praedicationem audierunt, sed non crediderunt.

xiii. Constat deinde istud quoque, quod ut hoc ipsum: Qui praedicato evangelio non crediderit damnatus est, non est secundum tempus quodque intelligendum, sed ad diem a Deo constitutum. Hoc modo me accipe! Hic sermo: Qui non crediderit etc. non est γνώμη, sed χρεία, (quae ut inter se differant, a Fabio petendum est); hoc est: non est perpetua sententia (quo modo: Veritas odium parit, et: Regnum in se divisum desolabitur), sed usus sive vaticinium; quo modo: qui percutit gladio, gladio peribit; et: Qui patriam subinde mutat, non magis rem faciet, quam lapis perpetuo volutus muscum. Usu veniunt enim ista plerumque; unde et praesagiuntur, tanquam in universum verae sententiae. Sic ergo haec chria, sive sententia vera est: Qui ad adnuntiatum evangelium usque in finem perstiterit in incredulitate, damnabitur; at non sic: Quocunque tempore quis nobis deprehenditur non credere, eo tempore possumus de eo pronuntiare, quod damnatus sit. Promissio: Alii primi, alii tertia, alii nona, alii undecima hora in vineam sunt vocati. Latro, exemplum tandem factus, credidit; et filius ille, qui se primum negabat iturum in vineam et opus facturum. Atque e diverso filius, qui promiserat se iturum, et non ivit nec opus fecit; Thomas, qui non credebat, donec videret et sentiret; et omnino cuncti, qui tam ex Iudaeis quam gentibus sero crediderunt. Stat ergo haec sententia ad diem et iudicium Domini, non ad humanum diem, hoc est, iudicium.

xiv. Quod autem ecclesia, quae humano diei, hoc est, humano iudicio ac sensui est subiecta, et reprobos et electos contineat supra latronem et Iudam, irrefragabilia habet testimonia. Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum coelorum. Qui dicunt autem Domine? Hi nimirum qui nomen dant Domino. At isti recipiuntur in ecclesiam; adhuc tamen non introibunt in regnum Dei. Ergo in ecclesia (ista scilicet, quam nos videmus) sunt, qui repulsam patientur. Cum omnes ex omnibus gentibus populi sint ad regis filii convivium vocati et liberaliter accepti: est tamen, qui non splenderet veste nuptiis digna, electus. Quo penicillo melius potuit visibilis ecclesia pingi? Decem virgines, quarum pars dimidia stultae erant, dimidia prudentes, fere pares faciunt repudiatos electis; cum in proximo testimonio unus modo indignus habitus sit, sed in uno omnes qui repudiati sunt. Infelix

lolium vetat pater familias evelli, sed crescere mitti iubet usque ad messem.

XV. Quibus omnino constat, ecclesiam semel in scriptura poni pro solis electis; ut cum dicitur, nec maculam habere nec rugam. Interdum vero pro omnibus, qui nomen dederunt Domino, qui nostro iudicio intra ecclesiam censentur; ut cum dicitur: Vocate quotquot invenitis, bonos et malos; ut sic sit ecclesia sensibilis et spiritualis.

XVI. Attendant igitur Catabaptistae, quod hactenus ignoravisse convincuntur: Hebraeos hoc familiarius habere quam alias linguas, ut virtute synecdoches eis, quae specie distant, at in genere conveniunt, pro se mutuo utantur; sed virtute generis. Id exemplis patet. Quoties dicitur in prophetis, praesentes non colere Dominum, quemadmodum patres coluerint? et contra, quoties obprobratur illis quod semper fuerint contumaces, et desciverint ad deos alienos, ipsi et patres? Verum quomodo illa non sunt inconstantia? patres observavisse Dominum, filios autem degenerare; et patres olim prodidisse Dominum, aeque ac tunc filii facerent? nam enim desierunt esse contraria, observare et prodere? Genus est ergo *patres;* genus est *filii.* Nunc patres mihi divide aeque et filios, in morigeros et contumaces! Tales enim olim fuerunt, quemadmodum etiamnunc homines. Cum ergo laudantur patres, iam genus potestate synecdoches ponitur pro parte sive specie: pro iis scilicet, qui Dei amantes fuerunt ac morigeri. Contra, cum accusantur proditionis aeque patres, genus ponuntur pro parte sive specie: puta pro perduellibus ac impiis. Sic Ioannes affatur concionem: O viperarum prosapia! cum tamen omnis Iudaea et Hierosolyma exirent ad illum confessum peccata sua, ut baptizarentur. Quos ergo notavit viperarum nomine? Eos modo qui tales erant (quo modo perpetuo faciunt prophetae, dum totam alloquuntur ecclesiam), Pharisaei et sacerdotes, qui ad insidiandum ac deferendum adveniebant. De Christo tradit Lucas, cum enarravisset Iesaiae locum in synagoga Nazarae, quod omnes probaverint ac commendaverint illum: hoc est enim *μαρτύρουν.* Marcus de eadem re dicit offensos: hoc est, contumeliosos, fuisse in eum. Ac ne quid causari possint adversarii, Lucas ipse paulo post dicit: Replebantur autem omnes ira qui in synagoga erant. An haec non sunt contraria: Omnes commendabant illum; et: Omnes qui in synagoga erant irascebantur ei? praesertim cum addatur utrobique *omnes.* Excusantur ergo haec et similia non alia ratione, quam synecdoches beneficio, qua dicunt: Omnes probabant illum in synagoga, et tamen eos solum intelligunt, qui sancto iudicio et incorrupto polleerent; et contra: Omnes iruti erant ei, cum tantum contumaces ac malignos intelligunt.

XVII. Sic et in ecclesiae diversitate fit. Spiritualis ecclesiae munera sensibili quoque tribuuntur; sed dicta ratione, cum in ecclesia electi sint et reprobi (ut Gregorii verbis utar): iam toti ecclesiae tribuitur, quod melioris in ea partis tantum est. Confirmatio: Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Hic dum superius tempus spectas, Iudas non permanserat cum Christo in adversitatibus: semper enim perfidus erat, ut si corpore non recederet, animo tamen nunquam

erat praesens; sed ad marsupium spectabat. Si vero sequens, iam omnes relinquebant illum. Quo ergo spectat? Huc: cum de omnibus loquitur eumque nullum tempus definit, adhuc tamen, dum sermonem ad vivum resecas, fideles modo, non perfidos; deinde finalem perseverantiam et non universalem intelligit. Interim enim constabant, interim vero nutabant, imo aufugiebant. Librum componam si tibi, frater, voluero cuncta eius generis exempla proponere. Vos estis sal terrae. Quale, quaeso, Iudas sal erat? Nos credimus, te esse Christum. Quid credebat Iudas? Angeli separabunt malos de medio iustorum. An vero inter electos erunt, qui damnentur? Minime! Sed electorum nomen Petrus quoque totis ecclesiis tribuit. 1. Pet. 1: 1. Electis concivibus, qui passim per Pontum, Galatiam etc. et 2: 9. Vos genus electum estis. Separabunt ergo angeli malos qui adhuc in ecclesia sunt; sed quod reprobi sint, id nostrum iudicium latet; quae ecclesia electa aut electorum appellatur, sed hac qua diximus ratione: generi tribuitur, quod speciei sive partis est; aut quod alteri speciei, virtute generis sive comprehensionis (hoc est enim synecdoche, autore Tullio), tribuitur quod alterius est.

XVIII. Quibus omnino constat (nam iudicio pollenti pauca sufficiunt) primum: nullius alterius electionem aut repudiationem perspectam esse humano iudicio. Iniuria igitur pellunt ex ecclesiae consortio catabaptistae infantes Christianorum, quorum est promissio; ut infra patebit. Secundo constat non protinus esse damnatos, qui fidem non habent: nam alias Abrahamus, Isaaeus, Moses, fidei exemplaria, dum pueri erant, damnati fuissent et fidem nacti rursus electi facti; et sic penderet electio Dei a nostra fide et incredulitate. Ex quo patet, fidem fructum ac pignus praesens electionis esse, ut iam qui fidem habet sciat se electum esse, quod prius ignorabat, cum ad fidei plerophoriam nondum venisset: quamvis non minus apud Deum electus sit ante fidem, quam post datam fidem. Quam fidei lucem ac certitudinem Apostolus arrhabonem spiritus appellat. Tertio constat, si nemo baptizari debeat, quam qui fidem habeat, aut quem malefactorum poeniteat, iam neminem baptizari posse. Aeque enim perfidus Simon, Ananias, Alexander χαλκεὺς, et proditor Iudas baptizati sunt, atque Petrus, Paulus, reliqui, imo Christus ipse. Quarto constat, ecclesiam istam, quae Christi ecclesia est et vocatur quaeque appellatur electa, complecti reprobos, non tantum infantes sed etiam adultos, et electos aeque pueros et viros; complecti quoque incredulos, quorum pars credentes aliquando erunt, pars vero nunquam habebunt fidem.

XIX. Solent et hoc Hebraei symbolis, signis et sacramentis nomina dare earum rerum, quarum sacramenta, signa aut symbola sunt. Sic idola vocant deos; sic circumcisionem testamentum; sic agnum transitum. Id autem virtute metonymiae, qua non tantum res inventae aut institutae ab auctoribus, sed exempla quoque ab archetypo et imago a re viva nomen accipiunt.

XX. Et rursus solent ipsis sacramentis et symbolis urgere ad id, quod symbolis significatur, hoc modo: Circumcisus es. Legem serva! Quod tamen alia ratione sermonis efferunt, qua vocibus quidem ad cir-

cumcisionem sive sacramentum spectant, sententia vero ad rem cuius est sacramentum, sic: Circumcidite praeputium cordis vestri. Abluti estis. Manete igitur novi ac mundi; sic conditur: Qui baptizati estis, Christum induistis. Coenam Domini celebravistis. Ergo in societatem coivistis; sic: Calix quo in gratiarum actione utimur, quid ille aliud est nisi nostra coniunctio et societas?

His nunc velut in fronte positis hostem aggrediemur, contumacem magis quam fortem, minacem magis quam constantem, nihil instructum ad hoc genus pugnae: spicula enim dudum fracta et conculcata in nos torquet, quae isthic loci collegit, ubi iam pridem Catabaptistae superati ac fusi sunt. Quid enim audax homo aliud adfert, quam cui iam plus decies responsum est? Adde quod multas veneno infectas iaculatur sagittas, hoc est impia dogmata, serit; et quae ad publicam ecclesiae pacem faciunt, perhibet pacis esse toxicum. Sed iam tempus pugnae adest, ubi virtute, non verbis res est gerenda. Veritate enim velut infesta cuspide petemus hominem, ac primo primae classis problemata obiecto mucrone excipiemus.

I. Hoc perinde est, ac si quis quaerat: Vestis vestisne est, an solummodo pannus aut tela? An enim cerimonia est quae nihil significat? Porro mysterium baptismi est Christum sanguine suo ecclesiam abluisse; et de ista ecclesia, sive spirituali, sive sensibili, membrum esse qui baptizatur.

II. Baptismus sacramentum est, ecclesiae iudicio, etiam dum Iudas, Simon magus, et omnes perfidi baptizantur, baptizato perniciosum, sed ecclesiae iudicio salutare.

III. Non minus est intra ecclesiam nato sacramentum baptismus, etiam cum ignorat Deum, quam Isaaco fuerit circuncisio sacramentum puero. Quae Petrus de conscientiae testimonio scribit, de ecclesiae parte scribit, quae iam intelligit, quae spiritualiter dicuntur. Sunt autem in ecclesia, quae nostro iudicio patet, non tantum isti, sed etiam increduli quidam.

IV. Christum omnes induunt, qui baptizantur ecclesiae iudicio; apud Deum non omnes etiam qui suo ore fidem confitentur. At effectum quem dedit deipara virgo cum in cunis iaceret; quae tamen esset omnipotentis Dei patris sponsa electa, uxor sancti spiritus et unigeniti filii Dei mater? Sunt igitur electi filii Dei, qui tamen nihil operantur: nam si filium esse Dei ab opere pendet, iam ad opera reditum est et gratuita per Christum electio evacuata.

V. Nudus baptismus est, cum vos Catabaptistae perhibetis, neminem esse baptizandum nisi qui fidem habeat. Sic enim nemo baptizabitur a vobis: de nullius enim fide nobis constat. Sed ecclesia vera, quod ad se attinet et quantum sibi datum est, Christo induit, sacramento et significatione, omnia membra sua. *Sacramentum* dat, non *rem* ecclesia; sed rem significat. Solus enim Christus baptizat spiritu sancto et igni, quem Ioannes post se venturum dicebat, cum tamen ipse iam baptizaret. Est ergo baptismus externa ceremonia, quae tamen rem significat, non praestat. Et nemo dicit baptismum tantum esse ceremo-

niam, quae nihil significet: sic enim non esset cerimonia. Sed magnum est discrimen inter *significare* et *praestare*.

VI. Ablue peccata tua invocato nomine Domini, cum dicit Ananias, hoc dicit: Baptizare, ut testeris te credere remissionem peccatorum solius gratiae Dei esse, quam proprio filio suo coëmit ac nobis donavit. Baptizare, cum Christum agnoscis, quem prius persequebaris! Nam si peccatorum remissio alicuius est, quam gratiae, iam temere sunt externae iustificationes legis abolitae. Sed cum Paulus credidit cum baptizaretur, non tamen sequitur, neque omnes qui baptizantur credere, neque neminem esse baptizandum nisi qui credat. Ignorant stulti homines, a parte ad totum sese arguere, cum dicunt: Paulus credidit; ergo nemo est baptizandus nisi qui credit. Cum simul videant ab Ioanne, ab apostolis, imo a Christo ipso, Apostolorum et Prophetarum auctore, multos esse baptizatos, qui fidem adeo non haberent, ut supra quam parvuli etiam perfidi essent. Hoc ergo sciant, in ecclesia, quae nobis vocatur ecclesia, contineri electos, incredulos et perfidos! In ecclesia nostra erant infantes et increduli Isaacus, et deipara virgo; erant et Esavus et Iudas infantes et increduli, imo reprobi. Erant in ecclesia omnes perfidi, qui a Christo deficiebant. In ecclesia spirituali, quae soli Deo patet, sunt omnes electi tantum. Sed nos non eos tantum in ecclesiam recipimus: nam sic neminem reciperemus, ut iam satis patet, cum electio nos lateat. Plures ergo complectitur ecclesia, quae nobis est ecclesia, quam in praesentia credentes et electos: omnes scilicet, quibus nos decernimus ecclesiae ius ac civitatem esse.

VII. Quae Paulus Rom. VI. sancte disserit, de isto sunt genere, ubi a symbolis et significatione ad rem urgetur quae symbolis portenditur; deinde ad istos in ecclesia pertinent, qui iam intelligunt. At non sequitur, omnes qui in ecclesia baptizantur, oportere tunc scire ista, quae illa pars novit quae est ad intelligendum iam apta et accommoda. Quae omnia facile expediuntur per instrumentum synecdoches.

VIII. Christo commoritur et consepelitur ecclesia Christi. Id autem cum non sit omnium in ecclesia, adhuc tamen de tota, et ad totam ecclesiam dicitur. Et capiunt verbum hoc, quibus datum est.

IX. Quis sit sacramentalis et spiritualis baptismus, hic tertius Cato nondum novit. Audiat ergo Ioannem, qui ab exordio baptismi Baptistae nomen habet: Equidem aqua baptizo; sed aderit propediem auctor sive maior meus, qui vos baptizabit spiritu sancto, et eius igne inflammabit. Fatemur et nos, in baptismo publicam confessionem requiri; sed non quam baptizatus ipse, si per aetatem non potest, faciat. Facit enim os parentum; et si illorum quoque os mendax esset, facit os ecclesiae, quae suo iudicio votos recipit, et quos receperit, eis tesseram suam credit.

X. Locus Ephesiorum V. totus noster est. Primum quod de toto loquitur, cum dicit: Quemadmodum Christus amavit ecclesiam; porro: quam amat? eam nimirum quae electa est. Deinde cum dicit: Mundavit eam balneo aquae cum verbo. Aperte loquitur symbolice: non enim alia re quam sanguine suo nos abluit. Sed huius verae ablutionis sacramentum est baptismus; utitur ergo baptismi periphrasi pro re ipsa.

Simul tamen, cum de ablutione ecclesiae loquitur externa, quae sacramentalis baptismus est, sermonem toti ecclesiae accommodat, qui de electis tantummodo et fidelibus sive in praesentiarum sive in posterum, si vivum requiris, intelligi potest, hoc est: de spirituali tantum ecclesia, cum dicit: Quae rugam non habet aut maculam.

XI. Isaacus circumciditur, regeneratus et non regeneratus ex semine spirituali. Apud Deum non tantum regeneratus erat, sed electus etiam, ut Dei filius esset priusquam in utero conciperetur. Apud se vero tam abest ut regeneratus esset, quomodo isti loquuntur, ut nesciret quid nasci esset, nedum renasci. Adhuc tamen recipit regenerationis sacramentum circumcisionem. Quid enim cordis praeputium rescindere aliud est quam regenerari? Sic de omnibus sanctis est intelligendum.

XII. XIII. Praecedit annuntiatio. Isthic ubi nulla est ecclesia, nulla confessio. At ubi iam est ecclesia, satis est annuntiationem habere ecclesiam, etiamsi non omnia membra sint apta ad audiendum annuntiationem, ut iam satis patet. An enim primordialis ecclesiae pars et membra non erant credentium infantes? Si erant, cur tumultuantur isti? Si non erant, ergo erant miseriores circumcisis infantibus, qui intra ecclesiam censi sunt: nam alias non recepissent ecclesiae sacramentum circumcisionem. Videtur hic auctor probare Bohemorum errorem, quo infantes baptizatos eucharistiae coena accipiunt, non expendentes quod scriptum est: Probet sese homo! Id quod in baptismo non requiritur. Et baptismus veritatis est symbolum, non eius quae in baptizato in praesentiarum adferatur; sed eius quod Christus vere sanguine suo abluit ecclesiam, cuius rei fidem electi modo suo tempore habent. Verum quid attinet sic loqui? quomodo alioqui erit symbolum veritatis baptismus externus, cum fraude circumvenimus veritatem? Symbolum veritatis esse nihil est aliud nisi significare rem veram; hoc est: eam rem quae vere facta sit. Et symbolum semper verum significat, non praestat, ut res significata in eo iam adsit, qui symbolum accipit: nam alias nemo posset indigne adire coenam Domini. Recipiunt ergo et baptismum et eucharistiam multi indigne, cum tamen sacramentum eam rem veram, quae vere gesta est, significat.

XIV. Quam elegans simile est hoc: Non prodest audisse sermonem sine fide; ergo non prodest baptismum accepisse sine spiritu sancto. Sic scriptum est: Qui non crediderit praedicato Evangelio, damnatur; sed nusquam scriptum est: Qui baptizatur et non credit, damnatus est. Circumcisus est enim Isaac, et non credebat; sic baptizantur electi infantes et non credunt. Sed et Ioannes, ut dictum est, baptizabat in eum qui post se venturus erat. Electio est, qua salvi reddimur.

## AD SECUNDAM CLASSEM.

XV. Qui in ecclesia sunt, non sunt foris. Sunt ergo sacramenta instituta ecclesiae, neque iis tantum qui iam circunciso corde sunt, sed iis qui sunt in ecclesia; qui si non omnes habent fidem, qua electionem suam sciant, sunt tamen qui sciunt. Sic ergo de tota ecclesia dicitur, quod partis est. XVI. Sic omnes ecclesiae consignantur, qui ecclesiae confessionem faciunt, aut qui promissionem habent; sed in ea ecclesia

sunt, quae nostro patet iudicio. Breviter: hic auctor dum de filiis promissionis loquitur, eius dicti meminisse debet. Qui enim promissionem habent, in ecclesia Dei sunt. Et hi vocantur filii Dei; quantumvis multi sint, qui vocati quidem sunt, nec tamen electi. Quo tota ista parabola Christi de vocatis ad nuptias pertinet.

XVII. Sic baptismus est regenerationis symbolum, per quam Christus nos regeneraverit vitamque nos novam renati vivamus, si in ecclesia Christi sumus; sed non ita, ut qui baptizati sunt ob id renati sint; aut ut non debeat baptizari, nisi qui renatus sit praesenti fide, quemadmodum satis est dictum.

## AD TERTIAM CLASSEM.

XVIII. Hinc probamus baptismum circumcisioni successisse, unde patres omnes probaverunt. Circumcisionis sacramento universi initiabantur, qui de ecclesia populi Dei essent. Nunc cum ne adversarii quidem negent, baptismum initiationem esse ecclesiae Dei: iam puto satis probavimus, baptismum circumcisioni successisse; nisi negent, circumcisionem esse abolitam. Si ergo est abolita, et baptismus stat eo loco in ecclesia, ubi olim erat circumcisio: iam est manifestum, circumcisioni successisse. Habemus et scripturam, de qua dicetur, cum ad locum ex Colossensibus ventum erit; et exemplum, cum Christus ipse, qui circumcisus fuerat, baptizatus est, sed circumcisionem nuspiam docuit esse accipiendam. Accepit ergo utriusque populi sacramentum, quia ecclesiae ex utroque congregatae caput est.

XIX. Per Mosen in vitam ingrediuntur, qui operum fiducia freti beatitudinem sibi deberi putant; non ii qui dicunt baptismum successisse circumcisioni. Vide, mi frater, quam longe petitis utatur miser homo argumentis. Moses non minus est fidei exemplum, quam Abrahamus; non est autem circumcisio Mosis, sed Abrahami. At supra haec omnia videtur mihi hic homo talem fiduciam habere in sacramenta, ut beatos reddere opinetur. Nam nisi hoc sentit, quid est quod dicit per Mosen impedi? Quasi qui dicunt baptismum succedere circumcisioni, negent fidem in semen Abrahami esse ostium per quod introeatur; cum et electos a mundi constitutione dicamus cum Paulo in Christo electos esse. Quam inepte argutatur infelix malae causae patronus?

XX. Quod Petrus diluvio et Paulus nubi baptismum comparat, pro se rapit imperitus allegoriarum expositor. Nam si baptismus non debet circumcisioni conferri, idcirco quod Petrus diluvio comparavit: iam Paulus quoque erravit nubi comparando. Discat igitur ille, quisquis est, allegorias istas libere fieri: nihil enim sunt allegoriae, nisi tectae comparationes. Novas ergo allegorias voluerunt adducere apostoli, et non sacramenta sacramentis conferre. Nam diluvium non erat ecclesiasticum sacramentum, neque nubes; at circumcisio et baptismus sacramenta sunt. Non ergo sunt in isto argumento apostoli, de sacramentorum successione; sed sacramentis res priscas comparant.

XXI. Mysteria (nisi ille non capiat, quid proprie mysterium significet) omnino eadem sunt in circumcisione et baptismo: utrunque enim sacramentum significat populum aut ecclesiam Dei esse, qui circumcisi

aut baptizati sunt. Utrumque hoc requirit, ut initiati corda circuncidant, et loti ac mundi nova creatura sint. Quorum mysteriorum prius istud eis etiam convenit, qui per aetatem aut tempus a Deo constitutum posterius nondum habent. Nobiscum sentit Augustinus, qui in Ioannem Tract. 45. sacramenta veteris ac novae legis omnino eadem facit. Eadem est ecclesia et una, quia una est fides, tam eorum qui circumcisi, quam qui loti sunt baptismo. Nam alias qui essemus filii Abrahami, si Abraham non haberet eandem quam nos fidem? Testamenta quoque non sunt diversa, quantum ad praecipua fidei ac religionis pertinet; sed quantum ad Christum, et ea quae Christum portendebant ac paedagogi instar inducebant, hoc modo diversa sunt: Christus illis promissus est, nobis autem iam datus ac praestitus. Significabant illius mortem ac sanguinem olim pecuini cruores et hostiae ceteraque mysteria: quae omnia postquam corpus adfuit velut umbra evanuerunt.

XXII. Nunc ad locum Pauli Col. 2: 10. ventum est, quo planissime videtur, credentes semper hoc sensisse, ut baptismo successerit circumcisio, cum baptizatos tam aperte perhibet circuncisos. Verum ut hic locus nonnihil lucis, quam non omnes videmus, habet: sic non est temere transmittendus. Sic habet sensus Pauli: *Estis enim eo initiati* (sic enim hoc loco πεπληρωμένοι vertendum est, quia Hebraei utuntur implendi verbo, pro consecrandi et initiandi; nec obstat, quod prius Christus appellatus est πλήρωμα: est enim metastasis valde elegans) *qui est caput* (en quam bene ad summum sacerdotium spectat) *omnis principatus ac potestatis. In quo et circuncisi estis, circumcisione ἀχειροποιήτῳ, cum corpus scelerum carnalium deposuistis, per circuncisionem Christi; cum sepulti estis cum illo in baptismo, cum quo et surrexistis per fidem, in virtutem et efficaciam Dei, qui illum ex mortuis excitavit.* Hic, ne nimis longus sim, et ipse moneo ut hunc locum expendant; et videbunt Paulum in hoc esse, ut ostendat eos, qui ex gentibus crediderant, vero Deo initiatos esse. Cum autem, ut non tantum in Actis, sed per omnes ferme epistolas Pauli est videre, ab exordio praedicati per gentes Evangelii semper essent, qui circumcisionem obtruderent fratribus: iam ἀντιπολιτεύεται per omnia, hoc est, diversum agit, ac docet circuncisos esse; hoc est: vice circumcisionis baptizatos esse, quo minus circumcisionem desiderent. Et ad huius rei testimonium appellat fidem illorum, qua fidant divina virtute, et non cerimoniis etc. Quod autem Catabaptistae ad haec dicturi sunt: Vides autem, ut peccatorum depositio, sepultura et resurrectio requirantur? sic respondendum esse censemus: hac classe hoc agi, ut circumcisionis loco non sit baptismus: eum errorem primum videmus iam confutatum esse. Deinde quaerimus, quibusnam aut praedicent aut scribant Apostoli? Dicent nimirum credentibus. Imo inquam ecclesiis, non tantum credentibus: id quod in titulis epistolarum non paucis est videre, quantumvis sanctos, electos fratresque appellent; nam si solum credentibus scriberent, quis quaeso cui redderet epistolam? Sermo igitur cum ad totam fit ecclesiam, recipit eum pia mens tantum. Cum autem in ecclesia sint incredduli perfidique: attamen fit ad illos sermo, cum fit ad ecclesiam visibilem: sunt enim adhuc membra eius

ecclesiae. Constat ergo, quod in axiomatibus nostris diximus, haec in genere ad ecclesiam dicta, quae nostris sensibus patet; quamvis ii tantum vere fidant, qui electi filii Dei sint, etiamsi non omnes pro tempore. Constat deinde, quod Apostoli a sacramentis epichiremata desumunt, quibus ad ea quae sacramentis significantur velut calcaribus agant; non quasi sacramentum nemini dandum sit, nisi qui iam impleverit id quod sacramentum significat: nam hoc modo tam abest, ut cuiquam dari possit, ut verear neminem esse a quo non essent auferenda sacramenta. Adeo nemo habet, aut est illud quod sacramentis significatur.

XXIII. Pueri non debemus esse sensibus, hoc est, stulti, et rerum mundanarum amantes; sed contra pueri debemus esse. Qua in re? malitia. Ut arrogans Catabaptista sibi placet paralogismis? Si puerorum conditio tam bona est, inquit, ut quidam perhibent etc. cur vetat nos pueros esse sensibus? Quasi vetet nos pueros esse innocentia; id vero tam aperte, ut dicat: Nolite puerilia sentire: id enim est pueros esse sensibus. Sed ille omissa *sensus* voce *pueros* tantum assumit, quasi dixerit: Nolite pueri esse! Postremo ipse videat, quam splendida sit conditio puerorum, cum Christus neget quemquam in vitam ingressurum, nisi fuerit sicut infans. En quam impium pectus, pietatis simulatione quam impietatem foveat! Christi sermonem et comparationem contemnit, quo Christum, sed pro more Catabaptistarum, explodat.

XXIV. Et nos damus neque circuncisionem, neque baptismum aliquid esse, quo modo iste ex Pauli sententia arguit. Sed quomodo nihil, aut aliquid sunt? Si ad salutis efficaciam sive causam spectes, non reddit salvum neque circumcisio, neque baptismus: sola enim numinis gratia et liberalitas beat. Si vero ad mysterium quod sacramenta significant, iam dicimus adeo necessaria esse, ut qui ea contemserit, antea caput religionis non tangat, quod est fidere uno Deo. Qui enim fidunt Deo, eius sacramentis gaudent; tam abest ut abiiciant. Sunt enim signa sanctae unionis et commercii, cum Dei et hominum, tum hominum inter se. Est autem sententia Pauli explicanda sicut prius: Si quis circumcisionem sibi adesse gloriatur, at id quod spirituale per verba significatur, puta fidem, non habeat: hic frustra sese iactat. Sed quis non videt hoc eis dici, qui in ecclesia se esse iactant, cum tamen nihil Deo dignum operentur, non eis qui intra ecclesiam censentur et operandi aut sentiendi usum nullum habent; ut iterum Paulus a sacramentis ipsis fidei et confessionis ad opera ipsa urgeat.

XXV, XXVI. Qui baptizatus est, non minus est obnoxius omnibus legibus foederis, quam qui circumcisus est; praeterquam quod externa, quae tantum in figura contigerunt, cum circumcisione sunt abolita. Imo angustius alligati sumus ad legem, quam prius: nunc enim nec irasci licet neque uxorem proximi concupiscere ad stuprum. Et Christus non venit ad abrogandum legem, sed ad perficiendum atque implendum. Hoc praestant Papistae Catabaptistis, quod illi semper dixerunt legem decalogi non esse abolitam; isti vero nunc abhorrent a lege, qua propter circumcisionem teneantur homines; nunc vero legem ita inculcant, ut nonnunquam dicant sese haerere, utrum circumcidendi potius simus an baptizandi. Nos vero quandoquidem lex spiritualis est, et hic antago-

nista nos totos in spiritum transformari exigit, sic legem dicimus esse abolitam ut damnare nequeat: nihil enim damnationis superest iis, qui sunt in Christo Iesu. Non enim sumus sub lege, sed sub gratia; hoc est: non metu legis facimus quod lex monet, sed animi fidelis ac religiosi propensione. At simul discernendum est inter leges: sunt enim quae sic ad externa pertinent, ut pro re nata mitti aut servari possint a fidelibus. Sunt deinde perpetuae et immutabiles, eo quod morales spirituales: Diliges dominum Deum tuum et cetera; et: Proximum tuum sicut te ipsum. Quae tales sunt ut aboleri nequeant: ex his enim lex et prophetae pendent. Quomodo igitur possent sine legis, prophetarum ac evangelii ipsius abrogatione auferri? Sed de hac re alias satis diximus.

XXVII. Baptismus Ioannis non minus est baptismus Christi, quam baptismus Pauli. Confirmatio prima, quia Ioannes non minus baptizabat in Christum Iesum, quam Paulus. Act. 19: 4. habemus eius rei testimonium a Paulo, qui sic loquitur: Baptizavit plane Ioannes baptismum poenitentiae populo, intendens in eum, qui post se venturus erat, ut crederent, hoc est, in Christum Iesum. Secunda: Quia Ioannes non magis baptizavit in nomen Ioannis, quam Paulus in nomen Pauli, qui et dicit: Num in nomen Pauli baptizati estis? Tertia: Quia cum baptismus Ioannis praecipue illius doctrinam significet et doctrina illius nihil aliud sit quam ipsum Evangelium, ut patet Io. 3: 36. Qui credit in filium, habet vitam aeternam; qui vero non credit etc. constat, quod ad doctrinam pertinet, eundem esse Ioannis cum Christi baptismo. Quarta: quod Christus in Ioannis, hoc est, in suo baptismate, sed a Ioanne data, baptizatus est. Nam si Ioannis baptismus fuit, non Christi, iam haec sequentur absurda, tria esse testamenta, Mosis, Ioannis, Christi: est enim baptismus non minus celebre et augustum sacramentum quam circumcisio; ecclesiam Ioannis esse abolitam, si eius baptismus est abolitus; baptismum Ioannis, qui evanuerit, consecratum esse trinitatis praesentia, quod de Christi baptismo alias non legitur; et quod intolerabile, impium, et contumeliosum est, Christum cum veteribus circumcisum, cum ecclesia Ioannis baptizatum quae antiquata sit, et nobiscum non esse baptizatum. Si iniquus iudex ille non pronuntiavisset ante causae cognitionem, et causam cognoscendi animus illi fuisset: potuisset haec omnia discere ex his, quae vel nos soli de hac re scripsimus, non ignari quid vel veteres, vel recentes Theologi, de hac re tradant. Sed multi docent quod nesciunt. Quae vero ex scriptura credit se adversarius contra nos adduxisse, in universum a nobis stant: Act. 19: 4. historia *dudum* a nobis est exposita, et nostra expositio firmata, ut nemo non videat ex ipsius Pauli verbis, Ioannis baptismum Christi esse. Sed qui se in baptismo Ioannis dicebant esse baptizatos, errabant. Non enim recte docti erant rem Christianam, quod testantur, cum baptizantur, hoc est: planius docentur, Ioannem in Christum duxisse; protinus Christum recipiunt, quod spiritu sancto fiebat, quem hactenus ignoraverant. Nemo enim potest dicere, *dominus Iesus*, nisi in spiritu sancto. Sed de hoc satis. Petrum vero audiamus apud Cornelium disserentem: Palam nobis nimirum exposita est res, quae per totam Iudaeam gesta

est, quae in Galilaea initium coepit, iam inde ab exordio baptismi quod praedicavit Ioannes. Haec, mi frater, nasuto homini talia videntur, quae insinuent Ioannis baptismum abrogatum. Sed ignoravit imperitus homo, latinos quoque a graecis mutuata locutione dicere, *post principia;* hoc est: cum primis, cum promachis virtute, *μετά.*

XXVIII. Miratur incircumspectus homo, quomodo Ioannes in ecclesiam Christi receperit homines, non cogitans quomodo receperint Apostoli. Sed obstaculum ponit, quo se iure ostendat admirari. Cum spiritus sanctus, inquit, nondum esset: Io. 7: 39. Ergo nec Apostoli fuissent in ecclesiam Christi recepti. Neque intelligit, Ioannem non dicere spiritum sanctum non fuisse tum: sic enim creatura esset; sed non erat, inquit, sic scilicet magnifice datus, ut in die Pentecostes: nam Christus nondum resurrexerat et ascenderat. Post ista enim constitutum fuit a Deo, spiritum ducem ac curatorem mittere.

XXIX. Argute quaerit, an ille qui dixit se in Ioannis baptismate baptizatum, vel alius aliquis, possit iactare se evangelium Christi habere. Cui respondemus: Si de his quaerit, qui hoc Ephesi adhuc ignorabant, quod summa rei erat, puta Christum: iam dicimus, neque Christum neque Evangelium, imo nec baptismum Ioannis (ut donemus etiam nomen baptismi Ioannis) eos tenere. Ioannes enim in Christum ducebat. Si vero de homine quoque, qui baptismum Ioannis haberet perfecte; hoc est: qui recepisset Christum, ad quem ille mittebat et adducebat: iam dicimus: Quae porro est haec interrogatio, an qui Christum haberent, evangelium haberent? aut quid iam est dubio dignum in re? Quamvis hoc interim omnes fateri cogimur, videri ex Ioannis discipulis paucos fuisse, qui Christum receperint, non culpa Ioannis, sed quod Christum et Ioannem a vitae sanctimonia et duritia aestimarent. Id quod gnavis obvium est, dum Andream Ioannis discipulum vident monitum a magistro transire ad Christum, et Ioannem ad Christum mittere discipulos interrogatum: Tu quisnam es?

## AD QUARTAM CLASSEM.

XXX. Habet novum Testamentum non minus literam quam spiritum. Litera enim in scripturis interim legem, interim externa significat. Habet ergo legem, habet et externa sacramenta scilicet evangelium quoque; sed non habet fiduciam literae; hoc est: non fidit factis aut externis, sed sola misericordia Dei. Incipimus ergo spiritu non minus quam olim, cum Christo fidimus. Incipiunt et liberi nostri spiritu, cum ex foedere, quod Deus nobiscum iniit, ad eam ecclesiam se sociant, quae spiritu vegetatur et vivit. Sed synecdochen imperiti homines non vident. Quid enim operum fiducia, quam Paulus in Galatis coarguit, aliud nisi signum est non probe intellecti Evangelii? signum non plene recepti Christi? signum ignoratae gratiae? Qui enim gratia per Christum fidunt, nequeunt operibus fidere. Quomodo autem dicit Paulus, eos spiritu orsos esse? cum constet impossibile esse, eos qui illustrati sunt, quique coeleste donum degustarunt et participes sancti spiritus facti sunt, qui suave verbum Dei degustarunt et virtutem venturae vitae, si relabantur: denuo renovari? Heb. 6: 4. Quam nos sententiam sic veram alias

ostendimus, ut quicunque veram fidem Dei impertiti sunt, non possint ab illa excidere. Qui enim veram fidem habent, per spiritum habent; spiritus autem ille non est proditor aut desertor, spiritus sed fidei et certitudinis: hoc est enim spiritus veritatis, quo modo eum Christus ipse Hebraico more vocat, pro spiritus verus, certus, firmus, fidelis, [illegible]. Apparet itaque multos in ecclesia Galatiae fuisse, qui recte Christum agnoscerent, multos qui nondum ad fidei cognitionisque certam plenamque mensuram venissent; adhuc tamen dicit spiritum coepisse, dum plane non omnes accepissent quos affatur. Non ergo possunt ex hoc loco evincere, ut iam ad fastidium monuimus, in ecclesia omnes, ad quos fit sermo, accepisse libertatis spiritum; aut neminem in eam esse recipiendum, nisi qui prius spiritum habeat. Variant enim divini quoque sermones, ea quae ad solos electos pertinent, dum proprie vis loqui, ad totam ecclesiam loquentes, in qua sunt reprobi cum electis.

Recte sane de fideli ministro disseruisset (hi enim fideles a Christo et Apostolis iure vocantur, qui Domino fidem servant, non sibi: hoc enim est perfidia) nisi postmodum perfidus homo sua admiscuisset ac dixisset: Ut certo sciat, quid agat et cum quibus agat. Quibus impius homo vult imponere, ministrum non debere baptizare, nisi sciat adesse fidem; deinde nec baptizari quenquam debere, nisi in praesentiarum credat. Id quod in adultis et extra ecclesiam natis observandum esse nemo negat; imo nos istud magis solide docemus. Sed redeo ad inscii hominis scientiam, de qua tradit magno supercilio, ministrum non debere baptizare, nisi sciat fidem habere eum, qui baptismum ambiat. Ergo perfidi fuerunt Ioannes, Petrus, Paulus, apostoli omnes. Quis enim istorum non queritur fratrum perfidiam? Adde quod nominatim Simon magus, Iudas, Sapphira, Alexander *χαλκεὺς* baptizati sunt ab Apostolis, cum tamen perfidi essent.

Quaerit scripturae proditor et catabaptisticus transfuga, ubinam Christus docuerit, ut cum aliquo agatur, quocum loqui non possis, quique quod agas non intelligat. Audiat ergo auris adultera: Christus amplexus est parvulos, qui ad se veniebant; bene precatus est illis et illos ad se venire prohibentes increpat. Et hi quidem vulgari affectu videntur temere a fidelibus incredulisque allati ad eum, ut aliquid salutis corporalis auferrent. An hoc nos exemplum non docet, etiam Christianorum liberos esse Christo in ulnas ecclesiae offerendos? An non ipse in templum oblatus est? an non circumcisi infantes *ὀκταήμεροι*? An non in purificatione cum matribus allati? Et quid multis est opus? An non perpetuo ecclesiae filii eodem numero, loco existimationeque fuerunt quo parentes? Hic autor noster, dum haec omnia se ignorare audacter dicit, quae tamen ignorare non potest: quid aliud nisi scripturam more Catabaptistarum sese prodidisse prodit? qui illam dum libet recipiunt; et rursus abiiciunt dum libet.

xxxiii. Sunt fideles dispensatores in ecclesia, qui scite ac commode cibum apponunt, reliquum autem ministerium rerum externarum in diaconos reiiciunt. Paulus enim pauculos quosdam baptizavit: non enim missus erat ad baptizandum, sed ad cibandum. Sunt et fideles diaconi, qui bene ministrant, et gradum honoremque suum in ecclesia habent,

dum filios ecclesiae Dei baptizant. Nam quod isti παιδοβαπτισμὸν per calumniam vocant, id ecclesiae baptismus est; et Christus ipse, propheta Ioannes, Apostoli omnes, ne verbo quidem unquam diviserunt infantium ab adultorum baptismo. Quod irrefragabile argumentum est, ea uniformitate primitivam ecclesiam usam esse in sociandis ecclesiae infantibus, qua patres usi fuerant. Non pauca enim sunt etiam inferioris notae, quae secum Apostoli in ecclesiam traxerunt. Quanto magis videmus, Hebraicam gentem, cerimoniis plus satis gaudentem, nunquam boni consulturam fuisse, si liberis suis ecclesiae societas fuisset negata: praesertim cum videamus de circumcisione tam acriter eosdem certavisse, quam secum in ecclesiam traducere contendebant.

XXXIV. Non est infidelis dispensator, qui cibum proponit etiam non esurienti: alioqui et Christus ipse infidelis fuisset, cum volentibus et invitis praedicavit. Neque nos praedicamus infantibus; sed cum temnus adest in ecclesia, cuius membra sunt, docemus. Et non agimus quod nesciamus; sed qui verax est, docuit nos. Illi docent, quod ex Deo non didicerunt: infantes scilicet Christianorum non esse ecclesiae membra, quod vere est impium.

XXXV. Nemo baptizat infantes carnis, neque infantes Adami in regnum Christi intrudit; sed ecclesiae filios inducimus in regnum Christi. Quod Christi regnum quaeque Christi ecclesia non constat ex solis electis, sed ex universis vocatis, qui ad nuptias veniunt, quantumvis non lato clavo omnes sint induti. Et repulsa tum eveniet, cum sponsus convivas recognoscet; non cum pertinax Catabaptista expungit, vel accenset pro sua libidine.

XXXVI. Nos in ecclesiam recipimus, non auctores aut domini, sed ministri in ecclesiam Domini receptos, data tessera, visibiliter recipimus, qui aut ex promissione aut spiritus illustratione vere antea sunt accepti; haud aliter quam cum Pontifex Vestalem, quae prius ut Vestalis fieret electa erat, his verbis susciperet: Ego te Amata capio. Quam quaeso Amatam vocabat? quae, quod ad religionem pertinebat, propter quam amata vocabatur, nondum erat amata, quia nondum vestalis. Vocatur ergo in ipsa initiatione, quod post initiationem futura erat. Hic vero cum promissio fit in manibus, cur illam nobis conantur eripere Paedomastiges, quavis tigride crudeliores? Sacramento igitur recipimus, qui re ipsa dudum fuerunt recepti.

XXXVII. Regnum Dei non idcirco venit cum observatione, dum infantes baptizantur: nos enim electioni divinae bonitatis referendam scimus beatitudinem. Vestro errore veniret regnum Dei cum observatione: nam si nemo baptizandus est, nisi qui fidem per spiritum sanctum habet; et vos deinde quemque confitentem baptizabitis, quasi ex confessione certi sitis de illius fide, cum tamen multi perfidiose nomen dedisse deprehendantur: iam fieret secundum vos, ut quicunque baptizaretur, eum certo sciretis esse electum Dei, quod tamen re ipsa non est.

XXXVIII. Hic est ordo adducendi et veniendi ad ecclesiam Christi: Ite, docete omnes gentes! cumque docti erunt (synecdoches hic beneficio utamini volo) hi scilicet, qui doctrinae capaces erunt, baptizate illos in nomen Patris etc. atque hoc modo amplificate mihi populum et

ecclesiam meam (hic tam electam quam sensibilem intelligite), quae antea ex solis Iudaeis constabat, ex gentibus universis; ut sic dilatata eisdem legibus, libertatibus ac donis gaudeat, qua ab exordio usa est ecclesia mea. I nunc, male feriate homo, (si modo non sunt immanes beluae, qui non iam velut Herodes in corpuscula, sed in animulas infantium saeviunt) et Christianorum liberos ecclesia pelle; cum ab ortu et occasu simus recubituri cum Deo Abrahami, Isaaci et Iacobi; cum sit unus pastor et una caula. Quotquot venerunt ante me, fures sunt etc. Non intelligit rudis magister, πρὸ ἐμοῦ positum esse pro ἀντὶ ἐμοῦ, hoc est, pro me, hoc sensu: Omnes qui venerunt pro me, qui sese pro salvatoribus Christis aut liberatoribus vendiderunt, fures sunt et latrones. Quicquid enim omnes totius orbis gentes deificarunt, hoc est, pro divina virtute inaugurarunt, frivolum fuit.

XXXIX. XL. Hi infantes, quibus facta est promissio, quique intra ecclesiam nati sunt, cur vocantur ab eo infantes carnis? An enim non sumus iuxta Isaacum filii? Ordinem, ut antea dictum est, sic servamus ut, ubi nulla est ecclesia, nulla sunt membra Christi, non sic facere tentemus, ut baptizando moliamur ecclesiam Christo, sed docendo, deinde baptizando. At credentium (quos iterum nostro iudicio, hoc est, ecclesiae sic vocamus) liberos non minus ecclesiae accensemus, quam ipsos credentes et fideles; ei autem ecclesiae, quae nobis est et appellatur ecclesia; id autem tum demum, cum ad ecclesiam parentes accesserunt.

XLI. An non potius, inquit religiosus homo, a ministerio impletae circumcisionis sumat Christianismus, etc. Hic voluit dicere a mysterio potius, quam ministerio. Sed de apicibus nihil causabimur. Mens amentis hominis est: Annon requiritur circumcisio cordis in eo qui baptizandus est? Quid autem hoc est aliud nisi cui iam saepe responsum est, an baptizari possit, qui nondum credit? Sic recoquit cramben, aliis verborum pigmentis, non iam δὶς καὶ τρὶς, ἀλλὰ πολλάκις.

XLII. Foedus cum Abrahamo pactum, annon sit ante circuncisionem initum, quaerit male cautus oratur. Annuimus enim; sed ille non cogitavit, isto telo tam abesse ut vulnus admittamus, ut etiam nostris firmatis retorqueamus in ipsos. Abrahamus credidit antequam acciperet circuncisionem, Isaacus vero accepit cum non crederet; sed ideo, accepit quo dAbrahami filius esset, qui fidem ante circumcisionem habuit. An hic non liquescit noster ordo, sed non noster, sed veritatis, magis quam ut opus sit ostendere?

XLIII. Cum sic inquit: An non igitur pacto Dei cum gentibus iniurii sunt etc. equidem ingenue fateor, si alium sensum teneat quam istum, quasi cum gentibus non sit tale foedus percussum, ut liberi eorum ad ecclesiam censeri debeant, quomodo Hebraeorum, me non intelligere hominem. Sed si hoc intendit; iam divina promissa, prophetarum fidem, apostolorum veritatem non modo elevat, sed tollit. An enim non Christus ipse ad gentes propagandam ecclesiam esse asserit, cum dicit: Recumbent cum Abrahamo ect. et: Ite, docete omnes gentes! Ite ad viarum capita etc. An non prophetarum nullus est, qui non polliceatur gentium vocationem? Annon apostolorum praecipuus Petrus hoc multis testimoniis et argumentis agit,

coram ecclesia? Sed leve est Catabaptistis, more Hebraeorum in ecclesia esse, idcirco quod sua iustitia fidunt, non electione et gratia Dei; de qua re mox uberius.

XLIV. Paulo stultius deinde quaerit, quomodo factum sit, ut parentes liberos doceant, non minus quam magistri aut praeceptores publici? Ad quod plane nihil aliud possem dicere, quam: Quo nunc se proripit ille? Quid enim huius vult insanum caput? An ignorat, quod qui circumcisi essent olim, lege iuberentur septennali lustro audire verba legis ac foederis? quomodo Deut. XXXI. habetur.

XLV. Quaeritur magistraliter, inquit praetor, quis baptismo parvulorum coram Deo unquam sit aedificatus, aut etiam hodie aedificetur? Primum hoc habeat: Nisi ipse teneretur baptismi, quo ecclesiae unitus est, loris, iamdudum Catabaptistarum haeresiarcha esset. Non enim audiam hac in re, o frater, cum negas eum qui haec scripsit esse Catabaptistam. Esto enim! non sit retinctus: credo mihi, nihil vetat illum quam pudor. Quicunque enim eo modo, quo ille baptismum parvulorum elevant, et de externis tam immaniter tumultuantur, negant sese baptizatos esse, etiam cum sciunt: proximum ergo est, ut rebaptizentur. Secundo cum dicit: Quisnam est baptismo pavulorum coram Deo aedificatus? Ego necesse habeo ut quaeram, quid se speret hac interrogatione profecturum? An enim vel adultus coram Deo aedificatur, cum baptizatur? Cum enim baptizare non liceat secundum te, nisi eum qui fidem habeat: iam fide beatus est antequam tingatur, apud Deum: nemo enim credit, nisi qui ad aeternam vitam destinatus est. Aedificantur igitur, hoc est, iunguntur ecclesiae isti, quae nostro sensui patet, qui baptizantur. Si ergo nunc quaerit, quid prosit infanti ecclesiae connumeratum esse, dicam: Multo plurimum. Semel, quod ad parentes attinet, coguntur isti liberos suos ad magisterium ecclesiae educare, ut antea ex Deut. XXXI. dictum est: ut sic inter omnes Christianos idem educandi docendique mos servetur. Quis enim non videt, ut hoc seculo Catabaptistae multos seducant? quod nisi magisterium ecclesiae obstaret, multi liberos suos non offerrent publico ecclesiae magisterio; et sic tot dissidia orerentur, quot essent contumaces scioli. Iterum, quod ad ipsos infantes pertinet, summa res est et honos esse de ecclesia Dei; primo propter educationem uniformem, de qua iam est dictum; secundo propter societatis utilitatem et honestatem. Cum enim Dominus suo nomine gentem Israëliticam dignaretur, ut appellarentur populus Domini, exercitus Domini, coetus vel ecclesia Domini: multi tamen in ea gente fuerunt hoc nomine indigni. Verum tamen praestabat Dominus quicquid promisisset, nihil causatus magnae etiam partis malitiam. Aeque Christianae ecclesiae connumerari prima dignitas est, cum propter disciplinam sive educationem, ut illa uniformis omnibus contingat; tum propter summum honorem. Quae enim imagines aequare possunt hanc nobilitatem, esse populum Dei, ecclesiam Dei, exercitum Dei, et esse Christi membrum? Id autem sunt nostro iudicio omnes, qui ecclesiae accensentur. Haberemus sexcenta; sed quousque tandem excresceret compendium, quod promisimus?

XLVI. Circumcisionis non commeminit Paulus Eph. 4, quia obli-

terata erat; cum autem baptismus nondum natus esset, neque illius mentio, sed circumcisionis est habita. Instar Grylli interrogat, et contendit σκληροτράχηλος homo quem iam missum faciamus.

Haec nobis, mi frater, extorsisti, longe aliis occupato; sed morem gerere volui, ne crederes te nullum apud nos pondus habere. Proinde diligenter vigila, ne isthuc luporum et Curionum genus gregem tuum vastet. Istud quicquid est, non excudes ulla ratione; quod tamen primo limine permiseram. Sed si putas excusum aliquid fratribus profuturum, ego citra omnem iniuriam calumniamque eius, contra quem agitur, vulgabo. Saepe enim inter excudendum in huiusmodi elenchis verbulum aut sententiae lenitur aut mutatur; quamvis literatores isti, si nobis essent pro sua dignitate, non nostra modestia tractandi, longe acerbius accipi mererentur. Vale et vigila, mi frater!

# AD MATTHAEUM ALBERUM RUTLINGENSIUM ECCLESIASTEN DE COENA DOMINICA HULDRICI ZUINGLII EPISTOLA.

VENITE AD ME OMNES QUI LABORATIS ET ONERATI ESTIS, ET EGO REQUIEM VOBIS PRAESTABO. Matth. XI.

Impulsus a Berchtoldo Hallero Zuinglius Alberum, Pastorem Rutlingensium, 1523. nonnullis vocibus ad certamen pro doctrina evangelica corrobovaverat (Vol. VII. 285). Iam comperit, inter Alberum et Conradum Hermannum, de quo nihil amplius constat, quam eum Zuinglii et Somii notum fuisse (Zuingl. ad Somium Ulmae 12. Febr. 1527), litem de ratione et causa Sacrae Coenae obortam ambosque in eo esse, ut per disputationem Rutlingae secum congrederentur. Alberus corporalem praesentiam Christi in S. C. aiebat, Hermannus negabat. Zuinglius autem conatur Alberum de hac lite avocare, concedens quidem, Carolostadium in expositione verborum institutionis falsum esse, sed suam sententiam communicans de vero intellectu eorum, interim orans, ut litteras istae nonnisi cum viris familiaribus et unanimis communicarentur. Quod quidem Zuinglium fecisse probabile est quum sollicitum de motu, quem aperta et nuda expositio suae sententiae inter homines effectura esset, tum caventem, ne Lutherum ad certamen lacesseret: quoniam ipse tamen in rerum summa cum Carolostadio, cui Lutherus tantopere infensus erat, consentiret. Sed Zuinglius ipse suis amicis, ex. c. Argentoratensibus 16. Dec. 1524. apographa transmisit, iique rursus suis amicis, itaque mox ad quingenta dispersa erant, unde necessitas obvenit epistolam typis excusam edendi. Interea vero Zuinglius etiam Commentarium de vera et falsa religione vulgaverat, et utrumque opusculum simul in lucem pro-

*) Vid. de Albero Vol. VII. 285.

dierunt. Henricus Luthius, Pastor Vitoduranus, qui diaconus Zuinglii fuerat, scribit 20. Ian. 1525. ad Vadianum: „Quod a me fieri petis, illud multi ante Te a nobis efflagitarunt, ut quam Zuinglius superioribus mensibus epistolam περὶ τῆς ἐυχαριστίας scripsit ad Episcopum Rutlingensem Matth. Alberum sibi quoque exscribendam curarem. Etsi aliis quoque hoc officii lubens impendi, dici tamen non potest, quanto propensius tibi. — Accepi igitur exemplum, ni fallor, emendatissimum epistolae Zuinglii de participatione mensae Domini. — Auctor Epistolae extremam manum (aiunt) addens, adiurat hunc ad quem scripsit, neminī communicet, nisi quem sciat in fide esse firmissimum. Ut Tu idem facias prorsus e re Christiana esse mihi videor." (Siml. Mss.) Attamen haec ipsa epistola primum incendium fecit controversiae inter Lutherum et Zuinglium. Lutherus, paulo antequam Zuinglius ad Alberum scriberet, de sententia eius hac in causa inaudiverat: nam 12. Nov. 1524. ad Nicolaum Hausmannum scripsit: „Zuinglius cum Leone Iudae in Helvetiis cum Carolostadio eadem sentiunt," et 2. Dec. ad Amsdorfium: „Carolostadii venenum latissime serpit. Accessit eius sententiae Zuinglius Turegi et Leo Iudaeus aliique multi, constanter asserentes in sacramento esse purum panem, sicut in foro." (Epp. Lutheri. Ed. De Wett. n. 631. 638.) Post editionem vero epistolae ad Alberum et Commentarii, ineunte Octobri 1525. ad Hausmannum: „Invadunt nos Zuinglius et Oecolampadius; sed hoc aliis relinquatur vel potius contemnatur"! (ib. 743). Sed iam 6. Nov. ad Argentoratenses: „Christum a nobis primo vulgatum audemus gloriari; at huius negationis iam traducit nos Zuinglius. — Cogitent, si suam docendi auctoritatem metuunt ac nolunt minui, nec nostram minuendam esse." MDXXVI. Ian. scripsit porro Lutherus ad Rutlingenses ipse de Carolostadio, Zuinglio et Oecolampadio, minitans et cavillans: Si Papa potentiam adhuc et metum haberet, ut pridem: tum istius modi homines exspatiantes gloriantesque spiritu non minus tenerent silentium, quam musculi. Nunc autem spatio dato audaculi coeperunt nos adoriri, per quos hoc spatium nacti sunt, lauream quoque captant ac principes et proceres avent nominari, quamquam identidem in ore

calamoque gerant, se unam Dei gloriam quaerere. Manifesto cernitur, quomodo et quapropter affectus increscat."

Latinum origine scriptum in lucem prodiit Tiguri 1525 mense Martio apud Froschoverum uno cum dodrante folio octonis; repetitum Opp. II. 153 b — 158 a. atque inter epistolas Oecol. et Zuinglii fol. 116 b — 121 a (sed omisso Postscripto). Etiam vernacule bis editum est, semel hoc titulo: „Epistola Huldrici Zuinglii de Coena Domini, vernacule reddita a Georgio Bindero, Tiguri 1525. Ex officina typographica Io. Hageri;" altera: „Ad Matth. Alberum, Praedicatorem Rutlingensem de Mensa Dei, Huldrici Zuinglii litterae." Nullo loco.

---

Gratia et pax a Domino! Aspersit nos rumor de certamine, quod tibi futurum est cum quodam fratre, ut aiunt, ingenue etiam Christo favente, qui ut facie mihi notus est, ita nomine ignotus; contra tu nomine nobis et Evangelii gloria notissimus es, facie ignotus; certamen autem Michaël noster audivit *περὶ τῆς εὐχαριστίας* esse indictum, in qua vereor multos vehementer errare, nisi ego magis quam omnes errem. Ac nisi me fallit omnis Scripturae tum proprietas, tum sensus, imo pietas ipsa: longe hactenus a scopo iecimus. Quisquis autem peccati huius tandem sit auctor, nunc non est ut dicam per epistolam, quam esse brevem oportet. Carolostadius,[1] ut neque de isto taceam, qui sive tempestive, sive minus, de improviso hanc rem in vulgus dissipavit ac libellum quendam trium paginarum de hac re edidit, sub titulo: De execrabili abusu Eucharistiae.[2] Eum legimus, posteaquam fratres, prae-

---

1) Vid. de Carolostadio Vol. VII. 93. 2) Titulus huius libri sic habet: „De antichristiano abusu panis et calicis Domini. An fides in sacramento posita peccatum remittat et sacramentum ipsum sit arrhabo sive pignus remissionis. Expositio I. Cor. XI. de Coena Domini. 1524." Sine loco. Octo foliis 4. Duae diversae editiones. Ecce aliquot frusta! „Omnes rogatos volo, quibus fortasse videbor errare, sive placide sive acerbis verbis me docuant, errorem coarguant, corrigant. — Ubi Domini panem, ubi salutem sacramentum appellavero, existimet nemo in sacris litteris ea sic nominata reperisse, sed cum infantibus me balbutire, ut me percipiant. — Infandum hoc prorsum est, quod nostri Christiani peccatorum veniam in sacramento quaerunt. Quoties, ut aiunt, eos conscientia vexat peccatorum, cubat sacramentum capiunt tumque acquiescunt in vana ista fide. — Fides in Christum ad Christi rationem componi debet; oportet Christum cognoscere, qualis et quis ille sit; non Christum facere, qualem et quem libeat. Heus enim in modum fides commentitium idolum sibi ob oculos proposuerit! — Acies Dei respicit fidem. Si recta mens et probus animus in homine inest, eo delectatur Deus et eius confessionem quoque externam gratam et acceptam habet. — Haud oportet meram carnem e Domini corpore et sanguine facere, prorsus inutilem. Oportet maiorem, quam quae oculis conspici queat, cari-

sertim Leo noster, orarent ut legerem, ipsisque prius non esset improbatus. Lectus placuit multis locis, quibusdam displicuit, quod rei omnium difficillimae non satis humerorum haberet; sive id linguae longinquitas facit, sive nostra tarditas. In eo libello videmus quidem verum dici, sed ea lege, ut magis offendat, quam aedificet, non eos fratres, qui exercitos iam habent sensus; sed eos quos offendit, quicquid incautius dicitur, propter eos, qui toto etiam evangelio offenduntur.

Sententia Carolostadii non improbatur nobis, si modo dictum libellum recte intelligimus; verum oratio ipsa non adsequitur quod res postulat. Ibi continuo dum sic pronuntiamus adsunt alii fratres, qui dicunt dialogum quendam ab eodem esse paratum,[1] longe duriorem, in quo, quod per se sit horribile, scommatis intempestivis degravet et rem per sese in auribus simplicium aut impiorum inusitatam reddat tanquam de industria odiosiorem. Ego eum dialogum non legi, imo nunquam quicquam legi, quod Carolostadii esset, praeter dictos tres quaterniones. Offendunt ergo libelli Carolostadii multos apud nos, sed hac potissimum ratione, quod ab ea via, quam ingressi eramus, nonnihil abhorrent; de qua paulo post: nam quid de re ipsa sentiendum sit, tu decerne, posteaquam nostra

---

tatem, obedientiam summam, candidam innocentiam Christi etc. ob oculos habere, contemplari atque intimo corde intellectam habere. Hac ratione iustificabimini, a peccatis redimemini, itaque debetis haec verba Christi: Hoc est corpus meum, quod carmina sacra portenderunt vestra gratia traditum iri, pro evangelio putare illo, ab omnibus apostolis nuntiato, quod olim promissum nunc vero datum praestitumque nobis opera Christi in evangelium manifestum evasit. Tua in penetralia recedere oportet, si coenam Domini sumere velis, et non leviter sentire probam et dignam quam habeas recordationem Christi sumturus; sed experientiam, id est certam tui cognitionem et conscientiam, te esse qualem te Christus velit. — Errant, qui opinentur, panem et calicem Christi sponsionem et documentum esse, per quod homo apud suum animum securus et certus reddatur, nece Christi redemtionem sibi paratam esse. — Quamquam facile omnino crederem et concederem, e signis quibusdam Dei pollicita vel opera homines comperire posse eorumque certiores fieri, si maiora sunt omni nostra opinione animusque ex admiratione argumentorum in facto positorum arcanam et sublimem virtutem Dei concipit — attamen non tutum est nec bonum, panì et vino Christi affingere, quae proprie in ipsum Christum eiusque spiritum cadunt." Tam perspicua dicta, quaeque simul ad ἐνέργειαν ἀληθείας τῆς καὶ ἐνσάρκου σοφίας conferunt, non poterant non Zuinglio et Oecolampadio arridere. Lutherum contra haud miramur exacerbatum esse hac voce Carolostadii: „Scio, meum propter eam doctrinam praesertim eos, qui Evangelicos probae notae existimari se volunt, male acturos esse. Iustum evangelium Iesu adhuc est admodum occultum nec dum prout oportet praedicatum."

Carolostadius 1524. insuper duos alios libros de Sacra Coena composuit, quorum alter inscriptus est „Expositio verborum Christi: Hoc est corpus meum etc. contra simplices et duplices Papistas, qui haec verba in crucis fraudem deterquent." Quatuor foliis 4. Alter sic: „An litterarum sacrarum auctoritate possit evinci, Christum cum corpore, sanguine et animo inesse in sacramento." 4.

[1]) „Dialogus de abusu sacramenti Iesu Christi." Viteb. MDXXIV. 4.

legeris. Nos enim nostra proferimus, ut conferamus, non ut censeamus. Res enim tam est ardua, ut nisi dominus dederit intellectum, frustra dicturi simus, quicquid tandem adduxerimus. Nunc aggredimur negotium. Huius rei summa ex Ioan. VI. facile decerpi potest. Neque hic eos audias, qui continuo reclamant: Christus isthic nihil agit de istoc sacramento: nam et nos idem sentimus; sed hoc agit isthic, quo certissime confutantur, quae nos parum dextre de ipso sentimus. Ex eo capite nos orsi sumus, quum aliquando multa deliberatione praehabita essemus hanc telam multo periculosissimam incepturi. Unde et dei munere factum est, ut pauci sint apud nos qui ignorent quid sit panis iste et calix. Nostri qui fideles sunt Missae nulli prorsus intersunt: et nos veterem missandi ritum aliquando statueramus novo aliquo abolere, sed rursus dei dono factum est, ut res alio ceciderit. Nam si nobis obtemperatum esset, nihil aliud quam clavum clavo pepulissemus, et recens acceptus ritus difficilius potuisset antiquari, quam qui a priscis manavit. Habes igitur, ut paulo ante promiseramus, quo ordine simus rem adgressi, nempe Ioannis sextum caput, veluti munitissimam fortissimamque aciem, praemittendo. Illic Christus, ut solet a sensibilibus ad interna spiritualiaque trahere, civiliter nimis eos, qui se quaerebant spe cibi, ante omnia monet, ut cibum operentur et quaerant, qui nunquam pereat aut diffluat. Hinc ad spiritualia transeundi viam inveniens, quod sicut cibus corporeus membra alit ac refovet, sic etiam spiritualis cibus animum reficiat. Unde opportunissime a manducatione cibi, qui ventrem implet, transiit ad verbi manducationem, quam cibum vocat coelestem, qui mundum vivificet, atque ita vivificet, ut qui eum ederit, non unquam sit ultra esuriturus. Et eum cibum, ut est Hebraeis mos quemvis cibum panem adpellare, nunc panem, nunc cibum adpellat. Quumque isti, haec audientes, corporeum aliquem cibum sibi ob oculos ponerent, ac Manna, quod Mose duce datum erat, iactarent: aperit quisnam sit iste cibus de quo ipse loquatur, et dicit: Ego sum panis vitae. Qui venit ad me non esuriet; et qui credit in me non sitiet in aeternum. Quibus verbis nihil aliud voluit, quam eos, qui ad se veniant, hoc est Christo fidant, ut ipse mox subiungit: Qui credit in me, inquiens, nunquam esse desperationis famem sensuros: quotquot enim ei fidunt, certi iam sunt, se filios dei esse, Io. 1: 13. Neque amplius tanquam famelici canes civitatem omnem pervadent, quaerentes cibum, quum intra se pignus spiritus habeant, quo sciunt se cum deo per deum in gratiam rediisse. Atque hanc sententiam Christus multis verbis suadet. Iudaei vero, quum rem nulla ratione caperent, murmurabant, quod se Christus panem vel cibum vitalem fecisset, et ad communem hanc contumeliam fugiunt, qua apud nos natos contemnimus: Nonne hic est, inquientes, filius Iosephi, mirabanturque duplici nomine, et quod se cibum vitalem appellasset, et quod genus e coelo trahere gloriaretur. Quibus iterum dominus cavet, ne se calumniis peccatisque maioribus involvant, monetque ne murmurent: nam hanc rem non constare humano captu, sed inspiratione doctrinaque spiritus, quam dominus hac voce per Prophetam praedixerit: Erunt omnes docti a domino. Unde fieri, ut nemo

Christum e coelo natum, et animorum cibum esse credat, nisi si quem pater ad se traxerit. Deinde huc descendit, ut clare doceat quatenus ipse sit cibus animorum. Ac postremo loco, quo modo eum comesse oporteat. Prius sic adgreditur: Amen, dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam. Ego sum panis vitae, qui de coelo descendi. Si ergo aliquis eum ederit: nimirum coelestem, hoc est aeternam vitam adsequetur. Sed ne diutius vos teneam: panis ille, quem ego vobis hunc praedico, non est aliud, nisi caro mea, quam coram cernitis, pro mundi vivificatione expendenda. Haec mea pro iniquis traditio et mactatio mundum patri reconciliabit: quod aliud non est, nisi in vitam restitutio. Quod ergo multis iam vobis dixi, hoc tandem est, quod dum ego pro mundo trador et morior, tunc cibus animorum ero, quo spes suas alant, quo certi reddantur de misericordia dei; quae quo modo quicquam possit miseris negare mortalibus, quum filium dependisset? Sic ergo panis, id est cibus animorum, quem pollicitus sum, caro mea est, non quemadmodum vos putatis, sic vobiscum vivens et conversans, sed pro mundi vita tradita, hoc est pro mortuis atrociter caesa, ut vivificentur. Atque hic tandem est sensus horum verborum: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita tradita. Caro igitur mea, quatenus est morte adflicta, cibus, hoc est: spes est animae. Ex quibus verbis clare discimus, carnem Christi non alia ratione cibum esse et spem humanae mentis, quam qua pro nobis ipse occisus est. Nam quod ex carne nascitur, caro est. Caro igitur Christi comesa, gignere aliud haud potest, quam carnem. Sed caro Christi pro nobis mortua eum, qui eius morte nititur, spiritualem facit, nempe dei filium. Colligitur ergo, panem istum, de quo Christus loquitur, nihil aliud nisi hanc rem esse, quod Christus est pro vita nostra morti traditus. Id autem quum Iudaei minus intelligerent, sed aeque ac quidam Theologi magis magisque crassescerent: litem inde movebant et indignabunde sic obiiciebant: Quomodo potest hic nobis dare carnem suam manducare? Ecce ut dentes illorum obstupescebant, eo quod mens non aliud intelligebat, quam quod sensus suggereret! Christi verborum sententia haec erat: Nemo vivet, nisi qui crediderit me pro salute sua esse morti traditum. Tametsi eam civilibus verbis texit ac parabolicis: Ego sum panis vitae, id est cibus vitalis; qui ergo me edit, nunquam vel esuriet vel sitiet.

Porro Iudaei sensum hunc, utpote rudes spiritus, non adsecuti, pro *me edit* Christum *in me credit* velle intelligi, sic non modo rustice, verum etiam contumeliose respondebant: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare manducandam? Quibus coelestis sapientia, pro suo more, gravius arctiusque imminens incredulitatem eorum taxat et urget hunc in modum: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Quid, o bone deus, nemo vivit, nisi qui te dentibus vorat et avido rictu haurit? et quomodo increduli vivunt, et te non modo non edunt, sed deum esse, aut omnino esse ignorant? Sed dicet aliquis, bis hic peccatur: Nam qui hic edunt, non corporaliter edunt; et quod editur, num est corpus quod sentitur? Recte sane, quid igitur diutius erramus, quam Ithacae

rex? anne corpus aliud est, nisi quod sentitur? Quod autem sentitur, organorum est obiectum. Organa igitur, quum hic nihil aliud sentiant, sed intus fiat quicquid agitur: quid opus est de corpore, quatenus corpus est, loqui quum sic Christus non sit cibus animorum (alioqui Iudaei non tantopere ab eo abhorruissent); sed quatenus secundum corpus necatus est, sic est animorum cibus. Qui ergo Christo pro se mortuo fidit, hic iam non reficitur intus eius corpore et sanguine; ac nisi fidat, quid erit velle Christum corporaliter edere aliud, nisi corpus pascere? Nam perpetuo istuc verum est: Quod natum est ex carne, caro est; et contra: Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Spiritualem ergo porro Christus hic intelligit manducationem, sed qualem? eamne, qua dicimus Christum hic corporaliter edi? Unum igitur idemque erit spiritualiter et corporaliter edere, quod logicae quoque peritis absurdissimum est. Si spiritualis est manducatio: cur corporalem adpellas? Si corporalis est: quid aliud nisi corpus solari potest? Vult ergo Christus, nos nisi edamus eius carnem, id est nisi credamus eum pro nobis mortem obiisse et sanguinem effudisse, vita esse carituros. Rursus, si carnem eius edamus, id est pro nobis mortuam credamus; et sanguinem eius bibamus, id est sanguinem eius pro nobis effusum esse firmiter credamus: iam Christum esse in nobis et nos in ipso. Sed estne Christus in quoquam corporaliter? Minime! Quid igitur de corporis manducatione quaerimus! Tunc editur corpus eius, quum pro nobis creditur caesum. Fides ergo est, non manducatio, de qua Christus hic loquitur. Sed dicis: Tu sic exponis et scripturam errori tuo servire cogis. Minime! Verumtamen his notis didicimus, Christum hic de fide locutum esse, non de sacramento Eucharistiae. Prima est: Quod ab initio huius sermonis sic locutus est Christus: Operamini cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem filius hominis dabit vobis. Porro cibum alium non tradidit Christus qui nos felices reddat, quam Evangelium, hoc est: quod ipse gratuito est pro nobis mortem perpessus. Secunda nota est: Hunc enim pater signavit deus. At quomodo signavit? eo, quod signum est quo liberamur a morsu serpentis. Sed quomodo liberamur? per esum corporis eius, non quo corpus editur (hoc enim impossibile est. Nam tametsi cognituri simus Christum aliquando secundum carnem: at nunc non cognoscimus); sed quo pro nobis mortuus creditur. Tertia nota est: Hoc est opus dei, ut credatis in eum, quem misit ille. En tibi opus, quo cibum parare possumus, qui non pereat; nempe fidere ei, quem misit pater. Fides ergo opus est quod beat, non corpus corporaliter edere. Nam si sic corpus comesum bearet, duae rationes aut viae essent quibus bearemur; videlicet opus dei, fides iam dicta, et corpus eius corporaliter comesse: quod quam absurdum sit, haud facile dictu est. Quarta nota: Panis enim verus est, qui e coelo descendit et dat vitam mundo. Corpus Christi non descendit de coelo, sed in utero perpetuae virginis natum est; quatenus autem Christus mundum vivificat: hinc est quod deus deique filius est, non quod caro est. Iterum ergo constat eum vitam esse, quatenus creditur dei filius esse, et secundum carnem ex virgine sumtam mortuus; eumque ad hunc modum creditum,

vivificare, non corporaliter ambesum. Sunt praeterea aliae multae notae, quibus hunc, quem diximus germanum esse sensum, liquido potes deprehendere. Sed ad eam descendamus, quam Christus veritas ipsa prodidit, a qua dissensisse perfidia sit. Ea vero est: Quum Iudaei blandissimos Christi figuratosque sermones nulla ratione caperent: id quod est praefractis omnibus peculiare faciunt; puta prorsus ab eo resiliunt. Quod ubi Christus sensisset hinc manare, quod perpetuo ipse adseverasset: Nisi manducaveritis carnem et biberitis sanguinem, non vivetis; contra vero Iudaei aciem mentis a corpore, quod ante oculos videbant, nullo modo abstraherent, deque fiducia in mortem eius ne tantillum quidem cogitarent: apertissimis verbis eos sic est allocutus: Hoc vos offendit? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quicquam. Verba quae ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt. Quid obsecro planius, manifestius, dilucidius, aut brevius denique dici potuit, quam: Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quicquam? An hoc loci non sufficienter repulsae sunt omnes omnium quaestiones, quibus curiose magis quam pie, nunc adserunt panis substantiam in carnis transire; nunc vero hanc opinionem rident, sed tamen essentialiter et corporaliter edi adfirmant, et quum alios maxime explodunt, non vident se toto etiam coelo errare? Adeo potens est *φιλαυτία*, ut quum alicuius unius errorem deprehenderit et ipsa, quid quomodo fiat, ut sibi videtur, invenerit: iam loco moveri nequit. Quid inquam fortius ad contemnenda universa commenta de corporali et essentiali corpore Christi in hoc sacramento adferri potuit? Caro non prodest quidquam. Num ergo dicemus Christum dedisse, quod non prosit quidquam? Absit! Mirabilia sunt enim et magnifica opera domini, ad voluntatem eius elaborata. Obex ergo, ut ab initio diximus, hoc verbum est, quo excludere licebit omnes conatus eorum, qui de essentiali corpore Christi loquuntur. Perpetuo enim obtendemus hoc verbum veluti clypeum: Tace obsecro! dicentes, cum tua ista carnis sapientia! Caro enim non prodest quicquam. Quid ergo prodest? Quod sequitur: Verba, inquit, quae locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Quae verba? Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam. Quam carnem quemque sanguinem? Non eam qui humorem habet, neque eam quae pondus; sed eam, quam mente cognoscimus nobis esse salutis pignus, propterea quod pro nobis sit in cruce morte adfecta. Haec, inquam, verba nobis credita et in viscera pectoris nostri demissa vitam aeternam parant: sola enim fide iustificamur. Fides ergo, quae certa est Christum crucifixum nostram esse redemtionem et salutem, ipsa est ista verba, quae locutus est Christus, quae sunt spiritus et vita.

Sic igitur docebis, carissime Matthaee! ante omnia, quid hic Christus per *edere*, nempe *credere* intelligat. Quod et nos fecimus, adeo, ut ferme nemo iam sit apud nos, qui non abhorreat ab insanis istis quaestionibus: eluduntur omnia tela unico isto umbone. Dicet aliquis: Non credis hic corpus Christi edi? Reddes: Caro non prodest quidquam. Cur ergo de ipsa quidquam disputaverim? His verbis unice haerendum esse docebis. Sunt enim verba evangelii, sunt fides ipsa: nam quid

est aliud Christianum esse, nisi credere Christum dei filium pro se passum esse? Dicet alius: Et hic me fides beat, dum credo, me in isto pane verum et essentiale corporaleque corpus Christi edere. Responderi posset: *Tu* hoc de tuo dicis; verum scriptura verbi *dei* hic opus est, ut adstruas eam fidem beare, qua credas Christum hic corporaliter edi; ac dum nullam habes, vides nimirum, ut tota simul ista opinio frigeat sitque damnosissimum idololatriae commentum: quis enim hoc sacramentum non adoravit? Contra vero cur Baptismum non eodem modo adoravimus? quum sacramentorum, quod ad definitionem attinet, eadem sit ratio.

Restat nunc, quod est hac in re multo difficillimum, videlicet quonam simus Christi verba, quae consecrationis appellant, detorsuri. Quum enim Christus dixerit: Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur, non possunt verba alio trahi, quam quod is panis, quem Christus porrigebat, sit corpus eius, non mysticum; hoc est ecclesia: nam ea non est pro nobis tradita; sed verum ipsum Christi corpus, quod in cruce pro nobis est mactatum. Verba sunt plana et aperta; et coelum et terram facilius est deperire, quam vel apicem ex eis. Hic, me hercle, omnes fidei nervi sunt intendendi adeundusque est caelestis gratiae thronus, ut quicquid sit hic abstrusum reseretur. Nam si verba ista recte non sunt hactenus intellecta, peccatum est hic magis quam ulla in re; ac ipse nescio an maior fuerit abominatio adoravisse aureum in Dane vitulum, quam adoravisse panem istum benedictum; si modo panis solummodo est. Nam tametsi ea sententia, quam dicturi sumus, vehementer nobis arrideat: nihil tamen definimus, sed nostra in medium proferimus, ut, si domino placuerit, alii quoque sic sentire doceantur, sed a spiritu, qui nos omnia docet: is enim si vetuerit sic intelligi, frustra verba fundemus. Deum ergo Opt. Max. precor, ut vias nostras dirigat; ac sicubi simus Bileami in morem veritati pertinaciter obluctaturi, angelum suum opponat, qui machaerae suae minis hunc asinum (inscitiam et audaciam dico nostram, si saltem ex audacia gloriaeque cupiditate quicquam nobis hic agitur) sic ad maceriam adfligat, ut fractum pedem, hoc est impurum illotumque carnis sensum auferamus debilitatum, ne ultra blasphememus nomen domini dei nostri.

Sunt igitur qui ex fide (ex ea enim discitur solida veritas) didicerunt, hoc nobis esse salutiferum, si credamus Christum pro nobis esse passum; hanc unam esse ad astra viam, hoc esse verbum quod omnes praedicamus 1. Io. 1: 1. Unde facile deinde colligunt, non alia via venire salutem posse, quam per Christum; non ergo sacramentali esu panis et vini. Verum quum Christi verba, quae consecrationis vocamus, intuentur, sentiunt schematismum quendam subesse; veruntamen quis aut qualis sit, non facile explicant. Carolostadius in eo libello, quem legimus, vult hic demonstrationem variari, ut cum dixerit: Accepit Iesus panem et benedixit, fregit deditque discipulis suis, dicens: Accipite et comedite! Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: istud pronomen *Hoc* non in panem direxerit, sed in se ipsum; ut sit sensus: Accipite et comedite! nam ego hoc corpus meum sum pro vobis traditurus. Ego, ut ingenue dicam, hominis laudo industriam, sed

multo magis de fide gratulor, qua didicit, non alia ratione nos posse salvos reddi, quam ea fide, qua credimus Christum pro nobis esse passum. Etiamsi ad sensum horum verborum nunquam penetrasset, sensit pius homo alium oportere subesse sensum; verum, ut illum expediret, non clare vidit, nisi nos minus videmus quam ipse. Verbo autem absit invidia! Addit, quod istud pronomen *hoc* eam emphasin habeat, ut corpus suum crucifigendum, quod etiam Prophetae praedixerint, referat. Ut sit sensus: Quod Prophetae praenuntiarunt me carnem adsumturum, et in ea dolores mortalium expiaturum, en vobis hoc meum corpus ipsum est, quod prophetae promiserunt; ipsum est, quod pro multitudine traditur. Hic si sensus esset, potuissent et ista duo addi, quod videlicet iam nunc immineret captivitatis mortisque discrimen; et quod Io. 6: 51. dixerat: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ut nunc dicat: Ecce hoc est corpus meum, quod pro mundi vita traditur, de quo vobis superioribus annis spopondi. Imo cum huc e Galilaea ante paucos dies ascenderemus, dixi vobis quid mihi eventurum sit! nunc adest eius temporis articulus. Aiunt et in eo Dialogo, quem nos non legimus, quo multi offenduntur, nonnihil ex linguae Graecae proprietate adductum esse, quo demonstrationis immutatio clare probetur: quod scilicet ἄρτος masculinum sit et σῶμα neutrum. Sed ut bona venia dixerim, arbitror non paucas eiusmodi locutiones esse Graecis, quemadmodum et Latinis, ut quod praecesserit expresso masculino genere vel feminino, post neutro demonstretur. Exempla non est quaerendi locus: nam celerrime coacti sumus scribere. Hanc Carolostadii sententiam, qui probaverit, nos minime offendet; veruntamen et nostram oro ut expendat. Nos cardinem huius rei in brevissima syllaba versari arbitramur: videlicet in hoc verbo *est*, cuius significantia non perpetuo pro *esse* accipitur, sed etiam pro *significare*. Quamvis interim, carissime frater, te admonitum volo, ne nobis quicquam fidei habeas, nisi clarissimis verbis scripturae sacrae, quod adsumo, probavero. Respondebat Ioseph ad somnium Pharaonis: Septem boves crassae sunt septem anni fertiles; at tamen fieri nequit, ut septem boves sint septem anni. Est ergo clarum, istud verbum *sunt* positum esse pro significant vel portendunt. Ut sit sensus: Septem boves crassae, quas in somno vidisse videris, portendunt vel significant septem annos fertiles etc. Christus dicit Io. 15: 1. *Ego sum vitis;* nec tamen erat vitis, sed vitis in morem se habebat. Patet ergo istud verbum *sum* nulla ratione pro *esse* accipi posse; sed pro significo vel exprimo. Ut sit sensus: Ego vitem significo vel exprimo, vel eius in morem me habeo. Iterum dicit: Semen est verbum dei; at tamen semen non erat verbum dei. Unde neque hic *est* pro esse capi poterit; liquet autem pro significat esse positum: nam Christus his verbis apostolis parabolam, quam de sparso semine proposuerat, adperit, semen, inquiens, de quo loquor, *est*, id est significat verbum dei. Tales consimilesque locutiones passim videre licet in literis sacris, unde non est, ut hic pluribus obtundam. Nunc Christi verbum mihi in manum sume Matth. 26: 26. Accepit Iesus panem etc. dicens: Accipite et comedite! hoc *est* corpus meum; Lucae 22: 19. quod pro vobis traditur. Hic

mihi pro *est* significat pone! Accipite et comedite! hoc *significat* corpus meum quod pro vobis traditur. Tunc nimirum iste erit sensus: Accipite et comedite! hoc enim, quod nunc facere iubeo, significabit vobis aut rememorabit corpus meum, quod iam iam pro vobis traditur. Nam continuo subiungit: Hoc facite in meam commemorationem! Ecce finis, cuius causa edi iubeat, nempe ob eius commemorationem. Quam Paulus sic expressit: Quotiescunque enim manducaveritis panem hunc, et poculum hoc biberitis, mortem domini annuntiabitis. Quid hic aliud iubet Paulus, quam mortis domini palam commeminisse? Hoc ergo dominicum convivium, vel iuxta Pauli verbum, coena dominica ista, quum in eum usum sit instituta, ut mortem Christi, quam pro nobis pertulit, in memoriam revocemus, clarum est, ipsam esse signum, quo se ii, qui Christi morte sanguineque nituntur, fratribus eam fidem habere mutuo probant. Fitque horum verborum Christi sensus ad hunc modum apertissimus: Hoc convivium significat aut symbolum est, quo refricabitis meum ipsius corpus dei filii, domini vestri et magistri, pro vobis esse traditum. Sic intellexit Tertullianus, vir mira pietate, eruditione linguarum singulari, eloquentia mirabili, haec Christi verba, libro adversus Marcionem 1, ubi post multa sic tandem inquit: Nec panem reprobavit, quo ipsum corpus suum repraesentat. Vult enim Christum non repulisse sacramenta sua, neque etiam panem (ecce panem vocat) antiquasse, quo corpus suum repraesentet. Non dixit: Qui panis corpus eius est, sed qui corpus eius repraesentat. Quomodo repraesentat panis corpus? nimirum cum sic editur, revocatur in memoriam, Christum corpus suum pereuntibus praebuisse pro nobis. Ad verba Pauli nunc transimus, quibus haec sententia reddetur apertior, quae Lucas sic extulit: Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis funditur. Ecce quod alii duo sic extulerunt: Hic est sanguis meus, hoc Lucas *novum testamentum* adpellat, et non dixit: Hoc novum testamentum est meus sanguis; sed hic potus novum Testamentum est in meo sanguine. Quod ergo in alio est, non est id ipsum in quo est. Novum testamentum vim et fundamentum habet in sanguine Christi pro nobis fuso; et potus iste novi testamenti poculum est. Constat ergo non esse sanguinem poculum, sed testamentum, hoc est commemorationem vivificae effusionis sanguinis Christi. His Lucae verbis, praebetur clavis Matthaei Marcique verba reserandi. Cum enim hic potum istum novi testamenti vim habere dicat in sanguine Christi, colligo, quod illi schemate nobis inusitatiore dixerunt: Hoc est corpus meum, pro eo quod est: haec manducatio novi testamenti est symbolum, cuius robur in eo constat, quod ego me ipsum pro vobis et pro tota multitudine trado. At *hic est sanguis meus* dixerunt pro eo quod est: hoc poculum est symbolum aut significabit vobis, sanguinem illum meum pro vobis effusum. Ad hunc modum intelligit Augustinus in praefatione Psalmi III, ubi dicit dominum Iesum etiam Iudam adhibuisse ei convivio, in quo corporis et sanguinis sui figuram discipulis commendavit. Quid autem hic figuram intelligit? an speciem aspectus vultusque eius? an figuram, qua futurum aliquid praemonstret: ut fuerunt, quae patribus in figura contingebant? Minime! Sed figuram,

hoc est formam, qua commemoremus corpus ipsius pro nobis esse traditum, et sanguinem pro expiatione nostra fusum.

Hic te admonitum volo, carissime frater, quod neque Augustini, nec cuiusquam auctoritatem tanti facio, ut ea quicquam ausim adserere; sed ea causa produco veterum sententiam, ut videas non recens esse natum commentum, quod de his verbis et sacramento isto proferimus. Quod autem Augustinus serio sic de sacramento isto sentiat, latius paulo post, cum Pauli sententiam adduxerimus, patebit. Paulus Corinthiis scribens 1. Cor. X. ac ab omni idolorum commercio abstrahere volens (erant enim quidam, qui scientiam suam iactantes, quod adprobe nossent idolon nihil esse, nihilo secius ex idolothytis vescebantur), volens, inquam, ab idolorum commercio deterrere, eucharistiae usum illis obiicit, quem talem tantumque esse putat, ut idololatriae reum faciat, qui simul mensae dominicae et daemoniorum sit particeps. Dum ergo eucharistiae usum eis, ut iam dictum est, obiicit, ambigendum non est, quin eum dextere proprieque adducat. Sic ergo inquit, poculum benedictum, quod benedicimus sive laudamus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Hic subito exiliunt, qui Christum corporaliter comedi docent: Quid adhuc opus habemus testimonio? ipsi audivimus, communicationem sanguinis Christi esse et corporis. Non enim dixit Paulus: Participatio panis aut vini est, sed sanguinis et corporis. Aequo animo sis, donec ultimus fabulae actus absolutus erit: alioqui nihil nisi contentiones, iurgia et tumultum tecum auferes. Diligenter igitur animum adverte his quae continuo sequuntur, et invenies quid communionem corporis et sanguinis hic vocet. Posteaquam dixit: Et panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est, exponit quaenam sit haec communicatio, sic dicens: Quoniam unus panis et unum corpus nos universa multitudo sumus: omnes enim de uno pane et de uno calice participamus. Videtur hic Paulus manifeste prodere, quod qui hunc panem edant et poculum hauriant, cum reliquis fratribus in unum corpus coalescant: quod quidem corpus Christi est, eo quod corpus Christi hoc est, quod carnem auctoris sui pro se mactatam et sanguinem eius fusum esse credit. Vult ergo eos participes corporis et sanguinis Christi fieri, quum se cum reliquis fratribus confitentur Christi morte ac sanguinis effusione fidere. Atque ut id fideli mente credere fratribus testentur quodque alieni sint ab omnium idolorum deorumque alienorum cultu, simul cum eis in coena dominica panem calicemque commemorationis sumere praecipit, ut frater videat fratrem hoc veluti iuramento (unde et sacramentum appellatur) secum in unum corpus, in unum panem, in unam professionem coaluisse. Sic enim inquit: Quoniam unus panis et unum corpus tota multitudo sumus. Ergo hunc panem edimus, ut unus panis tandem fiamus. Quis est autem iste panis, in quem transimus? mira res est tanta in vocibus variatio: Panem edimus, ut in unum panem confiamus; nescimus quid loquatur Paulus istic. Festiva o bone vir sunt, quisquis es tandem, ac coelestis facundiae plena haec Pauli verba. Panem vocat quod edimus, et panem vocat quod esu isto reddimur. Porro quod hoc esu reddimur, dummodo fide prius in penetra-

libus manducavimus Christum pro nobis passum, non carnem, nervos et ossa — quod inquam reddimur, corpus Christi est. Qui autem sunt corpus Christi? quorum ille caput est et ipsi eius membra. Quorum est caput? qui eum sequuntur, qui eo fidunt. Quae membra? hi ipsi quos diximus. Et membra cum tam numerosa sint, unum tamen corpus fiunt. — non tandem cum edunt hunc panem et bibunt hunc calicem; sed quamprimum credunt huius convivii auctorem Christum Iesum pro salute nostra morte et ignominia coronatum. Quid ergo facit esus iste? nihil aliud nisi quod te fratri palam facit esse membrum Christi, et ex his qui Christo fidunt; et rursus te adstringit ad Christianam vitam, ut si forte impudenter vivere non poeniteat, a reliquis membris excludaris. Hinc veteribus excommunicatio et abstentio. Patet ergo in his verbis Pauli: Nonne communicatio sanguinis Christi est? et: Nonne communicatio corporis domini est? communicationem non pro esu accipi, pro quo hactenus acceperunt theologi, sed pro communicatione ecclesiae, hoc est, quod quisque hoc pacto se ecclesiae probat et inserit tanquam praestito sacramento. Ipse enim Paulus inquit: Quoniam unus panis et unum corpus *nos multitudo* sumus. Omnes enim de uno pane et de uno calice participamus. Ecce causam quare unus panis fiamus, unius panis et unius calicis usum communem. Vide nunc Paulini sermonis gratiam. Panem dedit nobis Christum, ut eum simul edentes in unum ipsius corpus coalescamus; modo prius coelestem panem (ut Io. VI. docuit) ederimus; hoc autem corpus ecclesia Christi est. Unde fit, ut et nos, qui corpus eius sumus, panis adpellemur: nam hoc pane nos fratribus probamus membra corporis Christi esse. Hi verborum transitus et viciniae fecerunt, ut olim non defuerint, qui ista verba Christi: *Hoc est corpus meum*, ad ecclesiam torquerent (ut est apud Thomam vel Scotum videre, si recte memini) putarentque Christum, eos quibus panem porrexerat ostendisse corpusque suum esse dixisse, ut esset sensus: Vos qui hoc convivio adestis, corpus meum estis: et cum sequentia minus quadrarent, sic exposuerunt, ut, quod pro vobis traditur, acciperent, pro eo quod est: pro quibus ego trador. Quorum ego fidem admiror magis, quam omnium Theologorum eruditionem. Neque enim unquam puto fuisse, qui crederet, se Christum corporaliter et essentialiter in hoc Sacramento edere; tametsi omnes strenue vel docuerint vel simulaverint, ut est hypocrisis audax malum. Nolo hic horrescas, optime vir, et cum hypocritis clames: Ego credidi. Ut quid indicas conscientiam meam? Tu mecum aut non credidisti aut mentem, ne hic reclamaret, avocasti, aut vehementer anxius fuisti, quonam pacto veritas libere tandem prodiret. Fidem eorum inquam admiror, quae ab hac insulsa traditione abhorrebant; et cum verba tam vehementer esse viderentur constantia, conquisierunt per scripturam, quo modo hoc corpus capi oporteret; et ad hunc Pauli locum venientes eo nodum hunc ista veluti bipenni explicare sunt adgressi. Hoc certum habentes, quod superius de Carolostadio diximus, fidem isto edendi modo, quem Theologi tradunt, non indigere, oportereque istorum Christi verborum alium aliquem esse sensum, quemcunque tandem. Fidem inquam istorum laudo; defuit perspicacia, qua nihil opus habebant, dum fides adesset. Vide

quid sit e scriptura doctum esse, quid ex spiritu! Dixi paulo ante hanc vulgo Theologorum opinionem esse insulsam. Hoc te ne quaeso offendat! dixissem libentius non modo stolidam, verum etiam impiam. An non etenim Iudaeorum impietatem superarunt Theologi isti insignes? Isti cum de corporali esu omnia dici putarent, abhorrebant; sed Christus eis humaniter docendo subvenit. Nam a stulto eorum intellectu sic liberat: Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quicquam. Verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. Cumque nihilo magis caperent quam prius, Christum ex toto deseruerunt; illi vero nostri mille modis stupidiores prodierunt. Hoc ipsum, quod Iudaei capere nequibant, perfricta fronte adserentes, et Christi directionem, qua omnia perspicere licebat, reiicientes, eo etiam invito, neque ab eo fugientes, sed apud eum manentes, adserunt Christi corpus hic edi, quo modo Iudaei ab eo abhorrebant — Scythis omnibus immaniores. Quod ipsorum verba plane indicant: alius enim ex praesepi eum, alius in cruce adhuc palpitantem edit: ita enim pronunciant: Nos enim corpus Christi veraciter et corporaliter edimus, ut in praesepi iacuit, ut in cruce pependit: quo nihil insulsius dici potest. Sed ut vela tandem colligamus (iubes nimirum, ut omnium tibi dictorum brevem summam ac velut epilogum dicam), en tibi!

Christus iam morti vicinus iucundissime cum suis discipulis epulatus est: dixit enim: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum. Neque solis ferculis eos refecit, sed amoenissimis coelestis verbi *πέμμασιν*, id est, bellariis. Atque huius rei ad memoriam, quod pro nobis esset atrociter necatus, ritum nobis volens relinquere, panem accepit iussitque, ut omnes ederent: hoc enim esse symbolum fidelibus suis, quod corpus eius, qui deus ipse ac dominus et magister ipsorum erat, esset occisum; ideo istuc fieri debere in eius commemorationem ut et nos simul ederemus, et eius gratiam commendaremus. Similiter dic de calice! Factum ergo est inter discipulos Christi, ut quicunque fratres esse se confiterentur, sic ad Christi institutum cum reliquis fratribus ederent ac biberent; et hac ratione in communionem fratrum, qui credebant se Christi corpore et sanguine redemtos, accipiebantur. Quod quidem frustra fiebat, quod ad conscientiam adtinet, nisi is, qui edebat, prius esset fide de salute per Christum certa. Unde obiter et hoc patet, eucharistiae esum non tollere peccata, sed symbolum eorum esse, qui firmiter Christi morte exhaustum et deletum esse peccatum credunt et gratias agunt. Vide Augustinum super Ioan. VI. Tractatu 26, et invenies aperte quomodo ille sacramentalem esum a spiritali separet. Vide quoque Origenem in Matth. homilia 35! Nam hi soli nunc occurrunt. Veterum enim plurimi pie de isto Sacramento senserunt. Haec sunt, candidissime frater, quae nunc tecum per literas conferre placuit: vereor enim, ne quidam nimis propensi sint ad iurandum in magistrorum verba. Quod si mihi dicas: Ego Germanice coepi missare; et si nunc aliter docuero, supra modum offenduntur plurimi: hoc capito remedium! Ut communicationem mensae domini non sis sublaturus, doce, sed nativum usum in diem magis ac magis prolaturus, et crebro istud inculca, homines si communicationis panem edant, et in fide non

sint integri, nec in amore proximi sinceri, iudicium sibi manducare ac bibere. Deserent multi, mihi crede, ac dum pascha venerit, quod et nos facturi sumus, ex Christi instituto omnia perage! Boni consule, et verbo dei unice adhaere! Ora dominum, ut vias tuas dirigat! Fratrem istum (nunc nomen eius traditum est nobis), Cuonhardum Hermannum hac in re, nisi magnopere erret, noli oppugnare, sed si opportunum fuerit, etiam hanc epistolam legendam praebe! Vale in Christo Iesu domino nostro. Ex Tiguro 16. Nov. MDXXIV.

---

## MATTHAEO ALBERO RUTLINGENSIUM ECCLESIASTAE HULDRICUS ZUINGLIUS EX ANIMO TUUS.

Adiuro te per Christum Iesum, qui iudicaturus est vivos et mortuos, ut hanc epistolam nulli hominum communices, quam ei, quem constet sincerum esse in fide eiusdem domini nostri. Ego idem sum facturus; et si quando usus postulabit ut typis excudatur, ego eam rem curabo. Celerrime enim omnia sunt nobis scripta, sic, ut vix semel et obiter etiam sint relecta.

Tiguri in aedibus Christophori Froschoveri anno MDXXV mense Martio.

# AD IOANNIS BUGENHAGII, POMERANI EPISTOLAM [1]

## RESPONSIO HULDRICI ZUINGLII

Lutherus primo, dum Carolostadius vapulabat, Zuinglii et Oecolampadii doctrinam de S. C. ineunte anno 1525. adortus erat, ac deinceps per epistolas inimicitiam suam in eos effuderat, donec tandem Argentoratensibus prolocutus est, vel ipsum vel eos (Carolostadio et Zuinglio assentientes) diaboli famulos esse. Io. Bugenhagius eristicorum librorum adversus Zuinglium et Oecolampadium initium fecit vulganda contra novum errorem de sacramento corporis et sanguinis Iesu Christi ad D. Io. Hessum Vratislaviensum epistola MDXXV, quae etiam vernacule reddita in publicum prodiit. Franc. Kolbius eam Norinberga 8. die Sept. 1525. ad Zuinglium misit rogans, ut eam refelleret. Cfr. Epist. XX. 1525. Vol. VII. 404. Hoc igitur fecit Zuinglius et liber origine latinus Tiguri est editus foliis duobus cum dimidio quartanis, idemque recusus extat Opp. II. 255 a—259 a. Anno 1526. vernacula versio in vulgus exiit hoc titulo: Responsum Huldrici Zuinglii in epistolam Io. Bugenhagii Pomerani de Sacra Coena Christi. Fol. 3 ½. 4.

[1]) *Io. Bugenhagen* Wollino Pomeraniae oriundus, 24. Iun. 1485. natus, clericorum sese ordini addixit, magister scholae, quae Trepteni erat, extitit, atque ex optato sui Principis historiam patriae scripsit. Anno 1521. Lutheri scripto de Babylonica captivitate permotus in castra sese reformationis coniecit. Quumque episcopus Caminensis amicos reformationis ea regione exagitare coepisset: Vitebergam concessit, ubi pastor in templo cathedrali factus cum Luthero Carolostadium praecipitantius novantem propulsabat. Annis 1525 et 1530 rem ecclesiasticam Hamburgi et Lubecci constituit; 1537. in Dania, ubi regem coronavit; 1542. in Brunsuiga et Hildeshemi, pastoratum Vitebergae interim usque obtinens. Senex acerbitatem adhuc theologici belli expertus est, quod Flacius et alii ipsi et Melanchthoni intulerunt. Vir integritate morum laudabilis obiit 1558 annos 73. natus. Vid. Adami vitae Theoll. fol. 150 sqq. Uno anno priusquam isthoc polemicum scriptum edidit, litteras admodum amicas ad Oecolampadium dederat, laeti assensus, quo Oecolampadii homilias in primam Ioannis epistolam prosequeretur, testes.

## IOANNI BUGENHAGIO POMERANO HULDRICUS ZUINGLIUS.

Gratiam et pacem a deo. Equidem, docte vir, si unquam, vel parandi nominis vel contendendi studio flagravissem, satis iustam occasionem, hac tua de Eucharistia epistola, nactus essem; quam secutus vulgo possem utrique adfectui iure indulsisse videri. Nunc vero quum hoc, videlicet ex contentione vel gloriae cupiditate scribere, tam alienum esse debeat a Christiano homine, quam est, pro dolor, hac tempestate vulgare: statui, ut liberrime ac constantissime, sic moderate et amice ad omnia tua respondere. Tu interim, quaeso, auribus animoque fave! non enim latius praefabor.

Titulum fecisti Epistolae tuae: Contra novum errorem. Hunc tu titulum, defendi non potest, quin aut insciente aut violenter praefixeris. Si enim ignoras veteres in hac nostra fuisse de eucharistia sententia, inscientiae venia debebitur; verum hac lege, ut iam non temere novum errorem dicas, quod Christus, Apostoli et vetustissimi Christianorum senserunt. Lege hac de re librum Oecolampadii,[1] et si non dedignaris, Subsidium quoque nostrum! si vero non ignoras veterum hac in re sententiam, violentia est hunc dedisse titulum. In ipsa Epistola putas me hanc rimulam, *est* pro *significat* accipi, tandem invenisse, quum senserim Carolostadio expositionem non prospere cedere. Cur quaeso id facis? quum videas epistolam nostram protinus ad Rutlingensem quendam esse mandatam, ut Carolostadii libri prodiissent, ac deinde descriptam brevi plusquam quingentis fratribus, priusquam excuderetur, communicatam esse; quum nemo adhuc certus esset quomodo eius libri acciperentur. Quod mihi hic imputas, rectius erit Carolostadio imponendum, meo quidem iudicio. Is enim quum videret vos iam dudum simul decrevisse, ne *est* pro *significat* hoc loco accipiatur, utque Eucharistia debeat adorari, veritus est pugnae difficultatem, si rem hac parte adoriretur; itaque alia adiit, id quod aequus aliquis iudex mansuetudini potius adscriberet quam amaritudini. Vidit enim dementiam esse Commemorationem adorandam esse docere. Impietatem ergo quum ferre non posset contentionemque vereretur, ut se his angustiis expediret, sic adgressus est. Nos autem, ut poteris commenti insimulare, qui rem ea parte adii, qua vos iam dudum inaccessam vestro iudicio feceratis?

Quod autem dicis hoc loco non exponi somnium aut parabolam, incircumspectum est: nam ut paulo post patebit, hoc loco ipsissimus tropus est, qui in his verbis: *Semen* est *verbum* dei. Nunc quum probaverimus tropum eundem esse, quid refert an ille alius in somnii aut parabolae ponatur expositione, an in absoluto aliquo definitoque sermone? quum etiam somnii expositionem ac parabolae videamus absolutum sermonem esse oportere? Sed ne tibi aliquid desit, accipe absolutos sermones: *Hoc* est *Paesa*. *Ipse* est *Elias*. *Haec* sunt duo *testamenta*. Et quum doces nullum neque Evangelistam neque Paulum vel uno verbo indicavisse, quod *est* debeat hoc loco significative accipi,

[1]) De genuina verborum Dei: *Hoc est corpus meum*, iuxta vetustissimos auctores expositio. 1527.

frustra suffugium quaeris; quasi vero scriptores, quum tropis utuntur, mox commentarium addant quo tropos exponant. Tropos fidei lumine deprehendi oportet: nam alioqui locos in scriptura multos habemus, sic indubitatis notis signatos, ut contentioso alicui aut incredulo extorquere nequeas, ut tropum admittat; ut: Ego sum vitis vera; et: Caro mea vere est cibus. Ecce *vera* et *vere!* Attamen nisi tropum admittas, blasphemus eris. Quanto ergo magis hoc loco tropus a nobis debet agnosci, ubi nota nulla obstat, et fidei veritas compellit? Atque ut tibi meum consilium hac in re prodam (video enim te haud gnaviter in tropos penetrare, id quod Psalmi quoque clamant; verbo absit invidia!) cognosce! Agnovi tropum in his verbis esse pridem adeo, quam Carolostadius cum suo *hoc* prodiret; sed quo verbo tropum explicarem, non videbam. Non enim satis est, si dicas: Hoc tropus est, nisi simul tropum per alia verba reseres. Ut cum Christus dicit: Ego baptismo habeo baptizari; et: Ego cibum habeo manducare: non satisfaciam auditori, si dicam: Tropus est; sed necessarium est ut tropum verbis notioribus adperiam, videlicet, ut baptismo baptizari, per crucem ferre, aut per mori vel pati explicem; consimiliter alterum sermonem. Iam nemo tam vecors erit, ut quandoquidem hic baptizari per pati exponam, sic colligat: Ergo ubicunque ponitur baptismus, passio intelligitur. Hoc fortasse nihil te attinet, sed obiter insertum est propter quosdam malignos, qui huiusmodi syllogismis inter paulo rudiores tumultuantur. Si *est*, inquiunt, pro significat ponitur: ergo cum coelestis pater filium sic praedicat: Hic *est* filius meus, sic exponere cogemur: Hic *significat* filium meum. Perinde atque legem rogaverimus, quod *est* nullo in loco non capi debeat pro *significat*. Quorum impudentiam lippi videre incipiunt. Sic ergo didicimus, urgente nos rudium cura, qui non bene norunt quid tropus significet, quomodo ista vox *est* debeat pro *significat* accipi. Videbam τροπικῶς dictum esse *hoc est corpus meum* sed in qua voce tropus lateret, non videbam. Ibi dei munere factum est, ut duo quidam et pii et docti homines, quorum etiamnunc tacebo nomina,[1] ad Leonem nostrum et me, conferendi de hoc argumento causa venirent; quumque nostram hac in re sententiam audirent, gratias egerunt Deo (suam enim ipsi celabant, quod tum non erat cuique tutum communicare, quod in hac re sentiret), ac epistolam istam cuiusdam et docti et pii Batavi,[2] quae iam excusa est anonyma, soluta sarcina communicarunt. In ea felicem hanc margaritam *est* pro *significat*[3] hic accipi inveni. Quumque hanc sententiam cogeremur in commentario

---

1) „Factum quoque est, ut *Ioannes Rhodius* et *Georgius Saganus*, pii et docti viri Tigurum venirent, ut de Eucharistia cum Zuinglio conferrent. Qui cum eius sententiam audivissent, dissimulantes suam, gratias egerunt Deo, quod a tanto errore liberati essent, atque *Honii Batavi* epistolam protulerunt, in qua *est* in verbis institutionis coenae dominicae per *significat* explicatur, quae interpretatio Zuinglio commodissima videbatur." (*Lavater.* Hist. sacrament. p. 1, b. Gerdes. Hist. Ref. I. Doc. XXIII p. 228 — 240. Zuinglii scriptum: Quod verba: *Hoc est meum corpus* antiquum unumque sensum semper obtinebunt. 1527.) 2) *Cornelii Honii.* 3) A Zuinglio ipso edita 1525.

palam exponere, consultius videbatur, ipsam vocem, in qua tropus latet, adperire sua ista clave, quam solummodo dicere: Tropus est. Sic igitur docuimus, *est* pro *symbolum est*, *figura est*, *significat*, hic positum esse; neque nos piget huius expositionis. Sexcenties enim dicas: Tropus est, nec tropum adperias: infractam nucem puero praebueris. Haec etiamnunc tacuissem, ne nostro stilo auctori epistolae imprudens aliquid periculi conciliarem, nisi, ut diximus, excusam iam circumferrent.

Paulo post dicis nos hoc Christi verbum: *Caro non prodest quicquam*, fortissimum somniare ad probandum, quod *est* hic capiatur pro *significat*. Non nihil tribuis, cum nos hoc somniare adseris: nam qui hoc non vident, in universum stertunt: tanto nobis infeliciores, quod ne in somno quidem ullam veri imaginem vident. Sed expendamus uter rectius somniet, tune cum adseris, scripturae testimoniis etiam, quamvis non nihil tortis, Christum his verbis *caro non prodest quicquam* non de suis carne et sanguine loqui, de quibus locutus erat paulo ante, sed carnalem intelligentiam discipulorum damnari, transireque a re praesenti ad locum communem scilicet; an nos, qui nihil dubitamus eum de suis illis ipsis carne et sanguine loqui, de quibus discipuli remurmurabant cum Iudaeis, et a quibus abhorrebant, corporalibus videlicet. Primum, cum videas Cyrillum, Augustinum, Chrysostomum, quamvis istum paulo occultius ex veteribus, ex superstitibus Erasmum et omnem propemodum doctorum cohortem in hac esse sententia, ut Christum hoc loco intelligant carnem accipere, quomodo accipiebant hi, quibus ipse respondebat. Qui tamen sic eius sermonem acceperant, ut putarent eum de corporea carne loqui. Cum, inquam, haec videas: cur obsecro nos somniare dicis? An is somniat qui veteres auctores diligenter revolvit? Mihi videntur hi potius somniare, qui sua malunt imprudenter prodere, quam vetera revolvere. An periit hoc Comici: Nihil dictum, quin sit dictum prius? Cum igitur veterum sententiam postliminio adseramus, ut abunde in Commentario nostro monuimus, cur novum errorem parturire culpamur?

Sed est hic quiddam, quod simplicem lectorem in legendis dictis auctoribus possit offendere, quod tibi quoque videtur lapsus causam praebuisse. Quum enim isti carnalis spiritualisque intelligentiae verbis utantur, ac tu eisdem utaris: non tamen ad eandem sententiam tendis, quam isti tenent. Isti enim, cum carnalem intellectum hoc loco damnant, per carnalem intellectum significant istum intellectum, quem crassi discipuli et Iudaei habebant, quo existimabant Christum de corporea carne loqui; non locum communem de carnali sensu. Quod vel uno Augustini verbo deprehenditur, Tractatu 27. „*Caro* vas fuit, quod habebat attende, non quod erat!“ Et paulo post: „*Caro non prodest quidquam*. Sicut illi intellexerunt carnem, non sic ego do manducandum carnem meam.“ Spiritualem autem intellectum hoc loco, non in genere vocant, sed eum, quo credebatur istud quod Christus sub parabola edendi et bibendi docebat, videlicet, qui crederent se eius morte redemtos ac sanguine expiatos, vitam habere perennem. Quomodo Petrus intellexit, cum dixit: Nos credimus et cognovimus te esse Christum

filium dei vivi; ubi clare videmus spiritualem intellectum Petro nihil aliud fuisse nisi morte Christi fidere. Tu vero carnalem intellectum ac spiritualem pro in genere carnali spiritualique intellecta accipis, putasque Christum a praecedenti sermone carnis et sanguinis pro nobis dependorum transitum facere, ac iam de generali intellectu sensuque carnis ac spiritus disserere, tanquam de loco communi; ubi toto erras coelo. Id quod hac unica ratione constat: dic quaeso, an Christus ab eo loco, ubi sic disserere incipit: *Hoc vos offendit? Si ergo videritis filium hominis* etc. tibi videatur respondere ac mederi illorum errori necne? Si negaveris, obstant multa quae sequuntur, ut: Sunt quidam ex vobis qui non credunt. Quod verbum est praecedentis argumenti, in quo sic dixerat: Qui credit in me, habet vitam aeternam; et hoc: Propterea dixi vobis, quod nemo potest venire ad me, nisi datum sit ei a patre meo. Quod etiam ex praecedenti argumento repetitur. Et reliqua quae sequuntur, quibus omnibus liquefit, Christum non facere transitum ab adsumta doctrina ad locum communem. Si ergo concedas eum mederi errori ipsorum, proximum est ut fatearis, ei carnem sic accipi, ut illi accipiebant; at illi putabant corpoream carnem sibi adponi; ergo Christus corpoream carnem dixit penitus nihil prodesse. Nisi enim his Christi verbis liberemur ab intellectu corporeae carnis: etiam hodie cogemur, iuxta voluntatem Rom. pontificis ista verba: *Caro mea vere est cibus*, de corporea carne intelligere. Quisnam vero omnium dubitavit, quae istò Io. VI. capite dicuntur, unica ista bipenni *caro non prodest quicquam* adperiri, atque ostendi Iesum istic non loqui de corporea carne? Annon et vos hac unica clave apertum redditis, ut hic corporeae carnis esus non doceatur? Qui fit ergo, ut nobis ipsis nostra praesidia auferamus? Hoc enim verbo ablato nullum est reliquum, quo tam fortiter adversas partes caedere possimus.

Deinde, si donemus Christum hic a particulari loco ad communem ascendisse, quaero, an per locum communem voluerit Iudaeorum discipulorumque errori occurrere necne. Si occurrere voluit, iam communis locus particularis factus est: nihil enim eo aliud voluit, quam quasi sic diceret: Ut carnalis intellectus noxius est, ita et vos ab intellectu evangelii remoratur, quòd me putatis de corporea ista carne loqui. Carnalem intellectum in universum abiici oportet, sic ut nihil carnale cogitetis, adeo ut etiam non ignoretis, me non de corporea carne loqui. Si vero non voluit his verbis ipsorum errori consulere: ergo integrum reliquit eis errorem. Imo nos, quo pacto sciemus an isti erraverint necne, cum tam adperta nota, quam tu a nobis requiris, ab eis stet, quaque Romanenses multis iam seculis usi sunt, nempe: *Caro mea vere est cibus?* Quid oro certa nota dici debet, si illa non est? I vero nunc et adime istud: Caro non prodest quicquam! Quibus ergo machinis extorquebis, ne illud: *Caro mea vere est cibus*, non accipiatur de corporea carne? Postremo cupio ex te scire, quandoquidem ista verba: *Caro non prodest quicquam*, negas superiora spectare: num putes carnem Christi corporaliter devoratam aliquid prodesse? Si prodesse dicas: non habebis aliud verbum quo id confirmes, quam: Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam

aeternam. Duae igitur nobis proponuntur ad beatitudinem viae: una qua Christo fiditur; altera, qua caro eius corporaliter editur. Vide ut hac responsione in duplicem incidamus errorem. Prior est, quod dicta verba: *Qui manducat meam carnem* etc. adulteramus; alter quod corporaliter edentibus vitam pollicemur. Si vero Christi caro comesa nihil prodest, cur tantopere digladiamur? Quo tandem, oro, ista verba servamus? Ne igitur, amice mi, tales latebras taliaque quaeramus effugia; quae veritatem non modo obscurant, sed etiam hostibus produnt. Nunc ad tuam epistolam redeo. Quid ni fortissimum est? si caro non prodest quicquam. Ergo in his verbis: Hoc est sanguis meus, tropus inest; sive *est* ponitur pro significat. Tu vero cum hanc arcem non posses conscendere, invertisti mihi argumentationis meae ordinem. Non enim sic incedo: *Est* ponitur pro significat. Probo, quia *caro non prodest quicquam*, ut tu ponis; sed ad hunc modum: Caro non prodest quicquam. Ergo ista verba Christi: *Hoc est corpus meum*, tropice dicta sunt. Quem tu ordinem nullis cuneis, nullis machinis perrumpere potes. Ac deinde tropum explicamus non nostro ingenio, sed administra scriptura. Rides etiam me magnum Theologum, qui tam abest ut Theologi nomen unquam ambiverim, ut nonnunquam cum fastidio legam hosce titulos: Doctor aut Professor Theologiae, in istorum libris, qui fortasse Theologi sunt. Num *doctoris* nomen putas denegaturum fuisse Romanum pontificem, qui mihi Tigurum obtulit,[1] quod alii, Romam per omnia pericula infinitisque sumtibus petendo, non inveniunt? Ignoras quam mihi tenuia et angusta omnia contigisse probe agnoscam: alioqui huic laedoriae pepercisses. Quod autem nunc rides, flebis aliquando. Vae enim vobis, qui ridetis, quoniam flebitis. Complorandus eram, non ridendus, si sic errabam. Carolostadium meum facis; quo consilio, tu videris! Ego enim sic mecum reputo: Si Carolostadius malus vir est, cur eum iste tuum facit? Contumelia carere non potest, cum te illi iungit, de quo male sentit, atque ignotum etiam. Si vero bonus vir est, ut hercle multi putant, cur tam misere proscinditis? Itaque fit, ut quocunque me vertam, audacia te liberare non audeam; sed donata est tibi a nobis iam dudum. Istud quoque *επιφώνημα*: Tu nihil prodesse dixeris, unde est vita mundo? non in loco torsisti. Nos enim, quo plane ac insigniter testaremur Christi carnem non prodesse modo, sed etiam vitam totam esse, *ὁμοιοτελεύτῳ* sumus usi ad hunc modum: Christi caro plurimum prodest, caesa non ambesa. Tu vero cum haec tam stridula non audis, ferme adducor, ut te putem somniare.

Testimonia, quae adducis ex scriptura, non infitior, hinc sumta sunt, ubi locus iste communis de sensu carnis a divinis hominibus tractatur. Verum quid ista ad hanc rationem faciunt, quam hic inis? Producenda erant testimonia, quibus hic locus: *Caro non prodest quicquam*, adsereretur ad tuam rationem facere. Quum vero id non possis, facis nihilum quod potes: vicina quaedam adducis et quod ad voces adtinet cognata, imo eadem; re ipsa diversa. Quapropter eorum causa

1) Conf. Ep. Adriani Papae VI ad Zu. 23 Ian. 1523. cum nota 2.

de ratione nostra nihil subduco: *κίβδηλα* sunt, si huc torqueas. Iam sententiam tuam aut *ψήφισμα*, quo sic pronuntias: Quod vero nos Christi voratores et carnivoros vocas, blasphemia est, laetus audio. Tametsi blasphemulum agnoscam, quod carnivoros vocaverim, qui certe carnes, istic ubi putant, non edunt. Hoc tu cum domi sentias, nimirum blasphemum adpellasti, quod vobis tribuam quod nec creditis nec sentitis. Antea vero quam grammatica ex te audiamus, precamur, o magister bone, ut horum verborum, quae commodum praemisisti, non obliviscaris. Ea sunt: Nam non lacteramus Christi carnem, sed panem edimus, et in pane verum corpus Christi. Opus enim est nobis, ut grammatica hic argute doceas. Nam quae hactenus a grammaticis didicimus, non possunt iure haec verba Christi: *Hoc est corpus meum*, in ista transformare: In isto pane editur corpus Christi. Oportet te indubie vehementer grammaticum esse, si neges panem esse corpus aut carnem; attamen credas in pane te carnem edere, cum Christus nullatenus dixerit: Edite panem hunc! nam in eo edetis corpus meum; sed: *Hoc*, quod scilicet praebebat, est corpus meum. Magister bone, ostendite nobis consimiles locos in scripturis sacris! Sed ne intempestive in re seria ioceer, ad te, o Pomerane, adpello, ut pronunties utra verborum Christi expositio sit violentior, tuane, qua dicis: Panis est panis; sed in pane editur corpus Christi, an nostra, quum dicimus tropum esse in his verbis: Hoc est corpus meum; et tropum sic explicamus: Hoc *est*, nempe symbolum, figura vel *ἀντίτυπον* est corporis mei, quod pro vobis traditur.

Nunc videbimus grammatica tua, alteram scilicet partem epistolae tuae. Pomeranus: „Potus benedictionis cui benedicimus (vulgo quem consecramus) nonne communicatio sanguinis Christi est? id est: communicatio qua communicatur sanguis Christi, et distribuitur tibi, mihi, aliis, ut iste thesaurus distribuatur et fiat nobis communis“ etc. Vide hic ante omnia mi Pomerane, ut nihil dicas, etiamsi iste quem adfers verborum Pauli sensus esset! Potum enim et panem videres corpus et sanguinem adpellari, quae symbola modo sunt harum rerum, sicut Gen. 17. testamentum vel pactum adpellatur circumcisio, quae foederis modo signum fuit quemadmodum in Subsidio nostro videre potes.

Sed iam tua ista grammatica perpendamus, ut sole clarius ostendamus, te ista grammatica, quibus hic est opus, penitus ignorare. Primum quum hoc: *Cui benedicimus*, sic exponis: „vulgo quem consecramus.“ Oro te, ut patiaris nonnihil attingi tuum istud: *vulgo quem consecramus*. Quis est iste vulgus? Non sic interpretatur Ambrosius, non Athanasius, neque ullus veterum. Erasmus sic habet: Nonne poculum illud sacrum, quod nos in memoriam mortis Christi cum actione gratiarum sumimus et consecramus, consortium arguit, quod pariter sanguine Christi sumus redemti? Vides hic Erasmum priore huius expositionis parte *benedicere* pro gratias agere, Theophylacti sui omniumque veterum more, accipere, non pro consecrare; nisi pro eo capiat, quod est *in unum coalescere*. Tametsi id verbi *consecramus* adiecit, sed adeo negligenter ac postèriore loco, ut taedium facile reluceat. Quod ergo vulgus sic exponit? Nam utra

expositio e mente sit Erasmi, nullo negotio vides. Vulgus illud nimirum, quod iam iam in Aegypto ad allia cepasque reliqueramus — hoc, inquam, repetimus ac, ut dicitur, ad glandem redimus. Memineris et secundae partis Erasmicae expositionis, ubi sic ait: Consortium arguit, quod pariter sanguine Christi sumus redemti.

Nunc secundo loco lucernam adferemus, qua liquido perspicias ubinam in his verbis haereas. *Communicatio* isto loco non accipitur passive (licebit enim et nobis magistraliter loqui, quum te videamus tua veluti auctoritate istorum vocibus non modo uti, sed etiam niti), quomodo tu exponis (videlicet pro distractione ipsa corporis et sanguinis Christi: id quod tibi unica erroris est causa); sed pro *nobis*, qui sumus corpus Christi, puta ipsius ecclesia, populus, concio, communio, et ut iam Erasmus dixit, consortium. Unde fortasse *κοινωνίαν* rectius *communionem* quam communicationem interpretemur: nam communicationis vocem arbitror errori occasionem praebuisse, quod putaverimus Paulum per eam Christi distractionem intelligi voluisse. Unde ista verba, *τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας ὃ εὐλογοῦμεν οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ χριστοῦ ἐστί;* commodius sic verterentur: Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, nonne communio sanguinis Christi est? Ut sit sensus: Poculum gratiarum actionis, quo gratias agimus, quid quaeso aliud est quam nos ipsi? Nos enim quid aliud sumus, nisi ipsa communio, ipse coetus et populus, consortium et sodalitas sanguinis Christi? Hoc est, ille ipse populus, qui sanguine Christi ablutus est. Et sanguinem Christi eos vocat, qui eius sanguine fidunt. Sicut alio loco circumcisionem eos vocat, qui spiritu deo serviunt (Phil. 3: 3), sic et hoc loco communio sanguinis Christi sunt, qui in eadem celebritate gratulantur et exultant se Christi sanguine in libertatem adsertos esse. Hunc nativum Pauli sensum esse confirmabimus, tam ex eius verbis, quam veterum intellectu. Si argumentum recte consideremus quod hic Paulus tractat: cogemur hunc sensum esse fateri. Deterret enim ab idolorum cultu. Quod longe vehementius fit, quum dicit: Vos multo alius nobiliorque coetus estis, quam qui debeat cum idololatrarum caterva coire, quam si diceret: Vos communicatis carnem et sanguinem Christi; quapropter non debetis communionem contrahere cum idololatris in eorum sacris. Sunt enim Pauli ferme omnia, non modo gravissima, sed etiam tempestivissima ac decentissima. Quis autem non videt multis modis esse validius ac praestantius, cum dicat: Cum rememorationem sive gratiarum actionem celebratis, nonne iam communio sanguinis Christi estis? nonne Christi concio et populus? quam si solummodo diceret: Cum sic benedictum panem editis, nonne Christi corpus distrahitis? Proximus iste sensus non satis deterrebat ab idolorum cultu (semper enim inveniuntur, qui sibi licere putent utroque pede claudicare); at superior velut torrens omne doli artificium simul tollit, cum dicit: Vos estis communio sanguinis Christi. Haec de argumento. Verba vero ipsa sic robusta sunt atque artificiosa, ut immerito obscuritatem ullam suspicemur. Cum enim sic post ista verba: Nonne communio sanguinis Christi est? protinus adiungit: Quia unus panis et unum corpus multitudo sumus: omnes enim de uno pane par-

ticipamus: rationem reddit, cur dixerit eos, qui hanc gratiarum actionem repetunt, communionem sanguinis Christi esse; imo exponit, quasi dicat: Nemo miretur quod hanc panegyrin celebrantes communionem sanguinis Christi adpellavi! nos enim omnes unus panis sumus et unum corpus. Ecce unum panem, unum corpus, non carneum Christi, sed ecclesiam. Nunc qui fiat, ut unum corpus simus, una communio, unus panis, simul exponit, cum dicit: Omnes enim de uno pane participamus. Quod si Paulus, incomparabilis Christi orator, eam sententiam tenuisset, ut carneum Christi corpus edendo in unum corpus coiremus, iam in ipso epilogo, et causae expositione non dixisset: Omnes enim de uno pane, sed de uno corpore participamus. Nunc vero cum dicat, ea ratione nos esse unum corpus, panem, communionem, qua de uno pane participemus, manifeste docet panem esse symbolicum. Quum autem quidam in plebe sic tumultuentur: Si Christus noluisset hic carnem suam edi, non fuisset in re tam ardua usus tropo, sed plane locutus esset: nihil aliud nisi seditiosos ac impostores animos produnt. Quasi vero Christus in summa rei Christianae non sit usus tropo: Tibi dabo claves regni coelorum; et: Faciam vos piscatores hominum; et: Nolite ferre sacculum aut peram; et: Caro mea vere est cibus. An enim loci isti non sunt summi? attamen usus est tropo, dicuntque Iuris consulti titulum esse de oblatione clavium. Eam si magistratus aliquis, civilis scilicet futurus, contemneret, ac dum eas Caesari offerret, diceret: Haec clavium oblatio significat nostram, rerumque omnium deditionem, nonne ludibrio se exponeret? Ita infinita sunt, tam in rebus quam actionibus, nedum in sermonibus, quae citra symbolum aut tropum nec fiunt nec dicuntur. Quod ad auctores adtinet, non fugit te, vel una ista voce συνάξεως veteres exprimere voluisse, hac panegyri totum corpus Christi, hoc est eius ecclesiam, coagmentari, non corporis praesentia (quomodo enim eius commemoratio fieri posset, si ipsum praesens esset?), sed symbolici panis oblatione, hoc est communicatione. Prisci enim tum se offerre definiebant ac litare, cum simul convivarentur. De Eucharistiae nomine alias satis dictum est. Est in hac sententia Augustinus quoque Tractatu 26. in Ioannem, ubi sic ait: Norunt fideles corpus Christi, si Christi corpus non negligant esse. Et paulo post: Hunc itaque cibum et potum *societatem* vult intelligi *corporis* et membrorum suorum, quod est sancta ecclesia etc. Lege quaeso totum istum sequentemque tractatum et invenies, non novum esse errorem, quod defendimus; sed κοινὸν ἔρμῆν, quod dicitur, cum veteribus. Nec minus oro, ut in Pontificiis decretis de consecr. dist. 2. caput: *Quia passus est*, legas; et aliud quod paulo post sequitur: *Prima.* Cuius nos Beatus Effingerus,[1] bonae spei apud nos Senator, nuper admonuit, supra modum admiratus quorundam clamores, quum idem, quod docetur publice, in decretis Pontificiis habeatur. Tantum de hoc Pauli 1. Cor. X. loco. Tu interea diligenter expende, quae Oecolampadius de veterum sensu prodidit! Nam quum dicis, alioqui fieri nequire, ut unus panis edatur

[1]) Hotting. Hist. Confoed. I. 427.

Vratislaviae et Vittembergae, nihil dicis: nam neque idem panis est quem tu cum coniuge tua edis; sed fidei sensu idem symbolum edimus, cum is idem est, etiamsi panis diversus sit, cuius causa omnes fideles edunt. Illud de testamento, nempe quod hoc sit remissio peccatorum gratuita, recte dicis. *Bάλλ' ὕτως.* Sed mox a via decidis, cum calicem testamentum facis, cum nec sanguis Christi testamentum sit, sed sanguis testamenti, id est sanguis quo testamentum confirmatum est. Tropus igitur est, cum vel sanguis Christi vel calix gratiarum actionis testamentum adpellatur; de qua re plura in Subsidio nostro.

Reus erit corporis et sanguinis, ais Paulum dicere, non: Reus erit panis et vini. Crassulus es, veniam da, ad intelligendum tropos. Sive enim corpus et sanguinem pro corporeis istis accipias, sive pro ecclesia, non vult Paulus aliud, nisi Christi institutum prodi ab eo, qui non ea mente accedit qua oportet. Cur enim Paulus hoc de corpore carneo diceret, quum eius argumentatio tota in hoc sit, ut a societate idololatrarum arceat, eos qui sunt Christi corpus? Christi autem institutum est gratiarum actio et corporis sui conglutinatio: qui enim in ista gratiarum actione sunt, membra se esse unius Christi corporis testantur. Totum ergo hoc produnt, qui vel non integra in Christum fide se gratias tamen agere simulant, vel qui contenta Christi ecclesia meretricis, hoc est idololatrarum, membra fiunt. Nobiscum sentit Ambrosius, 1. Cor. XI. super his verbis sic loquens: „Quid est autem reos esse, nisi poenas dare mortis domini? occisus est enim pro his, qui beneficium eius in irritum ducunt.“ Lege simul Athanasii Commentarium in hunc locum, et videbis an putaverit hic carnem edi. Commodum admonet nos hoc loco Myconius tuorum. Lege igitur et tua quae in psalmum CX scripsisti. Isti non distinguunt corpus domini, qui inter ecclesiam Christi, et scortum idololatriae deditum discrimen nullum faciunt, vel qui hic non aliter accubant quam in sacrificiis idolorum. Quiritas: quid hic facturus est Zuinglius? cum hic nullum *est* habeatur. Id quod prius feci. Tropum dico esse ferme quicquid Hebraei, Christus, Paulus, Apostoli loquuntur. Quos quidam cum minus vident, omnia deliris mysteriis exquirendis, imo fingendis reddunt obscuriora; cum apud istos non sint pauciores omnigenae eruditionis deliciae, quam apud Graecorum principes. Silvam praebuisse te Ioanni Hesso communi amico nostro putas; sed qualenam aedificium inde sit excitaturus, iam videt. Nisi *silvam dedisse* velis pro *aleam iecisse*, *sumere*, vel prò *in arenam provocasse;* quo quidam tua verba trahunt, non ego, faciuntque te Achillem, nos Hectora, cum uterque fortasse sit ad hanc personam gerendam imbecillior; nos gregarium vix militem agnoscimus. Non audiamus, mi Ioannes, has studiorum factionumque voces! Nam haec sententia nostra sic firmis vallata est praesidiis, ut non modo Achilles unus, quem te nimirum non facis, sed ne mille Hercules quidem eam expugnare queant.

Habes ad omnia tua, quae in hanc epistolam tumultuarie congessisti, nostram sententiam. Quod si quis contentioni velit indulgere, nos hanc consuetudinem non habemus. Syncretismus nobis sic hactenus servatus est, ut cum videremus multos de Purgatorio, de Intercessione divorum,

de Confessione susurronia, de Clavibus, de templorum statuis, et Eucharistia non usque adeo dextere sentire, nullius tamen erroreum nominatim attigerimus. Quod si vel tu vel alius quis omnino mecum certamen inire cupiat, equidem vehementer hoc si fieri potest deprecor; sin minus, veritate tectus sic pugnabo, Christo spectatore et adhortatore ut non aërem petisse videar. Moneo quoque tam te quam alios, ut ab isto pessimo convitiandi more temperent, ne vitilitigatores citius quam veri perquisitores esse videamur. Scripturis est nobis gerenda res rationibusque fide scripturaque fultis, non tribunitiis clamoribus; habebimus nihilo minus satis hostium et clamosorum qui nos explodant; etiam dum ipsi sumus moderatissimi. An Roma tacebit? an principes isti, quos iam dudum accepti evangelii pudet? Nos ergo veritatem incontaminate tractemus, ut cum princeps huius mundi diabolus veniat, nil quicquam in nobis habeat. Non potest ex integro Antichristus profligari, nisi et hoc errore labefactato corruat. Spectemus veri ante omnia faciem, non auctoritatem hominum, quae nihil valere debet, ubi veritas illuxit. Vale, ac omnia boni consule. Nos enim et hoc quod Hieronymi verbis erroris magistros appellasti cum aliis contumeliis boni consulimus. [1] Ex Tiguro. 23. die Octob. MDXXV.

---

[1]) *Michael Cellarius* quoque, praedicator Augustae Vindelicorum ficto sub nomine scripsit (Hospin. Hist. Sacram. 2, 40. a) contra Bugenhagium, libellum huius tituli: „Responsio ad doctissimi D. Io. Bugenhagii Pomerani, Pastoris Vitebergensis, litteras, quas doctissimo D. Hesso magistro Vratislaviam misit de sacramento, a Conr. Rysseno Budae data." Excerptum proferimus unum locum: „Lutherus ipse praecipit, ubicunque in Scriptura naturalem intellectum adsequi possimus, ne minus naturalem anquiramus. Vos autem capessitis innaturalem iniussu adeoque invita Scriptura, et contenditis, Iesum hanc vocem: Hoc est corpus meum, interea dum porrigebat, edidisse. Coniecturam facere licet, discipulos partim iam comesa habuisse sua frusta, quum hoc diceret. Nam eos edere iussit, antequam pronuntiaret, hoc suum corpus esse. Nec vero unum quodque frustum suum corpus esse dixit. Cur Petrus, quid hoc sibi vellet, non interrogavit, de levioribus rebus Matth. XV. sciscitari solitus, ac Thomas Io. XIV. Apostoli tamquam panem comederunt. Nusquam Christus dixit, suum corpus in panem inseri, aut panem verti suum in corpus, sed sui memoriam hoc ritu obiré discipulos iussit.

# HULDRICUS ZUINGLIUS FRANC. LAMBERTO AC OMNIBUS QUI IN FIDE SINCERI SUNT FRATRIBUS ARGENTORATI FIDEM DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI VEL PRAEDICANTIBUS VEL CONFITENTIBUS

Haec epistola Zuinglii Argentoratensibus respondit, qui per litteras non semel sciscitati erant, qua ratione aliquot partes evangelicae doctrinae Tiguri tractarentur. In lucem prodiit inter Epistolas Oecolampadii et Zuinglii 30 b — 35 a cum inscriptione minus definita: Huldricus Zuinglius fratribus N. dilectis. Simmlerus autem epistolam exscripsit ex autographo cum emendationibus parvis nonnullis, ab ipso Zuinglio interspersis.

Gratiam et pacem a Domino precamur. Cur tam diu, carissimi fratres, a scribendo temperaverim, hinc factum est, unde vulgo excusationes petunt: tabellio nullus, cui tuto credi potuisset, adfuit; adfuerunt simul occupationes tot, ut etiamsi tabellio adfuisset, vacuus tamen abire esset coactus. Sed interim alii istis excusationibus nonnunquam utuntur verisimilibus; nos autem nunquam non verissimis. Est tamen quo me soler: hoc videlicet, quod vos scio sic esse singulari cum eruditione tum pietate praeditos, ut naufragium vobis penitus nullum metuam. Eruditio manifesta est orbi; pietas autem vel hoc uno argumento mihi perspecta est, quod tam sedulo inquiritis, quo quidque consilio fiat apud nos, de quibus non admodum falso auditis, quod ad nostram ecclesiam attinet, eas structuras, quae contra Deum excitatae sunt, non usque adeo infeliciter destrui: ac domum Domini super lapidem angularem auspicatius instaurari; quanquam procaciter obstent ἀλλόφυλοι — ut nostris cum vestris consiliis collatis eo facilius et expeditius in opere Domini verseminі. Quod quid aliud est nisi ardens caritas? quae quantum in se est hoc unum spectat, ut opus Dei inoffense promoveat. Nam nos qui tandem sumus ut tantis Hiramis et Beseleelibus praescribamus, quo pacto debeant regulam tendere? Sed hoc habet pietas, ut etiam cum fides inconcussa est certissimaque, nihilominus velit cum fratribus conferre consilium suum, ut eo minus quisquam vel offendatur, vel eum a quo proficiscitur consilium in suspicionem arrogantiae trahat. Est et alia causa, quod saepenumero fit, ut qui paulo longius absunt a nobis, paulo etiam sincerius consulant, quam qui

apud nos versantur. Ita enim in multis offendimus omnes, ut haud difficulter in odium nostri rapiantur quidam, qui propius habitant: partim nostra culpa, dum ad nostra vitia connivemus et ad aliena perspicienda lynces superamus; partim istorum, dum ipsi in evangelio gloriam nullam, cuius tamen maxime cupidi sunt, parare queunt, eam tamen aliis aut non quaesitam aut legitime partam invident. Sunt enim quorum in evangelio gloria tanta est, ut mori potius velint, quam ecclesiam permittere in dimicationem ullam incidere, e quibus est Paulus. Sed ea profecto gloria verus Dei cultus est. Sunt contra, qui, ut est hypocrisis inevitabile malum, hoc ipso gloriam quaerunt, quod alterius gloriae invideant. Ac dum gloriae contemtores videri volunt apud alios, domi eius cupiditate contabescunt. Hos, inquam, si in consilium advoces, parum fideles fuisse sero tandem deplorabis. Unde fortasse nonnunquam propter falsos fratres e longinquo adsciscendus, qui huic morbo succurrat puriusque consulat. Sive ergo pietas et humilitas est, quod ad nos quaedam refertis; sive prudentia: ne hic perpetuo immoremur, quae iam tribus epistolis interrogatis, hac lege accipite, ut ubicunque regulam coelestis sapientiae, quae fides est, incautius inciderimus, intrepide admoneatis. Non enim nos latet, quam hactenus candide inter nos mutuo verbum tractaverimus, commissumque non sit, ut alteri alteris ulla ratione, in explicando verbi sensu, dum alicubi erraretur, pepercerimus. Prima epistola sic quaesitum est: Num liceat magistratum incredulum ad legis opera impellere hypocrisinque docere. Nos ad eam quaestionem breviter dicimus: Si magistratus infidelis est, periculum est, ne legem audiat. Hi enim soli verbum Dei audiunt, qui ex Deo sunt. Qui ergo ex Deo non sunt, verbum eius non audiunt. Porro lex quid aliud est, nisi verbum Dei? nam de divinis nunc loquimur legibus. Magistratus ergo si fidelis non est, legem Dei non audiet. Perpetuo igitur praedicanda est fides, ut ea fundamentum fiat, supra quam aedificetur lex. Sed quid hic dico, fidem legis esse fundamentum? inusitatus est hic sermo. Nemo offendatur! verum est quod dicimus. Nam fides nisi adsit, frustra legis cantilenam canes, ut iam patuit, quia ii modo pastoris vocem audiunt, qui sunt ex ovibus eius. Legem vis a quoquam recipi? dpce fidem ac ora Deum, ut ipsum trahat! alioqui littus arabis. Hoc tamen interim observamus, ut propter fidelium varietatem simul legem ac fidem praedicemus. Sunt enim quidam adeo segnes, ut ni simul legis calcaribus expergefiant altius stertant; quamvis a fide non sint alieni, quales Apostoli fuerunt, quum aliquando a Christo ὀλιγόπιστοι vocantur, cumque fidei suae infantiam agnoscentes obsecrant: Domine auge nobis fidem! Neque hoc alienum est a veritate, quod qui sic torpent adhuc inter infideles numerentur; quamvis alii interim sic ferveant, ut quovis tempore ad rem recte gerendam emicent. Non enim eadem mensura dat Deus spiritum, et patrocinatur mitis ille Christus cuidam lino, quod fumum, non flammam reddebat, ne extingueretur, spem haud dubie nobis faciens certam, ut aliquando invalesceret, adeoque incendium fieret, qui prius fumulus erat. Tales si fortasse habuerimus magistratus, simul (quod bubus facimus) hortandi sunt et pungendi. Fidei scilicet rationem constanter docendi sunt et legis aculeo excitandi. Si dicas

fide potius excitari quam lege: non erras nec a nobis dissides. Sunt enim et inter milites qui metu excitantur, ut stationem servent: sicut contra qui animi fortitudine. Sic qui fide extimulantur, fortium similes sunt; qui lege, meticulosorum. Vide quantum referat, eisdem verbis diversas sententias referre; et contra diversis sermonibus eandem sententiam. Ipse me hercules haud facile dixero, utra pars alteram inter Christianos supputet; eane quae fide sic fervet ut calcaribus non egeat, an ea quae fidem quidem habeat, sed per imbecillitatem carnis assidue friget. Fides igitur sic perpetuo firmanda inculcandaque erit, ut lex tamen nusquam amittatur qua fides delectatur (Beatus enim, qui in lege Domini meditatur die ac nocte); ubi vero fides algeat aut desidet, extimulatur. Nam quod hactenus de lege omnes diximus, quod terreat, sic verum est, ut eos modo terret qui Deo fidunt: nam impii dum in profundum peccatorum, ut Salomon inquit, veniunt, contemnunt. Lex dei si quenquam terret, cum terret, qui hunc deum suum esse confitetur cuius legem audit, creditque hanc ipsam legem a Deo esse, Lex igitur nusquam omittenda, nusquam negligenda est; sed hac ratione, ut studium eius quod lex iubet ex fide oriatur. Hoc ipsum Christus quoque innuit, quum per scripturas aperit, in nomine ipsius oportere poenitentiam et remissionem peccatorum praedicari in omnes gentes. Poenitentia vero hic nascitur, ubi homo sibi ipsi displicet; tunc autem sibi displicet, cum se ipsum agnoscit. Hoc autem per legem fieri necesse est: per legem enim cognitio peccati. Redeo nunc. Fidem enim nunquam non praedicabimus et legem propter tardos nunquam omittemus; sed ita ut gratiae Dei sit quicquid agitur, non virium humanarum eio. Quod si quidam magistratus omnino sunt impii, ut, pro dolor, hac tempestate quidam omnem omnium impietatem superant, nulla ratione suadeo, ut ad sola opera ducantur. Nam illi, quandoquidem ἄθεοι (animines) sunt, nunquam sic inducentur ut faciant, ut vel Deo placere velint vel hominibus. Non Deo: nam ἄθεοι sunt. Non hominibus: nam ubi timor Dei non est, ibi tyrannis regnat, quae dum potest nocet, imo ubi non nocet illic metuit non Deum, sed homines. Attamen hoc nos in usu habemus, ut eos magistratus, quos plane cernimus esse impios, sic protrahamus, ut eorum impietas omnibus perspecta fiat: sed in eum tantum usum, ut caveri possint utque servetur, quantum in nobis est, pax: ut sunt haec tempora. Neque inter eos Christum tuto praedicamus, qui ipsum se nosse adserunt, sed factis negant. Semper debemus eis hoc ipsum exprobrare, quod se fideles esse videri velint. Nam impii etiam istud in ore habent: Ego fidelis sum, ego a fide nequaquam excidi, ego scio quid credere debeam etc. re tamen ipsa nihil distant ab eis, qui Deum ignorant. Hoc autem quid aliud est, quam excitare ac impietatem a factis arguere et illam in lucem protrahere. Isto pacto non modo magistratus, sed omnem simul ecclesiam tractandam esse autumo, sed omnia tempestive. Nam quantum putas eum esse in oculis Domini sui, qui commendato famulitio cibum in ipso tempore dederit? Tanta res est momentum et tempestivitas, ut eam Christus observandam duxerit. Dicet aliquis, quonam pacto aut quousque tempestivum sit vel parcere vel adoriri? Respondeo: Quomodo iubet caritas; et quousque

illa iubet parcere et quando iubet aggredi, sic omnia sunt agenda. Nam *ἡ χάρις οὐκ ἐκπίπτει*, id est: nusquam errat, nusquam fallitur aut friget, nusquam cessat: tale enim puto esse *ἐκπίπτειν*. Secunda quaestio haec fuit, an liceat magistratus inducere, ut eos, qui evangelium non praedicant, aut dum praedicant non vivant, deponant. Nam quendam obstrepere huic sententiae dicitis, qui putet eos sic esse ferendos, ut Israëlitis Amorrhaeos, et Cananaeos reliquosque. Nos sic respondemus: nunquam defuturos esse Iebusaeos ac Pharisaeos, etiamsi isti, qui verbum cauponantur, exauctorentur. Filii huius mundi erunt, quamdiu erit mundus. Quod natum est ex carne, caro est. Dicis: Multi erunt, qui carnis ingenio freti filiis Dei obstabunt. Metum hac in re omnem ponamus! Exauctorandos ergo eos censet Christus, non nos. Sal si acrimoniam suam amittat: ultra nil prodest, sed abiicitur. Vos estis sal terrae. Ergo abiiciet magistratus Christianos eos, qui sal non sunt. Quod si magistratus hoc non faciat: faciet ecclesia, in qua hoc sal stolidum est. Nos sine intermissione instamus apud magistratum, ut eiusmodi abiectiones verorumque doctorum inaugurationes facere velit, ne nos eorum desidia, Senatus dico, cogamur ad ecclesiam referre, ea quae Christiani nulla ratione ferre debent. Iubet Christus a falsis prophetis cavere. Quis nunc tam excors est, ut cavere sic intelligat: Audite eos perpetuo, etiamsi falsi sunt; sed cavete ab illorum doctrina! Corrumpunt enim mores bonos colloquia prava. Neque est ut quispiam dicat: Christus Matth. 23: 3. docuit, ut secundum illorum doctrinam vivam, sed ab exemplo abhorreamus. Nam illic de illis loquitur, qui recte fidem docebant, sed non recte vivebant. Hic de istis loquimur, qui verbum ipsum vitiant, currunt, et Dominus eos non misit. Absterret nos deinde Dominus ab impudentia; cum eum, qui sic palam peccat, ut ecclesiam offendat, certa ratione praecipit a caulis suis esse separandum, ac tamdiu abstinendum, donec taedeat flagitii. Porro, quod maius scandalum potest in ecclesia nasci quam verbi vitium? Quod autem de lolio in medio tritici nato adferunt, certe ad doctrinam non attinet: nam ne ad gravia quidem peccata attinet, quae sine fronte perpetramus (Christus enim illa mandat abiectione mulctari); sed ad ea modo, ad quae Christiana caritas propter carnis imbecillitatem, cuius nos omnes conscii sumus, connivere potest. Quod si abiiciendus est, qui facto offendit, nulla certa ratione ferendus est qui prorsus corrumpit. Id autem si faciat Christianus magistratus: fortasse tranquillius etiamnunc cedet, quam si ecclesia aliqua faciat. Sive ergo iste sive ista faciat: omnino videndum est, ut effectum detur: nam si manus rescindenda est et abiicienda, dum corpus vitiat, multo magis oculus, cor, imo caput ipsum detruncandum est. Tertia quaestio fuit, sed in posterioribus epistolis: Liceat ne ei, qui patrui sui defuncti uxorem duxerit, eam citra ecclesiae scandalum tenere. Quid ego hic dixero, quum ipsi caritatem in consilium advocandam esse videatis? Ea, dulcissimi fratres, oro sic perpetua magistra utamini, ut ab ea nullam in partem discedatis. Placet nihilo minus eius fratris sententia, qui legem de non ducenda patrui uxore intelligit, vivo patruo non retegenda esse verenda uxoris eius. Atque ut brevibus expediam, quid me usus in eis Levitici 18: 14.

praeceptis spectare coegerit: sic capite! Invenietis in eis legibus gradus quosdam, in quibus dispensationem omnino nullam fieri videmus; contra invenietis in quibus videmus. Primus est: Quae caro tua sunt, perpetuo non tanges, ut sunt filius, ac ex liberis eius nepotes; frater item ac soror. Carnem autem tuam hoc loco non sic accipies ut isto loco accipitur: Et erunt duo in carnem unam. Uxorem enim hic non carnem tuam appellat, sed eos qui vel tecum in eodem utero nati sunt, vel ex quibus tu proxime natus es, vel qui ex te nati sunt. Matrem ergo, sororem, filiam ac ex natis tuis nepotes nunquam connubio iunges, quia caro tua sunt. Secundus gradus est, in his qui eorum sunt qui caro tua sunt: eas non revelabis, ut sunt nurus, noverca: est enim uxor patris tui qui caro tua est; quamvis noverca caro tua non sit, sed neque isto loco patris caro vocatur. Est ergo huius gradus lex: Uxorem eius qui caro tua est, non reteges. Sed dispensatur in isto secundo gradu; videlicet: cum frater moritur ἄτεκνος, id est, orbus, licet superstitem fratrem posteritatem excitare fratri mortuo; et uxore mortua licet eius sororem uxorem ducere. Sic enim habet exceptio: illa vivente. Verumtamen haec dispensatio post legem promulgatam tunc solummodo facta est, quum vel frater vel uxor mortua fuit. Tertius gradus est in his quae uxores sunt eorum qui non caro tua sunt, verum eorum quorum caro tua. Caro sunt, ut patruus non appellatur caro tua; quoniam quod ad propagationem attinet, nihil de illo ad te venit; sed appellatur patris tui caro. Eius autem uxor non est carnis tuae uxor, sed carnis patris tui est uxor. Unde videtur propter publicam honestatem interdictum tibi esse ab eius contactu; videturque istud impedimentum, ut vocant, publicae honestatis quo iurisperiti sunt usi, nomine hinc defluxisse. Si nunc in secundo gradu facta est dispensatio, tum tandem cum frater aut uxor essent mortui: quanto magis in tertio, cum is esset mortuus, cuius causa per verecundiam non licebat eo vivente ad uxorem eius intrare. Sed occurrunt nobis duo inexplicabilia: unum, quod lex de non tangenda uxore fratris hanc interpretationem legis non admittit. Nam alias notum est, quod vivente fratre vel patruo non licebat eius uxorem attingere propter adulterium: patet enim, ut lex huc tendat, ut mortuo fratre aut patruo non liceat eius uxorem attingere. Ad hoc dicimus, nobis omnino videri hanc esse sententiam legis. Nam Levitici XVIII. nihil exigitur, unde et dispensationem legis appellavimus hoc sequentis fratris connubium. Causam igitur adesse oportet, ubi dispensatio postulatur; sed multo magis caritatem, quae dispenset. Sic, tamen ante legem Iacob sorores duas habuit, quod fortasse hoc modo, quod lex nondum lata esset, abs quovis excusari potest. At nihilominus offendunt factum prius, quod tamen Domino placuit, unde et pro iudicato habetur, et lex quae post secuta est. Nam haec ex diametro dissentiunt: Duas habere sorores uxores, et: Duas sorores uxores simul ne habeto! Hic caritas omnia placat: dictat enim, quantacunque tandem ratione quaeque facta sint, recte facta esse, eo quod Dominus fieri praeceperit. Est ergo dispensatio legis, cum frater fratris uxorem sibi iungit. Alterum, quod ii gradus quos facimus, rem totam non explicant: nam ex fratre neptis duci non potest, et tamen caro mea

non est secundum istos gradus. Respondeo: Neptis carnis tuae et fratris vel sororis caro est. Unde et tum dicebamus de propagatione, de qua nihil ad nepotem veniebat a patruo, multo minus ab uxore patrui. Habuimus autem in gradibus, quod quae caro sunt eorum, qui caro tua sunt, interdictae sunt. Sed in his praestat esse pium, quam argutum; caritate potius fervere, quam argutiis et contentione. Recte autem videmini censuisse, dum per caritatem nepoti patrui defuncti uxorem pronuntiastis non esse adimendam. Haec si cui placent, amplectetur; sin minus, contemnat! Nos enim etiam ista proferentes arguti videri nolumus; sed firmum fundamentum, quod in caritate Dei stat; hoc pacto contra contentiosos munimus ac tuemur. Quarto requiritis nostram sententiam de ceremoniis duabus, baptismo et eucharistia, quas solas nobis Christus reliquit. Dicam, sed ingenue de utraque. Primum autem de baptismo. Contulimus de baptismo duabus vicibus cum quibusdam fratribus, feliciter quidem quod ad pugnam attinebat ac discessionem. Nam anxie obtestabamur nos mutuo, ut omnia ad caritatis normam ageremus; verum quam probe id factum sit, viderint ii, qui sic tum praedicant, tum instant, infantes non esse baptismi aqua tingendos, ut bona pars Christianorum contentionis eos et contumaciae insimulet. Baptismum initiationem esse, tam eorum qui iam crediderunt, quam qui credituri sunt, facile patet literas sacras paulo dexterius tractanti. De iis qui iam crediderunt, nulla porro est controversia, quin baptisari possint; de aliis vero multo maxima. Sunt enim, qui abominationem vocent atrocissimam, impietatem manifestissimam, facinus audacissimum et quicquid bilis atra suggerit, si quis, Christianus etiam, infantem recens natum aqua tingat. Ac dum ex scripturis ea quae subiiciemus opponis, nihilo magis moventur, quam si betam aut malvam opposuisses. Quod autem baptismus eis etiam datus sit, qui credituri erant, Io. 1: 26. clarissime patet. Cum Ioannes baptista rationem Iudaeis redderet, quanam auctoritate baptisaret, sic inquit: Ego in aqua baptiso; medius autem inter vos stetit, quem vos nescitis. Is ipse est post me venturus etc. Ioannes ergo in eum baptisabat, quem vulgo adhuc ignorabant. Neque patet hic elabendi rima, quod Ioannes haec verba eis solummodo dixerit, qui ad se miserant, sacerdotibus et Levitis: quod scilicet ipsi Christum ignorarent. Nam paulo post addit: Post me venit vir, qui ante me factus est, quia prior me erat, et ego nesciebam eum; sed ut manifestetur in Israël, propterea veni ego in aqua baptisans. Hic videmus palam, Ioannem in eum usum abluisse homines, ut eum qui post se venturus erat, non in mundum (nam annos iam natus erat triginta); sed in hominum cognitionem, omnibus manifestaret: dicit enim se ideo baptisare, ut Christus Israëli manifestus fiat. Quod Lucas Actis 19: 4. sic explicuit: Ioannes baptisavit populum baptismo poenitentiae, dicens de eo qui venturus erat. Baptisabat ergo in Christum, qui adhuc venturus erat. Ac ne obscurum cui videatur quod adferimus, talis erat baptismus Ioannis, ut qui eius verbo, quo securim radici iam inflictam clamabat, ac se vocem esse adserebat quae in deserto venientis Christi admoneret; ac eum qui post se venturus erat tantum esse pronuntiabat, ut eius soleas non esset dignus tangere; simulque

eum ipsum esse agnum, qui pro omnium delictis perlitaturus esset, promittebat — qui, inquam, eius verbo credebant, iam poenitentium se socios faciebant, quos ipse tum aqua tingebat, ut eos veluti sacramento isto adstrictos venienti duci suo adscriberet et eos tandem beatos ille redderet. Ioannes ergo sic baptisabat, ut ad venientem Christum mitteret. Baptismus ergo Christi cognitionem antecedebat. Nam inter Ioannis Christique baptismum nullum prosus discrimen facimus. Nam quibuscunque verbis uterque fieret, idem tamen symbolum aut sacramentum erat. Quin hoc negligendum esse non arbitror, quicunque etiam ab Apostolis baptisati sunt post ipsam Christi cognitionem, eos tamen, si vita defuneti essent, ad patrem non fuisse profecturos, antequam Christus moreretur ac resurgeret. Signum ergo venientis salvatoris baptismus fuit Apostolorum etiam, quem salvatorem adesse quidem ante oculos videbant; sed si qui priusquam ipse moreretur vita excessissent, etiam si sexcenties tincti fuissent, salvatorem Christum non experiebantur, tametsi salutarem firmiter crederent, donec victor mortis resurgeret. Adde, quod si Apostoli iam inde ab initio baptisati sunt, ut omnes praesumunt, in venturum Christum baptisati sunt, duplici causa: una, quod Deum vix tandem a mortuis resurgentem recte cognoscerent; altera, quod resurrectio nondum facta erat, cum aliquando baptisarentur. At tamen baptismus eius adsimulatio est: consepulti enim sumus cum Christo per baptismum etc. His omnibus hoc solummodo probare voluimus, quod baptismus etiam iis datus sit, qui crediturі aliquando erant; et in eum usum baptisati sunt, ut Christum postea discerent: id quod isti extremam impietatem esse quiritantur. Sed nunc dicam, quibus scripturae locis fretus putem infantes esse baptisandos. Oportet autem in discutiendis opinionibus certum aliquem locum adduci, in quo id quod sentimus clare adseratur. Sic igitur brevibus accipite! Circumcisio signum fuit praecedentis fidei Rom. 4; 11. Sed tamen reddita est infantibus octiduanis, quorum fides multos post annos sequebatur. Baptismus omnino successit in locum circumcisionis; ergo baptismus perinde atque circumcisio reddendus est eis, qui post crediturі sunt. Quamvis ea ratione ut infirma elementa prius auferas, hoc est loci, personae, temporum, generisque circumstantias. Hic omnia nuda sunt et aperta praeter mediam propositionem; videlicet, quod baptismus sit Christianorum circumcisio. Ea apud Paulum Coloss. 2: 11. tam aperte ponitur, ut non possit magis, ubi sic inquit: In quo etiam circumcisi estis circumcisione non manu facta, dum exueritis corpus peccatricis carnis in circumcisione Christi, dum cum illo estis consepulti in baptismo. Quod ad huius loci sententiam attinet, obscurum non est, quid hic Paulus velit; nempe hoc, quod qui Christi facti sunt, nova creatura sunt etc. Sed ad propositum redimus. Quid quaeso clarius dici potuit, quam quod circumcisio Christi tum sit in nobis perfecta, cum simus in baptismo sepulti cum eo etc. Christi ergo circumcisio, verbi Dei auctoritate, non Romani pontificis, infantibus detur, sicut et circumcisio Abrahami. Iussit autem Christus, ut Apostoli sinerent parvulos ad se venire: nam talium esse regnum coelorum; et amplexus est eos. Si ergo quis vetat, eos in nomine patris, et filii et spiritus

sancti baptisari, certe vetat eos ad Christum venire. Hi qui obstrepunt sic reclamant: Iussit quidem ad se adduci infantes Iesus, sed non legimus, quod baptisaverit eos; non ergo baptisandi sunt. Quibus contra sic occurritur: Christus neminem baptisavit: sic enim habes Io. 4: 2. Ipse quidem Iesus non baptisabat, sed discipuli baptisabant in nomine ipsius. Sequeretur ergo, ut nemo esset baptisandus; quod quam sit iniquum, nemo ignorat. Interim talium est regnum coelorum. Nunc cum audiamus Petrum sic in domo Cornelii, posteaquam vidit eos spiritum sanctum accepisse, pronuntiare: Quis vetat hos aqua tingi, qui aeque atque nos spiritum sanctum acceperunt? licebit nimirum et nobis sic dicere: Quandoquidem infantes Dei sunt, quis vetat eos aqua tingi? Hic iterum exiliunt dicuntque Christum dixisse *talium*, non horum; unde potius illic esse locutum de iis qui sunt infantium similes, quam de ipsis infantibus. Nec vident obstare quod sequitur: Et amplexus est eos, et imponens manus super illos benedicebat eos. Quos? credo istos qui erant infantium similes. Sic semper habet contentio quod dicat, etiamsi ignoret quid dicat. Christus hic simul et infantes tanquam suos amplexus est, manibus attrectare dignatus ac bene precatus, et ab eis ad nos transiit; quod nunquam non facit, a corporalibus et visibilibus ad sublimia nos erigens. At unum velim isti mihi dicant: Quorsum fides tendat, citra quam negant unquam baptismum dari debere. Dicent haud dubie: Huc, ut quandoquidem fide certi sumus nos Dei filios esse, dum hic vivimus, ad exemplum Christi innocentissime vivamus, ut cum ipso regnemus tandem. Innocenter ergo vivere et humiliter vivere Christiane vivere est? Est. At Christus hanc sive humilitatem sive innocentiam ab infantibus docet esse discendam. Apparet ergo infantes hoc iam esse quod nos fieri studemus. Si ergo nos Dei sumus, qui ad mensuram infantium innocentiae haud leviter pervenimus: manifestum est Christum non solum per similitudinem esse locutum de iis qui sunt infantium similes, sed de ipsis infantibus. Nam inducit nos ad illorum exemplum, tanquam ad archetypum. Quod si imago Dei est: quanto magis archetypus Dei est? Dum ergo infantes Dei sunt, quis vetabit eos iuxta Petri verbum aqua ablui? Tradit et Paulus 1. Cor. 7: 14. liberos eorum conjugum, quorum alter modo fidelis sit, sanctos esse; et usitatum est Paulo eos vocare sanctos qui fideles sunt. Si ergo liberi ex uno Christiano parente nati inter sanctos, id est, fideles recensentur: quis vetabit eos aqua tingi, qui iam sancti sunt, ac ipsum iam sunt quod nos fieri studemus? Quamquam sunt qui putent, Christianorum liberos hic ea causa vocari sanctos a Paulo, quod liceat cum eis habitare: id quod alioqui minus licuisset, si immundi fuissent; id est: omnino ex incredulis nati. Quorum ego sententiam, ut bona venia dicam, nondum sequor: nam hoc supercilium Iudaicum non habebant, qui ex gentibus ad Christum conversi erant, quales Corinthii certe fuerunt, ut ab eis tam pertinaciter abhorrerent, qui infideles essent. Nam et in idolothytis cum illis usque ad offensionem comedebant. Quod autem illic paulo ante dictum est: Sanctificata est incredula uxor per maritum credulum, iterum non videtur huc esse trahendum, ut sanctificatum intelligas pro mundo, paroque redditum carnali munditia; sed quod saepe

factum est, ut incredula uxor sit per maritum credulum fidelis reddita. Nam post etiam dicit: Quid scis, o uxor, an sis maritum servaturn? Porro servare non potest homo hominem. Loquitur ergo de conversione ad fidem. Sed etiamsi donemus hunc esse sensum, aut si fortasse sit hic huius loci sensus: certe alia erit conditio eius, qui natus est ex Christiano, infantis, quam eius, qui ex incredulo; sed alia conditio eius non erit, si a fide resiliat. Manebit ergo in praestantiore conditione, si in fide educetur. Nunc autem ab initio dictum est, eos qui fidei adhuc candidati essent aqua tinctos esse; quales ab Ioanne baptisati fuerunt et Apostoli ipsi, nisi negemus eos nunquam esse baptisatos. Licebit ergo eos infantes qui ad fidem educantur non minus aqua tingere. Nunc brevibus eos nodos expediemus, quos adversa pars obiicit. Primus est: Nunquam legimus Apostolos abluisse infantes. Cum ergo et verbum et exempla desint, non sunt abluendi. Respondeo: Verbum non deest; sed vos verbum non recipitis; nempe, quod baptismus circumcisio nostra est illa exterior. Nam utraque circumcisio nostra est. De circumcisione autem externa loquimur, quae nihil est nisi intus simus circuncisi; et contra de circumcisione interna quicquid loquimur, adhuc est externa circumcisio, quae internam signat et externa internam antecessit. Sic et de baptismo loquendum est: nam et Paulus sic de eo loquitur. Sed nec exempla desunt, ut in superioribus patuit de Ioanne, in venturum Christum tingente. Adde quod Paulus baptisavit Stephanae domum, 1. Cor. 1, et custodem carceris cum omni familia sua, Act. XVI, in quibus verisimilius est infantes fuisse quam defuisse. Item verisimilius est, quosdam in familia etiam adultos fuisse qui fidem non usque adeo absolute vel nossent vel haberent; sed dominum omnes secuti sunt. Secundo sic obiiciunt: Apostoli dum baptisarent, prius fidem eorum quos tingebant explorarunt. Respondeo, interim percontationem hanc esse factam, interim vero minus. Mendacium ergo inculcatis auribus simplicium, cum dicitis ab Apostolis semper fidem exactam esse. Quod autem perpetuo non exegerunt, Christi exemplo factum est, qui aliquando eos quos curaturus erat de fide interrogavit, aliquando neglexit. Matth. IX. interrogavit caecos duos, qui petebant ut se illuminaret, an crederent quod hoc posset; eumque respondissent sese credere: voluit ut pro fide ipsorum eis contingeret; et confestim restituta est eis lux. Io. autem IX. caecum a nativitate illuminat, qui prorsus eum ignorabat. Nam postea cum esset obvius factus, interrogavit eum: Tune credis in filium Dei? Respondit: Quis est Domine, ut credam in eum? Hic signum fidem antecessit. Simul et hoc considerandum est, Iesum eorum fidem respexisse, qui de tecto paralyticum demittebant, ut eum sanum redderet. Tertio hunc nodum obiiciunt: Qui crediderit et baptisatus fuerit, salvus erit; qui autem non crediderit, condemnabitur. Fidem ergo praecedere oportet: alioqui non minus frustra baptisabitur quisquam corvus. Respondeo: Id verbi infantibus adaptari nequit. Nam paulo ante praecessit: Praedicate evangelium omni creaturae. Iam sequitur: Qui crediderit, audito scilicet evangelio. Cum autem infantibus nec praedicetur nec audiatur: manifestum est, eos hac sententia vel maxime non teneri; sed eos modo qui praedicari audiunt, deinde credunt aut

sunt, ad eos ipsos. Qui apud nos primo recepti sunt, a Senatu vel artificiis discendis locantur, si iuvenes sunt; vel ad extrema alentur, si vetuli, qui nihil amplius discere possunt. Servatur in omnibus caritas. Salutat vos Leo, Myconius, Megander, Henricus Utingerus, qui hanc copiam in usum vestrum descripsit; Ioannes Aulaeus qui alteram. Epistolam ea lege servate, ne excudatur; ac si excudi vultis, significate. [1] Servet ecclesiam suam Christus! Tiguri, 16. die Decembris 1524. Constantes estote! videbitis auxilium Domini super vos.

---

1) Eam ipse Zuinglius edidit Mart. 1525.

# DE PECCATO ORIGINALI DECLARATIO HULDRICI ZUINGLII AD URBANUM RHEGIUM

Hoc scripto respondetur litteris Rhegii ad Zuinglium, quae nobis ad edendum reperire non licebat. Rhegius adduhitabat nonnihil doctrinam Zuinglii de peccato originali, quod idem eodem tempore per epistolam ad Ambrosium Blarerum Constantiensem 14. Ian. 1526. scriptam satis fortiter quoque elocutus erat: „Zuinglium abesse Thermis (i. e. a Disp. Badensi) doleo. Vicisset enim semel universos Papistas, excepto peccati originalis negotio, quod impure admodum tractare videtur. De coena Domini, etsi possit coargui, ab illis tamen pseudotheologis vinci plane non potuisset.“ Neque hoc scriptum ipsi omnino satis fecit in epistola Sept. 28. 1526. (Epistoll. l. p. 554, sq.) verenti, ut non Zuinglius Origeniasmi accusaretur, qui scrupulos eximere Rhegio tentavit 16. Oct. 1526 (Epp. I. 529—551.)

Huius scripti editionem tantummodo unam singularem notam habemus, cuius in fine hoc indicium reperitur: „Tiguri quinta decima die Aug. Anno MDXXVI. Tiguri ex aedibus Christophori Froschoveri.“ Numero sunt 42 paginae 8. Hic liber receptus est in Opp. Zuingl. II. 115 b — 122 b. atque inter Epp. Oecol. et Zuingl. pag. 54 b — 61 b.

URBANO RHEGIO [1]
APUD AUGUSTAM VINDELICORUM EVANGELII MINISTRO
HULDRICUS ZUINGLIUS

Gratiam et pacem per Iesum Christum Dominum nostrum. Quum admodum nuper Epistolam [2] ad nos dares non satis longam, etiamsi longissima esset, Urbane doctissime, eo quod et tam erudita novitate exuberaret et nihil obscure demonstraret, quam nihil sis offensus epistola nostra, quam ei coniugavimus, in qua cum Billicano de eucharistia non

[1]) Videsis de hoc viro Epp. Zu. I. 68, 69. [2]) Quam quidem reperire non poteramus.

inimice puto agimus: [1] non potui tamen interim, etiamsi nunquam non anxie cupiverim, ad ea respondere, quae silentio praetereunda nequaquam duco. Tam improbe urgent occupationes, imo Erinnys istae, quae dissidium ubique incendendo dignas Dioscuris aliquando poenas dabunt. Nunc vero pauxillum succisivi temporis nactus, aut si verum dicere non pudeat, furatus, pro virili, si non satis, at aliquid saltem facere annitar ad eam quaestionem, quam in epistola versas. Non enim solus praeter solitum nos putas de humanae generationis contagione tum sentire, tum scribere: sunt enim et alia magna nomina, qui idem existimant. Ipse vidi certorum epistolas tam ad nos, quam ad alios missas, quorum alii, sententiam nostram dilucidius exponam, orant, alii amicis cavent, ne in ruinam se a nobis trahi patiantur. Nimis tamen prudenter utrique, ne dicam curiose. Quibus enim haec quaestio tam perspecta est, ut nobis declaratione opus esse putent, ista sua tam luculenta protinus in medium adferre debebant: dissentimus enim nonnihil ab his, qui hactenus videntur rem istam acu tetigisse; quibus autem rursus tam periculosa videtur nostra sententia, ut amicos ab ea ut caveant monendum ducunt, omnes monere, aut saltem nos ad expositionem, quemadmodum priores, adducere. Efficiam ergo Christi ope, ut omnes liquido videant, quae nos de hac re breviter quidem, sed clare diximus, ea non temere, neque citra sacrarum literarum auctoritatem dicta esse; e diverso autem multis multa in hac re dicta esse, quae parum firmitudinis in scriptura vere sacra habeant. Quid enim brevius aut clarius dici potuit quam originale peccatum non esse peccatum, sed morbum, et Christianorum liberos propter morbum istum non addici aeterno supplicio? Contra vero, quid imbecillius dici potuit et a canonica scriptura alienius, quam baptismi lavacro hanc calamitatem levari, penuria vero illius intentari; et non tantum esse morbum, sed etiam reatum? Sic ergo, Urbane mi, credito nos ideo concise ac perfunctorie in libro de Baptismo et Catabaptismo istud argumentum tractavisse, quod alioqui liber in immensum cresceret. Constitueramus enim iam tunc, si usus postularet, prolixius et exactius omnia retractare. Spes enim erat paucis istis debellatum iri: sunt enim hac tempestate ingenia usque adeo felicia, ut si levem occasionem praebeas aut ansam, subito ad ipsum fastigium pervaserint; sed sunt interim animi candidioris alii aliis. Negamus saepenumero nos capere quae nolumus. Pudet ignorantem fuisse videri. Obliviscimur nonnunquam tam dei quam nostri: *illum* impossibile esse quicquam latere, *nos* omnia nosse. Tu vero, veritatis mysta candidissime, ad hunc modum nos, ut ad rem tandem veniamus, accipito! Conveniemus ante omnia de nominibus istis *peccatum* et *morbus*. Deinde morbum ipsum finiemus conabimurque ei nomen proprium invenire, ac ostendere quomodo et quos damnet. Tertio loco ostendemus, ei non alio pharmaco succurri posse, quam sanguine Christi filii Dei. Tam abest, ut Christum evacuemus. Isthic quoque pervestigabimus, num aliqua re alia, quam isto sanguine, puta baptismi lavacro, malum averruncari possit.

---

1) Vid. ad Theob. Billicani et U. Rhegii epistolas responsio H. Zuinglii.

Peccatum proprie accipi, neminem fugit arbitror, aut pro *admisso*; sive per negligentiam, sive per incogitantiam, quod Graeci *παράπτωμα ἀπὸ τῦ πτάιειν*, Latini Theologi delictum a delinquendo vel negligendo, Hebraei חטאת vocant; qualia fere ista sunt, a quibus neminem perhibet immunem esse divus Ioannes; et Christus adsiduis precibus expiare iubet ac dicere: Dimitte nobis debita nostra! Quotidiana enim cum sint velut adsidui stimuli urgent pium hominem et ad sui delectionem et culpae deprecationem. Aut pro eo *facinore*, quod quis post maturam deliberationem atque consilium sciens vidensque commisit, incurritque quod Graeci *ἁμαρτίαν*, eo quod contra conscientiam, si Origeni credimus, fit; Latini autem scelus vocant, crimen aut flagitium. Qua specie latrocinium, homicidium, bellum, voluntaria quidem ista, proditio patriae, inusitata libido, venale iudicium, oppressio innocentium, et id genus portenta malorum continentur: qualia fuerunt peccata Davidis, Ahabi, Iudae.

Morbi autem vocabulo hic non utimur ad iuris consultorum normam, qui eum, teste Gellio, a vitio hoc intervallo discriminant, quod hic temporarius sit, illud perpetuum, sed quatenus cum vitio coniunctus est eoque perpetuo; ut cum genti alicui translatitium est balbutire, caecutire, podagra laborare. Quod malum naturalem defectum solemus Germanice ein natürlichen Bresten adpellare; quo nemo vel peior, vel sceleratior existimatur: non enim possunt in crimen aut culpam rapi, quae natura adsunt.

Sic ergo diximus originalem contagionem *morbum* esse, non *peccatum*, quod peccatum cum culpa coniunctum est; culpa vero ex commisso vel admisso eius nascitur qui facinus designavit. Exemplum do: servum nasci misera conditio est, non culpa eius qui sic nascitur neque crimen: qui enim nascitur nondum quicquam admisit aut commisit. Si ergo dicat quis: At maiores eius commiserunt, ut in servitutem redigerentur tam ipsi quam ex sese prognati; ergo crimen fuit ex quo culpa, quam deinde servitus ceu mulcta sive poena secuta est. Recte sane! Hoc ipsum volo: culpam originalem non vere, sed metonymice a primi parentis admisso culpam vocari; esse autem nihil aliud nisi conditionem, miseram quidem illam, at multo leviorem quam crimen meruerat. Sicut enim bello capti, trucidari impune cum potuissent, per gratiam ac misericordiam hac lege servati sunt, ut serviant cum tota posteritate: sic humani generis auctor *παναλεθρίαν*, hoc est, internecionem meritus, dei bonitate in exilium relegatus mortique addictus est, quo non modo ab amoenissimo exularet horto, sed etiam a iucundissimo divini vultus aspectu, angelorum quoque laetissimo contubernio. Quae deinde calamitas posteritatem quoque invasit. Nequit enim aut mortuus vivum parere aut ingenuum servus. Adamus igitur, cum ex aequo mortuus esset ac exul, de se generare non potuit, qui vel vivus in conspectu Dei esset vel civis aut heres rerum coelestium, a quibus penitus exciderat. Iam Pauli testimonio, quod dicimus, confirmabitur. Qui Rom. V. sic ait: Regnavit mors ab Adamo usque ad Mosen in eos quoque, qui non peccaverant ad eum modum transgressionis qua Adam. His verbis manifesto adparet, Adamum quidem patrasse crimen,

cui mortis tam late mulcta infligeretur, ut toti posteritati adhaeresceret; sed eos, qui ex hoc nativo vitio postea moriebantur, non eo modo peccaverant quo Adamus. Morbus ergo iste ac vitium, primi parentis culpa inflictum, infecit sobolem, non soboles se ipsam. Cum ergo peccatum adpellatur in scripturis: per denominationem hoc fieri constare jam satis arbitror. Unde quum tu quoque, doctissime Urbane, Pauli testimonium adducis, Rom. VII. Iam non ego operor illud, sed inhabitans in me peccatum; atque ostendis Paulum quoque morbum istum plus quam sonticum peccatum adpellavisse, quaerisque mox, cur non ipse quoque peccatum vocari patiar, quod Paulus, quod omnes sic vocaverunt: merito quidem tunc interrogabas. At nunc, spero, plane vides nos non de nomine contendere, sed rem ipsam voluisse paulo clarius ac significantius producere. Permitto igitur tibi ac omnibus, ut si quibus satis non sit hanc calamitatem peccatum vocavisse, scelus quoque, crimen ac flagitium adpellent; verum hac lege, ut morbum, vitium aut conditionem moriendi eis vocibus intelligant atque immodicam istam ad se amandum propensionem, de qua postea. Neque obstat, quod divus Paulus iterum Rom. III. ait: Omnes peccaverunt: eodem enim modo *peccandi* verbum metonymice ponitur; ut sit sensus: Omnes in hac misera conditione sunt, ut primi parentis culpa gloria dei destituti sint. Hactenus arbitror inter nos esse transactum, aut si mavis pactum, ut ipse vitium hoc humanae generationis *peccatum* vocari patiar; tu vero eo vocabulo conditionem ac mulctam intelligas, vitiataeque naturae calamitatem ac miseriam, non crimen aut culpam eorum, qui peccandi moriendique conditione procreantur.

Iam huc ventum est, ut morbum ipsum finiamus, ac ex finitione nomen imponamus, quod secundo loco dicendum recepimus. Fontem ergo mali huius si inveniemus, iam et finitionem et nomen uno eodemque saltu attigimus. Fons ergo ab ovo, quod dicitur, ad hunc modum habet. Cum rerum omnium conditor hominem, quem regem animantibus cunctis praefecerat in paradisum, tanquam in Alcinoi regiam, induceret: hac sibi lege devinxit: De omni ligno horti edes intrepide, verum tamen de ligno sciendi bonum et malum non edes: quo enim die de ipso ederis, intermorieris. Quam repente legem sic praevaricatus est. Aedificaverat summus ille artifex feminam ex una stertentis Adami costa, infelici nimium auspicio. Quid enim non audebit femina spe fallendi maritum atque latendi, posteaquam nata vidit eum tam altum dormisse, ut convelli latus non sentiret costamque eximi? Huius ingenium nactus daemon per eam statuit adoriri virum. Et quamvis callidam crederet audacemque ad omnia: recens tamen genitam vidit adhuc artium rudiusculam. Unde et versutus orator nominis ambiguitate miseram circumvenit. Cum enim deus vetuisset, ne de ligno sciendi bonum ac malum ederent; hoc sensu, ne unquam quicquam scire ex sese tentarent, sed per cogitationes omnes, per deliberationes atque consilia a se uno penderent: alio detorsit nominis rationem, huc scilicet, ut arbor inde nomen sciendi bonum atque malum invenerit, quod qui ex ea ederit jam boni malique peritissimus fieret. Deum quoque perfidiae insimulavit, quod dixisset, edentibus mortem praesentissimam imminere. Confestim

ergo coepit stulta Deum in suspicionem vocare, quasi parum candide vetuisset ex quo tantum emolimenti nasceretur, quasique imperio timeret. Lenocinabatur ad haec rara ligni species, ciebat adpetitum fructus, trahebat boni malique sciendi desiderium, ac simul contumax, laeta spebusque plena magnis irruit in pomum, simulque maritum persuadet, ut experiatur quo spes istae exeant, fausta nimirum omnia pollicita. Qui ubi non tam feminae blanditiis, quam cupiditate, cum malum bonumque sciendi, tum deo parem fiendi, superatus, fatali pomo dentem admolitus est: confestim oculos recepit, non eos quidem quos speraverat, sed quibus malorum omnium turbam, quae se manebant, unico aspectu intuebatur; ac protinus concidit. Quam ergo tandem causam tam imprudentis facti aliam esse putemus, quam amorem sui? Admirabatur se Adam, aestimabat se non indignum esse maiore, quam quod tenebat, in beluas scilicet, imperio; mentem perlustrabat, inveniebatque plurium, quam quae hactenus nosset, capacem. Imo transcensis ac superatis omnibus iudicem quendam imaginando se faciebat ac dictatorem boni ac mali. His epiphonematis captae sunt aures eius; his epichirematis concussa est de non edendo lex; his arietibus solo aequata est arx innocentiae, evenitque ter quaterque misero quod dominus praedixerat. Funditus enim periit ultima quaeque meritus, atque, ut Hebraei loquuntur, *morte* mortuus est; nisi quod dominus mediocre quid pro sua potius benignitate quam istius merito invenit, quo lapsas res fulsit. De quo in tertia parte dicetur.

Habemus nunc praevaricationis fontem, φιλαυτίαν videlicet, hoc est sui ipsius amorem; ex hac manavit quicquid uspiam est malorum inter mortales. Hac mortuus iam homo filios degeneres procreavisse neutiquam cogitandus est, non magis, quam quod ovem lupus aut corvus cygnum pariat. Sic enim Gen. V. scriptum est: Et genuit Adam ad similitudinem suam, secundum imaginem suam etc. Non ergo fuerunt liberi primorum parentum praestantiore conditione quam ipsi. Sic neque tota posteritas. Adam autem peccati mancipium factus est, legem divinam transgrediendo. Qui enim facit peccatum, servus est peccati. Eadem ergo conditione omnes ex eo nati sumus. Unde etiam fit, ut quicquid cogitemus nostra causa cogitemus, rebus nostris consulamus ac prorsus per omnia sic incedamus, ut omnia nostra esse, nobis servire, nos autem super omnia esse cupiamus. Hinc iterum dominus Gen. VI. Non digladiabor spiritu meo cum homine perpetuo: est enim caro. Caro ergo dei contemnens ac sui amans est. Ac paulo post: Et omnis cogitatio consiliorum cordis humani vana est et mala per omnem vitam eius. Iterum eadem inculcat deus Gen. VIII. Non execrabor ultra terram propter hominem: mens enim sive cogitatio humani cordis mala est ab ineunte aetate eius. Tendunt haec omnia ad huius unius probationem, quod natura vitiata sit in primo parente, quae nihil nisi se amando in omnibus peccet; nihil, si eam sibi ipsi relinquat deus, ingenuum aut liberale cogitet, aeque ac fugitiva mancipia. Est ergo ista ad peccandum, amore sui, propensio *peccatum originale;* quae quidem propensio non est proprie peccatum, sed fons quidam ac ingenium. Exemplum dedimus de lupo adhuc catulo: is per omnia lupus est quod

ad ingenium pertinet, atque is qui ferocia sua omnia mactet; attamen rapinam adhuc nullam, quia per aetatem non potuit, avertit. Venatores ergo haud plus illi parcunt, quam ei, e cuius faucibus praedam eripiunt; eo quod natura, tametsi teneri, etiamnunc eo usque eis perspecta est, ut cum maturuerit gentis suae mores sit indubie imitaturus. *Ingenium* ergo est peccatum sive vitium originale; rapina vero peccatum, quod ex ingenio dimanat: id ipsum peccatum actu est, quod recentiores actuale vocant, quod et proprie peccatum est. Quod omnium clarissime Paulus Rom. VII. paucissimis explicat: Ego, inquit, carnalis sum (En tibi carnem ex genesi ac lupi teneri ingenium), venumdatus sub peccatum (En servi conditionem, naturam corruptam, ad peccandum propensionem, et quid multa? vitium sive morbum). Quod enim operor, non probo (cognoscendi enim verbo impense utuntur Hebraei pro verbo probandi, ut Psal. I. Novit, id est probat, dominus viam iustorum et Psal. XXXVI. Novit dominus dies immaculatorum, et Num. XIV: 31. Et probabunt terram quam vos sprevistis ubi nos legimus: *et videbunt*, sed perperam: est enim ubique idem verbum ידע). Non enim quod volo id facio, sed id facio quod nolo. Cum ergo quod nolo id facio, adsentior legi quod iusta sit; at non ego operor illud (quod scilicet nolo, secundum internum hominem) sed inhabitans in me peccatum. Scio enim quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum etc. Peccatum autem in nobis inhabitans aliud non est, nisi vitium corruptae carnis, quae amore sui perpetuo concupiscit adversus spiritum. Spiritus enim rei publicae studet, caro privatae: non enim consulit sibi deus, sed a se conditis, cum ipse nullius egeat, eius omnia. Sic omnis caro, quantumcunque se bonam simulet, quatenus caro est, ad se omnia refert; si vero aliter habere apud se sentiat: iam gratum acceptumque referat deo. Manifesta sunt enim opera carnis. Caro ergo aliud est, aliud opus ipsius; non autem est peccatum caro, sed hoc quod caro perpetrat peccatum est. Caro ergo, ingenium hominis, vitium sive peccatum originale, propensio ista sunt quae concupiscit adversus spiritum. Ista vero concupiscentia absque causa non est. Quum autem nemo quicquam nisi sua causa concupiscat, relinquitur quod ista propensio ex *φιλαυτίας*, hoc est amore sui ipsius est. Cum enim Catilina sua prodigit, liberalitatis titulum ambit; cum rapit aliena, idem quaerit. Vide quam diversa ratione vitium hoc ad concupiscentias suas penetret. At brevibus: amor sui haec omnia invenit atque concinnat; ipse ergo morbus aut vitium est, ex quo tot mala velut ex equo Troiano prodeunt.

Postquam itaque malorum fontem, ac morbi vitiive nomen indagavimus: proximum est, ut, quod ad iugum huius secundae partis attinet, inquiramus, anne morbus iste mortales omnes diris aeternae mortis addicat. Ad quam quaestionem hoc praemittendum arbitror: Salus aeternae vitae, et contra aeternae mortis aerumnae, cum prorsus sint liberae vel electionis vel abiectionis divini iudicii: videntur quotquot de hac quaestione unquam disseruerunt, paulo incautius definivisse, nunc quidem infantes omnes, qui vel circumcisi vel tincti baptismi lavacro non essent, nunc vero adultos itidem omnes damnando. Quid enim aliud agit Paulus ad Romanos a nono usque ad duodecimum caput,

quam ut ostendat *electis* a deo, non hoc aut istud *operantibus*, felicitatem evenire: ipsum enim Iacobum dilexisse, Esavum vero iuxta prophetae sermonem odio habuisse, cum adhuc in penetralibus uteri materni fingerentur? Quum ergo vita aeterna eorum sit qui ad eam electi sunt a deo: cur nos temere iudicamus de quibusvis, cum electio dei nos lateat? Num enim eius fuimus a consiliis quum eligeret, ne temere imprudens scilicet in indignum incideret? Rursus quod ad eos attinet, qui ad maturam aetatem adoleverunt, cur eos imprudentes damnamus, qui externo signo initiati non sunt? Quum iterum Paulus Ro. II. eum, cuius intactum est praeputium (hunc enim *ἀκροβυστίαν*, hoc est praeputium adpellat) superare dicat atque praestare, si modo, quod lex monet, faciat, ei qui inciso praeputio gloriatur: ostendere enim legis opus scriptum esse in corde suo, quum id faciat, quod lex monet. Quis autem in cor humanum quicquam scribit deo dignum, nisi is, qui ipsum condidit, quemadmodum testatur Hieremias XXXI. Cum ergo videmus praeputium facere quod lex praecipit: cur non ex fructu arborem cognoscimus? Quid non sentimus deum legis opus in cor eius exaravisse? Si ergo impulsore deo dei opus facit, cur nos eum damnamus, quod tinctus aut recisus non sit? Praesertim quum iterum Apostolus tribuat eisdem conscientiae adcusationem vel absolutionem in die iudicii; neque uspiam scriptum sit: Qui non tingitur, damnatus est; et istud Gen. XVII. Mas, cuius praeputium non fuerit recisum, excindetur anima ista de populo suo: genti Israëliticae ideo dictum sit, ut signum istud nemo praeteriret, non ut (quocunque tandem casu acceptum non esset) hominem perderet; neque ut signum aliquid posset. Sed contingebant illis omnia in figura imponebatque deus huiusmodi ceremonias, ut rerum spiritalium quovis momento admonerentur. Requirebat ille cordis circuncisionem; ideo praecipit hoc membrum incidi, quod commodissimum adfectuum symbolum esset, ne unquam non monerentur circumcisionis internae. Volebat legem semper ob oculos in omni tum consilio tum actione versari; et ideo *φυλακτήρια* facere mandat. Huic ergo tantummodo genti, quae ex Abraham nascebatur aut cum ea victitabat, unamque cum ipsa, fidem eandem confitendo, ecclesiam conflabat, intercidebatur ne foederis signum omitterent; non quod misericors deus gratiam, spiritum aut electionem sic isti signo alligasset, ut neminem ad se traheret, quam qui isto signo insignis esset. Cum inquam (ut in viam redeam) aeterna vita nusquam sit hac lege promissa, ut nisi quis circumcisus sit aut tinctus, nullatenus sit eam adepturus: non est cur temere inferis adiudicemus, qui signis istis initiati non sunt. Haec omnia ex Pauli ad Rom. cap. II. colliguntur. Neque Christus dixit: Qui baptizatus non fuerit, salvus non erit. Ista in hunc usum argumentati sumus, ut ostenderemus toto errare coelo, etiam si sint non modo magna, sed vetera quoque nomina, qui damnationi aeternae solent adiudicare nunc Christianorum infantes, cum non sint baptismo tincti, nunc vero eos omnes quos Gentiles vocamus. Quid enim scimus quid fidei quisque in corde suo dei manu scriptum teneat? Senecae viri sanctissimi fidem, quam epistola ad Lucilium XXXIV. prodit, quis non admiretur? cum ait: Sic certe vivendum est, tanquam in conspectu vivamus; sic cogi-

tandum, tanquam aliquis in pectus intimum perspicere possit. Et potest: quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? Nihil deo clausum est. Interest animis nostris et cogitationibus mediis intervenit. Sic intervenit dico, non tanquam aliquando discedat. Haec Seneca. Quis quaeso hanc fidem in cor hominis huius scripsit? Neque quisquam putet ista in evacuationem Christi tendere, ut quidam nos insimulant: amplificant enim illius gloriam. Per Christum enim accedere oportet, quicunque ad deum veniunt. De qua re paulo post. Unde socerum Mosis ne suspicamur quidem alia via, quam quae dicit: Ego sum via, veritas et vita, ad deum pervenisse, qua et Moses et omnes venerunt. Hoc enim: Qui non crediderit, condemnabitur: nullatenus est absolute intelligendum, sed de his, qui audito Evangelio credere noluerunt. Unde infantes, et qui non audierunt Evangelium, hac lege non tenentur, sed adulti ista, an lex dei sit cordibus eorum inscripta necne: sic enim iterum stant aut cadunt domino, per Christum Iesum unicam ad salutem viam. Ista quoque lege tenentur, qui non audierunt iuxta cum infantibus. Rom. IX. ut propositum, *πρόθεσις*, sive constitutum dei, quod est secundum electionem, firmum maneat; et: Miserebor eius cui misericors ero; et: Non est volentis neque currentis, sed miserentis dei. Christus enim ipse ait: Si non venissem et locutus eis non fuissem: peccatum non haberent. Ne ergo imputetur ignoratio iis ad quos nemo venit, ut mysterium Christi praedicet! Domino stant et cadunt. Idem agit Paulus Rom. 10: 18. Neque obstat, sed a nobis stat istud: Num non audierunt? Imo in omnem terram exivit sonus eorum. Nam istud *ἀντιπίπτον* in Iudaeos torquet Apostolus: per ipsum enim adimit eis respondendi occasionem, qua ignorantiam praetexere possent: Non audivimus; non novimus. Iam orbis universus, inquit, resonat Evangelium, et vos non audivistis? Breviter: inconcussa est electio et lex in hominum mentibus scripta, sic tamen ut qui electi sunt iidemque legis opus faciunt ex lege in cor scripta, per solum Christum ad deum veniant. Hic est enim filius, cui paterfamilias nuptias adparavit multitudinemque vocavit. Quod si quis me roget, an de his pronuntiandum non sit, de quibus oracula divini verbi habemus? respondeo: Maxime. At ubi habemus hoc verbum: Omnis infans, imo mortalis omnis, qui circumcisus olim, nunc autem baptismi aqua lotus non est, inferis adiudicetur? Sed damnat hac conditione natum esse. Ad istud ergo dissolvendum iam convertimur (fuit enim huius iugi pars altera), an ingenita contagio mortales omnes diris aeternae mortis addicat.

Ad hanc quaestionem facillime respondemus primum ipsius domini verbis, quibus praedixit moriturum protinus hominem, ut de vetito fructu edisset: Edit; ergo mortuus est. Ut enim peccati mancipium factus est transgrediendo, meliore conditione liberos generare non potuit. Ex peccatore peccatores nati sumus omnes; si peccatores, ergo inimici dei; si inimici, ergo et damnati sumus. Deinde prophetarum quoque testimoniis damnamur. E quibus uno contenti erimus, Psal. 14: 2. Deus de coelo prospexit super filios hominum, ut videat num sit sapiens, qui deum quaerat. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt etc. Postremo Paulus multis tum locis tum verbis hanc quaestionem declarat,

in Romanorum epistola maxime: Sit vero deus verax, omnis autem homo mendax! Omnes peccaverunt, id est, peccati mancipia mortisque primi parentis culpa facti sunt. Quemadmodum per unum hominem peccatum in mundum introivit, et per peccatum mors: sic et in omnes homines mors pervenit, eo quod omnes peccaverunt, id est in peccato nati sunt; sive, ut alio loco dicit, sub peccatum (generationis contaminatione) venumdati sunt. Peccavisse autem ac mortuum esse pro *damnari* Paulo accipi, ipse docet, cap. 5: 18. Iudicium enim, inquit, ex uno, peccato scilicet, ad condemnationem; gratia vero ex multis peccatis ad iustificationem. Et paulo post: Ut igitur ex unius peccato in omnes homines condemnatio, sic etiam per unius iustificationem in omnes homines vitae iustificatio venit. Quod ergo ad peccati vim adtinet, damnatus est ea primus homo et qui ex eo nati sunt.

Ex hac responsione, qua concedimus peccato originali damnari quicquid eo adfectum nascitur, duplex oritur nobis obiectio. Una: cur paulo ante dixerimus non temere esse damnandos, qui circumcisi aut tincti non sint, cum aut teneri sint aut operibus ostendant legem dei in corde suo scriptam esse; at nunc ipsi omnes in universum simul damnemus. Altera vero: cur dixerimus in libro de Baptismo, peccatum originale non damnare. Ad priorem sic respondemus: Nos hactenus de ingenio atque vi peccati originalis sic locutos esse, ut quidnam esset, unde esset quaeque potentia eius, pro nostra parvitate aperiremus, quo scilicet probe cognosceremus istud de quo agitur. De remedio vero, quo morbo isti occurritur, nondum dici coeptum est. Non immerito autem damnamus eos qui, nec morbum nec remedium penitus cognitos habentes, damnant quae ignorant. Damnat quidem peccatum originale quod ad vim ingeniumque eius attinet; sed servat ac fulcit praesentissimum remedium, quod non sero nimis, sed tempestive est adhibitum. Originali morbo perdimur omnes; remedio vero quod contra ipsum invenit deus incolumitati restituimur. Carni permissi nihil quam carnalia cogitamus; spiritu divino perfusi ad coelestia erigimur. Cum de natura carnis loquimur, amissa perditaque sunt omnia, imo deplorata et desperata; cum de spiritus gratia et luce, iam laeta certis spebus florent omnia. Non est ergo mirum, si diximus, quod ad peccati originalis vim adtinet, damnari ipso omnes; dato autem remedio, quod omnia restituit, errare eos qui temere damnent omnes. Ostendemus enim remedium hoc tam abunde restituisse omnia, quam late morbus grassatus fuisset, si cohibitus non esset. De isto igitur nunc primum audito nostram sententiam, imo veritatis vocem!

Sic dixerat deus ad hominem: Quocunque die ederis, morte morieris. Sic locutus est verus ille *Ζεῦς*, cuius iussa omnia quae sunt sic propense implent, ut perdi sese malint, quam non accingi. Mortuus est igitur homo; sequi enim oportuit quod ille praedixerat. Pedetentim ergo indagemus quomodo mortuus sit! Non fatali sive carnali morte, quod impius aliquis, sed vehemens orator forsan diceret auspicatius fuisse quam genus adeo calamitosum propagari. Vixit enim postea annos plus nongentos. Aeterna igitur mors secuta est, quod ad factum ipsum et culpam adtinet; hoc est non modo fatalem, sed aeternam quoque

mortem commeruit. Quod timor et nuditatis praetextus docent. Cum enim diceret Adamus: Timui audita voce tua, quod nudus essem: timendo conscientiam prodit, quae se ipsam proditionis redarguebat, ac mortem, qua se dignam ipsa iudicabat, amore sui metuebat. Adhuc tamen audet novum praetextum fingere, ut eum fallat scilicet, qui hoc facturum sciebat hominem antequam conderet. Et: Nudus sum, ait. Quid vero istud? Nudum creaverat, nudum spectet dicere cogitaret; sed sunt haec omnia desperantis conscientiae argumenta, quae se iuste damnari confitebatur metu ac nequicquam quaesito perfugio. Habemus ergo praevaricatorem ac fugitivum, qui suo ipsius iudicio damnatus est. Nisi enim apud se fuisset damnatus, fugam non cepisset. Ibi bonitas ac misericordia conditoris, quod proviserat remedium, antequam incideret homo, profert. Meritus erat iste iusto dei iudicio aeternam mortem peccando; statuerat ille iustitiam suam placare morte filii sui, qui peccare non potest, ut simul iustitiam, simul misericordiam eius clarissime disceremus. Misericordiam, cum proprium filium pro collapso dependeret homine. Iustitiam, cum tanto pretio redimit: vilius enim istam placari non potuisse ostendit. Mansuetudinis ergo viam, ut nobis exemplum nihil temere, aut ex commotione agendi praeberet, sic ingreditur: Subitam mortem vertit in diutinam calamitatem; e Paradiso, ubi ἄσπαρτα omnia nascebantur, in contumacem ac immorigeram humum relegat, ut quod uno momento subeundum erat longo labore hauriret. Hoc enim ad disciplinam attinebat. Aeternam autem mortem quum non inveniret quo redimeret (quae enim in visibili mundo, erant inferiora homine; quae in invisibili, inferiora erant eo pretio, quod requirebat sacrosancta iustitia): proprio filio eam redemit. Id autem tempestive, quod quidam olim propheta (an enim Christianus poëta propheta non est? Propheta, inquam,) cecinit: Ipse lignum tunc notavit, damna ut ligni solveret. Mox, ut summa sapientia vidit hominem ligno naufragaturum: ligno quoque obiecto, cui niteretur, statuit in littus reducere, promittitque ex femina nasciturum, qui publici hostis caput conterat: huius enim insidiis imprudentes perierant. Quod parum fideliter promisisset deus, si eius victoriae fructi nihil ad Adamum rediturum fuisset. Quid enim quam dolorem augere viro potuisset, scire venturum esse liberatorem, sese autem non fruiturum?

Intellexit ergo Adamus, semen hoc non posteritati tantum, sed sibi quoque salutare futurum; attamen temporis articulum, quo venturum erat, ignorabat. Quod utrumque his testimoniis probatur, Gen. 4: 1. Cum Heva Cainum genuisset, dedit ei hoc nominis, sic fata: Possedi hominem sive virum cum deo, sive per deum. In quibus verbis tanquam in speculo videntur feminae vota. *Possedi*, inquit, hoc est inveni, nacta sum, aut adquisivi (id enim valent Hebraica: Nacta sum, inquam) *virum* — istum scilicet, quem deus sub nomine seminis promiserat, *cum deo* sive *per deum*, hoc est dei bonitate. En tibi sententiam, quam habebant de promissione dei! En simul momenti ignorantiam! putabant iam tum adesse, qui post annorum tantum curriculum vix tandem venit. Eodem libro 5: 28, 29. videmus in Lamecho vota eadem. Cum enim natus esset ei Noachus: Hic, inquit, praestabit

nobis requiem operum ac laborum manuum nostrarum, itidem arbitratus eum esse qui promissus erat, eo quod et decimus esset, et mille iam anni a condito mundo praeteriissent. Hic pius homo bis, attamen innocue, falsus est: non enim aderat tempus, neque is erat qui promittebatur, sed eius tantummodo typus, ut Petrus testatur. His omnibus hoc unum agimus, ut ostendamus promissionem, primis mortalibus factam, ab eis observatam fuisse, etiamsi brevibus verbis hoc expeditum sit; et eam spem aut fiduciam, quam in semen hoc habebant, eos non esse frustratam. De qua re tertio loco dicemus paulo clarius. Hic eatenus horum gustum praebuimus, quatenus excusandum fuit, quod aliis a iudicando cum interdicamus, ipsi pronuntiemus. Non enim negamus damnationem secuturam fuisse omnium, qui ex tam contaminato fonte prodiissent, nisi dei bonitas malo occurrisset. Id autem ubi factum est: sic nimirum decidenda erit quaestio, ut quantum peccatum potuisset in damnationem confiteamur; ac quantum ei virium ademtum sit remedio isto, quod deus praebuit, itidem agnoscamus.

Ad alteram obiectionem sic respondemus, nos nunquam absolute dixisse peccatum originale non posse damnare. Sic enim in libro de baptismo testatus sum, me solummodo de Christianorum natis loqui, quod istos culpa originalis damnare non possit: quod liber ipse duobus locis palam testatur. Unde non parum admirabar tragica ista: Videtis, quo Zuinglius eat in quaestione peccati originalis? et: Quid is nisi Christum evacuat? Id autem non alia causa adiecimus, quam quod de Christianorum natis certi sumus, eos peccato originali non damnari, de aliorum non itidem; quamvis, ut ingenue fatear, nobis probabilior videtur sententia quam docuimus: non temere pronuntiandum esse de gentilium quoque natis, et eis qui opus legis faciunt ex lege intus digito dei scripta. Hanc ergo conclusionem, Christianorum natos originali non damnari morbo, ad hunc modum confirmamus.

Eorum, qui ex Christianis generantur parentibus, aequa est conditio cum illis, qui ex Abrahamo prognati sunt. Sed istos non perdebat originalis morbus; ergo nec illos, nostros dico, perdet morbus iste. Primam propositionem sic probamus: Quorum eadem est ecclesia, eorum eadem est conditio; non aliter, quam eorum, qui eiusdem sunt reipublicae, fortuna quoque eadem est. Una autem atque eadem est ecclesia, quae ex Gentibus Iudaeisque compingitur. Una igitur eademque conditio est. Horum testimonia passim in scripturis, atque adeo ubertim invenies, ut diutius in eis exponendis immorandum non sit. Christus ipse testatur se lapidem angularem esse, qui utrumque parietem coniungat Matth. 21: 42. Iterum dicit, unum pastorem esse et unum ovile; iterum eandem vineam; paremque cultoribus mercedem definit, etiamsi bona pars eorum serius venissent. Iterum ait: Venient ab Oriente et Occidente, et recumbent cum deo Abrahami, Isaaci et Iacobi. Ergo nos istis coniuncti sumus, non ipsi nobis. Iterum dicit: Pacem domui Zacchaei venisse, eo quod sit filius Abrahami. Paulus in Romanorum epistola cap. XI. perhibet istos ideo exectos, ut nos insereremur. Ad Galatas cap. 3: 7. Qui ex fide sunt, inquit, hi sunt filii Abrahami. Ibidem: Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abrahamo.

Petrus idem docet 1. cap. 2: 10. Si ergo una est fides Abrahami et nostra (perinde enim ille fidebat deo per semen quod ei promissum erat, atque nos, quam quod nunc praestitus est: cui isti promisso tantum fidebant? Unde clarum fit, unam est amborum ecclesiam. Erit ergo ecclesiae huius eadem quoque sors et conditio.

Secundam autem propositionem, videlicet quod originale peccatum non addixerit aeternae damnationi eos, qui secundum promissionem nati erant ex Abrahamo, sic firmamus: Iacob erat dilectus a deo antequam nasceretur; non ergo potuit eum originale peccatum damnare. Sic Ieremias, sic Ioannes, alii. Si dicas hoc nihil ad hanc rem facere, sed ad electionem pertinere ac praedestinationem: recte sane! Ergo ex electione est beatitudo et gratia, similiter abiectio; non ex signorum sive sacramentorum initiatione. Sed festinemus ad apertiora! Gen. 17: 7. sic alloquitur deus Abrahamum: Statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te, in generationes eorum, foedere sempiterno, ut sim deus tuus et seminis tui post te. Si ergo seminis Abrahami deum se pollicetur futurum: iam semen damnari non potuit propter culpam originalem; loquitur autem de semine, quod ei secundum promissionem nascebatur. Nam quorum deus est, inter hos et ipsum constat amicitia; si constat amicitia, nulla intervenit propter nascendi conditionem damnatio. Quicquid autem de semine secundum promissionem dicitur: idem de nobis, qui Christianis parentibus nati sumus, intelligendum est. Nos enim secundum Isaacum promissionis filii sumus, Galat. 4: 28. Iam ex signi initiatione patet infantes Hebraeorum non fuisse damnatos propter peccatum originale. Signum enim circumcisionis signum foederis fuit. Sic enim habetur isthic Gen. 17: 10—12. Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos et semen tuum post te.. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, et circumcidetis carnem praeputii vestri, ut sit in signum foederis, quod est inter me et vos. Infans octo dierum circumcidetur in vobis. Omnis mas in generationibus vestris, tam vernaculus quam emtitius, circumcidetur etc. Haec verba paulo uberius posui, quod multa in eis contineantur utilia, non tantum ad praesens argumentum; sed ad praesentem quoque tempestatem, quae omnia brevibus ostendam. Primo videmus hic pactum sive testamentum adpellari symbolum testamenti, circumcisionem. Cur ergo tantopere digladiamur de poculo coenae gratiarum actionis, quod sit testamentum, cum Christus non alia ratione vocaverit testamentum, quam hic circumcisio testamentum adpellatur? Metonymicos scilicet: transfertur enim signati nomen ad signum. Sic panis corpus, vinum sanguis per denominationem adpellantur, quod symbola sint harum rerum. Est autem Hebraeis ante alios mos creberrimis uti tropis: est enim lingua eorum, ut angusta, ita troporum densitate augusta: velut enim cogit linguae parsimonia ad troporum vim converti. Quid operam damus linguis, cum denuo huc revertimur, unde pontificios deturbavimus? Isti tropos non admittebant, cum tu diceres tropum esse: Qui manducat meam carnem; et: Caro mea vere est cibus; sed sic importunabantur: Verba sunt clara, sunt simplicia, sunt sacramentis ecclesiae conformia. Si nunc ipsi ad eum modum de his verbis: Hic panis est corpus meum,

vociferemur: Tropum nolumus, verba sunt simplicia, plana, sacrosancta, dilucida: nonne similes horum reddimur? Imo cur tantis viribus obstitimus, ne ista longe clariora: Caro mea vere est cibus (habet enim notam *vere*) ad literam exigerent, cum nos isto loco: *Hoc est corpus meum*, idem agamus quod ipsi pontificii? Sed de hoc alias. Neque enim hic locus est uberius, quam antea fecimus, de isto metonymiarum Hebraicarum genere dicendi. Secundo videmus idem signum vocari signum foederis, quod iamiam pactum adpellatum erat. Tertio est signum eius foederis, quod erat inter deum et Abrahamum. Ergo infantes quoque erant in foedere: dabatur enim eis signum, ut esset indicio eos perinde esse in foedere atque Abrahamum. Igitur et nostri non minus sunt in foedere quam isti: nos enim sumus promissionis filii, ut ex Galatis paulo ante diximus. Quarto circumciduntur etiam vernaculi atque emtitii, unde familiam quoque videmus adnumerari patrono sive domino. Quod vehementer Catabaptistas male habet; sed non spectant liberam electionem dei, et salutem putant cum pontificiis alligatam esse symbolis.

Paulus sic habet Gal. 4: 26. Superna vero Hierusalem libera est, quae est mater omnium nostrorum. Haec mater alia non est quam Christi liberatio: sic enim paulo post ait: In ea libertate, qua vos Christus liberavit, state! Si ergo a peccato originali liberi non reddimur, nascendo a Christianis parentibus: deterior est conditio eorum qui post adventum Christi in Christo sunt, quam priorum: quod non tam stultum est quam impium. Non loquitur enim Paulus de libertate carnali, sed legis. Quod si a lege liberati sumus, non poterit nos damnare originale peccatum: istud enim vi legis transgressae damnaret. Item Rom. 11: 16. alludit ad hanc sententiam adeo aperte Paulus, ut aliud agens, nempe de electione Iudaeorum et gentium, clarissime tamen videatur in hac nostra sententia fuisse, quum ait: Si primitiae sanctae: ergo et tota massa. Et si radix sancta: aeque et rami sancti sunt. Neque hic infantium a peccato originali immunitatem ad parentum sanctitatem alligo, sed ad eligentis dei; quomodo neque apud veteres pueri propter massae sive conspersionis sanctitatem propriam immunes fuerunt ab eo, attamen testamenti consortes, sed ex bonitate eligentis et vocantis dei.

Idem agit Rom. 5: 19—21. sed manifestissime omnium, quum post multa quae ad hanc sententiam faciunt, sic tandem inquit: Sicut enim per inobedientiam unius hominis tota multitudo peccatores constituti sumus: sic etiam per obedientiam unius iusti tota multitudo iusti sumus constituti (ubi enim abundavit peccatum, superabundavit gratia), ut quemadmodum regnavit peccatum in morte, sic et gratia per iustitiam regnet ad vitam aeternam per Iesum Christum. Hic quaero, an peccatum originale ex Adamo profectum sit necne? Si non: cur damnatur Pelagius? Sed merito damnatur ex hoc testimonio aliisque, de quibus supra dictum est: si etiam: ergo quicquid mali Adam peccando dedit, hoc per gratiam Christi curatum est. Factus enim erat prior Adamus in animam vivam; secundus autem in spiritum vivificantem. Breviter, sicut Adami peccatum generationem sic corrupit, ut nihil nisi vitiatum

nascatur: sic iustitia Christi ipsam restituit, ut corruptio non noceat, nisi, ubi adolevimus, contra legem faciendo, denuo nostra culpa pereamus perfidi. Nam qui Christo fidunt, non damnantur, etiam si contra legem venerunt. Quanto minus damnantur qui in Christo sunt nec quicquam admiserunt? Originale et actuale peccatum perinde oportet per Christum curatum esse confiteri, atque confitemur ab Adamo esse datum. Verba per se ipsa adeo sunt manifesta, ut multam tractationem refugiant.

Atque hic non immerito quaeritur, an Christus genus universum restituerit, an fidelium ecclesiam tantum? Quamvis ergo ad hanc quaestionem paucis respondere potuissemus, Christum prorsus sanando tantum profuisse, quantum nocuit Adam peccando; porro Adamum infecisse universam massam peccato originali; ergo Christum universam restituisse: noluimus tamen sententiam istam proferre, cum quod nonnulla videntur obstare; tum quod non videam, an aliqui eam tenuerint. Sed hoc modo dixi, Christianorum liberos damnare non posse peccatum originale, hac ex causa, quod etsi peccatum secundum legem quidem damnaret, sed propter remedium, per Christum exhibitum, damnare non potest; hos praesertim, qui in eo testamento sunt, quod cum Abrahamo pepigit. Nam de his alia quoque firma et clara testimonia habemus; de aliis, qui sunt extra ecclesiam nati, non habemus aliud nisi praesens testimonium, quod ego sciam; et similia hoc quinto Rom. capite, quo probari possit eos, qui extra ecclesiam nascuntur, mundos esse ab originali contaminatione. Quod si quis de his quoque dicet, probabilius esse, ut gentium liberi per Christum serventur, quam ut damnentur: iam certe minus exinanibit Christum, quam hi, qui intra ecclesiam natos damnant, si citra lavacrum baptismi moriantur, et plus auctoritatis ac fundamenti habebit in scripturis, quam hi qui hoc negant. Nam is nihil aliud adsereret, nisi gentilium quoque liberos, dum teneri sunt, propter vitium originale non damnari, id autem beneficio Christi; adultis autem nihil gratiae reliquum esse, eo quod non viderent Christo. Si vero operibus ostenderent legem in cordibus suis esse scriptam, neque falleret hypocrisis: iam satis auditum est eos inter circumcisos computandos esse. Ubi enim opera fiunt Deo digna, isthic dudum fuit in deum religio. Probant hoc Ietro, cuius pectus sic coelesti sapientia imbutum erat, ut etiam Mosi, qui coram cum deo loquebatur, in condendis legibus esset auxilio; et Cornelius centurio, cuius deus eleemosynas orationesque respexit, antequam evangelium ei esset expositum. Diceret igitur aliquis per Christum naturam esse restitutam; iam ea sequerentur quae diximus. Si vero ecclesiam suam tantum: iam sequeretur non tam late patere salutem per Christum, quam late grassatur morbus ex Adamo. Nemo enim est, arbitror, qui neget gentilium liberos perinde nasci cum propensione ad peccandum atque nostros. Veruntamen utcunque res habeat de gentilium liberis (posset enim quis, nec fortasse iniuria, istas Pauli voces: Ubi abundavit peccatum, superabundavit gratia; et: Quemadmodum regnavit peccatum in morte, sic et gratia regnat ad vitam aeternam per Iesum Christum, et similes, synecdochicῶs dictas esse contendere, neque de aliis quam fidelibus eorumque liberis esse intelligendos: ideo

nos quoque liberationem ab originali peccato istis tantum tribuimus, aliis dei iudicio relictis. Esto enim, audaces homunculi quosdam aeternae morti adiudicemus, de quibus verbum Dei apertum non habemus: numquid ideo vere damnati sunt?

Occurrit et istud: Si Gentilis ostendit operibus legis legem in corde suo esse scriptam, et Paulus eum vere praefert circumciso: ergo iam evacuatur fides, et recidit res omnis ad opera. Ad hoc sic respondemus: Paulum praesupponere, qui opus legis faciat, ex fide facere eum: in hoc enim argumento sudat, quod multi iactabant fidem Abrahami, propterea quod circumcisi essent. Hos probat fidem non habere, si fidei opera non faciant; quomodo Iacobus quoque intelligendus est. Contra vero, incircuncisum, si ex fide scilicet (quis enim probaret, quae ex hypocrisi fiunt?) id opus faciat quod lex iubet, iam palam ostendere metum dei in corde ipsius esse scriptum. Requirit ergo fidem ante omnia. Eam autem perhibet non volentis neque currentis, sed miserentis dei esse. Non ergo est signis alligata religio, pietas, εὐσέβεια, sanctitas: quamquam a signis abesse non decet eos, qui iam docti sunt, ut experimentum dent reliquis, cui nomen dederint, ac ecclesiae unitati accenseantur.

Sed neque istud praetereundum est, sive nostros, sive gentilium liberos, si modo vinceret sententia, naturam esse in universum per Christum, quod ad hanc maculam pertinet, restitutam; quamdiu legis capaces non sunt, in statu esse innocentiae, quod nos incunctanter de nostris adseruimus, fulti auctoritate Pauli Rom. 4: 15. Ubi enim non est lex, ibi nec praevaricatio. Sunt autem teneri inexperti legumque rudes, non minus sine lege quam Paulus; ergo non transgrediuntur, perindeque nec damnantur. Perhibet autem Paulus se aliquando sine lege vixisse, Rom. 7: 9. Id autem de nulla aetatis ipsius parte, quam infantia pueritiave intelligendum est; peccatum ergo tum ei mortuum fuerit. At ubi lex vixerit: iam se mortuum esse testatur. Eodem modo nos, quamdiu sumus per aetatem rudes legis, non peccamus ipsi; ubi vero lux legis adfulsit: iam rei reddimur. Ac si fides adsit, non cessamus eniti quod lex iubet; ac simul in omni opere succumbentes clamamus: Remitte nobis debita nostra, fiduciaque certa domino adhaeremus, qui per filium suum omnia condonat.

Nunc ad postremam partem accedemus, in qua istud iugum suscepimus probandum: Quod vitium originale solo sanguine Christi tollitur, et quod lavacro baptismi tolli nequit. Priorem partem sic praestamus. Contigerunt priscis omnia in figura; maxime tamen omnium fuit varius iste oblationis pecuinae ritus, mysterium et figura universalis oblationis, quae perfectione sua veteres omnes sisteret, quod prae aliis luculenter praedicat Daniel cap. IX. et XII. At in istis inter prima requirebantur integritas ac munditia. Cum ergo deus manifeste neget se his hostiis delectari passim apud prophetas: constat beluinam munditiem non aliud significasse, quam oblationem, quae conscientias esset mundatura, mundissimam esse oportere. At quae creatura tam munda est, ut oblatio fieri pro immundis possit coram summo bono? aut quae non fuisset vel hoc ipso immunda facta, si sese obtulisset in sacrificium pro pecca-

toribus? Oportuit enim voluntariam ac liberam oblationem esse, quod vota libera olim portendebant; et Paulus Heb. X. docet. Voluntarie quoque peccaverat Adam. Cum ergo creatura nulla potuerit citra arrogantiam hoc sumere: fit manifestum, nulla re potuisse conciliari divinam iustitiam, quam dei filio, per quem conditus erat homo, ut per eum restitueretur, per quem creatus erat.

Medico ante omnia necessaria est morbi cognitio: id quod nemo negat. Cum ergo animus hominis aegrotaret, nemo ei potuit medelam praestare, quam qui morbum ex amussi cognosceret. Id autem nemo potuit quam is, qui deus est: ipse enim solus novit cor filiorum hominum 3 Reg. 8: 39. Non potuit ergo saluti humana mens restitui alio, sive medico, sive pharmaco, quam deo.

Cum divus Baptista inquiebat: Ecce agnus, qui tollit peccatum mundi, plane ostendit nihil omnium esse, quod possit mundum expiare, nisi hunc agnum solum: huc enim tendit.

Postremo testatur veritas ipsa, ipsum oportuisse mori. Cum ergo ipsum mori oportuit, non potuit alius alia quacunque re huic malo mederi. Sic autem ait Matth. 26: 24. Filius hominis vadit sicut scriptum est de illo. Ibidem: Sic oportet fieri. Luc. 24: 26. Nonne ista oportuit Christum pati, et sic intrare in gloriam suam? Mar. 8: 31. Oportet filium hominis pati. Ioan. 3: 14, 15. Exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui fidit ipso, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Constituit igitur divina providentia filio suo mundum sibi reconciliare. Nefas ergo esto, vel inquirere an alia ratione aliove auctore negotium perfici potuerit.

Ex his facile probatur, baptismi lavacro nullum prorsus peccatum tolli. Agnus enim Christus tollit peccatum mundi. Et Ioan. 1, 2: 2. sic intonat: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Ibidem cap. 1: 7. Sanguis Iesu Christi filii eius emundat nos ab omni peccato. Qui *ab omni* dixit, nihil omisit. Sanguis ergo mundat etiam ab originali peccato, non lavacrum baptismi. Cuius, si divina testimonia non haberemus, iam testarentur spiritus, aqua et sanguis, de quibus 1. Io. 5: 5—7. sic loquitur: Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Iesum esse filium Dei? Hic est, qui venit per aquam et sanguinem Iesus Christus, non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Spiritus quoque testatur: nam spiritus veritas est. Tres sunt enim, qui testimonium dant, spiritus, aqua et sanguis; et hi tres unum vel simul sunt. Aqua igitur, hoc est coelestis doctrina, quam spiritus in cordibus nostris vegetat, ut sanguini Christi fidamus, satis docet externa ista conscientiam non posse mundare: alioqui supervacanea esset mors Christi, si rebus corporeis incorporea substantia animorum purificari posset. Cuius sententiae testimonium apud Paulum habemus Hebr. 9: 9, 10. Quae res parabola fuit isto tempore, quod tum erat, quo dona et sacrificia offerebantur, quae non possunt conscientiam perficere eius, qui ipsa facit: tantum enim in cibis et potibus ac variis ablutionibus carnisque iustitiis usque ad tempus correctionis posita fuerant. Quibus verbis apostoli liquido videmus externa ista nihil pollere ad perficiendam conscientiam.

Hoc tamen simul adnotandum est, baptismum nonnunquam accipi pro sanguine aut passione Christi. Id autem iterum per metonymiam; quum scilicet nomen signi ad signatum transfertur: est enim metonymia nominum translatio. Ut cum 1. Pet. 3: 20, 21. docet, nos per baptismum eodem modo servari, quo servabantur olim in arca: non hercle intelligit lavacrum baptismi, sed Christum ipsum, aut sanguinem eius ac mortem: his enim redemti sumus, quemadmodum Apostolus ipse e vestigio exponit. Videmus hic obiter iterum signum accipi pro eo cuius est signum. Quam stultus ergo videretur, qui propter verba contenderet nos aqua baptismali a peccatis ablui? Sic ergo, quae ad Ephes. 5: 26. de lavacro aquae quod verbo fit dicta sunt et Rom. 6: 3, 4, non sunt ad literam exigenda, sed figuratarum locutionum vis per fidem coelestiumque rerum scientiam expendenda nobis est.

Iam et hoc excidere pati non debemus, quod baptismus ecclesiae Christi signum est, non aliter quam exercitus aliquis signatur; non quod signum hoc coniungat ecclesiae, sed qui ei iam coniunctus est publicam tesseram accipit; sicut nemo in exercitum scribitur eo quod signum induit (alioquin et hostes et proditores, qui nonnunquam signa per insidias variant, de exercitu essent); sed is, qui in exercitum iam scriptus est, signo publico dignus ducitur, quo omnibus manifestus fiat nomen dedisse duci ei, sub quo militaturum promisit. Huius sententiae nobile argumentum habemus in Actis 2: 44, 45. Omnes autem qui credebant erant simul, et habebant omnia communia, et possessiones ac res vendebant, et dividebant ea omnibus, prout quisque opus habebat etc. At qui ad hunc modum simul erant, iam antea sermonem receperant ac baptizati erant. Inter istos indubitatum est liberos quoque ipsorum fuisse: alioquin enim feris fuissent primitiae istae fidelium immaniores. Quae res duplex nobis argumentum praebet: unum, quod infantes isti non minus sunt in ecclesiam censi, quam parentes ipsorum: secundum, quod aeque baptizati sunt atque parentes, de qua re alias plura. Iam et istud efficax testimonium est, baptismo nihil fieri, quam consignationem eius, qui Ecclesiae connumeratur, quod 1. Cor. 10: 1—4. scribit Paulus: Patres nostri omnes sub nubem fuerunt, et omnes per mare transierunt, et omnes in Mosen baptizati sunt in nube et in mari, et omnes eandem escam spiritualem ederunt, et omnes idem poculum spiritale biberunt etc. Constat autem quod non eo ritu baptismi, quo nos utimur, initiati sunt. Quum ergo dicit eos nube et mari baptizatos, iam fit manifestum, baptismum non plus posse ad iustificationem nostram, quam apud istos mare ac nebulam. His autem humectabantur qui Aegypto exierant, ac in synagoga populi dei erant; sic qui ex servitute diaboli per Christum exierunt, baptismi lavacro perfunduntur. Probat enim divus Augustinus signa diversa fuisse illis atque nobis, sed eandem fidem. Signa igitur nihil nisi externae res sunt, quibus nihil in conscientia efficitur; fides autem sola est qua beamur, ea vero fides quae dei promissis veraciter ac firmiter adhaeret. Symbola igitur sunt externa ista rerum spiritualium, at ipsa minime sunt spiritualia, nec quicquam spirituale in nobis perficiunt; sed sunt eorum, qui spirituales sunt, veluti tesserae.

Statueram omnia diligentius componere, quam permiserit tempus. Festinare enim coëgit nundinarum propinquitas, et procrastinatio qua occupationes innumerae universa nostra usque in brevem aliquem articulum contrudunt, quo deinde subito praestanda sunt quae promiseris. Per epilogum ergo brevibus omnium summam expediam. Haec nostra est de originali peccato sententia: vitium esse ac morbum, qui ceu mulcta primis parentibus inflictus est. Quorum propagatio sic vitiata est transgressione, ut quicquid inde nascatur, ad peccandum propendeat; ac nisi divina clementia mature de remedio efficaci providisset, periissent quotquot ex hoc fonte nati fuerunt. Dei ergo bonitas per filii sui mortem huic cladi occurrit, ut tametsi reliquiae peccati originalis, puta φιλαυτίας ingenium, tenaciter adhaerescat, non tamen nocere possit his qui sunt in Christo Iesu: haud enim aliter potest damnare peccatum originale quam lex, quae ultra damnare non potest, etiamsi nunquam non peccemus: nihil enim damnationis superest his, qui sunt in Christo Iesu Rom. 8: 1. Contaminatur quidem generatio nostra propensione ad peccandum, at non nocet contaminatio: venenum enim ademtum est ei per Christum. In Christo autem sunt non modo parentes, quos misericordia divina in fidei lucem ac gratiam induxit, sed eorum quoque liberi non minus quam qui ex Abrahamo secundum promissionem nati sunt. Eadem enim est fides ac idem testamentum sive foedus, quantum ad interiorem hominem attinet. Perinde enim prisci illi misericordia dei nitebantur per promissum Christum atque nos per exhibitum. Is ergo suo sanguine sic, quicquid damnare potuit, expiavit, ut nihil supersit quod tyrannidem suam in nos exercere possit: non caro, non lex, non diabolus princeps mundi huius. Sic quoque apud patrem morte sua omnia impetravit, ut quicquid in nomine eius petamus detur. Unde creatura nulla sic coli aut in hoc pretio haberi debet, quasi quid possit, sive ad conscientiarum nostrarum emundationem, sive animorum salutem. Atque haec omnia sic sentio, ut si quis nos manifesti erroris scripturae vere sacrae testimoniis arguerit, non modo ab errore avelli, sed ei, qui avellit, gratiam habere statuerim.

Haec sunt, Urbane doctissime, quae apud nos de peccato originali aliquamdiu reputavimus. Vidimus et veteres aliquando in hac re; sed quam obscura sint atque involuta, ne dicam humana potius quam coelesti doctrina fulta, ipse quoque arbitror dices, ubi ad eos denuo redieris: nobis enim ad eos redeundi otium non fuit, atque hoc ex annis aliquot. Quo enim quaeso scripturae testimonio nititur, baptismo tolli peccatum originale aut gratiam eo conferri; nisi baptismi signo Christum, qui eo signatur, intelligas? in illo enim sunt nobis omnia servata. Quanto durius definitur Christianorum liberos, si tincti non sint, aeternae damnationi alligari? atque hoc citra omnem scripturam: quae enim huc torquentur, quam quaeso abhorrent ab eorum ista sententia? Nos ergo in hoc, oro, simus, ut pietatem Christianam et anxie et pure deprae-dicemus; ne simus ante tempus anxii quomodo Missa aboleatur aut imagines exauctorentur; sed in hoc sudemus, ut pectora mundo dedita creatori suo restituantur. Iam cecidit Missa; statuae sua puto sponte aufugient: frustra enim exterminabimus tam haec quam alia, nisi publica

pietas releget. Quod ubi factum erit, iam nequicquam tentabunt restituere omnes mundi principes: nihil enim praedae asportabunt, nisi maceria occurrat aliqua quemadmodum Balaamo, quae pedem acrius abstergat. Non enim mentitur, qui dixit lapidem istum aut offendentem confracturum, aut in quem ceciderit comminuturum. Nobis sic tutis, Dei praesidio, vivendum est ac intrepidis, ut si fractus illabatur orbis, impavidos feriant ruinae. Quot vides gentilium, morte, quam omnes, dum omnia sunt secunda, fugimus; contraria dum sunt, vocamus, gloriosos ac honoratos esse factos? bene enim usi sunt re iuxta vulgi opinionem omnium acerbissima. Et nos tam fidi tamque nostri amantis imperatoris, ut se ante nos periculo obiecerit, milites cunctaremur? Praesertim quum nostrae spes non spectent inane lucrum comparandi nominis, sed possessionem aeternae hereditatis, non hercle vulgaris; nisi tenuia sunt, quae deus filio suo unigenito dedit: eius enim coheredes sumus. Pugnemus ergo ex aequo acriter et prudenter! causam enim iustissimam tuemur, in qua non dubitamus quicquam subesse fraudis. Iactent in nos de adversariorum exercitu militares istas contumelias: proditores, fures, imbelles. Nihil ista curemus causae confisi! Hue proh dolor audaciae ventum est, ut cuius ipsi maxime sumus rei alios accusemus, bella videlicet ἀνθυποφορᾷ praevenientes, quod in nos merito iactari posset, ut adversarius occupetur in procurando vulnere, nec ei momentum ullum referiendi detur. Sed acuta ista licet sint, non tamen magis penetrant quam aristae, quibus nihil est acutius, at simul nihil inefficacius. Tu omnia, carissime in domino frater, aequi bonique consule! Oremus dominum pro nobis mutuo, ut opus suum, quod coepit, perficiat et corda nostra sic firmet, ut eius gloriae nusquam desimus. Vale, ac salvos iube Ranam et Agricolam,[1] quibus tum abest, ut male cupiam, ut anxiis votis a domino petam, ut fidum eorum in Evangelio ministerium et faciat et fulciat. Tiguri quinta decima die Augusti. Anno MDXXVI.

---

1) Praedicatores uterque iuxta Rhegium Norinbergae, Luthero addicti.

# AD THEOBALDI BILLICANI ET URBANI RHEGII EPISTOLAS

## RESPONSIO HULDRICI ZUINGLII

Oecolampadius labente anno 1525 syngramma Praedicatorum Suevorum suo Antisyngrammate refutaverat. Eodem tempore Theobaldus Billicanus, Praedicator Nordlingensis, epistolam scripsit ad Urbanum Rhegium, quam hic sua responsione comitatam, sed non omnem, in lucem edidit hoc sub titulo: De verbis Coenae dominicae et opinionum varietate Theobaldi Billicani ad Urb. Rhegium epistola. Responsio Urbani ad eundem 1526. Quod Billicanus de Oecolampadii aliorumque sententia iudicaverit, omissum erat. Billicanus per epistolam (17. Cal. Febr. 1526) ad Oecolampadium rem ita declaravit: „Syngramma tuum (Antisyngramma ad Ecclesiastas Suevos) περὶ τῆς εὐχαριστίας legi; vereor autem, ne aut Tu non intellexeris Patres aut ego, atque adeo plerique non intelligamus Te. Nam si Tu omnino corpus pro figura corporis interpretaris, erras maxime — sequetur enim, neque verum corpus datum esse pro nobis, sed figuram, neque verum corpus hactenus pro nobis frangi. Scis enim hanc loquendi legem — praedicata et quicquid de alio dicitur, eo modo dici de alio, quo ponitur. Si nunc dari et frangi de corpore dicuntur, ut est in confesso, vide quaeso, de quo corpore dicantur. Si vero de pane id interpretaris, panem esse figuram corporis, condono aliquid. Ego in Ep. ad U. R. quam ille edidit, sed mutilam (nam deest ea pars, quid de tua aliorumque sententia sentiam) sic pugno, ut corpus pro figura non patiar accipi, ac Te quoque, si ita pateris, ab eo interpretamento libero rectiusque multo a Te scriptum, quam plerique putent, adsevero. Atque ut dicam, quae sentio: Non omnino displicat spiritus ille cum tuus, tum aliorum, sed nescio, quae me religio adhuc retinet. Mea sic est ratio, si id spiritui visum, quod scribitis, et si omnino vera est vestra sententia, neque in corpore neque

in verbo substantivo rem sitam esse, sed in pane, ut hic sit figura corporis, quorsum et apostolus videtur spectare 1. Cor. 10: 17. „Unus panis, unum corpus multi;“ sitque in iis verbis: „Edite hoc est corpus meum, quod datur pro vobis: bibite ex hoc omnes! hic est calix, novum Testamentum in meo sanguine, qui pro multis effunditur,“ quaedam perpetua metaphora sive allegoria, aliudque agatur et aliud significatur. Scripsit Capito: „Verbo adferri corpus, sed non verum corporale;“ Bucerus: „Verbo adferri corpus verum,“ ubi mihi ἀμφιβολία de industria usus esse videtur, in dictione verum. — Non enim satis intelligo, quid sit verbo corpus adferri. — Sane mysterium hic est inviolabile. Propterea testatus sum, me non improbare eorum sententiam. Itaque primum Carolostadianam sententiam prorsum reiicio. Dein cuiusdam Reyssii (Mich. Cellarii), vertentis ordinem orationis: „quod datur pro vobis, hoc est corpus meum,“ prorsus damno et libidinem interpretor. Zuinglii EST, quod ab Hebraeis abest, non recipio. Corpus pro figura adcipi Tu, arbitror, vides fieri non posse. — Haec paucis! Tu ubi otium nactus fueris, rescribe!“ (Epp. Reff. ad Fuessli. Cent. I. 7.) Oecolampadius in haec rescripsit libellum ita inscriptum: „Quinam in verbis Coenae alienum sensum inferant,“ pariter ut Antisyngramma typis excusum Tiguri, quia Cratandro typographo Basiliensi interdictum fuerat ullum scriptum Oecolampadii venui habere. (Oecol. ad Zu. 25. Ian. et 9. Febr. 1526. Hess. Vita Oecol. p. 126 sq.)

Brevi post Oecolampadii scriptum prodierunt etiam haec responsa Zuinglii ad Billicanum et Rhegium. Capito eius moderationem laudavit (ad Zu. 4. Apr.) Ad Zuinglii sententiam deinceps ambo Theologi flectere animos videbantur (Zu. ad Rh. 16. Oct. et Oecol. ad Zu. 9. Nov. 1526); sed tamen nutabant, et Rhegius tandem totus in Lutheri partes discessit.

Haec Zuinglii scripta primum edita sunt Tiguri in aedibus Christophori Froschoveri 7. fol. quadruplicatis; deinde in Opp. II. 259 a — 271 b.

## THEOBALDO BILLICANO [1] HULD. ZUINGLIUS

Gratiam et pacem a domino. Quantam Christianus curam fratri debeat, Christus perspicue docuit, quum per similitudinem diceret, fidum pastorem, cui centum oves creditae sint, si unam ex eis amiserit, nonaginta novem, dummodo eas nihil damni attingat, in deserto relinquere, ac post illam, quae stultitia sua a grege aberraverat, abire, lustrareque omnia, donec deploratam inveniat; inventam autem humeris imponere gregique rursum inserere. Nec satis fuit absolutissimo praeceptori luculenter et utiliter docuisse, nisi id ipsum nobis praeivisset, quo verum pastorem ac episcopum animarum nostrarum agnosceremus. Hoc te exemplo inductum esse arbitror optime Billicane, ut in epistola Rhegio missa, in qua de verbis Coenae anxie agis, nominatim Zuinglium, secundum alios, perstringeres. Pro qua re gratia tibi summa debetur. Primum quod Solomone auctore longe melior est manifesta correctio, quam amor absconditus; quo scilicet quosdam adeo frigide prosequimur, ut neglecto monitoris officio mittamus desideria sua sequi. Deinde quod tantum pectoris haud dubie nobis tribuisti, ut crederes gravi etiam contumelia irritari non posse, quo minus modum Christiano dignum, in censendis tuis prodendisque nostris, custodiremus. Idem ut de nobis sentias per communem Christum obsecro: nempe quicquid hic nobis dicitur, eo fine fieri, ut Billicanus cum sibi tum aliis omnibus reddatur utilior, cum in manifesto errore se deprehensum manifeste confiteatur. Id quod mihi persuasissimum est facturum esse, ubi nostra, quibus tam amice adperimus quibus locis lapsus es, perlegeris. Deinde quod te tam Christiano pectore praeditum esse credimus, ut nihil offendaris, dum constanter cum errore non tantum tuo, sed omnium ferme confligimus. Neque enim id belli sic temere ac inconsulte suscepimus, ut polliceremur nobis ipsis prima congressione debellatum iri; sed hoc consilio, ut nullis machinis, nullis terroribus aut strategematis collabi, aut veritatis arcem nos prodere statuerimus. Sunt profecto, atque etiam supersunt, qui nos toto errare coelo clamant. Sed hi secum quoque Iacobi verbum reputent: In multis offendimus omnes, atque istud Platonis: *Μὴ καὶ σὺ τοιοῦτος.* Quod si exacte fecerint, speramus futurum, ut qui nos corrigere pergunt, mox sese correctos atque ab errore revocatos gratulentur. Ipse enim, inexorabilem iudicem testor, non video hactenus quicquam a quoquam esse in hac causa adductum, quod nos, non dicam possit, sed debeat a tam perspicua, solida, sanctaque sententia unguem latum dimovere. Tu igitur aequi bonique consule hanc nostram epistolae tuae *ἀνάκρισιν*: nisi enim, qui in tam aperto errore es, te sanabilem existimavissemus, huic plane pepercissemus operae, quod apud pios ac eruditos tua ista nihil veremur. Tot enim ac tam planae sunt hic alucinationes, ut nullo negotio primo intuitu deprehendantur. Quod vel illo ipso patet, ut iam ad rem accedamus, quod in ipso limine occurrit, ubi sic ais: Nihil movebor vel sexto capite Ioannis, vel aliis hinc inde comportatis, tum locis, tum argumentis, tum coniecturis. Quam sententiam tuam si simplices recipimus: iam de gra-

---

[1]) Conf. Vol. VII. Epp. p. 561.

vissimis scripturae locis actum est, si non licet locum e loco, velut e pede Herculem, aut ab ungue leonem, ut aiunt, emetiri. Qua enim ratione probabimus nihil diversum esse inter Matthaeum et Marcum, quorum alter tradit Christum discipulis a baculo interdixisse, cum ait: Sine baculo et pera; alter solum baculum permittit, cum ait: Praecepit illis ne quid tollerent ad iter, praeter solum baculum, si non liceat locum e loco temperare? nempe quod Marcus eo modo baculum accipit, quo Gen. 32: 10. accipitur, cum divinus Patriarcha Iacob sic Dominum alloquitur: In baculo meo transivi Iordanem istum. Quae oratio schematismus est, sive locutio Hebraica, qua illi absolutionem liberationemque ab omni re quam habeamus intelligunt, quomodo Germani deditionis militaris quoddam genus vocant, *ad baculum deditos* dicentes, quibus ademtis zona, armis, ornamentis sola vita fit reliqua. Sic ergo Marcus Hebraica locutione ostendere voluit Christum discipulos citra omne humanum praesidium in opus evangelii misisse; Matthaeus autem, quum baculum adimit, ipse quoque nihil aliud nisi omne praesidium aufert. Qua oratione persuadebimus Rom. Pontifici, Petrum non esse petram, si unum ac solum istum locum: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, spectantes, ipsum ex se ipso exponemus? Annon aliis aliunde advectis machinis, ut hominem ad deditionem compellamus, opus est? Puta talibus: Ipse est lapis angularis, et mittam lapidem in fundamentum Zion; ipse est caput corporis ecclesiae; ego sum ostium; ego sum pastor bonus; qui fidit me, habet vitam aeternam; sicut palmes sine vite nihil potest, sic et vos nisi in me manseritis; conversi estis ad episcopum et pastorem animarum vestrarum; ipse est pontifex bonorum quae hactenus futura fuerunt, et mille aliis similibus? Quomodo Arrianos vel digitum latum ab errore suo divellemus, si locum hunc: Pater maior me est, ex se ipso, insalutato isto: Ego et pater unum sumus; et isto: Et Deus erat verbum, et verbum caro factum est, et similibus, intelligere volemus? Quibus artibus extorquebimus Pontificiis, Christum Io. 6: 55. cum dicit: Caro mea vere est cibus etc. nihil de coena sua locutum esse, si apud ista sola consenescimus, et quae in exordio eius sermonis, nempe: Hoc est opus Dei, ut fidatis eo quem ille misit; et quae in calce, nempe: Caro non prodest quicquam, posita sunt, non velut arbitros arcessimus? Quo exercitu Christum a carnalibus fratribus liberabimus, si isti loco haeremus: Fratres tui foris stant? quo modo Helvidius iam olim, imo omne haereticorum genus, uni alicui loco contumaciter citra aliorum collationem haerendo, erravit; et non circumspicimus, quod Hebraei omnes tribules suos, imo totam gentem, fratrum nomine dignantur? Sic enim Moses de se ipso scribit: Egressus est ad fratres suos Exod. 2: 11. Quid multa? nullum prorsus librum aut veteris Testamenti aut Prophetae cuiusquam, nullum aut Apostolum aut Evangelistam invenies, qui hanc tuam ferre legem possit; nempe ut pertinaciter uni alicui loco sit haerendum, ipseque ex se ipso excutiendus sit, non ex aliis vel propius vel remotius de eodem argumento scriptis. Cur ergo tam imperiose pronuntiamus: Nihil movebor vel sexto cap. Ioannis? An isthic nobis nihilum rogatur? an non eadem quaestio, quae in praesentia nobis controvertitur? Tametsi Christus

suo sermone primum huc non tendebat: attamen quum isti imperitia sua in id incidissent, in quo ipsi nunc laboramus, iam de carne sua pronuntiat, si edatur, eam penitus nihilum prodesse. Quum ergo isthic Christus ad eandem quaestionem, in qua tantopere impegimus, responderit, carnem nihilum comesam prodesse: quid causae est cur merito dicere debeamus: Nihil movebor vel 6. capite Ioannis? Si ad hunc modum licet infitiari, quae quod verum est maxime continent ac produnt, iam tot erunt sensus quot capita. Iam et argumentis te quoque negas moveri, a quibus neque Christus neque Apostoli abhorruerunt. Non de istis loquor quae a Sophistis sunt in Theologiam inducta, sed quae sacris literis constant, quaeque ex iis recte intellectis colliguntur: nam nulla iusta oratio sine argumentis recte constare potest. Exemplis omnia sunt plenissima. Omne regnum in se divisum desolabitur. Quod si Satan adversum se divisus est: quomodo stabit regnum eius? Quam breve luculentumque enthymema simul et epiphonema est ex vulgari axiomate, ut Gellius vocat, eductum? Simile est: Si ergo vos qui mali estis nostis bona dona dare filiis vestris: quanto magis pater vester caelestis dabit bona qui a se petunt? Et illud: Si ergo ego Dominus et magister vester pedes vobis ablui: debetis et vos mutuo pedes lavare. Sed et illud: Nonne scriptum est in lege vestra: Quia ego dixi: Dii estis. Si illos dixit deos ad quos sermo dei factus est, et non potest solvi scriptura: quem pater sanctificavit et misit in mundum, ad eum vos dicitis blasphemas? eo quod dixi filius Dei sum. Quis quaeso Tullius commodius ac vehementius argutari potuisset? Taceo non sexcenta, sed myriadas cum in evangeliis, tum in prophetarum et apostolorum scriptis, argumentorum, quae capere brevis responsio nequit. Christi ergo, prophetarum apostolorumque exemplo doctis cur non liceat in hunc modum argumentari? Caro Christi non prodest quicquam si edatur. Ergo ista verba Christi: *Hoc est corpus meum*, nequeunt sic intelligi, ut per ea caro Christi edatur. Atque iterum: Quod natum est ex carne, caro est. Igitur corpus Christi carneum non editur: nihil enim nisi carnem gigneret. Item: Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt; ipse dixit: Fiat lux, et facta est lux. Ergo manifestum est his verbis *Hoc est corpus meum* non confici corpoream carnem Christi: nam si eis conficeretur: tam vere tamque sensibiliter isthic esset caro, atque lux constitit et omnia quae unquam ab illo producta sunt; immo videretur, teneretur, sentiretur. Quid, Billicane, adhuc argumenta, quae ex his fontibus derivata sunt, contemnimus? Conantur multi arrodere, sed Isthmum perfodient. Postremo neque coniecturas te curaturum ais. Quo iure id facias, optime rhetor, non video, cum intelligas causas quasdam esse, quae solis coniecturis constent. Cum Paulus Tito praecipit, qualem episcopum praeficere gregi dominico debeat, coniectura uti monet sine dubie. Quis enim hominum vere queat cognoscere, an is qui praeficitur vere sobrius sit, an se esse simulet? Sequimur ergo ista quae videmus: quod quid aliud quam coniectura est? Sed hoc nos angit: ducitur argumentum gravissimum non tam ex coniectura, quam re praesenti, cum sic dicitur: Apostoli non adoraverunt eucharistiae panem; non sunt admirati, non conciderunt,

non haesitarunt; ergo non senserunt de eucharistia sicut nos. Nam Petrus, cum aliquando piscium captorum videret miraculum, dicebat: Exi a me Domine, quia homo peccator sum. Quid ergo hic putamus eum dicturum fuisse, si carnem sive corpus mavis credidisset se coenaturum? Non dubito quin longe pertinacius obnixurus fuisset, quam cum tanta excusatione pedes negaret. Et centurio, cuius fidem Christi commendatione etiamnunc admiramur, negabat se dignum esse ut Christum hospitio exciperet, idque fidelibus literis commendatum est; et nos audemus putare, discipulos nihil simile facturos fuisse, si ipsis Christus fuisset ad edendum propositus? aut si omnino contendamus, et edere corpus se credidisse et admiratos fuisse, Apostolos id perpetuo silentio tacituros? praesertim cum Paulus, Ioannes, omnes tam anxie, cuinam primum Christus a mortuis resurgens adparuerit, prosecuti sint? Acta vero Lucae non est ut commemorem, in quibus, quoties coenae domini fit mentio, toties nihil de admiratione, de adoratione minus, de cultu minimum. Haec ad primum istum errorem tuum, quo te negas Ioan. 6. cap. moveri posse, argumentis, coniecturis. Quorum tamen quodque tam est firmum et insuperabile, ut si vel una coniectura nobis superesset, quae minimum valere quibusdam videtur, sola tamen satis roboris haberet ad tuendam veram istam de eucharistia sententiam, quam adserimus. Admittimus ergo tibi, sensum verborum domini ex ipsis verbis exprimi debere, sed his torcularibus aut trochleis: Caro non prodest quicquam; et: Dixit dominus domino meo: Sede a dextris meis, *donec* ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Imo negamus guttulam sinceram saltem, puram ac meram ex eis stillaturam esse, nisi horum similiumque locorum pondere presseris, quemadmodum et in infinitis S. L. locis fieri oportet: nihil enim est quod plus haeresium genuerit, quam procax loci ex aliis locis non intellecti inhaesio.

Inter ista polliceris te paucis dicturum quot modis ludificemur verba dominica. Quae vox ut te deceat, tum considerato quum haec nostra percensueris. Isti ludificantur verba domini qui eis obtrudunt sensum, a quo ipsa, animus hominis fidelis, scriptura vere sacra, Christus, Apostoli, prisci cum pii tum docti homines abhorrent; nec minus tentant spiritum sanctum, quum eis hoc onus imponunt, quam qui olim in circumcisionem trahebant. Primum, inquis, non erat cognitu difficile in summa illos convenire, de quo gloriantur; quamvis si argumenta partium colligas longe secus habeat. Quod in summa convenimus, dei gratiae nos debere agnoscimus. Habemus ergo eundem spiritum, non malum istum qui Saulum divexat: nam is non est spiritus concordiae, sed dissidii. Nihil enim obstat, si alius aliis argumentis nititur, quod iterum sanctissimis clarissimisque probabimus exemplis. Christum esse filium dei, omnibus convenit, Christo, Apostolis, piis omnibus. Attamen Christus ipse hanc de se summam apud Matthaeum isto loco probat: Dixit dominus domino meo: Sede a dextris meis; apud Ioannem *operibus* iubet intentos esse, in quibus videant se a patre missum. Scribae apud Matthaeum a *loco* ingrediuntur agnitionem Messiae, quum ab eis percontaretur Herodes, ubinam Christus nasceretur. Responderunt enim ex propheta, eum Bethlehemi Iuda nasci. Iam nonnihil dissensionis

videbitur esse inter Christum et Ioannem, si diversitas argumentorum summae rei debeat nocere. Ioannes enim, is qui Evangelion ac vere Evangelion scripsit, Christum dei filium esse, Baptistae cognominis testimonio probat ac dicit: Ioannes testimonium perhibet de ipso, et reliqua, Ioan. 1: 15. Veruntamen Christus ipse sic ait, Ioan. 5: 34. Ego ab homine testimonium non accipio, et reliqua. Paulus ad Hebraeos eandem summam hac via probat: Filius meus es tu: ego hodie genui te; in Galatis et Romanis ista: In semine tuo benedicentur omnes tribus terrae. En tibi in summa rei Christianae sententiae concordiam, sed argumentorum ex aliis aliisque fontibus deductorum varietatem! At vos longe aliter habetis: nam qui carnem hic adseritis, nec in summa nec in argumentis convenitis. Pontificii enim carnem sensibilem dentibusque morsilem hic esse adseverant, ut patet de Consecr. dist. 2. Ego Berengarius. Et secundum hoc perhibent, substantiam panis et vini sensibilem in substantiam carnis Christi etiam sensibilem transire. Secundi negatis sensibilem carnem hic edi, ac perinde negatis mutationem substantiae in substantiam; attamen veram consistentemque carnem Christi hic edi constanter adseritis, sed modo quodam ineffabili sub pane et vino. Tertii dicitis eam Christi carnem hic edi quae a mortuis resurrexit. Taceo auctores ex causa. Nunc de argumentis, in quibus dissentitis, disseram. Pontificii sententiam suam sic firmant. Christus dixit: Hoc est corpus meum; ergo panis est verum atque existens corpus Christi: is enim qui hoc dixit deus est; esse ergo oportet ut dixit. Secundi sunt his longe imprudentiores. Duo enim diversissima tuentur: unum, quod cum primis adfirmant *est* hoc loco substantive accipi; alterum, quod negant panem ac vinum transire in carnem et sanguinem. Si enim *est* substantive accipias, iam vicerunt pontificii panemque oportet esse carnem. Quum autem dicunt, sub vel in isto pane carnem Christi edi, iam in universum tollunt hanc vocem *est*, qua una constaret panem esse corpus vel corpus hic edi. Attamen illis hanc gratiam debemus, quod paulo quam pontificii humanius dentibus nostris prospexerunt. Non enim sic imperiose imminent: Sensualiter editur, sensualiter dentibus conteritur, sed modo quodam ineffabili. O angustas, tenues, obscuras, arcanas literas, quibus hoc desit quo metiri possimus qua ratione Christi corpus hic edatur! O lux Christe! cur nobis hic non illuxisti? Sed non es tu ignotus fidelibus, non sunt parcae aut invidiosae sacrae literae, ut in te et in eis inveniri nequeat quod hic quaeritur; verum animuli nostri angustia non capit sermonem tuum; vexat nos inanis gloria, quae vetat cedere ubi maxime cedendum erat. At missa nunc faciamus haec! Tertii *est* substantive accipi aeque definiunt, sed de corpore, ut vocant, clarificato tantummodo depraedicare, ut quum dicunt: Hoc est corpus meum, ibi *est* circumscribatur, ut in corpus clarificatum tendat sitque sensus: Panis est corpus quod a mortuis resurrexit. Atque isti aeque atque tu dicunt, se istud nihilum curare, si sic doceas, Christum verbis suis addidisse, quod pro vobis traditur. Si ergo hic Christi corpus editur, non editur ut resurrexit a mortuis, sed ut mortuum est. Est autem vere sensualiterque mortuum: alioquin Marcion triumpharet. Sic vos neque in sententia neque in argumentis convenitis.

Apud nos vero quid vere esse dissidii quisquam dicet? Dicimus sacramentum esse, non rem sacramenti, gratiarum actionem semel dati beneficii, commemorationem, collaudationem ac postremo corporis mystici, quod est ecclesia, coniunctionem. Cum autem rudibus, tum nobis tum aliis, videntur obstare verba dominica, quum vere non obstent, sed infelicibus incognita sunt: iam quisque conatum aliquem molitur. Alius putat *ἀποφορὴν*, hoc est: aversionem esse demonstrationis in hac voce *hoc*, non aliter atque in his verbis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Alius autem *ὕστερον πρότερον*. Qui si errarunt, in litera errarunt, non in spiritu. Vide hic obiter quid sit spiritu esse doctum, quid litera. Hoc scilicet, quod Augustinus alicubi docet: quum aliqua in sacris literis videntur nobis esse vel obscura vel fidei contraria, non sic apud se habere, sed nostra culpa fieri, ut parum vera aut concordia esse videantur, dum ipsi quod dicitur parum intelligimus per linguae ignorationem; aut interpres, quem sequimur, non est adsecutus, quod sermo in sua lingua continet. Sic fortasse expedivisset non tentare verborum hac parte interpretationem, antequam Hebraeae linguae ingenium fuisset cognitum. Attamen fideliter conatos ac ut licebat, non tamen ut oportebat, locutos non tam immaniter damnari oportebat, si rectam mentem ipsi habuissemus. Rursum alius (ut in viam redeam) tropum in verbo *est*, alius in his vocibus *corpus* et *sanguis* pollicetur, quorum eadem est sententia, ut in sequentibus patebit. Haec, inquam, diversitas tam nullis debet esse offendiculo, quam ducibus eandem arcem expugnandam esse consentientibus, nihil prorsus dissidii aut obstaculi adfert, dum alius statuit ariete concutiendam, alius cuniculis subruendam, alius scalis superandam, alius machinis dilacerandam: nam in arce exscindenda convenerunt, de via disputatur, non de summa rei; neque iam culpandus est qui non optimam, sed quae videbatur esse, sententiam dixit. Offenderint priores nonnihil: tradidissemus ipsi meliora; praesertim cum fateamur initio summam placuisse. Post tot conatus omnes si alius dicat, Hebraeorum more istud pronomen *hoc* demonstrare totam istam actionem, quae fiat in commemorationem traditi corporis ac fusi sanguinis: quis iure hominem adcuset? cum et vos audeatis dicere in hac oratione: Hoc est Paesa, istud pronomen *hoc* digitum in festivitatem intendere. Nos ergo, cum vobis arbitris in summa conveniamus, certe superiores sumus iis, qui neque in summa neque in argumentis conveniunt.

Deinde ad hunc modum loqueris, quum nostra, ut canis Aegyptius, degustas et fugis. Num descendat etiam Christus, qui ad dexteram patris est, ac demittat se in ventrem cuiusvis sumentis? sic enim nos loquentes facis. Nae tu Heracliticum *σκότισμον* probe didicisti, quum nostris narrandis tam obscuram brevitatem adcommodas. Sic docent Tullius ac Fabius, adversariorum causam, si quando cogamur attingere, levius ac perfunctorie id facere. At ista tibi in hac causa non decebat arte uti, quum in hoc argumento tres isti articuli fidei periclitentur: Ascendit ad coelos; sedet ad dexteram dei patris omnipotentis; inde venturus iudicare vivos et mortuos. Nam quod ad primum adtinet, Christus sic ascendit ad coelos, ut omnes discipuli viderint. Videntibus

enim illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Abiensque benedixit illis, id est, salutavit ac valedixit: quae omnia vere migrantium sunt. Id quod antequam moreretur, nihil obscure praedixit: Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. Et post resurrectionem sic Magdalenae mandat: Vade ad fratres meos, et dic eis: Ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, deum meum et deum vestrum. At quod ad divinam naturam adtinet, Christus non potest non perpetuo esse praesens, cum dixerit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi; neque potest non aeternum esse apud patrem. Quum autem contra non possit fieri, ut eum perpetuo habeamus; quum ipse dixerit: Me autem non semper habebitis: relinquitur hoc de humana natura, quod istam non semper habebimus. Ubi nunc in scriniis et ara Christus est, qui negat se, quicquid est humanitus, apud nos mansurum? Si autem panis iste corpus Christi esset: in tot locis esset in quot panis eucharistiae est. In coelis est Christi corpus, non in scriniis situ foetentibus. Nam apud nos esse sperandum non est, cum se nobis negaverit corpore adfore.

Quae autem a quibusdam hic nimis temere obiiciuntur, divinis oraculis obstant: audent enim quidam sic obstrepere: Christi corpus simul in coelis est et in pane. Qui sic habeant: Ergo et divus Petrus et Christophorus ille immanis et tota beatorum concio in isto pane est. Ipse enim dixit: Volo, pater, ut ubi ego sum et illi sint mecum; et: Iterum accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum et vos sitis. Si ergo Christus est corporaliter in eucharistiae pane: erunt et isthic omnes indigetes. Ubicunque enim Christus est isthic et electi eius erunt. Atque illud *ubi* de humana solummodo natura potest intelligi, ita ut electi sint ubi Christus est: non enim est creatura huius capax, quod sit ubicunque deus est. Sic enim et omnes electi ubique essent, omnia permearent, omnia tenerent: id enim divina natura facit. Quod quam sit absurdum, declaratione non eget. Constat ergo Christum, quantum ad humanam naturam adtinet, in coelis tantum esse ad dexteram patris, ubi cum eo laetantur qui hic eum secuti sunt; corporaliter autem in eucharistiae pane non esse sine electis suis: hos enim isthic esse oportet ubi ipse est.

Sunt et alii qui sic procurrunt: Deo sunt omnia possibilia, unde et ad dexteram sedere ab electisque conspici, et eodem modo in ara corporaliter adesse potest. Quibus ipsa veritas occurrit: Si ergo simul ad dexteram patris est et in pane eucharistiae, simul erunt omnes divi in coelis et in pane eucharistiae. Scimus deo omnia esse possibilia; sed possibile non est ut contra verbum suum faciat.

Unde haud circumspecte faciunt, qui nos vulgo traducunt: Hi sunt qui manum domini abbreviant ac truncant; quum nos eius omnipotentiam non possimus dexterius adserere, quam quum docemus omnia sic habere, ut verbum eius praedicat, contra vero nihil alienius ac diversius esse a divina natura, quam quod vel possit aliter praecipere aut loqui quam res habeat. Qualis est Lucifer qui dicebat: Vos eritis sicut dii, quum fierent nostrae quoque calamitatis auctores? Ille mendax est, et tota gens eius; Deus autem verax: omnipotentem enim veracem simul esse oportet. Non enim omnipotentiae est contra verbum suum facere, sed

impotentiae. Quae autem de labiis dei procedunt, fieri nequeunt irrita. Promisit autem se Christus ascensurum ad coelos; ergo est in coelis. Atque hi de ascensu sermones humanam naturam respiciunt: nam quod ad divinam adtinet, semper erat in coelo, nec ascensione secundum istam opus habebat. Praedixit iterum Christus nos eum non perpetuo habituros; ergo non est apud nos, sed secundum humanam solummodo naturam. Is enim qui dicebat: Iterum relinquo mundum et vado ad patrem, indubie secundum humanam naturam reliquit mundum, atque ut praedixit ad patrem abiit. An putamus Christum his verbis *relinquendi* et *abeundi* temere usum esse? quae sola citra omnes alios locos aperta firmaque satis essent ad negandum corpus Christi in eucharistiae pane.

Iam et alii quoque sunt, qui sic Chrysippeum acumen exserunt: Divina natura non potest loco circumscribi; ergo nec humana natura Christi circumscribi potest: Deus enim et homo unus est Christus. Ubicunque ergo deus est, ibi et corpus Christi esse potest. Vide mi Billicane, quibus haec omnia argumenta scripturis fulta sint! Attamen sunt qui eis nitantur, sed medius fidius parum circumspecte. Nam si humanam naturam Christi divinae coaequamus, iam Marcionitis fenestram adperuimus, Christum non vere fuisse hominem adserentibus: si enim Christi corpus loco non definitur et circumscribitur, vere corpus non est. Sed apage cum his latebris quae nos tegere nequeunt, naturasque duas in Christo ne confundamus, quo perpetua de eis concordia inter pios constet (non enim ignoras quantum malorum hinc nasceretur, si confunderemus), sinamusque filium hominis esse in coelo divina natura, etiam cum in terris doceret, algeret, sitiret, esuriret, tristis esset secundum hominem. Ac rursum sinamus eum, qui patris thronum nunquam deseruerat, quatenus deus est, ascendere ad patrem, relinquere mundum, abire, non semper esse nobiscum, quatenus homo est, ne Scyllam declinantes in Charybdin impingamus. Nunquam hoc dixerunt ulli Theologorum recte colligi: Divina natura non potest circumscribi; ergo humana Christi non potest circumscribi. Id quod vel una Augustini sententia ostenditur, quae in Decretis Pontificiis de consecr. dist. 2. cap. prima repetitur, ubi sic legitur: Donec seculum finiatur, sursum dominus est; sed tamen etiam hic nobiscum est veritas domini (hic non arbitror te ignorare veritatem Augustino Hebraeorum more accipi pro fide, qua ille gratiam quemadmodum promisit impertit). Corpus enim, in quo resurrexit, uno loco esse oportet; veritas autem eius ubique diffusa est. Vide quas machinas ex armamentario pontificis, si res postulet, educere possimus! Sed nunc de isto articulo satis tibi factum spero; reliqua ipse iamdudum tecum reputavisti, ut arbitror, quae passim in scripturis manifeste probant Christum sic a nobis ad patrem ascendisse, ut isthic sit, ut: Vado vobis parare locum; et: Cum essem cum eis, ego servabam eos, et similes. Non enim Christi corpus minus est circumscriptile, quam nostrum aliquando erit: ipse enim est primitiae ac praeitor resurrectionis dormientium.

Secundus autem articulus: Sedet ad dexteram dei patris omnipotentis; et tertius: Inde venturus est iudicare vivos et mortuos, non minus in

discrimen vocarentur quam primus, si Christi corpus in eucharistiae pane adesset. Oportet enim Christi corpus ad dexteram patris sedere, donec ad iudicium redeat. Quod David olim cecinit: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Quo tam Christus ipse quam Paulus verba sua retulit, ille quum diceret coram Caiapha: Veruntamen, dico vobis, posthac videbitis filium hominis sedentem a dextris potentiae dei et venientem in nubibus coeli; iste, quum Corinthios de resurrectione docet 1. Cor. 15: 25. ubi ait: Oportet ipsum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedes eius. Videmus his testimoniis perspicue, nihil aliud operae Christi carni praescriptum esse, quam ut sedeat ad dexteram dei, donec ad publicum tribunal disceptaturus cum omnibus gentibus redeat. Cur ergo eum alibi quaerimus, praesertim quum dicat *donec*, quae vox ipsum dexterae dei alligat usque ad praestitutum diem, sic ut facile intelligamus nusquam unquam alibi futurum esse, quam ad dexteram dei, nisi quantum ad tribunal satis erit; tum se rursus in perpetuum dexterae solium recepturum esse? An Stephano invicto militi fidem derogamus, qui dixit: Video coelos apertos et filium hominis sedentem a dextris virtutis dei? Iam et hoc quam inconcussum ac immotum sit, quod Act. 1: 11. duo angeli praecones ad hunc modum coram tota fidelium concione promulgant: Viri Galilaei, quid statis in coelum specatantes? ille ipse Iesus, qui adsumtus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum. Quo ergo pacto abiit? Videntibus illis ac salutatis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis eorum. Si ergo, Billicane mi, sic eum vidi in panem descendere ut discipuli viderunt ascendere: contumax ero si negem eum in illo coenitari; sin minus vidi hoc pacto in panem descendere: audax ero si adseram adesse, qui non potest nisi visibiliter redire. Sicut enim fulgur ab Oriente progreditur subitoque usque ad Occidentem pertendit: sic et Christi adventus a dextera patris adeo conspicuus erit, ut nemo cogatur quaerere ubi sit; nemo debeat eum aut in penetralibus aut agro ostendere. Non ignoro quid quidam hic dicant: Ille adventus in panem eucharistiae est alius. Tu ergo istum alium sacris quoque literis nobis exponito! nos eum ignoramus hercle. Sed fortasse praestat operam non frustra insumere: vereor enim citius Christum ad iudicium rediturum esse, quam tu id efficias. Cum enim redibit, cum magna maiestate veniet, non obscurus, non humilis, non invisibilis; comites erunt omnes angeli, sedebitque super sedem maiestatis suae etc. Matth. 25: 31. Quandiu ergo eum non sic venisse videmus, neque mundum iudicare, cessemus o male feriati, adesse dicere quod nequit adesse.

Sed et miraculi novitatem (quam ad retundendum rudem istum corporeumque verborum domini sensum plerique producunt) quum elevas, parum aeque facis: non enim miracula in isto sacramento adnumeramus in hoc, ut putemus fieri; sed ut discamus hic miraculorum nihil esse, nos vero solo verborum strepitu tumultuari. Ubi enim unquam, quaeso, miraculum fecit Christus quod nemo sentiret? nemo experiretur? An caeci, quibus lucem reddidit, sic videntes erant, ut nihil viderent? An ipsi quidem videbant, sed aliis nihil quam caeci

videbantur? An quum inter initia conditionis mundi constare lucem iussit, ipsa sic obtemperavit ut esset quidem, at non videretur? Non arbitror. An in eremo מן השׁמים sic pluit, ut non sentiretur? Unde ergo illis nausea et fastidium? Sed non sic habent omnipotentis opera: caecis sic lucem induxit, ut ipsi cum universis viderent eam esse restitutam. Lumen, quod rudi materiae adhibebat in exordio conditionis, tam clarum erat, ut rerum omnium quae producebantur faciem proderet. Panis, quo in eremo vescebantur, aliam speciem prae se ferebat, quam gustus experiretur. Hoc erat miraculum: similis enim coriandro cum esset ac velut grando albus, palato tamen collubitum saporem, nervis, ossibus, compaginibus robur ac universo simul corpori alimentum suppeditabat. Hic autem, cum nihil eiusmodi fiat, cur tam impudentes sumus, ut per miraculum fieri dicamus, quod nemo videt, sentit, experitur? quod neque Christus ipse prodidit neque Apostoli? Nonne vehementer Marcionissantes isto miraculo omnibus miraculis suspicionis notam adurimus? Nonne mens alioqui infirma sic secum dubitabit, quod Iudaeos perpetuo dicere audere audimus, an qui a mortuis excitati sunt per Christum vere excitati sint? Imo Christi ipsius resurrectio in dubium ista miraculi assertione indubie saepenumero vocata fuit. Panem et vinum esse panem et vinum sentimus, neque ullus unquam sensus aliter expertus est, et nos omnium fidei miraculum obtrudimus, ac ex verborum nostrorum praestigiis miraculum facimus? Scio ut hic quiritentur insani quidam: Proh deum fidem, isti carnem ad sensum revocant. Si sensu constaret res, quid fide esset opus? Quibus ego: Nos Christi corpus, non aliter ac scriptura ipsa facit, ad sensum revocamus, cum Thomas senserit, et nos veniens ad iudicium clarissime visuri simus. Sed per miraculum hic edi adseverare (cuius miraculi mentio in scripturis penitus nulla invenitur) dicimus incircumspecte fieri, quod miracula non sunt hactenus habita miracula quae nemo unquam expertus est; quumque hic constanter adseramus miraculum, fieri nequit, ut non omnium miraculorum Christi fidem labefactemus.

Hos, Billicane, tam apertos scripturae locos, si errare nolumus, debemus, antequam ad verborum Domini expositionem accedamus, ponderavisse ac citra eorum cognitionem nihil pronuntiare: haec enim, nostro bono, temerariae expositionis curriculo non aliter obstant, quam angelus mulae Bileami districto gladio pertinacem cursum impedivit. Non enim undique pium est, quod quidam monent, verba ista domini: *Caro non prodest quicquam*, potius exponi per ista debere: *Hoc est corpus meum*, quam contra haec per illa. Si enim per: Hoc est corpus meum, dictum: Caro non prodest quicquam, exponas: ante omnia cogeris carnem dicere multo plurimum, si edatur, prodesse: qua, quae maior vis potest his verbis fieri? In contrarium enim sensum non accepta, sed captiva ducta erunt, ut hoc vel simile eis extorqueatur: Caro Christi manducata plurimum potest. Vide quo imprudentes nonnunquam eamus, dum nostro errori praesidia undecunque contrahimus? Quod si quidam in isto errore invitis, quod dicitur, canibus perstare contendunt: iam nos illorum pertinacia decet nihil moveri, cum iam

dudum debellatum sit, Christum his verbis a corporea carne comedenda deterruisse. Neque solum id incommodi, quod verbis dominicis vim fieri sequeretur, sed iam omnium errorum, impossibilium et absurdorum in hac causa, universa cohors simul irrumperet. Iam confunderentur naturae in Christo, cum tribueremus eius corpori, simul esse ad dexteram et in infinitis locis, non aliter ac divinae naturae. Iam sequeretur eum visibilem adesse in sacramento oportere: sic enim adesse deceret, ut in coena adfuit, et angeli promiserunt eum esse rediturum, sicut abire visus est. Quem errorem item gravior alius sequeretur, nempe ut (sicut est audacia) quisque diceret se videre ac sentire, quod nemo sensit aut vidit unquam. Iam his verbis: Me autem non semper habebitis; et: Iterum relinquo mundum, et vado ad patrem, et similibus: sic omne ingenium esset ademtum et sensus, ut reiectitia fieri oporteret ac sola inter omnia verba domini esse incommoda, inepta, inutilia, falsa: non enim possent de divina natura intelligi, quae fide et gratia nobiscum est usque ad saeculi consummationem; non de humana, quae perpetuo in isto pane esset nobiscum. Sed procul hinc εἰς κυνοσαργὲς cum his monstris errorum! Contra vero una ista scutica: Caro non prodest quicquam, simul haec verba: Hoc est corpus meum, recte dirigamus, et errores omnes propellamus! Habent enim et divina verba ordinem suum, quem si negligas, currum bubus praeficies.

Cum itaque tam planis tamque manifestis cum Christi verbis, tum irrefragabilibus fidei Christianae articulis, doceamur corpoream Christi carnem edi nulla ratione posse: quid oro causae est, cur tantopere in expositione horum verborum tam violenta perstemus? praesertim cum vel manibus veritatem ipsam comprehendamus, ac crassam duramque expositionem istam ex nostra caecitate proficisci intelligamus: quae ad schematismos sive locutiones Hebraeorum haud aliter, quam ad solem noctua et ingenerosus aquilae pullus, connivet et alucinatur? Quin et tacita verborum facies ubique hoc prae se fert quod cupiant in hunc sensum accipi et exponi, ut panis et vinum significatio aut repraesentatio sint corporis et sanguinis, non ipse panis et sanguis. Quod hisce signis tanquam amicabili nutu indicare gestiunt: Hoc facite in meam commemorationem, et: Mortem domini annuntiate donec veniat! Unde necessarium non esset tropi genus explicare: satis enim iam notum est hunc esse sensum, quod panis et vinum symbola sint ac signa carnis et sanguinis, quae nunc in dextera dei sedent. Sententiam enim rectam atque veram cum teneamus: non debent verba putari aliud posse, quam quod veritati concordet. Sed ipsi caecitatem nostram debemus et agnoscere et arguere, quae per ignorantiam verborum veritatem ipsam labefactare adgredi fuit ausa; quemadmodum Augustinus, ut paulo ante diximus, graviter prodidit. Est enim non modo in sacris literis, sed in omni lege, oratione, ritu, praecepto, edicto, mandato, perpetua lex ista, ut mens ac sententia verborum debeant vim ac ingenium ostendere et moderari; non contra rudis ac pulla verborum vis sententiam turbare. Quod cum infinitis utriusque scripturae, tum sacrae tum profanae, exemplis probari possit, tum vel uno isto dilucidum fit: iubet Christus, ut si pes nos offendat, rescindatur. Hic si mentem Christi velis ex verborum praescripto

metiri: non modo mancos aut mutilos, sed truncos omnes homines feceris, etiam si pedum numero polypodas et echinos superaremus. Cum autem contra mentem Christi tenes, qua his sermonibus praecipit eum de corpore suo, quod est ecclesia, abscindi, qui contagione sua omnes, ceu cancer, nisi arceretur, vitiaret: iam vides non tuum, quo niteris, pedem rescindendum esse, sed eum fratrem, qui officio usuique nostro tam est intentus ac fidus, ut est pes pedi. Sic et hoc loco, qui fit, ut sententia recte intellecta ad verborum rusticam vim convertamur, qua veritatem aut infirmemus aut in mendacium vertamus? quid hoc praeposterius dici poterit? Moderatur sensus perspicuus verba minus perspicua, non verba sententiam. Alioqui nihil solidum aut sanctum nobis fit in omni vita reliquum: non enim quotidiani sermones sancti ac tuti erunt ab impetitione. Sic semper est in verbis, quod si urgeas possis menti ac sententiae dicentis obstrepere.

Attamen cum semel coeperimus ostendere etiam verborum vim a nobis stare (id autem propter eos potissimum qui pia quadam verecundia semper metuunt ne sacrosanctis domini verbis praeter dignitatem aliquid eveniat, si paulo virilius ac robustius tractentur, in quorum numero Te quoque ponimus): visum est extra calumniae aleam futurum, si rursus ad elementa literae convertamur; maxime quum tu adeo constanter ad ea nos revoces, dicasque, tametsi diversa, sed in diversis locis: priore tamen, omnem disputationem hanc esse grammaticam. Quod nos de verbis admittimus, non de re. Nam ista non nititur his verbis: Hoc est corpus meum; sed his veluti legibus: Caro non prodest quicquam; sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum; hoc facite in meam commemorationem; quotiescunque manducabitis panem istum et calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis donec veniat; unus panis unum corpus, universa concio sumus: omnes enim de uno pane et de uno calice participamus. Altero vero loco dicis, spiritum sanctum nullam sibi grammaticam finxisse, sed verbis e nostra consuetudine usum esse. Convertimur igitur ad paupertina ista elementa te impulsore, non eo animo, ut eis spiritui sancto habenas aut lupata velimus iniicere; sed ut posteaquam veram sententiam ex illius arcanis hausimus, liquido declaremus, verba coenae, quae tam inscite alio trahuntur, aeque cum sancto spiritu concordare, ac cithara David exterior concordabat cum interioribus animi chordis, quum arcam domini induceret; quas ita spiritus sanctus pulsabat, ut simul regis simul reginae ac totius imperii oblitus, cantor et psaltes, sancta lascivia secundum illius tum modum ac mensuram, tum arses et theses saltaret. Convertimur autem ea lege, ut videri nolimus nostram sententiam his elementis fulsisse (id enim nefas), sed sicut dictum iam est, ut elementa quoque demonstremus cum sententia concordare. Res enim sic constat ac firma est, ut et si universus orbis elementorum, hoc est literae, expositionem respuat, ipsa tamen immota maneat.

Negas igitur primum in verbo *est* tropum inveniri posse (nam alia mittimus, ubi nos cornicum oculos configere voluisse insimulas ac Tertulliano videri prudentiores; sed quam id candide facias nos candide praetcribimus), quod Grammatici hoc vetent. Equidem hanc eorum

legem aut ignoro, aut infitior. Ignoro: commode enim dicimus in statuam sive Coclitis: Hic est Horatius Cocles, sive in chlamydatam Syllae: Hic est chlamydatus Sylla. In quibus orationibus nihil refert, tropum in verbo an in praedicato statuas; de quo paulo post. Infitior, quoniam si Senatus populusque Grammaticorum, tam Graecorum quam Latinorum, legem sanxisset: In verbo substantivo nullus tropum investigato! municipia tamen Hebraeorum eam legem nondum acceperunt, nec iure cogi possunt, nec sperandum est unquam accepturos esse; quod eis tantopere sit incommodaturum non propter verba substantiva, quibus illi parcius utuntur; sed propter eos sermones, qui a nobis per substantiva exponuntur, quorum ingens apud eos vis est. Non possunt ergo nostrorum vel leges vel plebiscita Hebraeis praeiudicare, quo minus illis liceat essentialibus praedicationibus more troporum uti. Quanquam non prorsus e troporum usu eiicis substantiva: sic enim excipis: Tropus substantivo verbo non detur, nisi ob innovatam translatamque significationem adiuncti! Hic tropum facile in verbo substantivo tua concessione adseram, in hunc modum: Quum dicit Christus: Hoc est corpus meum: quaero an hic *est* accipiatur substantive annon? Sin ita: iam panis est corpus Christi, errantque omnes qui adserunt panem non transire in corpus Christi, et pontificii rectissime sentiunt, cum perhibent corpus Christi sensualiter scortatorum sacerdotum volvi manibus, tractari, et aeque sensualiter dentibus nostris commoli; quo quid est absurdius? Si non accipitur substantive: vicimus. Nunc alia quoque via adgrediar, quum dico: Panis est corpus, ibi negari non potest, quin corpus non accipiatur novo modo, quemadmodum tu multis probas. Neque panis ergo tropus est in praedicatore verbo: aut enim tropicam esse orationem oportet aut corporeum Christum dentibus nostris discerpi ac sentiri. Vide ut per *ἀντιφέροντα* commode possemus Tua convellere, si luberet. Sed missa faciamus ista!

Non ignoras, ut arbitror, haec dialectica: nulla verba vehementius certiusque praedicare quam substantiva, et omnem propositionem obscuram in paucissima, sed clarissima debere redigi, peccatum enim esse, si pluribus quid faciam quod paucioribus fieri potuisset. Cum ergo dico: Christus est vitis, iam praedicans verbum *est* enuntiat de Christo, quod sit vitis. Ibi accedo lusciosus Zuinglius ac pervestigo quid hic incommodi sit, quod vitis non possit de Christo praedicari, et deprehendo, verbum *est* novo modo accipi oportere pro *similis est* *κατα-χρησικῶς*, quod is *essendi* modus non sit genuinus, ut sit sensus: Christus similis est viti. At ubi venit Billicanus, qui acutum cernit, videt in praedicato esse quo infractam praedicatoris verbi vim temperet, et dicit: Tropus est in hac voce vitis, quae perinde valet ac si dicas: similis viti; et est sensus: Christus est similis viti. Vide obiter, mi Billicane, haec est Helena pro qua digladiamur! Zuinglius dicit: Christus similis est viti; et Billicanus: Christus est similis viti: ille per catachresin, iste per metaphoram. Sed ut ad rem redeam, utque tibi non videaris causa esse superior: istud quoque hic notato, etiamsi frequens mos sit, ut in huiusmodi propositionibus tropum aut in *ὑποκειμένῳ*, hoc est subiecto, aut in *κατηγορουμένῳ*, id est praedicato, explicemus, totum tamen

fieri, ut constans verbi vis immutetur: duobus enim extremis, subiecto et praedicato, cum aliquid additur vel adimitur, solius praedicatoris verbi causa istud fit. Id quod tu quoque fateri cogeris, cum substantivis tropum concedis, sed dum adiuncti significatio mutata est aut translata. Ergo omnis vis translati adiuncti huc tendit, te quoque iudice, ut nativum verbi ingenium restinguatur: quo palam fit nullibi rectius tropum explicari quam in verbo. Cum ergo dicimus: Christus est vitis; et praedicatum secamus aut mutamus in similis viti, solius verbi *est* causa facimus, quod vitem de Christo praedicabat: quod tamen ratione nulla fieri potest, ut Christus sit vitis. Opus est ergo ut verbi vis mutetur, aut in aliud derivetur. Dicimus igitur: Christus similis est viti, ubi *similis* proxime imminet verbo est, quo vim eius vehementem temperet; aut: Christus est similis viti, ubi *similis*, praedicati provinciam subiens, vehementem verbi vim in se excipit: in vitem enim tendere nequibat neque eam vere de Christo praedicare. Sumus ergo nos causa longe potiores cum tropum in ea voce explicamus ad quam tua quoque explicatio adtinet, etiamsi in alia propositionis parte id facias. Tractemus ergo aliquam propositionem, quae ad propositum nostrum est commodior! *Ager est mundus* secundum vos non potest commodius exponi, quam: Ager est *exemplum* mundi; vel: Ager est *similitudo* mundi. Ibi nos alteram legem secuti dicimus: Ager *significat* mundum: sic enim et brevius et clarius enuntiamus. Vides nunc, mi Billicane, cur neque Oecolampadius noster sit offensus cum videret nos dicere: Panis significat aut repraesentat corpus, vel: Panis *symbolum* aut *signum* est corporis; neque nos offensi simus cum ipse diceret cum Tertulliano quoque nostro: Panis est *figura*, hoc est signum aut repraesentatio corporis. Sive enim in praedicatore verbo tropum explices sive in praedicato: parvi refert: utrumque enim fit, ut praedicantis verbi vis aut mitigetur, ne id de subiecto praedicet quod ferri non possit; aut in id vis eius dirigatur quod de subiecto queat praedicari. Ut cum illi dicunt: Panis est figura sive signum corporis, ibi signum vel figura vim verbi de integro excipit, ut nihil queat incommodi parere.

Istud quoque tibi imposuit quod ignoravisti, non protinus translatum esse vocabulum aut orationem, cum dicimus in ea tropum subesse. Cum enim dico: *Hic est Cocles*, ista mihi oratio clara est et aperta. *Hic* enim demonstrat mihi rem praesentem, videlicet statuam; et *Cocles* non est translata vox, sed verum Cocitem mihi significat, qui olim hostem tantopere moratus est donec a tergo eius pons incideretur, ac sese deinde in Tiberim deiectum suis incolumem reddidit. Sed ista vox *est*, quae vehementissime praedicat, novam vim apud me induit: ponitur enim pro imago est, aut figura est, aut signum est, ut sit sensus: Haec statua imago est Coclitis. Vides iam, ut tam *hic* quam *Cocles* in superiore propositione nihil minus quam translata sunt? Qui autem non sic intelligit *est*, dicit: Haec statua non est Cocles: aes enim aut saxum heros esse nequit. Iam si dicas tropicam esse orationem, et tropum in *Coclite* explices, nihilo plus est translatum vocabulum Coclitis quam prius, sed perpetuo ponitur pro Coclite. Etiam si dicas pro Coclite statua Coclitis, haec est statua Coclitis. Vides ut utrobique Cocles non est translatus,

sed nativam significationem servat, etiam postquam ignaro dixisti tropicam esse orationem. Adpellabant autem olim Dialectici, dum nos apud eos mereremus, huiusmodi propositiones praegnantes. Hac ut reor causa, quod sicut femina praegnans una videretur, in utero tamen ferret simile quiddam, quod ad propagationem generis aliquando faceret: sic tales propositiones tam fecundae essent, ut vel alium sensum praedicantis verbi continerent quam palam videretur, vel quod extrema tam densa essent, ut duo ex eis fatere secando liceret. Et inter praegnantes, si recte memini, semper primam producebant istam: Christus est petra; et secundam: Christus est vitis, quas vel ad hunc modum exponebant: Christus significatur per petram, Christus similis est petrae; Christus significatur per vitem, Christus similis est viti; in qua expositione ipsum verbum *est* inciditur. Vel ad hunc modum: Christus est similis petrae, Christus est similis viti; in qua expositione praedicatum inciditur. At in his omnibus expositionibus servatur tam extremorum quam sententiae ingenium, sed istud ingenium quod veritas dictat. Est et alius canon Dialecticis: voces eandem significantiam, si naturaliter accipiantur, servare, sive in recto sive in obliquo ponantur; sed non eodem modo. Cum ergo dicimus: Christus est vitis; et: Christus est similis viti, utrobique vitis accipitur naturaliter. Sed quum nos troporum rudes sumus verbisque rusticis haeremus, non capimus Christum esse vitem. Qua quaeso ratione? Ea nimirum, quod et Christum et vitem naturaliter accipimus. At quanto id constantius facimus, tanto minus constat praedicatio. Quanto enim magis naturalem vitem intelligimus, tanto minus recipi potest Christum esse viteum fruticem. Attamen naturaliter accipi oportet, quia rudes troporum nolunt aliter intelligere quam dicitur. Sic ergo fit, ut vocibus in naturali significatione missis medicamenta praedicanti verbo adhibeamus, sive vim eius cohibendo, sive in alia praedicata excurrere permittendo. Ut cum hostem aut tenemus ne nocere possit, aut nos ipsos sic tuemur ac tegimus ut nequicquam ab illo petamur. Vides, ut omnia huc tendant, quod opportunius sit condimentum ipsi verbo adhibere, quam praedicato gratia verbi; nos tamen nihil morari, si nostra in hac parte sententia Dialecticis non placeat, sed placeat tropum in praedicato expedire. Modo in sententiae summa conveniamus!

Tentemus nunc Christi verba expedire: Accepit Iesus panem etc. Accipite, et comedite! Hoc est corpus meum. Ibi tam *hoc* quam *corpus* naturaliter accipiuntur. Sive enim isto pronomine *hoc* panem demonstres sive festivitatem: nihil movebimus. Corpus autem accipitur naturaliter, nempe pro eo Christi corpore, quod pro nobis passum est: ipse enim addidit: Quod pro vobis frangitur. Quoniam autem corpus eius vere, naturaliter ac sensualiter est pro nobis passum, nos vero non sic edimus naturaliter et sensualiter: iam re ipsa constat verba ista Christi praegnantia esse, ac tropum in se habere. Nos tropum sic expedimus: Hic panis symbolum est corporis mei quod pro vobis traditur; aut: Hic panis repraesentat, signat, figurat, significat corpus meum quod pro vobis traditur. Nunc indubie vides nos ista causa perpetuo in *καταχρήσει* verbi substantivi constitisse, quod nonnihil vividius ac

penitius visum est eam vocem recte tractare, ex qua sola cum veritas, si recte; tum error, si minus intelligamus, pendere videtur. Oecolampadius et Tertullianus Grammaticorum legibus sic servierunt, ut tamen viderent verbi substantivi vim immutari, etiamsi in praedicato tropum expedirent. Per metonymiam ergo a praedicato rem adgrediuntur: Hic panis est figura corporis mei quod pro vobis traditur. Vides hic corpus metonymicως pro figura, hoc est symbolo vel signo corporis accipi? eo, quod huius corporis, hoc est mortis commemorationis institutor panem istum sic adpellaverit; sive καταχρηστικῶς, quod institutor aliam vocem unam non haberet qua corporis symbolum vocaret, unde corpus vocavit. Ubi tu quoque visus es non clare videre ingenium huius vocis Tertullianicae *figura*, quam ipse pro signo, symbolo, significatione ac repraesentatione accipit. Ut apud eum cum alibi tum clarissime libro adversus Marcionem primo patet, ubi sic ait: „Nec panem (reprobavit scilicet), quo ipsum corpus suum repraesentat.“ Hic manifeste potuisses deprehendere quid vocaverit *figuram corporis*, nempe panem, quod is in gratiarum actione figuraret, significaret aut repraesentaret verum Christi corpus, quod pro nobis est traditum. Quomodo Augustinus quoque in praefatione tertii Psalmi loquitur, ad hunc modum disserens: Iudam quoque adhibuit ad convivium, in quo corporis et sanguinis sui figuram discipulis commendavit. Quibus omnibus speramus, Billicane, perspicuum tibi fieri, quod etsi ad languida ista philosophiae elementa convertaris, te tamen causa esse longe inferiorem; nec inter Tertullianum ac Oecolampadium et Honium Batavum ac Zuinglium quicquam esse dissidii, sed causae vehementer suffragari, quod tropus utroque modo, tam in verbo, quam in praedicato, adde etiam in subiecto, si prolixitatem vitare nollemus, tam commode potest expediri, quum vos, qui diversa sentitis, nihil quam obstinationem: *Sic volumus, sic iubemus*, habeatis, obstantibus ac reclamantibus tot apertissimis scripturis, fidei articulis, sensu communi; imo Christo ipso, Apostolis ac priscis omnibus renitentibus.

Quod autem tam multis agis, ut probes Hebraeis, in locis a nobis adductis, non esse verbum *est*, usque adeo infirmum, imo nihilum est, ut silentio ferme praeteriissem; nisi viderem nonnihil utilitatis ad lectorem esse rediturum, si brevibus et hanc latebram perlustremus. Verum est itaque Hebraeis nusquam in dictis orationibus: *Septem boves crassae sunt septem anni* etc. et: *Hoc est* הוּא, esse verbum *est*. Causa huius est, quia Hebraeus sermo non est Latinus: nam si Hebraeus esset Latinus, indubie esset in his locis verbum *est* aut *sunt*; vel si Latinus esset Hebraeus, nusquam esset *est*. Cur ista suffugia quaerimus? Vincas, nusquam esse verbum *est* aut *sunt* in praedictis orationibus: quid quaeso inde reportabis? Dicam: Ergo neque in Christi verbis erit *est*. Non enim infitiari potestis Christum neque Graece neque Latine locutum esse. Quod tam multis scripturae locis patet, in quibus tum Apostoli, tum Evangelistae primum verba eius syllabatim adnumerant, ac mox interpretantur Hebraicas voces. Quod et Lucas imitari voluisse in verbis *poculi* recitandis videri potest, in quibus *est* omissum est. At si vicceris, iam superatis omnibus eritis superatiores. Omittemus

enim *est* in verbis Dominicis, ac sic dicemus: Hoc corpus meum, vel: Corpus meum hoc. Ex qua nunc materie carnem excitabitis? Non ex pane: nam non permittemus licere dicere: Panis est corpus, cum Hebraismus secundum te abhorreat. Si vero res ipsa vos cogat fateri, hanc orationem: *Corpus meum hoc*, perinde valere atque: Hoc est corpus meum, quid est de quo nobis tanta controversia nasci debeat? quum sermones isti et similes Hebraeorum: זהמ *hoc*, et *septem spicae plenae septem anni uberes*, ipsi apud nos aeque polleant atque isti ac similes: Hoc est זהמ, et: Septem spicae plenae sunt septem anni uberes? Nec est cur fingamus Christum his vocibus שי et אוה usum esse, cum videamus spiritum sanctum voces suas agnoscere, ac in perpetuo quodam usu habere. Indubitatum ergo est Christum his verbis in institutione huius sacramenti usum esse, quibus olim erat usus in constitutione commemorationis facti veteris. Contrarium enim quoniam scripturis probari non potest, eadem ratione reiiceretur qua esset adductum. Cur ergo tantopere laboras in adducendis exemplis, ubi etiam apud LXX. absit *est*, cum in his locis, ubi deest, vel ex idiotismo, vel *κατ' ἔλλειψιν*, cum primis in sententiae intellectu adsit. *Hoc nunc os ex ossibus meis* per idiotismum Hebraicum reticet *est;* at nulla vox tam necessaria est ad intellectum sententiae quam *est*. Eodem modo ubi per ellipsin abest. Idiotismum autem voco, cum demonstrativa accipiuntur vice verborum substantivorum; ellipsin, ubi nec demonstrativum nec verbum substantivum adest, ut Exodi 9: 27. Dominus iustus; ego autem et populus meus impii. Ibi desunt tam *est*, quam *sumus*, sed in mente inter prima praesto sunt.

Deinde nos non adduximus posteriorem locum Exodi 12; 27. *Victima paschatis haec Domino*, quo tropus explicatur; sed priorem: זהמ *hoc est Domini*, ubi sic diceret Latinus: Hoc est Paesa Domini, sicut et hic dicit: Hoc est corpus meum. Ubi irrefragabile est cum Hebraeis suum אוה, tum Graecis et Latinis *est*, significative aut repraesentative accipi: *Hic est transitus*; id est, ut Moses ipse habet posteriore loco, quem tu nos adduxisse putavisti: Haec victima est transitus Domini; quum tamen ne primus quidem agnus esset transitus, sed symbolum transitus ac tessera. Sic cum hic dicit (ut secundum Hebraicum Makef transferamus): Victima praeteritionis domini haec est. At cum agnus iste symbolicus caederetur: nonne hoc fiebat in commemorationem eius, quod olim ac semel factum erat? Ergo significative accipitur sive *est*, sive אוה: repraesentabat enim haec agni mactatio praeteritionem antiquam.

Hoc quoque lepidum est, quod negas in hac oratione: Septem anni *ipsae*, vel: Septem anni *sunt*, significative locutum esse Iosephum; permittis tamen tropum ex dictione *boves* erui, vel ipso Iosepho interprete, qui ubi obscurum sermonem suum explicat: sic dicit: Ecce septem anni venient fertilitatis magnae in universa terra Aegypti. Quid? hic primum boves in annos conversi sunt? quo ruis? An non post principia dixerat: Septem boves sunt septem anni? Cur ergo tu dicis hic primum aperiri quid sibi boves voluerint in somnio? De hoc erat quaestio, cur ex bubus annos faceret isto verbo *sunt*, cum diceret:

Septem boves sunt septem anni. Et Ioseph ipse, quid senserit, postmodum exponit, cum dicit: Ecce septem anni venient fertilitatis magnae in universa terra Aegypti. Cur non vides hic: Venient? Si ergo venturi erant anni ex somnii praedictione, iam luce clarius fit, septem boves portendisse vel significasse septem annos. Quod Iosephus ille, qui Antiquitatum historiam scripsit, II: 3. testatur, cum sic ait: Visio quidem ista, Rex, licet duabus formis adparuit, unum terminum tamen eundemque *significat* futurorum. Quod enim boves vidisti, animal in aratri labore fortissimum, a peioribus devoratas, et spicas a minoribus fuisse consumtas, famem et sterilitatem Aegypto totidem annis praenuntiat. Miror, Billicane, ista dormiens an vigilans scripseris. Si dormiens aut oscitans fortasse: debetur venia; quum et ille immensus Iliados auctor dicatur nonnunquam dormire. Si vigilans: non debemus, mi frater, in sacris literis ad hunc modum *καπηλεύειν*.

Nunc te spero clarissime videre, etiamsi tam Graecis quam Latinis substantiva verba tropum respuerent, Hebraeorum tamen demonstrativa, quibus isti substantivorum vice utuntur, creberrime esse tropica. Nam et tua disputatio, qua laboras Hebraeis non esse substantiva in dictis locis, et tua opinio, qua negas substantiva troporum esse capacia, fidelissime pro nobis utrumque facit. Si enim substantiva tropum non recipiunt, iam in ipso tempore, quod rerum omnium primum Comicus esse putat, adseverasti substantiva Hebraeis non esse. Facilius ergo tropum in aliis dictionibus investigabimus te duce. Sed absint strophae! Hoc est Paesa; septem boves sunt septem anni; semen est verbum dei; ager est mundus; messores sunt angeli, omnia haec et similia tropum non modo resipiunt, sed ita in verbo *est*, invitis Grammaticis, Graecis et Latinis, habent, ut nemo possit diversum adserere. Ubique enim tam subiectum quam praedicatum naturaliter accipiuntur et solum verbum *est* apertissime *καταχρηστικῶς* novam significationem secum adfert, cuius non habemus aliud unum verbum. Cum autem tu mavis in subiecto aut praedicato tropum apparere, nihil moror, quod fortasse Latini erunt nobis hac ratione placabiliores et amiciores, si morem suae linguae probe servaverimus. Neque id novum est, nomina alicuius linguae in altera *verbis* reddere ac contra verba *nominibus*; modo conatus omnis hue tendat, ut verbi substantivi crassa primigeniaque vis frangatur ac significative accipiatur aut symbolice.

Quum autem (non dicam quod Christo isthic *ἐπίθετον* ex contrario addis) iniquos Matthaeum et Marcum futuros fuisse putas, quod rem nulla ratione dissimulandam non pluribus explicuerint verbis; si quidem deberet ad hunc modum intelligi quo nos intelligimus: an tu hic non uteris coniectura illaque frigidissima? Non enim erant discipulis obscura, quae nobis videntur. Quotannis enim audierant in feriis agni *μνημοσύνα*: זֶה *hoc est Domini*, sensumque verborum intellexerant, agnum videlicet non esse praeteritionem, sed praeteritionis symbolum. Lege caput XIII Exodi! Sic et isto tempore, quo Christus beneficii sui commemorationem constituebat, non sic peti erant, ut vetera non repeterent, quae Christus paulo ante in hunc usum refricuerat, cum diceret: Desiderio desideravi hoc Paesa manducare vobiscum, ut in locum veteris

facti ac typici ostenderet, se novi ac veri commemorationem aeternam constituere. Quum vetera igitur illis praesentissime haererent nihilque melius nossent quam suam linguam: non fuit illis opus multa verborum pompa. Quin ut ubique videas cum coniecturas tuas, tum argumenta iacere, hic quoque in te *ἀντιςρέφομαι*. Sic: Si Christus hoc istis verbis voluisset, quod vos adversis ventis contenditis: iam opus fuisset pluribus, nempe talibus aut similibus: Nolite, inquam, admirari hoc! Hoc corpus modo ineffabili comedetis. Panem dentibus commolietis, sed panis iste erit corpus meum, quod nec sentietis nec experiemini. Vides quid hoc sit, aliis vetare quod tu simul committas? Negas te coniecturas auditurum; at ubicunque licet eis gnaviter non uteris, sed niteris.

Hoc quoque praetereundum non est, quod quanquam inter initia mones, totam hanc disputationem esse grammaticam, ac paulo post, vereor, tui oblitus dicis: spiritum sanctum nullam sibi finxisse Grammaticen, ante calcem tamen Epistolae, iterum ad philosophiae conversus elementa, dialectica omnia metiri conaris; ubi sic laberis, sic alucinaris, sic totus caecutis, ut nullius me rei sic tui causa pigeat atque eius, quam modo dicturus sum. Dialecticis enim quum uti volebas, cur non melius experiebare? Si ignorabas, cur alienae officinae armamenta attingis? Non sumus ex hoc hominum genere, quod nihil ignoscere, quod ad nulla connivere didicerit: id quod vel haec nostra responsio abunde testatur, in qua sic amice amanterque tecum agimus, ut iratissimos inimicos non dubitemus iure nos accusare non posse. Attamen rursus ferri nequit, cum verborum praestigiis nebula simplicium oculis obtenditur, ut ad veritatem oculos attollere nequeant. Tacuissem ipse perquam libenter huno lapsum, si tacere possent hi, qui ad loquendum quum sint imperitissimi ad tacendum tamen sunt impotentissimi; qui mox, ut hanc oscitantiam tuam non attigissemus, in medium prosilirent, dissolutaque esse negarent quae maxime valerent. Est autem id, de quo tam multa: Cum adversum Tertullianum et Oecolampadium tam vehementer dimicas, corpus et sanguinem non posse pro figura corporis et sanguinis accipi: sequi enim in verbis Dominicis: Quod pro vobis traditur, et: Qui pro vobis funditur; nunc autem figuram non esse pro nobis nec traditam nec fusam, nec posse, cum quod figura non possit esse nisi rei; vere ergo oportere Christum esse occisum, tum quod hac ratione periculum esset, ne Marcionis sententiae calculum adderemus. Haec fere summa est tuorum, in quibus tot sunt alucinationes quot verba. Ignosce, si te paulo incivilius tractavero! nec tamen animus est pro dignitate id facere. Primum, uteris voce *translatitii* pro translato vel translatione, quo modo Latini non utuntur, sed paulo aliter; quamvis hoc minutum est. Plinium legito! Deinde sic contendis: Si in his verbis *hoc poculum est sanguis* sanguis translatitius est, ut accipiatur pro figura sanguinis, necessario sequitur, translatitium sive figuratum sanguinem pro nobis esse fusum: quo quid magis impium dici posset? Cognosce ergo ante omnia sanguinem, quemadmodum supra quoque diximus, non esse translatum. Non enim sequitur: In hac dictione est tropus; ergo est translata; sed sic sequeretur: Haec dictio est translata; ergo est in ea tropus. Nam non omnis tropus est translatio,

quia non omnis tropus est metaphora, quae proprie dicitur translatio. Haec enim potissima causa est, cur digladiemur, quod sanguis naturaliter accipitur. Hoc enim cum fit, iam redditur disparata propositio, cum scilicet sanguis ille verus non potest de poculo quod *bibimus* praedicari. Postremo cum sic dicunt Tertullianus et Oecolampadius: Hoc poculum est figura sanguinis; et: Hic panis est figura corporis, ibi tu putas figuram de corpore et sanguine praedicari, quo nihil minus est. Imo adhuc ignoras quid sit subiectum in ista propositione: Panis est corpus. Sic enim habent tua. Quomodo enim ὑποκείμενον (id est subiectum) huic axiomati esset *corpus*, si praedicatum ei non conveniret? Putas ergo subiectum esse corpus, quod non est, sed praedicatum secundum vos: praedicatis enim de pane quod sit corpus. *Panis* autem est subiectum, *est* praedicator est, *corpus* quod praedicatur. Cum igitur Tertullianus et Oecolampadius ex vera scientia non dialectices, sed fidei vident verum Christi carneumque corpus hic edi non posse: vident etiam dialecticam renuere, ut corpus de pane praedicetur. Ut ergo satisfaciant parvulis, qui adhuc putamen verborum lambentes ad nucleum non penetrant, docent hic tropum κατάχρησιν aut μετωνυμίαν esse, quarum utraque hoc potest ut aliud eius loco, quod respuebat praedicari, ponatur, tropumque sic dissolvunt (omnia enim praemandam, priusquam inseram): Hic panis est figura corporis mei quod pro vobis traditur. Ibi *hic* panem verum istum, quem praebebat, demonstrat, estque cum hac voce *panis* subiectum propositionis. *Est* autem accipitur nunc naturaliter, et est praedicator propositionis sive copula, ut vocant. Figura vero nihil minus accipitur naturaliter et est praedicatum propositionis: dicitur enim de pane quod sit figura. Ne tu hic, amice mi, velis figuram pro alio quam signo, symbolo, repraesentatione, significatione accipere: nam praedicti viri etiam non aliter acceperunt, ut paulo ante ex ore Tertulliani audivimus. *Corporis mei* restrictio est praedicati, figurae scilicet, ut ipsum non possit de alia figura intelligi, quam quae est symbolum corporis Christi. Ibi tu putavisti, figuram de sanguine praedicari quod nullo pacto sit. Cum itaque sic dicunt illi: Panis iste est figura sive symbolum corporis mei, quod pro vobis traditur, omnia naturaliter accipiuntur, et tropus in praedicato *corpus* exsectus est in signum aut symbolum corporis, sive κατὰ κατάχρησιν, quod hoc symbolum corporis non haberet proprium aliquod nomen atque unum, sive per μετωνυμίαν, quod primus auctor huius celebritatis, quam in commemorationem suae mortis instituit, hoc symbolum sui corporis nomine dignatus est. Ecce quam crassa Minerva cuncta explicuerimus. Quo nunc se tua vertent, quae figuram nescio quam de sanguine putabant praedicari, ac mox figuratum sanguinem minabantur fieri, si Tertulliano permitteretur ex sanguine figuram sanguinis facere, cum poculum sit figura, non sanguis? De poculo enim dicitur figura et de pane, non de sanguine: ut panis sit figura, hoc est symbolum corporis; et poculum sit figura, hoc est signum sanguinis, verorum istorum, quae pro nobis caesa sunt ac fusa. Vide, mi Billicane, et quid hic passus sis et quo alucinatione tua nos abduxeris, non quod in his praesidii quicquam ponamus: tantum enim nos eorum pudet, ut si

ulla ratione declinare licuisset, ne digitulo quidem attigissemus. Verum cum tua his niterentur, neque ista quae primo loco considerata oportet recipere vellent: coëgerunt nos invitos in hanc arenam descendere. Quid enim omnia tua quam grammatica et dialectica sunt? Unum enim locum ex sacris literis non adduxisti, praeter istum 1. Cor. X: 10, quem ad Rhegium expediemus, qui nostrae sententiae suffragetur. Quo tuo facto quid aliud nisi via fit Sophisticae postliminio redeundi? Iam et hoc inconsiderate nimis admisisti, quod negasti aurem nescio cui bono viro, qui te monuit hoc relativum *quod* non referre figuram aut figuratum corpus, sed verum corpus; et certe rectissime monuit. Cum enim ad hunc modum dicunt Tertullianus et Oecolampadius: Hoc est figura corporis mei, quod pro vobis traditur: quid te, quaeso, moratur cur minus intelligas *quod* ad verum corpus referri? Homo dei fuit, qui te huius admonuit, in hoc dei bonitate ad te missus, ne sic labereris; at debuisti huic ei lapsum.

Quam autem inciviliter feceris, quod tropi in verbo *est* inquisitionem futile commentum esse dixisti, iam puto sentis. Futiles homines sunt, quibus ingenium tardum est, lingua promta, qui quicquid buccae suae nascitur, usque adeo mirantur, ut extrudant antequam maturuerit, qui per ora hominum volitare cum periculo, non tantum suo, sed veritatis etiam, quam domi sibi probe conscii esse malunt, quique quod sibi nunquam vere probatur aliis persuadere conantur, gratiae humanae gloriaeque mancipia. Ne ergo tam gravi contumelia adficere velis tam veritatem ipsam quam eius adseclas.

Atque iterum cum vos, qui a nobis dissentitis Hippolyto sitis discerptiores, ut supra patuit, nolite nos dissensionis apud Christi populum traducere, quum in summa omnes conveniamus, vos ne in summa quidem. Deinde si qui verba dominica imperitius expediunt aut tractant, summae rei fraudi ne fiat! Quotum quemque enim ante annos aliquot habuimus, qui digne sciret haec Christi verba expedire: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, ac orationis figuram ostendere? cum tamen omnes in summa rei conveniremus, videlicet: Christum esse petram, Petrum autem esse non posse ecclesiae Christi petram? at fraudi non fuit verba commode expedire nescivisse. Sic et hac in quaestione, quum veritas in lucem producta sit, cur eam propter verborum, sed cur dico verborum? quae in suo genere clarissima sunt; dicam potius mentis nostrae obscuritatem, nollemus amplecti? Saepenumero fit ut de verbis dissentiatur; in summa vero rei summa sit concordia. Et in divinis literis apostoli quoque sibi permittunt alia atque alia de verbis arbitrari, qui tamen in summa rei sic conveniunt ut unum ex una vena spiritum hausisse facile intelligas. Neque ista dicimus, ut nostra hoc fulcimentum requirant, cum et Tertullianus et Oecolampadius, Honius et Zuinglius prorsus idem sentiant quod Christus, Apostoli, Veteres, unumque et idem genus tropi sit, sive in verbo sive in praedicato explices: nam si verbo tropum indices, iam fontem aut obturasti aut repurgavisti, unde error per nostram ignorantiam manabat. Si vero in praedicato, iterum hoc ad originalis verbi illustrationem redundat: redditur enim unus atque

idem sensus, sive dicas: Panis figurat corpus meum, sive: Panis est figura corporis mei; panis repraesentat aut significat corpus meum; et: Panis est repraesentatio aut symbolum corporis mei.

Brentii cuiusdam ac Isemanni [1] factum cum tantopere commendas, refricas hoc Ciceronis: Da mihi mutuum testimonium! Ego enim, ut nihil gravius dicam, nihil hoc in discrimine tempestatis in lucem prodiisse vidi quod commendatione esset indignius, cum propter vim quae in eo libro sacris literis ferme toties intentatur, quoties adducuntur (verbo absit invidia!), ac immodicum fastum; tum propter novum exemplum ac immodestiam. Da enim, ut nos istis quatuordecim [2] ducentos opponamus! Sed quid dico ducentos? cum universus ferme mundus sive tacite sive palam diversum sentiat: quid pacis aut tranquillitatis quaeso nascetur, si quisque ad hunc modum eos, qui secum sentiunt, in factionem trahat, ut illi nomen publice dent? Addam, quod qui isthic nomina sua ostentant, coram suis ecclesiis hanc de eucharistia summam vix excusserunt, imo ne proposuerunt quidem; imo si proposuissent, nostra quae et sacrosancta et verissima sunt indubie pressissent. Sunt enim haud parum multi qui magistratus, veritatis in hac causa rudes, huc pertrahunt, ut ne conspectu quidem dignentur quae tantis fundamentis fulta sunt, ut religio potius nutatura sit quam hac in re veritas. Quod si ad hunc modum episcopi inconsultis ecclesiis suis conspirabunt, erunt novissima nostra peiora prioribus. Pedati ac mitrati istud pridem audebant inconsultis ecclesiis suis constituere, quod libuisset; si nunc vulgares ac gregarii idem facient, erunt *γραμματοτυράννων* omnia referta. Iam ut illorum halitus Satanam ubique spiret, quid refert dicere; cum praeter hanc calumniam, ut Satan nobis imponat qui ab eis dissentimus, totus liber ferme nihil habeat. Oecolampadium, virum innocentissimum, ac omnis tum pietatis tum eruditionis specimen, adeo impure tractant, a quo plerique tamen hauserunt quae in linguis sciunt, ut non obiurgatione sed execratione dignum sit, hoc pacto Christianos *ἀντιπελαργεῖν*. Hos tu commendas qui quoties prodibunt vincentur! Potuissem, mi Billicane, ab hoc stomacho facile temperare; sed non debet a quoquam ferri quum orationis fastu coelestem doctrinam confundi videt. Si haec sunt illorum crepundia, quae adeo ambitione et arrogantia turgent: satius esset aut Syllam aliquem ab eis redimere ne unquam quicquam scriberent, aut Amphictyones de eis simile quiddam statuere ac de puero qui perdicum oculos effoderat. Dum enim inter initia sic audent concursare, ac ostentationem suam a maledicendo incipere: quantum putas aliquando incendium eos daturos esse, ubi auctoritas accessisset? Auxiliares a Melanchthone copias polliceris, quod fere victi imperatores facere adsolent, ut in acie fugibundos retineant. Nos de Melanchthone nihil sinistrum suspicamur neque ad pugnam lacessimus.

---

[1]) *Io. Brentius* et *Io. Isenmannus* fuerunt ambo ecclesiastae Halis Sueviae.
[2]) Quatuordecim ecclesiastae Sueviae, qui contra Oecolampadium et Zuinglium Antisyngramma emiserant, et ludibrii causa subsidiarii (vernacule Nothhelfer) vocabantur.

Si vero belli aleam experiri volet, nihil hercle supparasitabimur: sancta res est veritas, antiqua et propria; eam speramus unice cordi esse Melanchthoni, quae et nobis sola observatur. Copias ergo fieri non potest quin coniungamus, etiam si in procinctum ventum erit. Haec ad tua summatim, optime frater, adduxi, missis porro quae abs te dicta sunt vel tenerius vel fervidius, quaeque ad rem parum videbantur habere momenti, in unum hoc incumbens, ut nihil praefracte neque in sacras literas nec in sacros earum candidatos praesumatur, e quorum numero te cum primis numerant qui propius noverunt; sed candidati simus, ecclesiaeque Christi iudicium suspiciamus, neque cum servis aut factiosis hominibus in ipsa comitia irruentes, tumultu civibus suffragiorum libertatem eripiamus. Si omnino de hac re bellandum erit: ne simus quaeso immoderati, sed cum religione summa sanctissimam veritatem tractemus! Quamvis ipse mihi penitus persuasi, te ubi lucem veri comprehenderis ad eam relictis tenebris desciturum. Prodimus nonnunquam magistri eorum quae nondum probe didicimus; ibi labor est tales revocare. Tu autem debes mature vocanti domino respondere: Ecce ego! Nam quae contra nos scripsisti ille fieri voluit, quo veritas magis ac magis illucesceret. Cetera in epistola ad Rhegium nostrum. Vale, Tiguri Calendis Martiis, MDXXVI.

# URBANO RHEGIO [1] ZUINGLIUS GRATIAM ET PACEM A DOMINO.

Et tu Mercuri facunde, cur sententiam non differs donec nostra quoque videas? nescis aurem alteram nobis deberi qui tantopere accusamur? Cur ergo ad eam partem concedis quae ex hominum errore potius pendet quam a divinis oraculis? Praesertim cum omnes putarent te sententiam suspendisse usque ad finem litis. Tu vero contra exsilis ac pars esse incipis, quem aliquando eramus arbitrum facturi. Sic te adorior, mi Urbane! Puto enim omnia mihi apud te licere. Persuasum enim habeo te, ubi quid liquido in causa ista sit perspexeris, non posse veritati non gloriam dare. Brevibus ergo et ad Tua habe! nam summa iam ad Billicanum tractavimus. Quereris graviter quod Satan teneris adhuc rebus coeperit de seminando dissidio cogitare. Quasi vero claram istam sanctamque de eucharistiae signis sententiam in hoc protulerimus, ut dissidium fieret, quo nihil minus est. Operam enim dedimus, ut docti omnes non modo in Germania, sed iusta quoque pars in Gallia resciret, anteaquam prodiremus nos prodituros esse, pars nostris ipsorum, pars vero amicorum literis. Responsum est a multis benigne, a multis aliter. Hi quoque qui videntur columnae esse non ignorarunt nos veritatem non prodituros esse. Nihil ergo nobis dissidiosum, nihil seditiosum imputari iure potest. In alios ergo magnifica ista tua detorque: Multitudo quoque in tot pene sectas quot erant praedicatores scissa est. Nimis enim ῥητορικῶς usus es hac hyperbola. Quotquot enim sunt qui dissentiunt in duas partes colliguntur: aut enim carnem corpoream hic adserunt aut negant. Non ergo comminuta est in tot sectas ac fragmenta Christi ecclesia, quot praedicatores sunt. Merito ergo accusas Satanam, sed propter eos qui dissidium malunt quam videri aliquid ignoravisse, ac rei compertissimae obstare quam vias omnes munire, quo veritas ad omnes pervenire posset. Est hoc gratiarum actionis unitatisque fraternae symbolum, neque nos quicquam tam diligenter praedicamus, monemusque omnem hominem in hoc unum esse debere intentum. Vos autem quum carnem quoque ad prandendum tanti facitis, quam tamen Christus ipse satis elevat si edatur, et in hunc usum negat dari: nonne iam in hoc ducitis, quod etiam te auctore summa rei non est?

Blasphemias istas dicis Carolostadianis in ore esse *esculentus deus; impanatus deus*. Vide ut haec tua verba quiritentur ac faces sint tumultuum! Primum quos dicis Carolostadianos? omnes nimirum, qui a vobis dissentiunt. Si ergo Christum ipsum docebimus a vobis dissentire, Carolostadianus vobis erit? Quantum laboris olim hauriebamus; ne Lutherani vocaremur qui Christiani eramus, ne humanum nomen

[1]) Conf. Vol. VII. p. 68, 69.

coelesti veritati aliqua parte officeret, subinde istud inculcantes: Num Paulus pro vobis crucifixus est? et: Nolite gloriari in hominibus; et nunc id in nos mutuo admittimus quod non adeo pridem cane peius oderamus et angue? Si nos idem auderemus, appellaremusque vos Pontificios, neque id nullo iure (eam enim opinionem defenditis quae pontifice Romano, non coelesti nititur): quo veniretur quaeso? Vitilitigatio fieret ex sacrarum literarum collatione. Abstineamus oro, frater, ab his nomenclaturis, ne dum his vocabulis studemus adversariorum causam odiosiorem reddere, ipsi fiamus omnibus exosi. Deindè ipse non emisi has voces *esculentus deus* aut *impanatus:* prior enim nescio apud quem nata sit; secunda vero e Galliis in Germaniam est missa, quae Carolostadii linguam non intelligunt. Sed σαρκοφάγος appellare soleo, quam vocem aeque perhibent contumeliosam esse. O viros patientia exercitos! Si Christus deus et homo hic editur quemadmodum adseritis, num esculentus non est? si panis fit caro Christi, et Christus deus est ut est: num non impanatur deus? Non sunt ista tam graviter accipienda: ipse enim si vobiscum sentirem Gallis magnam gratiam debere putarem, quod tam civili vocabulo deum meum adpellavissent, et non dixissent *coctus deus* aut *pistus*. Carnivori autem cur non vultis adpellari qui ob unam hanc causam continuum nobiscum geritis bellum, quod nos carnem nolumus simulare nos edere? Si autem *esculentus deus*, *impanatus*, *coctus*, *frixus* aut *pistus* nusquam est, quemadmodum Paulus dicit: Scimus idolum nihil esse per universum orbem: iam error adpellatur *esculentus deus*; error adpellatur *carnivorus*, non homo. Cur ergo ista arripientes videri nolumus seditiosa loqui? Porro qui vos aeterno igni addicunt si simplicibus Christi verbis adhaereatis: privati sunt: non faciunt hoc communi nomine, sed iniussu populi Christiani, iniussu regis qui coelos inhabitat. Quamvis iste non est simplex verborum Christi sensus quem vos putatis, sed multiplicissimus, alienissimus et non dicam obscurissimus, verum qui a nullo intellectu capi possit; simplex autem eorum sensus est, qui cum reliquis domini verbis constare potest, de quo satis ad Billicanum.

Cum vero sic ais: Tantum potest scilicet unius articuli fides, quem tamen ipsi non excogitarunt primi. Nam Viclevus Anglus etc. Quamobrem ergo facis ex nobis Carolostadianos, si Vicleviani sumus? Ipse tuis nimirum verbis nunc nos absolvis ne simus Carolostadiani, sed Vicleviani. Si ergo et hoc crimen purgaverimus, speramus nihil contumeliosi cognominis superesse quod nobis obtrudatis.

Perhibes opinionem Carolostadianam, quod plurimum posse videretur, ad oppugnandum Missam compendium esse visam. Cur ergo tam subito in illum prodierunt libelli tui? Dicebantur isti prostare, cum neque Oecolampadius neque nos quicquam de hac re evulgavissemus; et certe res sic habebat. Ipse enim vidi venum expositos. Recte ergo dicis te rem haud oscitanter expendisse: non enim potuisti diu oscitari, cum libellos adeo praecoces extruderes. Nos tamen paulo diutius quam tu cunctati sumus. Unde et factum est, ut nusquam vacillaverimus, ne per epistolas quidem ad amicos datas; cum interea

nonnulli nunc ista, nunc alia, haud undique constantia, per epistolas amicis nunciaverint.

Negas te videre cur tropum in hac oratione admittas: Petra autem fuit Christus. Dic ergo, num Christus saxum sit? Respondebis nimirum: Christus est spiritualis petra. Deo gratia! Tropum simul negas te videre et simul tropum explicas. Quis hanc orationem dicat tropum esse: Christus est spiritualis petra? Nemo arbitror. Sed ista tropus est: Christus est petra, etiamsi nonnulli contra crepant, ut vereor, ne rumpantur, dicentes: Mox ante hanc orationem clara sunt omnia quibus facile videmus, Christum spiritualem dici petram. Iterum tam deo quam illis gratia! Ergo quae antecesserunt audiri debent anteaquam e Christo rupem faciamus? Iacent ergo ista violenta: Nolumus alia audire quam ipsissima Christi verba in coena per ipsum dicta, si et alia consideranda sunt. Licebit ergo nobis quoque dicere: ista oratio: Hic panis repraesentat corpus meum quod pro vobis traditur, non est tropus. Nam ex his quae sequuntur facile intelligimus non esse tropum, cum dicit Christus: Non bibam de fructu vitis, donec etc. Nihil enim refert, praeeant an sequantur quibus tropum aperimus; sed hic erat tropus: Hoc est corpus meum. Ergo utrobique tam hic quam isthic *Christus erat petra* tropus est, invitis omnibus Heracliticis obscuratoribus.

De verbo substantivo huius orationis: *Hoc est Paesa* abunde multa diximus ad Billicanum. Quae autem tu hic adducis, primum satis produnt, quae per manus vestras volitent epistolae: nam et nos in eas incidimus. Sed vide, mi Urbane, ne plus apud te valeat quorundam auctoritas quam veritas. Scribimus nonnunquam ex contentione, quae, ut est effrenatum malum, omnia convertit in praesidium, etiam quae nocent: quae apud alios firmissima sunt et clara elevat, contra, quae apud se infirma, stipulacea, φελλῖνα, certat esse adamantina; pertinax est ac insuperabile malum. Deinde tua pro nobis sic faciunt, ut sperem te, quamprimum hoc ostenderimus, ad clarissimae veritatis partes concessurum. Sic enim ais: Tandem et substantive accipi posse *est*, citra sensus absurditatem intellexi, si sic Mosen intelligas: Comedetis festinanter! Est enim transitus domini; quasi dicat: Quae de agno paschali supra ut fierent praecepi, ideo iis ceremoniis praescripta conficietis, quia dies illa est Pascha domini, ut ad diem in quo beneficii collati recordari iubentur potius quam ad agnum referas. Hactenus tua adnumeravimus. Intelligis, ut arbitror, te iterum vestro more negare tropum, tam ubi est quam ubi non est tropus; non alia ut arbitror causa quam, ut bona vestra venia dicam, quod in Hebraeo sermone perpetuo caecutitis ad tropos, quorum tamen ille est refertissimus, sic ut nulla sit apud eos vox quae non aliquando tropum adpetat. Cum ergo Moses dicit: *Hoc est Paesa*, nimirum tropus est; sive isto demonstrativo *agnum* ostendas sive *festivitatem:* naturaliter enim neque agnum neque festivitatem significat. Sed cum tu dicis: Hic sermo tantum valet quantum: Haec dies est Pascha domini, iam tropum in una

parte orationis explicas, in aliam vero contrudis. Atque hoc est, quod ad Billicanum et in aliis quoque attigi: posse scilicet tropum etiam in subiecto explicari; sed tum brevitati parcebam. Tu autem nunc tua sponte in subiecto explicas, cum *hoc* in *dies illa* resolvis; quamvis nos mallemus in *haec agni ceremonia* resolvi. Ergo demonstrativum *hoc* aut demonstrat naturaliter aut minus. Si prius, nihil ergo demonstrat quam agnum. Cogemur ergo tropum in verbo vel in praedicato expedire et dicere: Agnus iste repraesentat praeteritionem. Aut secundum Oecolampadium et Tertullianum: Agnus iste est figura vel commemoratio praeteritionis. Si id demonstrativum *hoc* non demonstrat naturaliter, sed quomodo tu vel ego iam resoluimus in *haec dies*, aut in *haec agni ceremonia*: quaero an nunc non palam videas per te in subiecto quaeri, quod nos aut in verbo aut in praedicato dudum ostendimus? Vide, carissime Urbane, ut contentio nobis aciem perstringat, ut etiam nostra non liquido intelligamus. Sed hoc incommodi habet tropi explicatio in subiecto, quod etiam tandem cogimur tropum in praedicato quoque explicare. Cum enim dico *haec agni cerimonia*, sive *hic festus dies* est Pascha: adhuc non constat cerimoniam esse praeteritionem sive pascha, sed *μνημόσυνον* praeteritionis; cogemur ergo sermonem istum tam latis ac multis explicare: Hic festus dies est *μνημόσυνον* praeteritionis domini. Dicis ergo te non opus habere tropo; at quando dicis hoc? quum et sententiam et tropum et intellexisti et explicuisti. Neque ego explicatione tropi opus habui, sed hi opus habent qui sensum non capiunt. His troporum natura aperienda est, quo et sensum capiant et verba intelligant sensui non obstare. Tractemus igitur dominica verba: Hoc est corpus meum, iuxta praescriptum tuae sententiae! Hoc, id est, hic festus dies, sive ista panis ac vini ceremonia, *est* corpus meum, id est *μνημόσυνον* corporis mei pro vobis traditi. Vides, inquam, quod olim et ad Billicanum admonui, etiam in subiecto inveniri tropi explicationem; neque id ex nostro sensu, sed ex duobus apertissimis scripturae locis: altero Pauli 1. Cor. 5: 7, quem ille ex Exod. XIII. et XII. hausit, ubi sic ait: Etenim Christus Pascha nostrum pro nobis mactatus est. Celebremus ergo festum non in fermento vetere etc. quibus Apostoli verbis patefit inter initia festivitatem esse habitam eucharistiam. Quod autem crebrius celebrabatur, fiebat ob fratrum quotidianam accessionem. Nam quo Paulus hac sententia pergat non ignoro; attamen in ipsa *ὑποθέσει* sic ad festivitatem alludit, ut tu non inique tropum explices, si solum intelligeres te tropum explicare. Altero vero de Exod. XIII. depromto, ubi deus causam azymorum adsignans sic praecipit Mosi: Azymos comedetis septem dies! non adparebit tibi fermentatum neque sit fermentum in omnibus finibus tuis. Commemorabis autem filio tuo in die illa ad hunc modum: Propterea quod Dominus hoc et hoc fecit (tantum enim potest בעבור זה עשה יהוה לי, id quod fortasse ex Iudaeo non tam commode disces), mihi dum exirem ex Aegypto. Et erit tibi in signum, quod manibus quoque contrectes; (Tantum enim valet *in manum tuam* apud Hebraeos, quem loquendi modum divus Io. 1, 1: 1. nobis aperuit, quum sic

scripsit: Quod audivimus et vidimus oculis nostris et manus nostrae tetigerunt etc. qua locutione Hebraei solent rem quae sensibus oculisque sit exposita describere) et *μνημόσυνον* ante oculos tuos, ut sit lex domini in ore tuo. Vides hic, Urbane! clarissimum solertissimumque de signis locum, quem hactenus ideo non produximus, quod dubium non erat vos omnia excussuros esse, si paucula solummodo praemonstravissemus; sed multos non invenio tam diligentes quantum videri volunt, sive moretur eos contentio ut lucem videre nolint, sive teneritas ut non possint. Deus ergo, qui lux est, nobis clarissime aperit hoc loco, quod signa ista ceremonialia, quae nos sacramentalia vocamus, in hoc data sint, ut sensus quoque non nihil solatii habeant, quo libentius conveniamus; congregati vero attentius auscultemus quod dominus istud aut aliud nobis fecerit. Est igitur et eucharistia nostra visibilis ecclesiae congregatio, ubi simul edimus ac bibimus panem et vinum veluti symbola, ut earum rerum commonefiamus quas Christus pro nobis gessit. Iam opero perspicuum tibi factum esse, tua quoque expositione ut tropi explicatio a nobis stet: quamvis hic deficias, quod tropum negas, sed sero nimis, nempe cum explicuisti. Sed quid multa? Tu vides, si tua ipsius verba, quae tibi veritas extorsit, recte intelligas, quicquid hic et quantumvis controvertitur nihil tamen esse nisi commemorationem et commonefactionem eius quod semel gestum est; nec in verborum varia expositione sententiae varietatem esse, sed talem unitatem atque tam claram, qualis in paucis scripturae locis invenitur, qui saltem adeo sciter controvertantur. Sive enim dicas: Hic panis repraesentat vel significat corpus Christi, quod pro nobis traditum est; sive: Hic panis est figura, imago, symbolum, *μνημόσυνον* corporis Christi pro nobis traditi; sive: Hic ritus, haec ceremonia, hic festus dies est commemoratio sive gratiarum actio de Christi corpore pro nobis tradito, sensus manet idem undique. Et Hebraeae linguae ingenium hoc potest, ut הוּא, זֶה, זֹאת totam aliquam causam demonstrent. De lana ergo caprina certatur, dum rixae in verbis quaeruntur, sententia in tam aperta luce prostrata.

Postremo putas et hunc Pauli, 1. Cor. 10: 16. locum: Panis quem frangimus nonne communicatio corporis Christi est, si non coacte sed simpliciter enarretur, vestrarum esse partium. Quibus verbis facile capio te in ea esse sententia, ut nostram expositionem, quam ad Pomeranum scripsimus, violentam atque coactam putes. Quid autem quaeso isthic dictum est quod non dico confutaveris sed confutare potueris? nam si potuisses non peperciisses. Dicam adhuc paucula, veluti per compendium quae tibi, si modo recipis quae vera sunt, usui esse possint ad intuendam lucem.

*Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας*, id est: *poculum benedictionis*. Scito benedictionem *εὐλογίαν* et benedicere *εὐλογεῖν*, non hoc tantum loco, sed et multis aliis, accipi pro collaudare sive gratias agere. Nam et Romani eos qui rem ex sententia gessissent collaudabant vel pro rostris vel pro senatu, id est, gratias illis agebant, vel cum gratias agerent simul laudabant. Ad hunc modum accipitur Gen. 47: 10. tam בָּרַךְ quam *εὐλογεῖν*, hoc est, benedicere, dum sic loquuntur LXX. „Induxit

autem Ioseph Iacob patrem suum et statuit eum coram Pharaone; et Iacob benedixit Pharaonem. Hic nemo ambigit, nisi qui nihil quam literam mandit, quin Iacob urbanissimus homo non benedixerit impium regem sacra aliqua precatione, quam ille contemsisset, sed eum collaudasse regem ac gratias egisse pro tam ingentibus beneficiis sibi liberisque suis impensis. Et Psal. 145: 2. Per singulos dies benedicam tibi, id est, collaudabo te, ubi Hebraei constanter habent אברכך. Sic et hic: Poculum collaudationis et gratiarum actionis est. Non ignoro quid hic scioli et ignari ogganniant; sed frustra omnia.

*Ὁ εὐλογοῦμεν*, id est, quod poculum benedicimus, locutio Graecanica est pro, quo gratias agimus: dicunt enim *ὃν τρόπον*, id est *quemadmodum*, pro *quo pacto* vel pro *quo modo*. Sic et hic quod collaudamus pro *quo gratias agimus*. Quod si *ὃ* ad mortem Christi, quae verus calix est, cupias referre, nihil moror.

*Κοινωνία communio* potius est quam *communicatio*, et significat ecclesiam, quae unum, idem et commune corpus Christi est, Act. 2: 44 — 46. quia universa multitudo *unus panis* et *unum corpus* sumus. Sic mos est Hebraeis causales ultimo loco ponere, quae tamen isthic tantum valent quantum rationales aut ordinalia inter initia posita. Exemplum Exod. 10: 24. sic habet Hebraica veritas: Sic eatis permitto: adulti eant et colant dominum, hoc enim quaeritis. Viden hanc causalem *enim*? Verte in rationalem facitoque sequentia priora: Quandoquidem vel posteaquam cultum quaeritis, non permittam liberos vestros abire: illi enim non sacrificant. Soli ergo adulti eant: horum enim est sacrificare. Non enim adultorum tantum abitionem quaerebant sed omnium, adultorum, uxorum, liberorum. Debet ergo rationalis ad cultum non ad profectionem adultorum referri.

Nunc praesentia Pauli verba exploremus! Quandoquidem unus panis et unum corpus universa multitudo sumus, eo quod omnes de uno pane participamus: fit nimirum ut poculum sive festivitas gratiarum actionis, qua gratias agimus, nil aliud sit quam communio, unitas et sodalitas sanguinis Christi etc. Iam ergo sequitur commode istud quo Paulus pendit: Quid ergo commercii habet communio sanguinis Christi, id est: populus Christianus in communione idololatrarum? Ne dicas hic, Urbane: haec violenta sunt; sed inusitata fortasse sunt. Materiem divisi; reliqua tu, qui doctus es, pervestigato.

Haec breviter ad tua quoque boni omnia consule! Nos perpetuo pugnam deprecamur apud omnes. Quod si prorsus ungues nostros quos tam cunctanter exerimus quidam experiri cupiunt, dolet nobis hoc in praesentia; postmodum vereor, ne illis nequicquam doleat ubi senserint. Résipiscite Billicani, Rhegii, Brentii, et id genus bonarum sacrarumque literarum candidati, dum tempestivum est. Quod si non vultis, nihil durius imprecor quam ut huiusmodi tum epistolas tum libros plurimos scribatis. Perpendite etiam atque etiam, quantam respirandi pontificiis occasionem praebeatis, dum carnem adseritis in pane; et contra, quam verum sit quod Paulus, in hoc, divino spiritu instinctus dixit: Et si cognovimus Christum secundum carnem: at iam desivimus nosse secun-

dum carnem! Det ille nobis idem in ipso sapere ac sentire! Vale carissime frater! Et nihil temere!

Salvere iubeo et ego Ranas vestras, sed hac lege, ut castissimae Dianae, hoc est, veritati expergiscenti, ne obstrepant; et Agricolas [1] omnes, si modo triticum non vitient ac uvam, sed sinant panem ac vinum ex eis confici, non carnem et sanguinem. Oremus pro nobis mutuo! Ex Tiguro Kalendis Martii. MDXXVI.

---

1) De *Io. Rana* (vernacule *Frosch*) vid. Vol. VII. Epp. p. 343. *Stephanus Agricola*, quem Augusta Vindelicorum habuit ecclesiasten, colloquio interfuit Marburgensi, pastor Martisburgi postremo.

3 2044 052 816 402

ZWINGLI, Ulrich
Werke.

608.2
Z98.1
1828
v. 3
cop. 1